UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

urn:nbn:de:hbz:466:1-51821

Visual Library

Th. 3028.

~~H III~~
54
H 182

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE BREVIARIO CONCIONATORIO,

Strenæ, *Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens*, Concionnes Occurrentes & Funebres,

Cum

Aliquibus Fragmentis.

AUTHORE

R. P.

ADALBERTO TYLKOWSKY,

Societ. JESU Theol. Presbytero.

Collegii Soc. Jesu Paderborne.

Typis Monasterii Olivensis,

Imprimebat JOANNES JACOBUS TEXTOR,

Factor, 1686.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX STRENARUM.

	Num.
Spiritualis Circumcisio.	1
De Nomine JESV.	11
De Nominibus quæ in Baptismo assumimus.	23
De Renovatione & Novo Cantico.	32
De Tempore & tempestiva Pœnitentia.	44
De Mortis Memoria.	55
De his quæ fuerunt circa Nativitatem Christi.	59
Distribuitur stabulum Bethleemiticum.	74
De septem donis Spiritûs S. in figura columbæ.	86
De Floribus & Plantis.	100
De Avibus.	123
De Animalibus quadrupedibus.	142

PARS PRIMA.

Strenæ in Communi.

STRENA I.

Spiritualis Circumcisio.

NOn ero contrarius Apostolo intonanti Galatis 5. cap. *Si circumcidamini Christus vobis nihil proderit*, Si dixero. Nisi circumcidamini Christus vobis nihil proderit. Ille enim de Judaica, ego de Christiana: Ille de carnali, ego de spirituali affirmo circumcisione, sit enim sua etiam animæ & spiritui circumcisio, & sicut nihil profuisset nobis Christum natum, passum, mortuum fuisse, nisi & nos cum illo renascamur, patiamur, & moriamur, sepeliamur, & resurgamus; mortui peccato in vitæ novitate ambulantes: ita nihil nobis contulerit ejus circumcisio quam nostri causâ hodie suscepit, nisi & nos fuerimus circumcisi, nisi ut passionem, ita & circumcisionem in nobis circumferamus, non carnalem verò sed spiritualem, quæ est in veteris hominis expoliatione, malarum concupiscentiarum resectione, mentisque totius renovatione, quod usque adeò necessarium est, ut nisi quisque ita fuerit circumcisus, ad plenam & perfectam, quæ erit in altera vita ab omni carnis corruptione & mortalitate, pervenire non possit: ita enim Ezech. 44. *Omnis alienigena incircumcisus corde non ingredietur in sanctuarium meum*. Sed proh dolor, nec enim frustra lamentatur Jer. 9. *Omnis*

 domus

domus Israël incircumcisi sunt corde. Et cap. 6. *Ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt.* Multi, quorum D. Stephani Act. 7. servit increpatio. *Durâ cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui S. resistitis.* Sanè eò jam Christianam rem vidimus rediisse ut si mores affectusque spectes, vix à Paganis & Gentilibus distingvi valeant, imò Ethnicorum multi castiùs, magis sobriè, justè vivant. Dabo itaque vobis pro Strena artificium Spiritûs circumcidendi, sed priùs de illius necessitate. Dixi Gentiles castiùs, justiùs, & magis sobriè vivere ne videar asperè locutus, uno saltem exemplo id ipsum illustro. Refert Plutarchus Themistoclem Athenienſibus pro Concione dixisse, se consilium reperisse quòd summopere ad dignitatem utilitatemque Athenienſium pertineret, sed id esse ejusmodi ut in publicum proferri non expediret. Populus ergo censuit ut uni Aristidi rem indicaret, si id probaret ille, probaturos omnes. Aperuit Themistocles Aristidi, se de incendenda Hostium navali statione cogitare: sic enim fore ut Athenienses totius Græciæ dominio potirentur. Aristides ad populum prodiens dixit. Re, quam machinatur Themistocles, neque compendiosiorem esse, neque iniquiorem. Hoc est, consilio Themistoclis neq; utilius quidquam, nec eodem iniquius. Audito iniquitatis nomine Populus, vetuit ne super ea re verbum faceret Themistocles. Quis hunc amorem justitiæ inter Christianos facilè reperiat? quis ita horret nomen injustitiæ, quotus adeò reperitur amans innocentiæ, ut oblatam sibi insignem utilitatem cum injustitia, rejiciat? Virtus post nummos, Christiani, agitur de prædiolo acquirendo, nulli fraudi parcitur, agitur de lucro misero nullum vitatur perjurium. Quot crimina quotidie Mercatores, quot Opifices, Judices, Causarum Advocati committunt? quot, usuris, rapinis, cruore pauperum sua lucra augent? Ad summam utilitatem

Athe-

Athenien sium pertinebat quod Themistocles intendebat, Athenien sium, quibus non fides Christi, non lex Divina, non supplicia æterna fuerant nota, quia verò cum injustitia conjunctum fuit, ne quidem sunt passi verbum de illo fieri. Ideòq; justissima est contra nos Dei ira, & nisi hæc vitia in nobis exscindere curaverimus gravissimum imminet judicium. Nemo se fallat, ut quia Christianus, quia baptisatus, quia Sacramenta frequentat, si est injustus & Gentilibus deterior, salvandum se putet. Exemplo sit nobis populus Israëliticus. Fuit ille magôà DEI clementiâ de toto mundo selectus, ut esset singulariter illius & peculium Domini censeretur. *Omnes mare rubrum transierunt, omnes in nube baptisati sunt, omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & potum spiritualem biberunt.* Omnes circumcisionis Sacramentum susceperunt, nihil eis hæc omnia profuerunt ut dicit Apost. 1. Cor. 10. sed prostrata sunt in deserto corpora eorum, perierunt ab Exterminatore, exclusi sunt à terra promissionis. *Hæc autem in figura nostri contigerunt.* Hæc scripta ad nostram corruptionem. Nemo igitur Ecclesiæ Sacramentorum societatem, & participationem sibi profuturam existimet, nisi vitæ novitati, & morum correctioni det operam. Nemo quia natus, circumcisus, & passus est Christus sperare salutem debet, nisi ei similis esse studuerit, nisi intus renascatur, & circumcidatur, & Christo commoriatur. Alioqui idem illi eventurum quod Israëlitis circumcisis ut in sæculi deserto pereat, nec ad illam secundam & beatam circumcisionem perveniat, sed ut ait Propheta Ezech. 28. *Morte incircumcisorum moriatur.* Omnes vitis illius, quæ Christus est, palmites: omnes membra corporis esse volumus, sed quomodo id fieri potest? cùm palmites qui in vite sunt, Pater cœlestis Agricola purget, Joann. 15. ut fructum ampliorem afferant. Nos autem & foliis & pampinis abundamus, purgantis

& reſecantis DEI Patris manum moleſtiſimè ferimus, imò averſamur, nec eam ſuſtinemus. Purgare nos illa vult ab amore divitiarum, & bonorum præſentium inordinato & perverſo affectu, eò bella tendunt, vaſtitates agrorum, direptiones, militares executiones. Præſcindere à nobis noxias carnis voluptates laborat, quando pauperiem & morbos immittit, à nimio noſtri nos amore conatur revocare, per varias humiliationes, & dejectiones, & ecce nihil aliud quàm DEO obmurmuramus, & per impatientiam reluctamur, adeò fructum plurimum non afferimus, ut pro uvis tantùm labruſcas proferamus Iſai. 5. An non ergò impendet nobis, quod apud Joann. Chriſtus cap. 5. ait. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum Pater meus, &c.* Id ſanè reſtat, & timere debemus, ne quando à noxiis & ſuperfluis ſarmentis purgari & præſcindi nolumus, nec fructum adferre ſtudemus, toti ſimul abſcindamur, nõ in futuro tantùm, ſed hìc quoq; ab ipſa vitis Chriſti ſocietate & incidere permittamur in hæreſes, imò Atheiſmos. Dum enim puram, circumciſam, & bonam habere conſcientiam negligimus, & eam à nobis repellimus, fit, hoc præſertim ſæculo, ut fidei naufragium patiamur. 1. Tim. 1. Certè ut parcat hìc nobis longanimitas DEI, manet nos ſanè atrociſſima & horrenda in futuro ſæculo reſectio & circumciſio, vel potiùs amputatio, quando à bonorum omnium cœtu, à bonis omnibus, atque à DEO ipſo bonorum omnium authore & fonte, per divinam ſententiam penitùs abſcindemur. O quo igne ibi ardebunt reciſi palmites iſti! ô quantum & quàm grave non ex fœno tantùm & ſtipula, ſed ex vaſta lignorum & ſarmentorum ſtrue orietur incendium! ô quanta tunc uret flamma, cui tanta nunc corruptionis noſtræ, quam nunc circumcidere & ſanare nolumus nutrimenta præparamus! ô quàm torquebunt, & in quanta tormenta vertentur noxiæ iſtæ & luxuriantes cupiditates! quas hìc,

nihil

nihil eis denegantes fovemus, & in immensum augemus. Sic ostensâ circumcisionis hujus necessitate, audite ejus artificium, & in quo ipsa consistat.

Circumcidamus affectus nostros & corda nostra, & Divini timoris gladio malarum cogitationum, & cupiditatum omnium intemperantiam abscindamus. Non ambulemus post concupiscentias nostras, nec in viis cordium nostrorum nec in intuitu oculorum nostrorum. Eccl. 18. Non faciamus quæcunq; placent, non cogitemus quæcunque volumus, non loquamur quidquid in os venit, sed ut artificium clarius fiat, in quædam præcepta est distingvendum. Circa tria ergo potissimùm hæc ars versatur, circa membra nostra seu corpus, affectus, & bona externa.

Quod attinet membra corporis nostri, & sensus exteriores. Adeò natura humana peccati morbo infecta est, ut vix quidquam in ea sit quod spirituali circumcisione non egeat, quâ noxia subtrahantur, & salutaria relinquantur. Docet hoc D. Bern. serm. 1. de Circumcis. ita loquens. *Et nos Fratres circumcidi necesse est, non literâ, sed spiritu & veritate, circumcidi non uno membro, sed toto corpore simul. Licet enim magis in ea parte in qua mandata est Judæis circumcisio, regnet additamentum Leviathan, quod à malo est, & amputari debet. Universam tamen occupat carnem, à planta pedis usq; ad verticem capitis non est sanitas in nobis, non est aliqua pars quæ non sit hoc veneno tabida. Propterea sicut parvulus in fide, & dilectione populus congruum sibi mandatum exiguæ circumcisionis accepit, sic ubi crevit in virum perfectiorẽ toto jubetur corpore baptisari, quæ totius est hominis integra circumcisio. Hinc est quòd Salvator noster & circumcidi octavo die, & post annum trigesimum dignatus est crucifigi, ubi in pœnam corpus omne distensum est, cujus similitudini mortis complantamur & nos, &c.* Sic ille.

Circumcidendi ergò primùm sunt *Oculi*, quorum

circumcisionem Propheta sic à DEO petebat Ps. 118. *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Sed hic iterùm videamus Ethnicos, ne fortè nos superaverint. Curt. in Alex. Refertur Alexander Magnus dixisse. *Dolores oculorum sunt Persicæ puellæ, sed ego eas tanquam statuas inanimes prætereo:* nimirum ab iis avertendo oculos. Scribitur de Scipione Affricano, quòd captam in Hispania nobilem, & pulcherrimam puellam conspicere vix voluerit, sed viro cui desponsata fuerat, intactam reddiderit. Oculos in circumcisos habent illi, quos D. Petrus. 2. Petr. 2. dicit, habere *oculos plenos adulterii & incessabilis delicti.* Cujusmodi & fornicaria illa habebat, de qua Sapiens Prov. 7. *De fenestris ædium suarum prospiciens, videt parvulos, considerat vecordem Juvenem, &c.* Sed modò plorandum cum Jeremia cap. 9. *Ascendit mors per fenestras,* id est, oculos, qui quasi fenestræ sunt domûs. *Et ingressa est domos nostras.* Quid ex eo? idem quod ex furis ingressu. Thren. 5. *Oculus meus deprædatus est animam meam.*

Circumcidendæ etiam *Aures* ne otiosis verbis, ne detractionibus, ne impudicis, ne adulatoriis, ne pravis consiliis, aditum præbeant. Ad quod Salomon inducit, cùm ait Eccl. 28. *Sepi aures tuas spinis, & noli audire lingvam nequam.* Ad detractiones quasi surdus efficiaris, sic audies extra culpam, ac si non audires quando aliter nec prohibere loquentem, nec evitare vales. Si non pudet in hoc Sanctos imitari, saltem pudeat non imitari Gentilem Ulyssem, qui malo alligatus, audivit Sirenum cantus quidem, sed his contemptis syrtes prætervectus evasit qui etiam sociis contra vocum prospexit illecebras, dum aures eorum cerâ impactâ præcepit obturari.

Circumcidendus quoque *gustus* ut victu simplici contentus exquisitos sapores, cupedias, atque varia genera deliciarum, tanquam carnalium hominum inventa, superbiæ & elationis fomenta, libidinum irritamenta, detestetur. Hæc enim præci-

præcipit Apostolus. Rom. 13. quando monet, *ne carnis curam faciamus in desideriis.* Colos. 3. Vt *sapiamus quæ sursum sunt, non quæ super terram.* 4. Reg. 4. Non gustemus mortem quæ est in olla hujus carnis. Job. 6. Non gustemus quod gustatum affert mortem. Non sapiamus quæ sunt carnis sed quæ Spiritûs Dei. Cogitemus, voluisse Christum bibere amarum passionis calicem vino myrrhato cum felle mixto atque aceto potatum. Recordemur absynthii ejus & fellis, nostrumque cibum ac potum amaritudine passionis ejus temperemus: Sobrii simus, & saporem in spirituali edulio collocemus. Sermo Dei, oratio, fraterna admonitio, Sacramentorum usus nostri delectent cordis palatum.

Circumcidendæ sunt *manus* ne aliena rapiant, ne pauperibus eripiant, ne servos & mercenarios operis sui præmio spolient. Potiùs ad pauperes sunt extendendæ, uti Mulier illa fortis, quam adeò commendat Sapiens in proverbiis cap. ult. facere solita est. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Imitemur Patrem nostrum cœlestem, *qui aperit manum suam & implet omne animal benedictione* Ps. 144.

Præter hæc circumcidenda est *lingua*, quæ Jacob. 3. *maculat totum corpus nostrum, & inflammat rotam nativitatis nostræ inflammata à gehenna.* Rota nativitatis nostræ est corpus istud cum quo nati sumus, quod ab ortu ad mortis usque occasum rotæ instar per continuam inconstantiæ & varietatum volubilitatem versatur, & hæc rota ignibus infernalibus accensa non cessat mille modis maledicta congerere, mentiri, calumniari, lites movere, cædes struere, & quasi incendio suo quæcunque attigerit, involvere: eo modo, quo, si rotam pice perlitam & incensam circumagas, quæ ædes, horrea, sylvas, & oppida integra flammis voracibus absumat. Contra hanc de cælo petendum cum Propheta auxilium Ps. 140. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.*

Est

Est & alia interior *affectuum* nostrorum & desideriorum circumcisio: latet enim in corde nostro concupiscendi appetitus, qui carnalium affectuum & cupidinum est origo, à quibus omnia scelera prodeunt, ut ambitio, libido, avaritia, ira, invidia, contentiones, inimicitiæ &c. Hæ namque pestes ex corde nostro oriuntur dicente Domino Matth. 15. De *corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, stupra, falsa testimonia* &c. Cùm ergo hæc omnia mala ex corde nostro veluti ex teterrimo fonte scaturiant, necesse est, ut ad letalis hujus arboris radicem securis apponatur, ut radice utrunque abscissâ, malorum quoque germina extirpentur. Hoc enim est quod Moyses olim populo præcepit Deut. 10. *Circumcidite præputium cordis vestri & cervicem vestram ne induretis amplius.* Quod quidem Divinæ legis præceptum Apostolus explicuit & implevit 2. Cor. 4. cùm se occulta dedecoris abdicare testatus est. Hoc autem facit quisquis omnia peccati germina ex corde pullulantia gladio Divini timoris abscindit. Hanc cordis circumcisionem postulabat Propheta Regius, Ps. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Quod ubi obtinuerat, exclamavit præ gaudio & dixit Ps. 83. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Tertiò etiam *bona externa* circumcidenda sunt, ut intra suam se quisque mensuram contineat, & ad ea quæ vires suas & facultatem superant, extendere se non audeat. Ita se Rex ille Sanctus continebat Ps. 130. *Domine non est exaltatum cor meum neq; elati sunt oculi mei neq; ambulavi in magnis, neq; in mirabilibus super me.* Sic etiam Apost. se continebat 1. Tim. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Hæ namque naturales sunt divitiæ, hic usus vitæ, hæc virtus, hæc natura postulat, quibus olim contenti homines fuerant, cùm juxta præscriptum naturæ viverent. Cætera verò quæ postea in mundum

invecta

invecta sunt, partim hominum intemperantia, partim terrena prudentia excogitavit. Natura enim præcipuè quærit quæ Sanctus ille Patriarcha optabat Gen. 28. *Si Dominus dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum quo operiar.* Et Salomon Prov. 3. *Divitias & paupertatem ne dederis mihi, sed tantùm victui meo tribue necessaria.* Quodsi hâc regulâ usum vitæ metiamur, bone Deus, quanta in domibus opulentorum inveniemus quæ oportebit resecare! quot genera indumentorum quibus corpora non teguntur sed gravantur, quot peristromatum & aulæorum formæ quibus muri & lapides vestiuntur dum Christi pauperes frigore consumuntur! quot ciborum, cupediarum, deliciarum, atque odoramentorum species! quàm multis esurientibus reficiendis, quot nudis vestiendis illa sufficerent, quæ tu cum summa pauperum injuria inaniter & turpiter profundis! Notum est illud S. Ambrosii. *Pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti.* Contra tales ita fulminat S. Basil. hom. 6. in ditescentes avaros. *Esurientis est panis quem tu retines, nudi est vestis quam in arca custodis, discalceati calceus qui apud te marcescit, egentis argentum quod tu infossum terræ possides. Quare, tot injurius es hominibus quot poteras opem conferre.* Quocirca hanc moralem circumcisionem benè servant, qui voluntariam Paupertatem amplectuntur, & relictis omnibus, nudi nudum Christum sequuntur. *Optimè*, ait Bern. serm. 1. de Circumcis. *Circumcidit nos, & superfluа resecat universa, voluntaria paupertas, pœnitentiæ labor, regularis observatio disciplinæ.* Hanc amplexus est Christus D. qui dicit Ps. 39. *Ego sum mendicus & pauper, & in laboribus à juventute mea.* Et Luc. 9. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos ubi ponant pullos suos: Filius autem Hominis non habet ubi caput reclinet.* Hanc elegit Apostolorum Princeps Act. 3. *Aurum & argentum non est mihi.* Hanc Doctor Gentium 1. Cor. 4. *Usq. in hanc horam & esurimus & sitimus & nudi sumus.* Hoc

præscriptum à Domino discipulis Luc. 9. Ut non possiderent aurum, neque argentum, neque duas tunicas &c. Nec verò Sancti tantùm hanc rerum temporalium abdicationem & circumcisionem sunt amplexi, sed etiam Gentiles multi. Nota est Diogenis egestas ejusque dolium: Nota est Cratetis quem D. Hieron. scribendo ad Paulinum, refert magnum auri pondus abjecisse, cùm ad Philosophandum pergeret Athenas, eò quòd non putaret, se simul divitias & virtutem posse possidere & Aristides vir summus Athenis in tanta paupertate vixit, ut in attrita lacernula incederet, frigusque & famem domi sæpè pateretur. Narrat D. Chrysost. lib. 2. contra Vituper. vitæ Monastic. lib. 4. de Thebano Epaminonda, quòd in concionem vocatus venire non potuerit, quia vestem laverat, nec aliam habuit quâ indueretur. Scribit etiam Valer. Max. Publicolam posteaquam in ipsa urbe Roma ter Consul fuisset creatus, in tanta postmodum egestate mortuum, ut sumptu publico debuerit mandari sepulturæ. Hi confundent in die Judicii Christianos, qui divitiis & bonis temporalibus inhiant, qui congregant & thesaurisant, qui superfluis abundant, qui nihil minùs quàm hanc moralem circumcisionem cogitant. Studeamus huic circumcisioni, amputemus omnia superflua & noxia. Corrigamus affectus nostros. Castigemus cupiditates nostras, frænemus desideria carnis: Ita futurum est ut ad illam circumcisionem perveniamus, ubi non solùm omnis cupiditatum nostrarum intemperantia, sed etiam omnis laborum & dolorum, lacrymarum, & ærumnarum molestia, non ferreo aut lapideo cultro, sed plenissimæ felicitatis gladio resecanda est; cùm vocem illam jucunditatis plenissimam audire à Domino merebimur. *Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25.

STRE-

STRENA II.

De Nomine JESU.

NOmen novum & à sæculo non auditum in strenam vobis offero. Est enim Jesus idem quod Salvator, ut ex ratione ab Angelo allegata manifestum est. Cùm etenim S. Joseph Virginem S. deserere cogitaret apparuit illi Angelus Matth. 1. cum his dictis. *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam: &c. Pariet filium & vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hanc salutem, hanc gratiam, hanc libertatem, hunc denique Salvatorem hactenùs non agnovit mundus. Fuerunt quidem & alii Salvatores, ut Joseph, Gedeon, Jephte, Samson, David. Sed qui temporalem tantùm procurârunt salutem non verò æternam. Quinque libros Moyses de lege Domini scriptos reliquit, sed in illis vix aliud, quàm vineas, oliveta, domos, rura, pecora, sospitatem, pollicitus est, juxta illud Isai. 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.* Quia enim carnalis ille populus spiritualium bonorum dignitatem aut ignorabat, aut parvipendebat, aut certè negligebat, terrenorum verò bonorum magis amore capiebatur, ideò hæc ipsa pro illa temporis ratione maximè lex divina promittebat. Qualis ergo erat salus quam lex tẽpore illo suis cultoribus promittebat, tales erant & Salvatores, quos aliquando Deus ad salutem illorum destinabat, nempe temporales, qui non veram, solidam, æternamque salutem; sed fragilem, caducam, & cum ipso corpore perituram præstabant. JEsus autem ideò Salvator dictꝰ est, quia spiritualem & æternam salutem nobis contulit, & non tantùm nos à malis liberavit, sed etiam ab omnium malorum causa, nempe peccato. Illi alienum fundendo sangvinem, suis pacem & salutem pepererunt, hic

verò novus Salvator fundendo proprium. Illi certis quibusdam Civitatibus & Provinciis, hic autem toti planè mundo hanc libertatem & salutem attulit. O novum nomen, novam salutem, novam Divinæ pietatis gratiam! Quia igitur hoc est *nomen novum* juxta Scripturam Isai. 61 *quod os Domini nominavit*, etiam nos hoc nomen Strenæ loco vobis offerimus. De quo nomine multa quidem dici possent, tantùm quædam sub triplici capite proponemus. Quorum primum erit de dignitate, excellentia, & reverentia hujus nominis. Alterum de virtute & efficacia. Tertium de dulcedine & svavitate.

Quod primum attinet, dignitas nominis, ab Authore peti desumiq; solet, quòd hoc nomen inditum sit non temerè aut casu aliquo, non humano sensu aut suffragio delatum, non privatâ authoritate ambitiosè usurpatum, sed divinitùs & à Deo ipso impositum, nec qualitercunq; & usitatâ providentiâ, sed per specialem revelationem & Angelico interveniente ministerio. Nec MARIÆ Virgini tantùm, priusquàm in utero conciperetur, sed etiam Josepho. Neque verò hoc nomen illo tantùm tempore, quo sic ab Angelo est appellatum, nobis insinuatum est, sed & indè à primi hominis lapsu prædictum ac promissum Gen. 3. Prædixit enim DEUS se *inimicitias* positurum *inter serpentem & mulierem*, inter semen illius & hujus, caputque serpentis conterendum. Promisit etiam in hoc benedicto semine Gen. 18. omnes gentes benedicendas, sed nec fidelibus & Israëlitis tantùm, verùm etiam ipsis Gentilibus per Sybillas, hoc nomen Salvatoris revelatum fuit. Extat enim apud Euseb. in Orat. Constantini Imperatoris carmen Sybillæ Erithrææ cap. 18. Cujus initiales literæ in unum collectæ hæc in se verba comprehendunt. *JESUS Christus DEI Filius Servator.* Quod Sybillæ carmen ne quis ab aliquo religionis nostræ homine conscriptum, & alieno editum nomine suspicetur, Constantinus citatæ Orationis cap. 9. etiam Ciceronem id vidisse, legisse, & carminis elegantiâ delectatum in

Roma-

Romanum vertisse sermonem suisq́; scriptis attexuisse testatur. Hujus quoque nominis dignitas ex eo patet, quòd cùm varia in Scripturis nomina Deus & Dei Filius sortiatur, vocatur enim Dei Filius, Verbum Patris, Emmanuel, Adonai &c. nullum tamen sit ad cujus pronuntiationem genua flectamus, vel profundæ humiliationis edamus signa, nisi ad hujus nominis prolationem juxta illa D. Pauli verba Philipp. 2. *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium* &c. cujus hæc ratio dari potest. Quia tale honoris signum non solùm in reverentiæ, sed etiam in grati animi officium Christo Deo propter redemptionis & salvationis nostræ beneficium exhibeamus. In aliis siquidem nominibus sola Christi gloria, non etiam salus nostra designatur. At nomen JEsus, Salvatorem sonat, quo nomine & ipsius gloria, & salus nostra continetur. *Non est enim aliud sub cælo nomen datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. Cùm igitur hoc solo nomine constet nostra salus, etiam ad hujus solius nominis honorem assurgimus, & genua flectimus, Divini Numinis Majestatem reverentes, & pro salute nobis per hoc sacrum nomen impensa gratias agentes. Hoc enim nomẽ glorioſos alioqui titulos Angelorum superat, dicuntur namq́; Dominationes, Throni, Potestates, Virtutes, Cherubim, Seraphim, nullus tamen eorum Salvatoris titulum accipere meruit. *Non est Salvator*, inquit Oseæ 13. *præter me.* Hoc nomen unicum & singulare nomen super omne nomen, sive quod in terris, sive quod in cœlis, sive quod in præsenti, sive quod in futuro nominabitur, uni DEI Filio proprium. *Tantò quippe major Angelis effectus est* Hebr. 1. *quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.* Quis non ergò hìc cum Prophetа exclamet. Psalmo 8. *Domine DEUS noster quàm admirabile est nomen tuum in universa terra!* Imò & in Cœlis, & apud inferos, gloriâ ejus plena sunt omnia. Et terra quidem tam mirabili quotidie tot peccatorum conversione ac liberatione, Cœlum tantâ Electorum & Salvatorum

gloriâ : Inferi , tot olim Patrum inde ereptorum beneficio. Tartara deniq; ipsa , tot debellatorum dæmonum plena victoriis, An non ergo dignum est ut in nomine JESU omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium &c. ut omnes illius Majestatem honorent, venerentur, adorent, utque omnis creatura subjiciatur, serviat, & obediat. Deniq; *omnis lingva*, nolit, velit, dæmonum etiam ac reproborum, *confiteatur* & clamet, quia *Christus JESUS est in gloria Dei Patris.* An non meritò Dominus per Isaiam cap. 45. *Mihi curvabitur omne genu, & omnis lingva jurabit.* An non meritò Micheas cap. 6. *Curvabo genu DEO excelso.* An non meritò Propheta Regius Ps. 61. *Nonne DEO erit subjecta anima mea ab ipso enim salutare meum.* Quasi diceret. Ipse est JESUS Salvator meus. Pulchrè D. Ambrosius in Ps. 18. *Quanta fecit DEus audeo dicere , & non flexi ei genu, sed flexi ei postquam se humiliavit.* Quasi diceret. Feciſti me, & feciſti mundum propter me. Dominum orbis me constituisti, & non genu flectens adoravi te, at postquam te vidi pro me humiliatum, plagatum, crucifixum, id est, postquam te ostendisti verè JEsum & Salvatorem meũ, stare non potui sed tanto amoris pondere victus, in terra prostratꝰ, adoravi te. Nõ desunt qui erga Dominos & Benefactores gratitudinẽ testantur apertione capitis cùm eorum nomen audiunt. Si hæc reverentia Principibꝰ tantilli beneficii intuitu exhibetur, quid nos tantæ salutis authori & libertatis nostræ vindici exhibere decet? Quid enim per JEsum nacti sumus? quam dignitatem adepti? *Feciſti nos* inquit Joannes Apoc. 5. *DEO nostro regnum & Sacerdotes, & regnabimus super terram,* imò super cœlum. Per te enim Domine regnum, per te Sacerdotium, per te DEI amicitiam & pacem, per te Spiritum S. per te dignitatem adoptionis hæreditatisque filiorum DEI, per te veniam peccatorum, per te Angelorum contubernium, per te deniq; immortalem gloriam, & confessum ad dexteram

xteram DEI Patris, adepti sumus. Veniant ergo omnes Gentes quascunque feciſti, pſallant & adorent coram te Domine & glorificent nomen tuum. *Juvenes etiam & virgines, ſenes cum junioribus laudent Nomen Domini quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius.* Pſ. 148.

Jam ſecundo loco dicendum eſt de hujus nominis virtute, potentia, efficacia. Potentiam verò & efficaciam hujus nominis declarat Sapientia Prov. 18. cùm dicit. *Turris fortiſſima nomen Domini,* & Jer. 10. *Magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te o Rex Gentium?* Vis potentiam videre, virtutem, efficaciam iſtius nominis? Mala omnia depellit, aufert, diſſipat, bona omnia confert & conciliat, invictos, inſuperabiles, inexpugnabiles reddit. Primùm itaq; ægros ſanat, leproſos mundat, viſum cæcis reſtituit, claudis greſſum præbet, paraliticos confirmat, mortuos ſuſcitat: *In nomine JESU Nazareni,* inquit Petrus Act. 3. *ſurge & ambula,* Et Act. 4. *Notum ſit vobis omnibus quia in nomine JESU iſte adſtat coram vobis ſanus.* Et Dominus Marc. ult. *In nomine meo dæmonia ejicient* &c. In hujus nominis virtute proſtravit inermis David armatum Philiſtæum, cùm ait 1. Reg. 17. *Tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* Ita Joann. 18. & cohortes militum cum proditore Juda ad Chriſtum capiendum venientes, nominis hujus virtus atque potentia retrorſum egit. Hoc Reges nomen ſalvat. *DEus,* inquit Pſalmiſta 53. *in nomine tuo ſalvum me fac.* Hoc nomen Gentibus eſt timori Pſ. 101. *Timebunt Gentes nomen tuum.* Hoc nomen auxilium præbet afflictis Pſ. 123. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Hoc nomen dæmonibus eſt terribile Pſal. 101. *Sanctum, & terribile nomen ejus.* Hoc nomine omnia à Patre obtinentur. Joann. 15. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Hoc rurſum nomine juſtificamur & ſanctificamur.

Abluti

Ablutiinquit Apoſt. 1. Cor. 6. *eſtis, ſanctificati eſtis* &c. *in nomine Domini noſtri JESU Chriſti.* Hoc nomine ſalvamur Heb. 4 *Non eſt aliud datum nomen ſub cælo in quo nos oporteat ſalvos fieri.* Et Joël. 2. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Et Jer. 14. *Tu autem in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos Domine DEus noſter.* Iterum. Hoc nomine, peccatorum omnium, quamvis gravium & enormium, fit remiſſio Pſ. 24. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo.* Deniq́ue hoc nomine ſuperamus adverſarios noſtros. Pſ. 19. *Hi in curribus & equis, nos autem in nomine Domini invocabimus*, &c. Poſtremò hoc nomine Philoſophi & Sapientes hujus mundi ſunt victi, de quo præclarum extat exemplum apud Sozomenum lib. 1. c. 17. de duobus Philoſophis, qui duorum Senum ſimplicitate cum illis differentium ad fidem ſunt converſi, quorum quidem Senum unus Philoſopho præcipiebat in nomine D. JESU Chriſti ut audiret: alter verò in eodem nomine præcipiebat Philoſopho ne loqueretur. Tantaq́; vis horum verborum in Senib9 fuit, ut utrumq́ue vicerint, qui tamen priùs nec per Concilium quidem Nicææ exactum, cui interfuerant converti poterant. Quia verò Sathanas hujus nominis virtutem & potentiam non ignoravit, ſed ſuo magno malo jam diu expertus eſt, ideò ad illud ipſum opprimendum & extingvendum totum concitavit orbem, Judæos, Gentiles, plebem, Monarchas, Philoſophos, Hæreticos, eosq́ue omni armorum genere, furore, crudelitate, ingenio, arte, fraudibus munivit. *Ego*, inquit unus Act. 20. *inter omnes æſtimaveram adversùs nomen D. JESU Nazareni debere multa contraria agere, quod & feci.* &c. Verùm extingvere, & opprimere hujus nominis gloriam, & virtutem, nullo modo potuerunt. Hic triumphalis ille titulus quem Phariſæi abolere nequiverunt: quod enim ſcripſerat Pilatus Joan 19. ſcriptum remanſit. *JESUS Naz. Rex Jud.* Imò quantò magis Tyranni

oppri-

opprimere hoc nomen conati, tantò illustrius reddiderunt. Quisquis ergo acerbissimas Sanctorum passiones & cruciatus cogitas, exquisitissima miraris supplicia, qualia quantaque in sævitiem ingeniosa impietas & crudelitas excogitare potuit & infligere, in his tam fortiter toleratis & superatis contemptis, vim hujus nominis & insuperabilem potentiam contemplare. O verè glorioſum & triumphale D. N. JESU CHRISTI nomen! ô verè potens, atque invictum! Verè *turris fortissima nomen Domini* Jer. 10. *Verè Domine magnus & tu es, & magnum nomen tuum in fortitudine.* Confugiamus igitur in omnibus necessitatibus nostris, periculis, tentationibus, ad hoc sanctum & invictum nomen, velut ad fortissimam turrim & insuperabile præsidium. Frequenter hoc nomen invocemus, dicamusque cum Ps. 59. *DEus in nomine tuo salvum me fac.* Et Ps. 30. *Fortitudo mea & refugium meum es tu. Propter nomen tuum deduxisti me.* &c. *Exaudiat nos Dominus in die tribulationis, protegat nos nomen DEi Jacob* Ps. 10. Quisquis enim testelsai. cap. 5. ambulavit in tenebris, & non est ei lumen &c. *Speret in nomine Domini, & innitatur super DEum suum.* Sanè testatur D. Chrysost. Hom. 9. in epist. ad Colos. Super neminem unquam infirmum nomen JESU piè & sanctè invocari, quin sanitatem, si ei expediat, consequatur. Sed fit malitiâ & infidelitate nostrâ, ut evanuerit jam quodammodo hujus nominis virtus & potentia, & tam raro apud nos sese exerat. Nam quomodo sine fide invocatum & prolatum non prosit, docet Lucas in Act. 19. ubi adjuratus in hoc nomine Sathanas dixit, *JESUM novi, & Paulum scio, vos autem qui estis?*

Jam tertiò dicendum de dulcedine & suavitate nominis JESU. Rectè enim Bern. serm. 15. in Cant. *Nullum in sacris paginis reperies nomen,* scilicet Divinum, *quod non aut Majestatis potentiam, aut pietatis gratiam sonet.* Et quidem nomina olim in ve-

teri lege DEO attributa, plena sunt Majestatis, terroris, ac formidinis, ut cùm dicitur, DEUS, Magnus, Potens, Excelsus, Fortis, Zelotes, Adonai, DEus Sabaoth, DEus Deorum Dominus, DEus ultionum, Visitans iniquitates, DEus scrutans corda & renes, Terribilis super omnes Deos, Ignis consumens, Auferens spiritum Principum. At nomen istud benedictum JESUS, nomen est pietatis, benignitatis, indulgentiæ, misericordiæ, charitatis, gratiæ, dulcedinis, suavitatis. Significans nimirum reconciliatum nobis DEUM Patrem, placabilem, indulgentem, benignum: qui priùs ob peccata nostra iratus, terrorem & mortem ingeminabat. Fuit aliquando tempus cùm diceret Jer. 18. *Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem.* At nunc, *Scio* inquit *cogitationes quas ego cogito super vos cogitationes pacis, & non afflictionis.* Jer. 9. Quoties in veteri lege minabatur. *Semel descendam inter vos & delebo vos de superficie terræ.* At nunc Matth. 20. descendit ad nos DEI Filius *non ut pereat mundus sed ut salvetur, & animam suam det pro multis.* Olim propè erat, ultionum Dominus, *longè à peccatoribus salus.* At per Filium DEI Hominem JESUM factum, facta est peccatoribus salus. Id quod olim prævidens David Psal. 34. ajebat. *Dic animæ meæ salus tua ego sum*, quasi diceret. Satis diu hactenus dixisti, Ego Dominus omnipotens, terribilis, fortis, &c. Abscondantur hæc nomina potestatis, majestatis, terroris, & exhibeatur illud nomen gratiæ, misericordiæ, & benignitatis. Veniat JESUS, veniat DEUS Salutis, veniat Salutare Dei & Salus mundi.

Hujus nominis dulcedinem gustaverat Propheta, Ps. 134. *Laudate Dominum quoniam bonus, quoniam suave nomen ejus.* Et alius qui sic dicit, Isai. 26. *Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ meæ.* Et rursum alius. Abac. 3. *Ego autem gaudebo in Domino, & exultabo in Deo JEsu meo.* Et Eccli. 24. *Spiritus meus super mel*

per mel dulcis. Hæc est illa dulcedo quam montes stillaturos prædixit Joël cap. 1. Hìc *mel de petra, oleumq; de saxo durissimo* sugitur. Deut. 32. Hæc illa dulcedo de forti egressa, mel inquam de ore leonis à Samsone interfecti, Judic. 14. Hoc illud dulce oleum de quo Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* Et rectè oleum juxta S. Bern. Serm. 15. in Cant. *Oleum enim tria habet, lucet, pascit, & dulciter ungit. Ita hoc nomen lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit & ungit invocatum. Nec tantùm oleum, sed oleum effusum usquequaq; nempe de cælo in Judæam, de Judæa in omnem terram excurrit; effusum sanè quod non solùm cælos terrasq; perfudit, sed aspersit & inferos. Quàm hoc oleum earum, & quàm vile? vile, sed salubre. Si vile non esset, non mihi effunderetur: si salubre non esset, non me lucraretur. Et quid mirum si sponsi effusum sit nomen, cùm ipse quoq; effusus sit. Nam semetipsum exinanivit Philip. 2. ideoq; ait* Psal. 21. *Sicut aqua effusus sum.*

Lacteam & mellifluam hujus olei dulcedinem expertus est Apostolus, in cujus ore oleum hoc natabat. Hinc ita frequenter in epistolis suis hoc dulce nomen scriptum reliquit; juxta quorundam enim supputationem, ducenties & eò ampliùs illud nominavit. Sanè apud Corinthios agens non se aliud scire judicabat, quàm JEsum Christum & hunc crucifixum. D. quoque Joan. Evang. adeò frequenter hoc dulce JEsu nomen in ore habuit, ut illud non minus quàm ducēties quinquagesies scriptis suis inseruerit. Quàm avidè hanc etiam dulcedinem imbiberat S. Eustochia, in cujus mamillis multis post annis ab ejus martyrio, inventum fuisse scribit Alanus Copus. lib. 3. Dialog. cap. 29. Quàm hæc dulcedo affecerat palatum D. Bernardi loc. cit: cùm ait. *Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur, insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi JEsum. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi nisi ibi sonuerit JEsus. JEsu mel in ore, melos in aure, jubilum in corde.*

Divus quoque Augustinus lacteum hoc nomen cum ipso lacte, instillante piâ matre, sic combiberat, ut nullus quoque illi saperet liber, quantumcunque elegans, in quo hoc nomen non legeretur. Ut ipsemet de se testatur & confitetur in libro 3. suarum Confessionum cap. 4. Tanta porrò est hujus nominis dulcedo, ut instar generosi & suavis vini mentes hominum potenter inebriet. Docent hoc Apostolorum & Martyrum exempla, de quibus legitur Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes, à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JEsu contumeliam pati.* Et Paulus. *Non solùm alligari, sed mori* Act. 21. inquit, *paratus sum propter nomen Domini nostri JEsu*, unde frequenter gloriatur, quòd sit vinctus JESU Christi, & ad Gal. 6. *Ego stigmata Domini nostri JEsu Christi in corpore meo porto.* Hinc iterum Rom. 8. clamat. *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, angustia*, &c. *Certus sum quia neq; mors, neq; vita*, &c. Quid etiam aliud Stephano dulcem fecit illum imbrem saxeum? Quid Laurentio flammas refrigeravit? Quid aliud Vincentio ignes in rosas convertit, quàm dulcissimum nomen D. N. JESU Christi?

Denique quid cæteros Martyres ad tam dira currere impulit supplicia & cruciatus, quorum vel sola recordatio horrorem armis incutere queat, nisi hoc mellifluum nomen? O indicibilem nominis hujus dulcedinem, ejusque dulcedinis energiam! O invictam Divinæ suavitatis potentiam omnibus mundi hujus gaudiis & voluptatibus, imò & tormentis & cruciatibus cunctis superiorem! Sed quàm abdita, quàm latens, quàm occulta est? Exclamabat olim David Ps. 30. *Quàm magna dulcedinis tuæ multitudo Domine*, sed *quam abscondisti*, inquit, *timentibus te*! & rectè inquit hanc Deum abscondisse. Verè siquidem abscondita est à mundi hujus sensu, & oculis, valdeque secreta. Est enim manna illud absconditum omne habens in se delectamentum. Hic thesaurus est in agro Domini occultatus. Matth.

tus. Matth. 13. Hoc mysterium & Sacramentum à sæculis absconditum. Coloss. 2. Hæc margarita illa pretiosa inventa non obvia. Verè DEus absconditus tu es. O Beatos, ter & ampliùs quibus revelatur, à quibus invenitur, qui illum assequuntur: infelices verò qui nesciunt, qui contemnunt, qui negligunt: sed quisnam inquies, modus, hunc thesaurum inveniendi, aut quænam ejus quærendi ratio? Audi Christum D. Matth. 11. *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelásti ea parvulis.* Quibus verbis significat solos pauperes spiritu & parvulos in oculis suis hujus mysterii capaces esse. Humiles ergo simus & parvuli, ne pudeat nos parvuli & humilis JEsu, ne erubescamus eum inglorium, pauperem, infirmum, esurientem, sitientem, lassatum, lacrymantem, omnibus denique injuriis expositum. Neque offendat nos crux ejus, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia. Sed, quod res est, unam hanc sapientiam, unam gloriam, unam virtutem reputemus. In uno JEsu crucifixo omnem beatitudinem, omnes honores, opes, voluptates, & oblectationes quæramus. Hoc primò est faciendum.

Secundò. Frequenter recogitando, & in mentem revocando beneficia, hoc nomine præstita nobis. Quemadmodum enim aromata nisi ore sumpta & soluta vel comminuta, vim suam non exerunt; & quemadmodum quarundam herbarum vix sentitur odor, nisi digitis manibusque confricentur, ita nominis hujus dulcedo ac suavitas non excipitur nisi piè & jugiter mediteris, rumines, & in mentem revoces ejus beneficia.

Tertiò. Abducendus est animus à terrenarum voluptatum amore, nam deliciis nominis hujus frui nemo potest, qui non his libenter caruerit, iisque valedixerit. Ablactatos nos oportet à mundi lacte, ab ejusque uberibus avulsos, neque enim hoc cæleste nobis manna dabitur nisi defecerit farina Ægyptiorum.

Quartò, tribulationes omnes, atque adversitates patienter ferendas propter hujs nominis amorem; nusquam enim magis se insinuat aperitque JEsu nostri nominis dulcedo quàm in tribulationibus. *Cum ipso*, inquit Ps. 9 *sum in tribulatione*, & Ps. 93. *Secundùm multitudinem dolorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*. Sic legitur de Apostolis Act. 5. *Ibant gaudentes* &c. De SS. etiam Marco & Marcelliano scribitur, quòd cùm Tyrannus ad eos in tormentis positos exclamaret *Resipiscite miseri, resipiscite & vos ipsos ab his cruciatibus eripite*, animosè responderunt: *Nunquam* tam *jucundè epulati sumus, quàm hæc libentes JEsu Christi causâ perferimus, in cujus amore fixi nunc esse cupimus*. In Breviar. Rom. 18. Jun.

Postremò, si frequenter hoc nomen invocemus, & ab iniquitate discedamus; *Discedit* enim *ab iniquitate*, inquit Apost. 2. Tim. 2. *qui invocat nomen Domini*, ne per nos nomen Domini blasphemetur. Quo verò fructu invocetur, audi D. Bern. *Tristatur* inquit, *aliquis nostrùm, veniat in cor JEsus, & indè saliat in os: & ecce ad exortum nominis hujus, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando, nonne si invocet nomen vitæ confestim respirabit ad vitam? Cui fons fortè siccatus lachrymarum, invocato JEsu, non continuò erupit uberior, fluxit suavior? Cui in periculis palpitanti & trepidanti, invocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, & pepulit metum? Cui quæso in dubiis fluctuanti, & æstuanti, non subitò ad invocationem hujus nominis emicuit certitudo? Cui in adversis diffidenti, jam jamq; deficienti, si nomen adjutoris sonuit, defuit fortitudo? nimirum morbi & langvores animæ isti sunt, illa medicina. Invoca me inquit in die tribulationis* &c. *eripiam te.*

Denique si omnia quæ facimus ad istius nominis gloriam referamus, dicente Apostolo 1. Cor. 15. *Omne quodcunq; facitis in verbo, aut opere, omnia in nomine D N. JEsu Christi facite, gratias agentes*

agentes Deo & Patri per ipsum. Et. *Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite, qui est benedictus in sæcula.*

STRENA III.

De Nominibus quæ in Baptismo assumimus.

QUandoquidem in præterita Strena multa disseruimus de nomine JESUS & Scriptura etiam faciat mentionem novorum nominum, quæ DEUS dedit, vel dare promisit Apoc. 2. Non alienum fuerit, nec inutile, si etiam aliquid hâc occasione pro Strena dicam, de impositione nominum Christianorum quæ fit in Sacramento Baptismi: in hac enim nominum impositione & ipsis nominibus non exiguum latet mysterium. Estque res consideratione & observatione dignissima, quemadmodum olim & ipse Chrysost. S. observavit hom. 21. scribens in cap. 5. Genes. explicans autem genealogiam Seth, cui natus legitur Enos, qui cœpit invocare nomen Domini. *Vidisti*, inquit, *appellationem diademate clariorem*, purpurâ nobiliorem, quid fuerit illo beatius, *qui invocatione nominis Dei ornatur, idq; pro nomine possidet! Vides & in parvis appellationibus magnas sententiarum divitias esse reconditas. Non solùm enim hìc Parentum monstratur pietas, sed & magna erga pueros diligentia. Et quomodo statim & à principio erudiebant pueros qui ipsis nascebantur, admonentes appellationibus, quas illis imponebant ut virtutem exercerent? & non sicut nunc fortuitò & absq; causa nomina fiunt. Dicunt enim, Juxta nomen Avi aut Abavi nominetur puer. At prisci non ita, sed omnem operam adhibebant, ut talia natis imponerent nomina, quæ non solùm illos qui nomina sortiebantur in virtu-*

in virtutes adducerent, sed & alios omnes qui sequentibus sæculis futuri sunt, nullam non Sapientiam docerent. Igitur & nos non vulgaria pueris nomina indamus, neq; Avorum, aut Abavorum, & eorum qui genere clari fuerunt, nomina tribuamus, sed Sanctorum virorum qui virtutibus fulserunt, plurimamq; erga Deum habuerunt fiduciam. Imò neq; horum nominibus fidant Parentes, vel Pueri, quibus talia nomina contingunt. Nihil enim prodest alicui vocabulum, quo virtus non commendatur, sed habenda est salutis expectatio in omni virtutis operatione. Dicemus ergo primùm, quid sibi velit, quòd ut olim in Circumcisione, ita & nunc in Baptismo demum nobis nomina imponuntur. Deinde, cujusmodi nomina infantibus imponenda. Denique quomodo in hac parte peccari contingat.

Quod primum attinet, quòd Anonymi seu sine nomine omnes in hanc lucem edamur, vel, si contendes nos cum nominibus nasci, ea non nisi obscura, ignobilia, & ignominiosa sunt, nimirum Peccatores, Inimici Dei, Filii tenebrarum, Exules paradisi, Mancipia Sathanæ, &c. Vera igitur nomina, splendida, ac glorioſa demum in Baptismatis Sacramento sortimur. Quid ergo hîc nobis significatur? nimirum in nobis primæ nativitatis corruptio & damnatio, quia enim Inimici Dei, Iræ, & proditionis Filii omnes hîc nascimur, nescit & ignorat nos Deus, nec alicujus apud eum nominis sumus. Unde & impii homines etsi in hoc sæculo nominatissimi sint, tamen quia apud Deum nullius sunt dignitatis ac meriti, ideò nescire, ac ignorare eos dicitur. Contrà verò, homines Sancti, etsi in hoc mundo ne de nomine quidem vulgo fuerint cogniti, tamen Deo sunt notissimi, & Angelis, & nomina eorum in cælo scripta sunt. Hinc est quòd in Scriptura S. mendicus ille & pauper Lazarus nominatim honorificè describitur. Dives autem epulo velut obscurus & incognitus Deo, licet hîc celeberrimus & famosissimus Luc. 16, nullum

tamen

tamen non habeat, uti nec alter ille dives Luc. 12. horreorum suorum dilatator. Observat hoc D. Greg. historiam divitis Epulonis hom. 40. ita describendo. *Certè in populo plus solent nomina divitum quàm pauperum sciri, quid est ergo quòd Dominus de paupere & divite verba faciens, nomen pauperis dicit, & nomen divitis non dicit, nisi quia DEus humiles novit & approbat, & superbos ignorat? unde & quibusdam de miraculorum virtute superbientibus, in fine dicturus est. Nescio vos unde sitis, discedite à me omnes operarii iniquitatis. Matth. 7. At contrà, Moysi dicitur Exod. 33. Novi te ex nomine. Ait ergo de divite. Homo quidam. Ait de paupere: egenus Lazarus. Quasi diceret apertè, pauperem humilem scio, superbum divitem nescio. Illum cognitum per approbationem habeo, hunc per judicium reprobationis ignoro.* Quia igitur ut olim circumcisionis beneficium adscribebat populo Dei, & fœderis Abrahæ ac benedicti seminis participes faciebat: ita & nunc per Baptismi gratiam regenerationis Sacramentum prioris generationis corrigit vitium, novaque renascitur creatura, & Christi membra effecti in filios DEI adoptamur: rectè sanè nobis nomen imponitur, tunc enim loco aliquo & dignitate apud DEum esse incipimus, tunc etiam in ejus quasi devenimus notitiam, & in amicitiam recipimur, tunc regius nobis character imprimitur, quo internosci & distingvià cæteris valeamus, tunc in Sanctorum societatem admittimur tunc in cœlis, & in libro vitæ nomina nostra inscribuntur.

Sed neque mysterio carebat dies octavus nominum depositioni olim destinatus, qui & ipse Baptismo nostro continetur, significans, videlicet fore, ut quotquot vitæ innocentiâ Domino sese consecrarent, & circumcisionis, regenerationisq; beneficium in finem observarent, & nominis sui tuerentur honorem, eos omnes æternæ beatitudinis, quam post vitæ hujus septimanam, octava consequitur, hæreditatem assecuturos, & æternum in cœlis nomen accepturos, quod nullâ unquam

vetuſtate deleatur. Contrà verò, ingratorum & impiorum hominum etſi ſecundùm præſentem juſtitiam ſcribi ad tempus in libro vitæ nomina contingat, delenda tamen ea atque abolenda, & niſi reſipiſcant, æternâ oblivione ſepelienda, & obliteranda. Hæc Gentes ignorant, nihil de lapſu Adæ, & primæ generationis corruptione, ac damnatione intelligentes, nihil de futuri ſæculi beatitudine, vel miſeria cognoſcentes. Quare mirum non eſt, ſi mox ut nati ſunt, nomina infantibus imponant, ſed quia in terra ſcribentur, & ut nullus in hoc mundo ignoret, neſciat tamen DEUS.

Quodnam ergo eſt nomen, quo à DEO in Baptiſmo exornamur, quod in albo cœleſti, & libro vitæ inſcribitur? ſanè non unum, ſed varium & multiplex. Abolitis enim obſcuris, ignobilibus, & maledictis nominibus, quæ nobis Sathanas impoſuerat, alia nobis induntur generalia nomina, dicimurq; jam ſancti, immaculati, filii lucis, domeſtici, amici, Filii DEI, cives Sanctorum, domus & templum Spiritûs S. hæredes regni, Epheſ. 4. 1. Tim. 3. 1. Petr. 3. Deniq; ab ipſo Chriſti nomine & appellatio nobis Chriſtianorum imponitur, in ſignum, quòd à tenebris & ignobilitate priſtina vindicati, non ſolùm in jus & dominium Chriſti, ſed in dignitatis ejus ſocietatem admiſi ſumus, Reges & Sacerdotes effecti. O verè glorioſa nomina, honorificosque titulos, quibus DEus nos etiam hic in terris exornare dignatur! Si autem tanto nos honore dignatur in hac vita, qualem putamus futuram eam titulorum gloriam, quam in futura expectamus? Quis explicet, quodnam ſit novum illud nomen, illud nomen æternum quo in cœlis donandi ac coronandi ſumus? Quid nomen illud intelligat meliùs à Filiis & Filiabus de quo Iſai. 56. quod nemo novit niſi qui accipit, & de quo Joann. Apoc. 2. *Vincenti dabo &c. in calculo nomen novum ſcriptum.* Sanè multò glorioſiora erunt illa nomina, quàm quæ

quon-

quondam Romani Ducibus suis imponebant post devictos hostes clarissimosque triumphos, quæ demum tunc sciemus quando accipiemus.

Sed hæc fidelibus omnibus communia sunt nomina, veniamus ad particularia. Laudabile est ergo infantibus imponere nomina aliquorum Sanctorum aut talia quibus officii & virtutis admoneantur ut suprà diximus ex D. Chrysost. Qualia sunt, Pius, Clemens, Gregorius, Agnes, Catharina, &c. Vel talia, quibus in divini alicujus beneficii memoriam reducimur, ut Dorotheus, Theodorus, &c. Huc pertinent SS. Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum nomina, quorum optamus aliquando imitatores vitæ, uti & nominum esse. Habent enim hæc ipsa nomina tacitam quandam precationem, & commendationem, ut Sancti quorum nomina præferuntur, nos in suam recipiant tutelam, & pro nobis in cœlis orent. Quin & excitamur nominis affinitate ac similitudine, ut frequentiùs libentiùsque ejusmodi Sanctos invocemus, quorum nomine gloriamur. Sanè laudat Julianam quandam S. Ambr. lib. exhort. Virgin. quòd postquam B. Laurentii precibus & meritis à DEO impetraverat filium, ejus quoque nomine appellandum curaverit, quam & hortatam ait, ut ad ejus exemplum & castitatis & Cleri propositum susciperet. *Considera*, inquit, *quis te ut nascereris, invenit, filius es magis votorum quàm dolorum meorum. Considera cui te muneri Pater tali nomine designaverit, qui vocavit Laurentium. Ibi vota deposuimus, ubi nomen assumpsimus, vota effectus secutus est. Redde Martyri quod debes Martyri. Ille te nobis impetravit, tu restitue quod de te hujusmodi appellatione promisimus.*

Hoc Parentes spectare convenit in nominis impositione ut non ad sæculi hujus gloriam, laudes bellicas, prophanam sapientiam, Majorum memoriam, nominis sui propagationem, vel similes vanitates respiciant; sed ad pietatem bonæque vi-

tæ informationem, & æternum illud nomen, quod pro meritis quisque suis in cœlo est accepturus. Et fit sanè non rarò, ut DEUS Parentum pietate, tacitoque voto & precibus motus, Filiis largiatur gratiam, ut verè feronimi fiant, & nomini sint respondentes, DEI sic Providentiâ disponente. Neque enim temerè aut absque DEI consilio factum putamus, ut Gregorius Papa I. hanc appellationem nominis primus acceperit, futuri haud dubiè præsagium, Gregorius enim vigilantem significat. Sic & Basilius ut nomine, ita & vitâ & scriptis basilicum & Regium aliquid præsetulit. Similiter Athanasius, re & nomine immortalis. Stephanus primus Martyrii coronâ illustris. Vincentii nomen tam præclaras victorias, Laurentii laureas prædixit. Stanislaus, quod est, fiat gloriæ, factus est suæ gentis gloria, dum ejus allato miraculo Concilium hæresim damnavit &c. Talia igitur fideles imponant suis Filiis nomina quæ pietatem excitent & promoveant, dentque hi operam ut nominis sui ethymon & rationem intelligant, Sanctique cujus nomen gerunt, vitam nôrint, ejusque virtutes imitentur, & hoc esse laborent & quod dicuntur. Si verò profanum aliquod, aut Gentilium nomen, ut subinde fit, in Baptismo acceperint, commutent illud in Sacrum ac Christianum, dum Confirmationis aut Ordinis Sacramentum suscipiunt. Quale refert exemplum Euseb. 8. hist. cap. 21. scribens eos qui ex Gentilibus ad fidem Christianam accedebant, susceptoBaptismo, vetera Paganorum & Idolorum nomina in pia, & Christiana convertisse. Non carent offensâ, qui Ethnicorum potiùs quàm Christiana suis Filiis imponunt nomina, ut Paridis, Hectoris, Achillis, Scipionis, Demosthenis, Ciceronis, Lucretiæ &c. Uti & non leviter peccant, qui Christiana priùs sortiti nomina, ea postea in Ethnica pervertunt, ut quosdam fecisse constat. Nec adeò laudabile est Judaica & veteris testamenti nomina usurpare, cùm plurima

ma suppetant Christiana. Cujus hanc dare licet rationem, quia veteris testamenti Patres non tantùm verbis, sed etiam frequenter nominibus quisque suis, Christi D. incarnationem & gratiæ ipsius beneficium præfigurârunt ac prænuntiârunt. Unde fit quoque ut Ecclesia non tam solenniter eorum quoque recolat memoriam, sed Sanctorum duntaxat novi testamenti, in quorum honorem festos dies & solemnes instituit, qui non nasciturum vel passurum, sed natum jam ac passum Christum confessi sunt. Quare cùm jam horum non illorum tenenda sit fides, rectiùs hujus quàm illius temporis Sanctorum etiam nominibus utimur.

Ex iis quæ de nominibus Christianorum dicta sunt salubria quædam documenta oriuntur. *Primò* non esse nobis gloriandum de titulis mundanis, aut sectandam nominum celebritatem in hoc mundo, more illorum qui turrim Babilonicam ædificare aggrediebantur, dicentium Genes. 11. *Celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.* Vel eorum de quibus Ps. 48. *Vocaverunt nomina sua in terris.* Sed laborandum ut nostra nomina scribantur in cœlo juxta illud Christi Salvatoris. Luc. 10. *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* 2. Non doleamus, neque ideò nobis ipsis displiceamus, quòd obscuri, ignobiles, vel parum famosi, ac celebres in hoc mundo simus, vel habeamur: Sed consolemur nos Christiano nomine, quo nullum glorioſius esse potest. Cogitemus vera esse illa verè aurea D. Hieron. verba l. 2. ep. 2. *Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum. Servum & Nobilem de moribus pronuntiat. Sola apud DEum libertas est non servire peccatis, summa apud Deum nobilitas est clarum esse virtutibus. Nam & aliàs*, inquit, *frustra sibi aliquis de nobilitate generis applaudit, cùm universi paris honoris*

noris & ejusdem pretii apud Deum sint, qui uno Christi Sanguine sunt redempti nec interest quâ quis conditione natus sit, cùm omnes in Christo renascamur æqualiter. 3. Si quis forte infamiâ injustè nomen nostrum aspergat, in odium ac invidiam vocet propter justitiam vel pietatis causam, dicatque nos Christianos hypocritas, scrupulosos &c. vel etiam ob Christum nos affligat, persequatur, doloribus & ærumnis afficiat, non dolendi sed gaudendi nobis materiam præbet. Unde B. Petrus 1. Petr. 4. Nemo *vestrum patiatur ut homicida, aut fur* &c. *si autem ut Christianus &c. gaudeat in isto nomine.* In hoc nomine gloriabatur Martyr quidam apud Eusеb. lib. 5. cap. 1. qui à Judice interrogatus quod ei nomen, & unde esset: aliud nihil, licet maximis tormentis excarnificatus, respondit, neque respondere voluit, quàm illud, *Christianus sum.* Simile quid ibid. refert de S. Blandina, quæ in maximis & exquisitissimis tormentis hæc proferebat. *Christiana sum, & nihil apud nos admittitur sceleris.* Meminerimus ergò & nos, Christianos nos dici, & respondeamus nomini nostro, Christique imitatores efficiamur. *Conversatio* enim *Magistri, forma est discipuli*, ait D. Leo. *Et frustra dicimur Christiani si non fuerimus imitatores Christi.* Et D. Ignatius M. Dignum est non solùm nos vocari Christianos, sed etiam esse. Non enim dicere, sed esse facit beatum. Rursum D. Leo. *Agnosce Christiane dignitatem tuam, & jam divinæ consors factus naturæ, noli iterum in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.* Hanc dignitatem explicat D. Petrus, dum ait 2. Petr. 1. Omnia nobis videtur dedisse &c. Et Paulus Coloss. 3. D*eus dignos nos fecit.* Hanc etiam dignitatem agnoscebat S. Agatha, Breviar Rom. Feb. 5. Cùm enim Quintianus Tyrannus ei objiceret servilem vitam Christianorum, dicens. *Nonne te pudet Nobili genere natam, humilem & servilem Christianorum vitam agere?* Sapienter respondit,

dit. *Multò præstantior est Christiana humilitas Regum opibus & superbiâ.*

Danda est igitur nobis strenuè opera, ut postquam hæc tam honorifica & glorioſa sortiti sumus nomina, retineamus & tueamur nominum nostrorum gloriam, honorem & splendorem, nec ea malefactis inhonoremus atque deturpemus. Aut si quid tale humanâ fragilitate nobis evenerit, maculam illam & dedecus mox abluere curemus, alioquin futurum ut nomina nostra deleantur de libro viventium. Si autem ea sanctis moribus & virtutibus honorare & exornare studuerimus, futurum est, ut glorioſa sint & celebria, & ut suaviſſimæ fragrantiæ odorem, non in terram hanc tantùm, sed in cœlum quoque ipsum, spargant atque diffundant, utque immortalitate dotata scribantur in albo Electorum, ac libro vitæ, unde nunquam deleantur. Imò, ut aliud longè honoratius nomen, magnificentius, & glorioſius in futuro sæculo consequamur, verè Regium, Cœleste, & Divinum. Christianorum enim dignitas non tam in terra, quàm in cœlo posita est, teste D. Aug. l. quæst. utriusque testamenti, cujus dignitatem, majestatem, splendorem, ac pulchritudinem nulla lingva eloqui, mens nulla concipere possit. Idque gratiâ & misericordiâ D. N. JEsu Christi, qui propterea JEsus in terris hodie appellari dignatus est, ut Anonymi cùm essemus, nomen nobis aliquod in cœlis, & inter electos suos, adeoque æternum & immortale comparare ac promereri posset juxta illud. *Nomina eorum vivent in generatione, & generationem.* Cui sit cum Patre & Spiritu Sancto honor & gloria in sæcula sæculorum.

STRE-

STRENA IV.

De Renovatione & novo Cantico.

HOrtatur nos Apostolus non in uno loco ut exuamus veterem hominem, & induamus novum Ephes. 4. Deponite vos, &c. Et *induite novum hominem qui est secundùm DEum.* Quibus verbis singulos nostrûm monet, ut depositâ veteri pannosâ ac sordidâ peccatorum veste, quam à primo nostro Parente accepimus, induamus novum justitiæ vestimentum, quod secundus noster Adam confecit, & de cœlo nobis detulit. Ad eundem ferè modum & alibi scribit. Col. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum &c.* Et iterum Rom. 12. *Nolite conformari huic sæculo.* &c. Et rursum Rom. 6. *Scientes quia vetus homo simul crucifixus est,* &c. Quam Apostoli doctrinam de novo & vetere homine ut meliùs intelligamus, sciendum est; Adamum antequam peccâsset, fuisse novum hominem seu novam creaturam, nosq; etiam futuros fuisse novos, si in eo non peccavissemus. Quod novum est, plerumq; purum est, firmum, ac forte. Meritò proinde novus tum Adam erat, quia purus à sordibus peccati, fortis ad resistendum peccatis, firmus ad perseverandum in accepta justitia, si voluisset. At verò peccando, vetus effectus est; quia quod vetus est, impurum est, infirmum, ac debile. Factus est impurus, quia vitio corruptus, factus est infirmus ad resistendum deinceps peccatis & tentationibus. Hàc enim animadversione à DEO percussus fuit, ut qui cùm posset noluerat, jam velit & non possit. De quo vide Aug. lib. 11. de Genes. ad lit. cap. 4. & seqq. & in Ps. 77. Denique effectus est debilis ad operandum, ad perseverandum diu in accepta justitia, nisi speciali Dei gratia adjuvaretur. Vetus ergo homo non est aliud, quàm vetustas & corruptio vitiorum, quam per Adæ peccatum

catum contraximus: Cujusmodi est concupiscere, desideria carnis perficere, voluptatibus indulgere, pravis inclinationibus obtemperare, carnisque motibus consentire. Hæc est Adami tunica quam exuere monet Apostolus. Non verò sufficit ut hanc solam exuamus, sed monet insuper ut induamus novum secundi hominis indumentum, seu novum hominem cum virtutibus suis. De quo Roman. 13. *Induimini D.N. JESUM Christum.* Christum verò induimus, cùm ejus sanctitatem, innocentiam, puritatem, & vitæ castimoniam pro viribus imitamur, cùm virtutum exercitiis strenuè operam navamus, & à peccatorum sordibus nos quàm maximè alienos reddere laboramus. Hanc vestem vobis pro Strena dabo.

Prior qui nobis suadet ut hanc vestem induamus, induit ipse Paulus, cùm ita confidenter Gal. 2. *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Hoc vestimentum si imposuerimus nunquam sordescemus nisi illud deposuerimus. Chrysost. serm. 13. in cap. 4. Ephes. in moralib. exhortat. *Nunquam adeò turpe est homini nudo esse corpore, atq; virtute. Quodsi nudum aliquem, dic quæso, per forum incedere videres, non doleres? cùm ergo tu, præter hoc indumentum justitiæ nudus discurras, quid quæso dicemus? non vides mendicos illos quos lotagas vocare debemus, quo pacto circumeant, & quomodo illorum misereamur? Veruntamen nihil veniæ merentur neque enim illis ignoscimus, siquidem taxillis ludendo vestimenta perdunt & amittunt. Quomodo ergo DEus ignoscet nobis hoc novum indumentum perdentibus? Diabolus enim si quando nudum virtute repererit quempiam, mox faciem ei polluit & offuscat, vulnerans etiam, & ad mala magna cogens. Nudi simus pecuniis, ne nudi reddamur destituamurq; justitiâ. Pecuniarum indumentum justitiæ vestem lædit ac perdit. Est enim spinarum amictus, tales verò sunt spinæ, & quantò plures nobis circumdederimus, tantò erimus nitidiores. Et lascivia quoq; justitiæ vestem nobis adimit, ignis enim est. Ignis verò hujus indumenti consumptivus est. Divitiæ tineæ sunt quemadmodum tinea cuncta permolit, ita & divitiæ.*

Ista itaq; abiiciamus omnia ut justi reddamur, novumq; induamus hominem. Sed ista fusiùs sunt exponenda. Ut ergò accedamus ad novam vestem, seu rènovationem, sciẽdum est ex D. Aug. l. 14. de Trin. c. 17. renovationem hanc non momento unofieri, sicut momẽto uno fit illa in Baptismo renovatio, remissione scilicet omnium peccatorum, ubi nec unum quantulumcunq; remanet quin remittatur; sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ex infirmitate quæ febribus illata est revalescere, Itẽ, aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum est secundâ curatione sanare. Ita prima curatio est causam removere langvoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum; secunda, ipsum curare langvorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione nostræ imaginis, quæ demonstrantur in Ps. 102. ubi legitur. *Qui propittatur omnibus iniquitatibus tuis*, quod fit baptismo. Deinde sequitur. *Qui sanat omnes langvores tuos*, quod fit quotidianis accessibus cùm hæc imago renovatur. De qua re Apost. 2. Cor. 4. apertissimè locutus est. *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem, renovatur autem in agnitionem Dei*, hoc est, in justitia & sanctitate veritatis, qui sic de die in diem proficiendo renovatur, transfert amorem à temporalibus ad æterna, à visibilibus ad invisibilia, à carnalibus ad spiritualia. Atque ab istis cupiditatem frænare atque minuere; illisque se charitate alligare diligenter insistit. Huic doctrinæ D. Augustini D. etiam Bern. Serm. de Cœna Domini consonat. *Dixi vobis sapiùs, nec mente excidere debet, quemadmodum in casu primi hominis omnes cecidimus. Cecidimus autem super acervum lapidum, & in luto, unde non solùm inquinati sed & vulnerati, & graviter quassati sumus. Lavari quidem possumus citò, ad sanandum verò opus est curatione multâ. Lavamur igitur in Baptismo, quo deletur chyrographum damnationis nostræ, & gratia hæc nobis confertur, ne jam nobis cõcupiscentia*

centia noceat, si tamen à consensu abstineamus, atq; ita tanquam sanies inveterati ulceris removetur, dum tollitur damnatio, & responsum mortis quod priùs inde manabat.

Sed quis poteris tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris hujus ferre queat? confidite quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis, Sacramenti Dominici corporis & sangvinis Christi investituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis & in gravioribus peccatis tollat omninò assensum, si quis vestrûm non tam citò modò, non tam acerbos iracundiæ sentit motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterarum hujusmodi, gratias agat corpori & sangvini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, gaudeat quòd pessimum ulcus accedat ad sanitatem. SicBernardus insinuat hanc de qua loquimur renovationem paulatim perfici per Sacramentorum usum & frequentationem, potissimùm SS. Eucharistiæ. Hujusmodi porrò innovationem docent nos creaturæ irrationales, Serpens & Aquila, Phœnix, quas nobis Scriptura proponit.

Serpens cùm se gravatum experitur senio, veterem pellem ut exuat facit quinque, eadem nos imitari convenit. 1. Diebus aliquot abstinet ab alimento. 2. Quandam herbam amaram comedit. 3. Se immergit aquæ & se abluit. 4. Foramen petræ violenter intrat, veteresque deponit exuvias. 5. Calori se exponit ut novam pellem fortificet ac induret. Hæc nos etiam facere oportet, qui vetere homine sumus prægravati, & spiritu mentis cupimus renovari. Primò domandum est corpus abstinentiâ & jejunio & castigationibus. Ita fecit Judith de qua cap. 8. *Erat Judith cilicium habens ad carnem & jejunans.* Et 1. Cor. 9. Paulus de se dicit. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo.* 2. Comedenda nobis amara herba, hoc est, eliciatur contritio peccatorum, ut verè possimus dicere Isai. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* 3. Lavanda la-

crymis anima, ut fecit ille qui dixit Pſ. 6. *Lavabo lectum meum, lacrymis rigabo ſtratum meum.* 4. Foramina petræ, id eſt, vulnera Chriſti, qui Petra dicitur in Scriptura, per devotam meditationem conemur intrare, & ibi antiquam peccatorum pellem deponere ac relinquere. 5. Exponamus nos Soli Juſtitiæ, ut novus homo confirmetur, & nova pellis induretur, ac bonis operibus aſſueſcat. Ad hæc omnia Chriſtus D. nos exhortari intendit, cùm ſerpentinam prudentiam nos vult imitari Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.*

Jam verò quoad Aquilam, dicit Pſ. 102. *Renovabitur ut aquilæ inventus mea.* De qua renovatione Authores diverſa tradunt. Quidam dicunt, Aquilam poſtquam ſenuerit, pennis gravari, & oculis fieri obtuſis, ut nec altè volare, nec ſolis radios directè intueri poſſit. Sentiens ergo ſe deficere in iſtis, in quibus maximè ſolita eſt prævalere: fontem quærit, in quem ſe ter immergit, & ſic veteribus plumis exuitur, & novis poſtea ſucreſcentibus induitur, priſtinoque vigori reſtituitur, & quodammodo juventutem recuperat, reparat etiam oculorum aciem. Scribunt alii. Aquilam quolibet decennio donec ad centum pertingat annos, ignem petere elementarem, & ab illo ambuſtis pennis ſeſe in mare dejicere, indeq; novas illi plumas ſucreſcere, ac ita redire in juventutem. Ad eundem modum cùm nosipſos peccatorum pondere prægravatos ſenſerimus, ut cæleſtia petere nequeamus, mentisq; aciem peccatorum caligine obſcuratam in Solis Juſtitiæ ſplendorem dirigere non valemus, in fonte lacrymarum nos expurgemus & renovemus. Quem fontem deſiderabat Jeremias cùm diceret cap. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* Per hunc fontem mentis puritas & novitas acquiritur. Sicut enim poſt longam pluviam ſequitur magna aëris claritas, ſic poſt multos lacrymarum imbres magna oritur mentis ſerenitas. Alii tamen

cum

eum S. Aug. in Pſ. 102. dicunt. Aquilam cùm ad ſenectam devenerit, roſtrum acquirere aduncatum ſuperiori labio ſuper excreſcente inferiori, ita ut hic uncus quo incurvatur roſtrum ſuperius ſupra inferius non patiatur eam cibum ſumere, atque ita neceſſariò viribus deficere, quod ubi ſentit, naturali quâdam induſtriâ, ad petram advolans, & attemperans roſtrum attritione, aufert impedimentum cibi ſumendi. Impedimento ſublato cibum ſumit, viribus reparatur, ac modo quodam rejuveneſcit. Hunc rejuveneſcentis aquilæ modum imitari ſtudeamus. Eſt autem hoc aduncum roſtrum, ratio, ſeu voluntas ad pravam ſenſualitatem inclinata, fomiti pravo, qui infernè habitat, condeſcendens, & peccato illi quod in carne habitat, conſentiens. Ab hoc enim aduncato roſtro impeditur homo ne cibum animæ ſumat ad ſalutem & veram vitam neceſſarium, de quo cibo per Salvatorem dicitur. Joan. 4. *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus qui miſit me.* Et iterum Joan. 6. *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Et rurſum. Matth. 4. *Non in ſolo pane vivit homo* &c. Hunc panem ſumere non poteſt qui roſtrum habet aduncatum & incurvatum, atque ita continuo defectu in ſeipſo contabeſcat, & tendat ad interitum neceſſe eſt. Quemadmodum conqueritur Pœnitens ille qui dicit. Pſ. 108. *Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Hic igitur ne pereat & morti æternæ ſuccumbat, accedat ad Petram, Petram inquam myſticam, Chriſtum D. ad eum aduncatum hoc roſtrum atterat & allidat. Pſ. 146. *Beatus qui alliſit parvulos ſuos ad Petram.* Id eſt. Qui omnes pravos concupiſcentiæ ſuæ motus, & pravas inclinationes, contemplatione Paſſionis Chriſti frangit & atterit, roſtrum ſic cõtritum ipſe pro Sacrificio acceptabit Pſ. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet.* Ubi autem hoc peccator effecerit, tum panem quem comedere oblitus fuerat, reſumet: tum iterum,

gratia Dei & verbo ejus paſcetur, tunc exultabunt oſſa humiliata, reparabitur virtus ſpiritûs, creabitur cor novum, ſpiritus rectus innovabitur in viſceribus, & redibit lætitia ſalutaris DEI.

Quod nunc ad Phœnicis renovationem attinet. Scribit S. Ambr. lib. 5. Hexam. cap. 23. Phœnicem, ubi quingentis annis vixit, & vitæ ſuæ finem adeſſe præſentit, conſtruere ſibi nidum quaſi thecam de thure & myrrha cæterisque odoriferis lignis, in quam intrans ſe comburit, de cinere oriri vermem qui paulatim adoleſcens, alarum remigia acquirit, tandemq; novi Phœnicis ſpeciem & naturam induit. *Fac & tu,* ait idem Doctor, *tibi thecam, expolians veterem hominem cum actibus ſuis, novumq; indue. Theca tua fides eſt, imple eam bonis virtutum odoribus, agnoſce diem mortis tuæ. Intravit Paulus thecam ſuam dicens 2. Tim. 4. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: implevitq; thecam thure Fidei, odore Martyrii.* Phœnix ergo ut renovetur, thecam ingrediens ſeipſum comburit: ſic tu dicas cum S. Job 29. *In nidulo meo moriar,* cordisq; tui thecam ingreſſo conſumas & exuras vetuſtas peccatorum tuorum cõſuetudines & inveteratas cõcupiſcentias carnis tuæ, contemplatione ignis infernalis & horribilis gehennæ, ut ille fecit qui dixit. Pſ. 76. *Annos æternos in mente habui, meditatus ſum nocte in corde meo, exercitabam & ſcopebam ſpiritũ meum. Cogita,* ut monet Baſil. in Pſ. 33. *Profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem ſplendore, urendi quidem vim habentem, ſed lumine privatum, deinde vermium genus venenum emittens ac carnem vorans, poſtremò oppropriũ illud & confuſionem ſempiternam. Hac time, & hoc timore animam tuam à peccatorum tuorum concupiscentia, tanquam fræno quodam reprime.* Jam verò cinis in quem Phœnix convertitur, & vermis qui inde naſcitur, repræſentant conſiderationem mortis, quæ eſt efficaciſſima ad novam vitam inchoandam,

andam novumque hominem efficiendum. S. ergo Jobum 17. imitare qui dicit. *Putredini dixi, Pater meus es: mater mea & soror mea vermibus.* Dic cum Abrahamo Gen. 18. *Loquar ad D. DEum meum, cùm sim pulvis & cinis.* Memento quotidie quia cinis es, & in cinerem reverteris. Dic cum Propheta Ps. 21. *Ego vermis & non homo.* Hæc dicendo, & seriò cogitando pennarum remigia acquires, quibus ad cœlum evolare poteris, cujusmodi sibi postulat qui dicit. Ps. 54. *Quis dabit mihi pennas ut aquilæ*, &c.

Hoc de renovatione trium dictorum animalium ad instructionem nostram. Renovamini ergo in novo hoc anno, & omnia corporis membra quæ primò fuerunt vitiorum instrumenta, convertite in virtutum instrumenta juxta Apostolicam admonitionem Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra*, &c. Et iterum ibid. *Non exhibeatis membra vestra arma*, &c. Sic ergo vivite hoc anno, ut de vobis liceat dicere: Cor. 6. *Hæc fuistis aliquando*, id est variis obnoxii vitiis *sed abluti estis.* &c. Sint mores in melius mutati ut quilibet de se dicere valeat, quod Juvenis quidam, de quo S. Ambr. lib. 2. de pœnit. cap. 2. *Ego non sum ego.* Id est, non sum ampliùs fornicator ut fui, luxuriosus, ebriosus, &c. ut fui. Adolescentem, inquit S. Doctor, quendam ferunt propter amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regressum, postea veteri occurrisse dilectæ, quæ ubi non interpellata, putabat se non cognitam, & rursus occurrens Juveni dixit. *Ego sum*, respondit ille, *sed ego ille non sum.* Rogemus DEum, ut nobis det cor novum, & spiritum novum Ezech. 11. ut auferat cor lapideum, & det carneum. ibid. 35. cujusmodi post multas preces tandem obtinuit D. Aug. ut de se pulchrè scribit, & confitetur 8. Confess. 11. & 12. Similiter S. Cypr. lib. 2. epist. 2. & Apostolus qui ex lupo factus est Agnus, ex persecutore acerrimus Ecclesiæ defensor, ex raptore Doctor glorioſus &c.

Hanc

Hanc de qua agimus renovationem etiam novus hic Puer Bethleemiticus nos docet, qui & ipſe admirandam novitatem in ſeipſo exhibuit, & omnia fecit nova. Factus eſt enim nobis novus Adam, qui ſimul ſit & Deus & homo. Factus eſt novus Adam non de terra terreſtris, ſed de cælo cæleſtis. Novo modo conceptus absque virili ſemine. Novo modo de Virgine natus Matris integritatem non violans. Unde Jeremias 31. *Novum creavit Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum.* Idem novum aſſumpſit nomen Iſai. 62. *quod os Domini nominavit.* Idem novo modo per novam ſtellam innoteſcere mundo voluit. Novi teſtamenti Author, novi conſilii Angelus, novus legislator, novam ferens doctrinam, novam gratiam: Sacramentorum quoque innovator, novarum beatitudinum promulgator, novorum miraculorum patrator, novæ vitæ in humilitate, paupertate, caſtitate &c. inchoator, novum novi anni Sacrificium. Deniq; totus novus per reſurrectionem. Et hæc quidem in præſenti vita, in futura quoque faciens omnia nova, novos cœlos, novam terram, novam Jeruſalem, nomen daturus novum in calculo candido, innovaturus quoque ut Aquilæ juventutem noſtram, totam poſtremò immutaturus ac innovaturus naturam. Cùm ergo omnia novus hic Rex faciat nova, cùmq; omnia innovet in hac vita, & in futura: quomodo nos in vetuſtate noſtra manebimus? quomodo non etiam omnia innovabimus? *Recedant* igitur recedant *vetera, nova ſint omnia, corda, voces, & opera.* Voces, inquam, nam & novum canticum cantare jubet Propheta Regius omiſſo veteri Pſ. 32. *Cantate Domino canticum novum, bene pſallite ei in vociferatione.* Et Pſ. 143. *Deus canticum novum cantabo tibi, in pſalterio decachordo pſallam tibi.* Forſitan quæres, quodnam ſit canticum illud vetus quod amodò cantare non oporteat? rurſus, quod ſit novum canticum, quod ſit deinceps cantandum? Canticum vetus eſt, tota veteris & carnalis hominis con-

nis conversatio, cum omnibus desideriis, affectibus, dictis, & actibus suis. Hoc vetus canticum canunt, qui nihil nisi terrena & carnalia sapiunt, & quorum cogitationes & studia in his versantur. De his solliciti, secum loquuntur & cum aliis, nec de rebus cœlestibus vel mentionem faciunt, in illis solis consectandis occupantur. Quorum denique in his otium & negotium.

E contrario verò novum canticum est, spiritualis justificatio & novi hominis vita: pura, sanctaque desideria, sermones & colloquia, quæ ad pietatem & salutem æternam pertinent, quæ proximos ædificant. Opera deniq; misericordiæ, justitiæ, castitatis, sobrietatis, cæteraque omnium virtutum officia. Hoc est quod D. Aug. breviter dicit in Ps. 149. *Vetus homo, vetus canticum: novus homo, novum canticum. Vetus Testamentum, vetus canticum. Novum Testamentum, novum canticum. In veteri Testamento promissiones sunt temporales & terrenæ, quisquis terrena diligit, vetus canticum cantat. Qui vult cantare canticum novum, diligat æterna.* Et rursum in Psal. 95. *Vetus cantat cupiditas carnis, novum cantat charitas Dei. Quidquid cantaveris de cupiditate, vetus cantas. Et si non sonant in ore verba cantici novi, non est speciosa laus in ore peccatoris.* D. Prosper Augustinum secutus sentent. 82. *Canticum novum est carmen fidei, quæ per charitatem operatur. Iterum novum canticum est gratia novi testamenti. Hanc gratiam qui acceperunt & secundùm eam vivunt, Deo non sæculo & carni servientes, hi novum cantare dicuntur, ideò verò novum quod non à vetere Parente Adam edocemur, sed à novo homine Christo, non per veterem generationem, sed per novam regenerationem & lavacrum, non per carnem & sanguinem, sed per aquam & Spiritum Sanctum.*

Vetus canticum nostrũ fuit quod ab Adamo & Eva didicimus, quo culpam agnoscere nolumus Gen. 3. sed in alios rejicimus. Recedat hoc vetus canticum, & cantemus novum, dicamusque cum Davide 2. Reg. 24. *Ego sum qui peccavi, qui iniquè egi.*

Confitebor adversum me injustitiam meam Domino. Ps. 31. *Peccatum meum contra me est semper.* Et cum Daniele cap. 3. *Peccavimus, injustè egimus, iniquitatem fecimus.* Et cum Publicano Luc. 18. *DEus propitius esto mihi peccatori.* Prov. 28. *Confiteamur peccata nostra & relinquamus ea, ut misericordiam consequamur.* 1. Joan. 1. *Fidelis est enim DEus ut nobis remittat &c.* In operibus bonis vetus est canticum, quo nobis tribuimus, & in iis gloriamur tanquam non accepissemus. Recedant hæc vetera cantica, & audiantur nova, ut *qui gloriatur* 2. Cor. 10. *in Domino glorietur.* Et Ps. 118. *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Et Isai. 26. *Tibi Domine gloria, nobis autem confusio faciei.* Et, *Non ego, sed gratia DEI mecum. Omnia opera bona operatus es in nobis Domine.* In adversis & tribulationibus vetus est canticum, DEO obmurmurare, & cum Judæis occinere, Ezech. 18. *Patres nostri comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Cesset hoc vetus canticum, & dicamus novum. *Omnia quæ fecisti nobis Domine in recto judicio fecisti. Justus es Domine, & rectum judicium tuum. Omnia bene fecit.* Job. 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit* &c. Et 1. Reg. 3. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* In rebus prosperis vetus canticum est. Luc. 12. *Anima mea habes multa bona,* &c. *comede, epulare.* Vetus cãticum est Sap. 2. *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Sileant hæc cantica, audiantur nova. Ps. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ.* Ps. 72. *Domine quid mihi est in cœlo, & quid volui super terram?* Philip. 3. *Omnia arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifacerem.* In sumenda vindicta canticum vetus est. Vicem pro vice. Cesset hoc vetus canticum, canamus novum. *Ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.* Luc. 23. & Act. 7. *Ne statuas illis hoc peccatum.* De morte vetus canticum. *Siccine separas amara mors?* Et Eccl. 41. *O mors quàm amara est memoria tua!* Non audiatur hoc ultrà, sed novum. Philip. 1. *Cupio dissolvi & esse cum*

se cum Christo. Et, *Mihi vivere Christus, & mori lucrum.* Et Luc. 2. *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace.* Et Ps. 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Et Matth. 26. *Si non potest hic calix transire à me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Canticum vetus est. *Bibamus, edamus, cras enim moriemur.* Suspendantur hæc organa, & audiantur nova. 1. Petr. 5. *Fratres sobrii estote.* &c. Luc. 1. *Videte ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Et Rom. 14. *Non est regnum DEI esca & potus. Cantate Domino canticum novum, cantate omnis terra.* Nec sufficit ut lingvâ & ore canamus, sed curandum, ut animus & cor à lingva non dissideant. Nec aliud verbis, aliud vitâ, operibusque canatur, sed canticum cum cythara conjungatur. Psal. 32. *In Psalterio decem chordarum psallite ei.* Decachordum Psalterium juxta D. Aug. in Ps. 9. significat decem præcepta legis. *Non est speciosa laus in ore peccatoris. Laudat verbo, blasphemat vitâ. Laudat cantico in verbis, sed non cytharâ in opere. Si verba sola dicis quasi canticum solum habes, cytharam non habes. Non valdè aures meæ inclinantur ad vocem cantoris, sed quæso morem operantis,* inquit idem in Ps. 149. Benè canit, *qui glorificat, & portat DEum in corpore suo.* 1. Cor. 6. Benè canit qui voluntatem Patris cœlestis facit. Benè canit qui in omnibus gloriam DEI quærit, sive manducet, sive bibat, sive aliud quidquam agat 1. Cor. 10. Benè canit, qui in omni tempore Dominum benedicit, & in cujus ore laus semper ejus. Ps. 78.

Implemini ergò Spiritu S. loquentes *vobismetipsis in psalmis, & hymnis & canticis spiritu cantâtes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Ephes. 5. Et Col. 1. *Gratias agentes Deo & Patri qui dignos nos fecit in participatione sortis Sanctorum, in lumine, qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum dilecti Filii sui.* Si sic cantaverimus in hac vita, futurum est ut in æterna vita canamus canticum novum Beatorum, de quo D. Joann. Apocal. 5. *Quatuor animalia & viginti seniores ceciderunt coram Agno, habentes*

bentes singuli phialas, & cytharas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Et cantabant canticum novum dicentes, Dignus es Domine &c. Et rursum ibid. *Dignus est Agnus.* &c. Et iterum. *Sedenti in throno & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.* Denique cap. 4. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* &c. Et. *Dignus es Domine DEus noster accipere gloriam, & honorem & virtutem, quia tu creâsti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Beati, ergo, qui habitant in domo tua Domine in sæcula sæculorum laudabunt te. Isai. 38. *Novas semper harmonias vox meloda concrepet, in jubilum prolata mulcent omnes organa. Digna, per quem sunt victores, Regi dant præconia.* Ut canit S. Aug. in lib. de gloria paradisi.

STRENA V.

De Tempore, & tempestiva Pœnitentia.

Si quis nostrûm ritè perpendat, justamque ad trutinam libret, non tantùm SS. Patrum, verùm etiam Ethnicorum vitam, is facilè advertet, quàm plerique Christianorum hujus ævi sint ipsis dissimiles, tum multis aliis in rebus, tum vel maximè in habenda temporis ratione, eòque fructuosè & salubriter expendendo. Solebant enim hic non tantùm SS. illi Patres ac Catholici Doctores, Cyprianus, Basil. Chrysost. Ambr. Hieron. aliique innumeri sanctissimi Viri, sed etiam Ethnici plurimi exactissimam habere temporis rationem, cùm scirent nihil eo pretiosius inveniri, nec aurum ullum, nedum argentum illi conferendum. Hinc illud dictum Lycurgi. *Rectè eruditi temporis rationem habent.* Hinc & illud Democriti. *Pretiosissimum impendium tempus.* Hinc Theophrasti. *Sumptus pretiosissimus tempus.* Hinc denique temporis æstimationem & usum Lucilio commendans epist. 1. *Vindica te tibi & tempus quod adhuc vel auferebatur, vel surripiebatur, aut excidebat, collige & serva. Persuade tibi sic esse, ut scribo. Quædam tempora eripiuntur nobis,*

nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt. Turpissima tamen est jactura quæ per negligentiam venit. Et si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Quem mihi dabis qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem æstimet? Sanè Plinius omne illud tempus periisse arbitrabatur quod studiis non impendisset, Titus Vespasiani Filius qui in ultionem Dominici Sangvinis, ut ait Hieron. in 5. ad Galat. subversis Jerosolymis, Romam victor ingressus tantæ dicitur fuisse bonitatis ut cùm quâdam nocte serò in cœna fuisset recordatus, quòd nihil boni illa die fecisset, dixerit amicis. *Hodie diem perdidi.* Dixit hoc ille sine lege, sine Evangelio, sine doctrina Christiana.

Verùm si nos quotquot christi nomine gloriamur, servarem9 recollectionem nostram, ac diligenter revolverem9 quemadmodum transegerimus elapsa pridem tempora, possemus, atq; adeò deberemus similem in modum exclamare. Amici perdidimus diem. Quid verò dum? imò hebdomodam, quid hebdomadam? imò mensem, quid mensem? imò annum. Vix quidquam à nobis boni præstitum elapso hoc anno, nulla vitæ emendatio secuta est. Quales fuimus primo anni præcedentis die, tales & hesterno eramus, qui fuit ultimus. Priore anni die eramus superbi, vindicti, luxuriosi, ebriosi, injusti, invidi, avari, &c. tales & novissimus anni dies nos invenit. Heu perdidimus diem & annos, perdidimus tempus, tempus inquam tam pretiosum. Hanc tamen jacturam vix secum aliquis nostrûm perpendit, multò minùs deplorat. Verùm, hanc cæcitatem plangit in multis S. Bern. serm. ad Soror. *Nihil pretiosius tempore, sed heu nihil hodie vilius invenitur* &c. *O donec transeat tempus, quo divinam propitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem.* Dicere solent istius modi temporis decoctores, ut quid anxiè curemus horulas, non nos ipsis,

ipsis, sed ipsæ nobis factæ sunt? quasi verò ideò tempus in horas distinctum sit, non ut exacta ejus habeatur ratio, sed ut pro libitu bonæ horæ consumantur. Quid autem fiat in secretis angulis cubiculi, dum sic tempus deperditur, dum sic luditur, audi disertè ita de se, & contra se scribentem eundem Bern. serm. 3. de Nativ. Dom. *Ludebam ego foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis, &c.* Addamus si placet huic D. Chrysost. hom. 57. in 9. Joann. *Propterea ingemisco, quia quòd sit damnum, quod malum non intelligitur. Dedit tibi DEus horam, ut eam coleres, tu eam incassum & inutiliter consumis. Quæris quod sit damnum? si vel parum argenti amiseris, id omninò damnum æstimas: si totos dies in diaboli operibus consumpseris, nihil amisisse opinaris. Opus est in Sacrificiis & precibus vitam omnem impendere: tu ad clamores, perturbationes, obscœna verba, contentiones, intempestivas voluptates, in tuum cõvertis detrimentum. Et cùm hæc commiseris, quod damnum acceperis, interrogas? neq; intelligis omnia potiùs amittenda, quàm tempus. Aurum amittis, poterit recuperari, amissum tempus difficulter. Brevè nobis in præsenti præstatur vita, qua nisi utamur in necessariis, quid illuc migrantes faciemus? Dic quæso, si cui Filiorum præciperes ut aliquam artem disceret, ille autem vel domi, vel alibi frustra tempus contereret, posset ne apud Magistrum excusari? nonne diceret, convenimus, tempus statuisti. Si tibi non curæ est ut apud me incumbat arti filius, quomdo eum erudiemus? Hæc & vobis dicenda. Nam exiget à vobis DEus rationem. Vobis, inquiet, tempus dedi, ut pietatem & rectè vivendi artem erudiremini, vos incassum & inutiliter hoc tempus consumpsistis.* Proinde mirandum non est, tempus in tremendo judicio advocandum in nostri damnationem, testante Jeremia Thr. 1. *Vocavit adversum me tempus.* Et ratio est illa, quam Psalmista explicat Ps. 118. *Tempus faciendi Domine dissipaverunt legem tuam*, id est, Tempus ad faciendum, ad laborandum

dum in vinea Domini, atque ad operandam salutem, vobis datum est: id tamen non solùm non præstiterunt impii, sed eo etiam in superbiam abusi dissipaverunt legem tuam juxta illud alterius Scripturæ Job 24. *Dedit ei DEus locum pœnitentiæ, & ipse abutetur eo in superbiam.*

Aliquando ergo DEus sumet sibi tempus ut contra temporis proditores judicet, Ps. 74. *Cùm accepero tempus ego justitias judicabo.* Quomodo enim non judicabuntur injustitiæ, & temporis proditio, cùm & ipsæ justitiæ judicandæ sint? tum profectò nobis denegabit temporis horam, qui sanguinem suum nobis non negavit. Jurat enim Angelus Apoc. 10. per viventem in sæcula sæculorum *quia jam non erit tempus.* Dum ergo habemus tempus Gal. 6. operemur bonum. Et Ephes. 5. Redimamus tempus, quoniam dies mali sunt, & ferò nimis deplorabimus messem transiisse, finitam æstatem, & nos salvatos non esse. Jer. 8. Cogitemus & illud Apostoli 1. Cor. 7. *Hoc itaq; dico Fratres tempus breve est.* &c. Et alibi 2. Cor. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Audiamus & illud Ezech. 7. *Venit tempus, appropinquavit dies, qui emit non lætetur.* Vivamus tanquam citò morituri, quia incerti an crastinum visuri. *Quis scit an adjicient hodiernæ crastina vitæ tempora Dii Superi?* Illuxit quidem nobis primus dies anni hujus; sed quàm multos putatis præcedentis anni initio qui sibi tam longam vitæ usuram promittebant ut & hunc diem viderent, qui tamen jam diu à vermibus corrosi in sepulchris jacent, quorum *vita præcisa est velut à texente* Isai. 38. quosque succidit DEus dum adhuc ferè ordirentur. Quàm multos etiam existimatis nunc primo hujus anni die superstites, qui mira hoc eodem anno agere ac tractare proponunt, qui tamen sequentis anni non videbunt lucem? Nos ergo qui Christi D. beneficio hucusque reservati sumus aliis interim ex hac vita subitò ereptis dicamus

cum

cum Propheta Thren. 3. *Misericordiæ Domini quia non sumus* præterito anno *consumpti*. Et cum Ps. 93. *Nisi quia Dominus adjuvit me paulò minus in inferno habitásset anima mea.* Grati simus Bethleemitico nostro Regi, qui vitæ nostræ tam longas concessit inducias. Oremus eundem, ut merito ac virtute suæ dolorosæ circumcisionis, ac pretiosi sangvinis hodiernâ die effusi, nobis gratiam largiatur, quâ adjuti præsentem annum transigamus cum omni pietate, justitia, ac sobrietate, ut in ipso fine anni sanctiores coram ipso inveniamur quàm in principio. Tum utiliter tempus nobis divinitùs concessum, salubriterque expendentes, tunc sapienter tempus redimamus. Unde etiam confidenter cum Apostolo Tit. 3. expectare poterimus *beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri JEsu Christi &c.* Demus etiam hoc anno operam, ut, quemadmodum in rebus pretiosis facimus, magnâ circumspectione, parsimoniâ, frugalitate, temporis thesauro utamur, eumq; sic dispensemus, ut in res cæteras, puta, cibum, potum, somnum, aliasque humanas necessitates, quàm parcissimè impendamus, maximam verò eius partem Deo & animæ nostræ saluti demus. Quin verò suffuremur aliquid non modò de jocis, lusibus, fabulis &c. sed de somno etiam matutino, ut vel hoc ipsum tempus Deo laudando, gratiisque agendis consecremus ad exemplum Davidis Regis, qui regni negotiis interdum occupatus lucis exortum antevertere solebat, ut de seipso testatur Ps. 118. dicens. *Præveni in maturitate & clamavi* &c. Et ibid. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculò.* &c. Magna proinde cæcitas eorum qui hanc rem pretiosam negligunt, miserè perdunt, dissipant, atque profligant, otio, fabulis, lusibus, vanitatibus, & voluptatibus intenti & immersi. His justo Dei judicio contingit, ut quia dum tempus habent, eo ad salutem uti nolunt, postea dum volunt, tempus eis denegetur. *Veniet dies*, inquit Christus Salvator, Luc 17.

Quando

Quando desiderabitis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis. Sic quidam narrante D. Gregorio 4. Dial. 38. clamavit in hora mortis. *Inducias usq. ad mane!* nec tamen ipsi concessæ fuêre. His enim simile quid accidit, quod Viatoribus qui dum in via interdum hærent, potant, ludunt, nec iter inceptum absolvere properant, nocte & tenebris ingruentibus, urbe excluduntur. Excutiamus ergo omnem socordiam, vigilemus, laboremus, tempestivè pœnitentiam agamus. Magnum in mora periculum, breve tempus est. *Securis ad radicem posita.* Matth. 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum,* & quidem pœnitentiæ dignum, *excindetur & in ignem mittetur.* Luc. 15. *Nisi pœnitentiam habueritis omnes peribitis,* clamat Salvator. Dum ergo adhuc maturum est, dum tempus favet, dum cœlorum regnum pœnitentibus patet, pœniteamus: ne post, elapsâ impetrandi occasione, clauso cœlorum ostio, serò frustraque pœnitentiam agamus, & ad ea deveniamus inferorum loca, ubi nunquam nec fletus, nec dentium stridor est defuturus, & quantumvis clamantes nemo sit qui exaudiat. *Quia enim vocavi,* inquit DEI Sapientia Prov. 1. *& renuistis, despexistis omne consilium meum,* &c. Quare ne nobis idem eveniat, *quæramus Dominum dum inveniri potest.* Isai. 55. *Invocemus eum dum prope est.* Ambulemus, *dum lucem habemus.* Joann. 12 ne tenebræ nos comprehendant. Non tardemus converti ad Dominum, nec differamus de die in diem. Eccl. 5. *Subitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet nos.* Eccl. 12. *Memineri mus Creatoris nostri in diebus juventutis nostræ, antequam veniat tempus afflictionis nostræ, & appropinquent anni de quibus dicamus. Non placent nobis, antequam tenebrescant, Sol, Stellæ, & Luna, & revertantur nubes post pluviam:* quando non clarè ob senium aspiciemus Solem & Lunam, & post egestam unam catharri nubem, alia veniet. *Quando commovebuntur custodes domûs,* cùm manus trement: *& nu-*

tabunt viri fortissimi, genua quæ totum corpus sustinent. *Et otiosæ erunt molentes*, dentes non molent cibum collapso ad illum appetitu, *imminuto numero, & tenebrescent videntes per foramina*, oculi, *& claudent ostia in platea*, cæteri sensus deficient, *in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris* gallinacei ob inopiam somni, *& obsurdescent omnes filiæ carminis*, aures, quia obturabuntur arteriæ, per quas sonus permeat. *Excelsa quoq; timebunt & formidabunt in via*, timendo ascensum montium & saxa. *Florebit amygdalus*, canescet caput. *Impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis*, pro quo alii legunt, Incurvabitur seu onerabitur dorsum, & dissipabitur concupiscentia; *quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ*, in sepulchrum. *Et circuibunt in platea plangentes*, de morbo unus alteri significando, *antequam rumpatur funiculus argenteus*, candida pellicula cerebri, *& recurrat vita aurea*, flavescat cutis. *Antequam conteratur hydria supra fontem, & confringatur rota super cisternam*, oculi crepent, ubi fons lacrymarum. Antequam ergò hæc incommoda senectutis, & mala vicinæ mortis veniant, *memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ*. Hâc igitur longâ verborum serie, seriò nos monet Ecclesiastes, ut tempestivè nos convertamus ad DEUM, pœnitentiamque agamus in juventute, & nullo modo in ultimos differamus dies. Ob quas etiam causas, stultum, periculosum, & præposterum est pœnitentiam differre in finem annorum vel in senium. Primò quia tempus illud nobis incertum est, neque infallibiliter promissum. Qui enim verè pœnitentibus promisit veniam, peccantibus non promisit vitam. Mors senibus est in porta, juvenibus in insidiis: illis à fronte, his à tergo. Illi debent citò mori, isti possunt. Quid ergo putas te diu victurum, qui nullum diem habes securum? hâc inani spe vitæ innumeræ

periè-

periêrunt animæ. Sic inter multos periit dives ille Evangelicus. Luc. 12. Cujus ager cùm uberrimos produxisset fructus, sic intra se cogitavit, & dixit. *Quid faciam, quia non habeo horrea quò congregem fructus meos? hoc faciam, destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & dicam animæ meæ. Anima mea habes multa bona.* &c. Interim dum infelix ita secum cogitat, audita est vox subitò illi dicens. *Stulte hâc nocte repetent animam tuam à te, & hæc quæ congregâsti cujus erunt?* Avicula sedens in arbore quocunque libet se evolare posse credit, sed priusquàm evolaverit, eam inopinatus ictus sagittæ dejicit. Sic & tu longa vitæ promittis tempora & mirabilia facere disponis, & nescis an in vesperam sis victurus, & non subita morte, ut plurimis contigit, sis abripiendus. Quænam ergò potest esse major insania, quàm hominem propriâ suâ authoritate velle disponere de tempore futuro, non aliter atque si ipse esset Rex temporum, atque momentis, quæ Pater in sua potestate posuit, præesset. Et si Filius DEI, Apoc. 1. & 3. solus habeat claves vitæ & mortis, ut claudat & aperiat, cui & quando illi placet, quomodo audet vilis homuncio, imò vermiculus hanc sibi potestatem usurpare?

Secundò, quia pœnitentia sera rarò vera. Audi D. Aug. hom. 41. inter L. *Si quis positus in ultima necessitate suæ ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatus hinc abit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quòd benè hinc exit. Si securus hinc exierit, ego nescio, pœnitentiam dare possumus, securitatem dare non possumus. Nunquid dico, damnabitur? sed nec dico, liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? vis quod incertum est evadere? age pœnitentiam dum sanus es. Si sic agis, dico tibi, quòd securus es, quia pœnitentiam egisti eo tempore quo peccare potuisti. Si*

enim vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Ideò rursum idem salubriter monet de vera & falsa pœnitentia cap. 17. *Nullus*, inquit, *existimet, quia peccare non potest. Arbitrii enim libertatem quærat, ut dolere possit peccata commissa, non necessitatem; qui priùs itaq; à peccatis relinquitur, quàm ipsa relinquat, ea non tam liberè, quàm ex necessitate condemnat. Quem ergo seriò pœnitet, oportet non solùm demereri Judicem, sed diligere quia sine charitate nemo salvus esse potest.* Ideòque qui prorogat pœnitentiam usque in horam mortis videtur is non ex voluntate, neque ex charitate, sed ex necessitate pœnitentiam agere. Talis videtur fuisse pœnitentia Semei 1. Reg. 16. quam fecit ob delictum in Davidem Regem comissum, cùm à facie Absalonis fugeret, qui Semei cùm jam videret ad Davidem victoriam inclinâsse, considerans punitionem sibi verisimiliter instare, descēdit cum viris de Benjamin, prostratusq; coram Rege veniam delicti rogavit. Quod cùm Abisai vidisset, dixit. *Nunquid pro his verbis nō occidetur Semei qui maledixit Christo Domini?* Sanctus verò Rex non ignorans quàm exigui meriti hæc fuerit pœnitentia, tunc quidē factum dissimulavit, tamen inultum noluit: Sed jam morti proximus non vindictæ cupiditate, sed justitiæ zelo, præcepit Filio suo ne pateretur illum innoxium, qui, & postmodum eundem Semei occidi jussit. Ejuscemodi videtur multorum Christianorum pœnitentia, qui cùm totâ vitâ DEum offendendo in peccatis perseveraverunt, cùm appropinquaverit hora reddendæ rationis, ubi mortem adesse, sepulchrum apertum, & præsentem Judicem viderint, intellexerintq; non inveniri fortitudinem, non potentiam contra illam infinitam potentiam, & quod in illo momento determinabitur, est semper duraturum, convertuntur ad Judicem orationibus, & protestationibus utinam veris & sinceris! Sed experientia docet, tales ubi periculum mortis evaserunt, confestim omnium promisso-

missorum oblivisci, & tanquam sues ad volutabrum reverti, quod argumento est, eos non ex amore DEI, sed ex timore quodam servili fecisse ea quæ fecerunt, more eorum qui in periculis maris constituti nihil non sanctum promittunt, qui tamen portum assecuti protinùs obliviscuntur promissionis factæ, & votorum suorum nullam rationem habent. Quia igitur sera illa pœnitentia rarò vera & sincera est, magis ex timore mortis, quàm ex DEI amore proficiscens, nequaquam tam diu differenda.

Sed etsi ut plurimùm talis pœnitentia vera esset, nihilominus periculosissimum est eam in illud tempus prorogare. Quomodo enim scis eo tempore te acturum pœnitentiam? cùm enim sit speciale DEI donum, quod non omnibus datur, imò quod multis justo DEI judicio denegatur, quomodo audes hoc donum tibi promittere in ultimo vitæ, qui præteritos omnes annos in vitiis consumpsisti? An nescis Greg. *hâc animadversione percuti peccatorem, qui vivens oblitus est DEI, ut & moriens obliviscatur sui?* An nescis cor hominis peccatoris tum minùs ad DEum posse elevari & in exercitiis veræ pœnitentiæ posse occupari, quando tot obstant perturbationes ex vehementia dolorum, ex amissione rerum temporalium, ex jactura amicorum, ex apprehensione imminentis mortis & futuri mox judicii? An nescis te etiam tum vehementiùs à diabolo impugnandum? quomodo igitur tam repentè diaboli laqueis te explicare poteris infirmitate depressus, quibus te sanus extricare non potuisti? quomodo tam citò ab eo deficies, & Christo militare incipies, quando de prælio est exeundum? quomodo arbor quæ semper arida fuit, tunc virere & florere poterit cùm jam ad radicem securis posita est ut excindatur, & in ignem mittatur? Dices fortassè & obtendes quosdam in vineam Domini novissimâ horâ venisse Matth. 20. & mercedem accepisse

pisse cum aliis qui primo manè venerant: imò latronem invenisse misericordiam jam jam moriturum. Audi, hæc scito esse privilegia paucorum quibus tu fidere non debes, cùm nescias an eadem gratia tibi sit præstanda. Arripit quis iter Romam versùs, invenit fortè marsupium plenum auro, quo iter ad finem perficere possit, quia hoc semel fortassè & valdè casu contigit, tu iter illud peracturus pecuniam tecum non deferes confidens te similem thesaurum reperturum? nimis manifesta hæc foret stultitia, rarissimè enim talis casus accidit. Quod verò attinet vocatos ultimò, illi faciebant, quod in se, stabant parati, prospiciebant ut quis vocaret. Ita novissimâ horâ hominem à Deo vocari, & ab eo trahi, rarò contingit. Nimis igitur stultus es si spe istâ differas pœnitentiam. Quare si sapis, compara tibi nunc provisionem itineris tui, longa enim tibi restat in cœlum via. Præpara tempestivè oleum in vasis tuis, ne serò veniens cum fatuis Virginibus Matth. 26. excludaris à regno cœlorum. Audiamus igitur Conclusionis loco D. Ambr. salubriter ita admonentem lib. 20. de Pœnit. cap. 1. *Agenda est pœnitentia maturè, ne fortè Evangelicus ille Pater-Familias qui arborem ficum plantaverat in vinea sua, veniat, & fructum in ea quærens, si non inveniat, dicat cultori vineæ suæ Luc. 13. Succide illam ut quid etiam terram occupat. Et nisi cultor vineæ interveniat dicens, Domine dimitte illam & hoc anno &c. Stercoremus ergo & nos agrum hunc quem possidemus, & imitemur laboriosos agricolas, quos non pudet fimo pingui satiare terram, & immundo cinere agrum aspergere, ut fructus uberiores colligant. Quemadmodum stercoremus docet Apost. Philip. 2. Omnia existimo ut stercora ut Christum lucrifaciam, qui per infamiam & bonam famam meruit Christo placere. 2. Cor. 6. Legerat quòd Abraham Gen. 18. dum se stercus & cinerem fatetur summâ humilitate, invenit apud DEum gratiam. Legerat quòd Job 42. in sterquilinio suo sedens, omnia quæ ami-*

amiserat recuperavit. Legerat prophetantem DavidPsal. 112. *Quòd DEus de terra suscitet inopem, & de stercore erigat pauperem. Et nos ergo non erubescamus fateri Domino peccata nostra, pudor est ut unusquisq; sua crimina prodat, sed ille pudor agrum suum curat, spinas tollit perpetuas, sentes amputat, fructus exhibet quos jam mortuos esse credebat. Sequere illum qui benè arando agrum suum fructus quæsivit æternos. Maledicimur, inquit, & benedicimus: persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus, tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus. Si & tu sic araveris, seminabis spiritualia. Ara ut peccatum auferas, fructum acquiras.*

STRENA VI.

De Mortis Memoria.

DAbo vobis in Strenam hâc die Reliquias Sanctorum. Joannes Damascenus, pius & antiquus Scriptor atq; Ecclesiæ Doctor describens vitam Josaphat & Barlaam, eorumq; gesta ac peregrinationem, refert hos Sanctissimos viros secum ferre solitos ossa quædam, seu reliquias SS. Martyrum, eaque in magno habuisse pretio. Cùmq; aliquando rogarentur à quodam Principe viro, quam ob causam hæc mortuorum ossa quotidie circumferrent, responderunt, sese hanc observare consuetudinem ob varias considerationes. 1. In memoriam talium Martyrum vitâ defunctorum. 2. Ut per aspectum sacrarum reliquiarum subinde excitari possent ad eos imitandum. 3. Ut per contactum eorundem ossium, quæ sanctificata fuerunt per Spiritum S. etiam ipsi sanctificari possent. 4. & postremò. Ut videntes hæc ossa semper reminiscerentur futuræ mortis.

Nimirum usq; adeò existimabant salutarem illi viri mortis esse recordationem, ut ob hoc potissimùm mortuorũ ossa secum deferrent. Sed quid mirandum quòd illi hoc sibi persuasum habuerint,

buerint, cùm & hoc ipsum Plato Philosophus Ethnicus licet sibi persuasum habuisse videatur. Docet enim ille in Phædone, *Summam Philosophiam esse mortis meditationem.* Eò, quòd hujus rei meditatio magnum objiciat peccatis obstaculum ac remoram. Quod equidem disertissimè Scriptura testatur Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis memorare novissima, & in æternum non peccabis.* Quasi diceret, hoc fræno sic compesces & constringes omnes passiones & appetitus carnales, ut non facilè in ullum peccatum mortale præcipiteris. Hinc quidam antiqui Reges ac nominatim Philippus Macedonum, constituebant certum aliquem cui demandabant hoc ministerium, ut quotidie matutino tempore accurreret ad ostium cubiculi sui, diceretq; hæc verba. *Domine mi Rex memineris te moriturum, seu memento esse hominem.* Ipsâ etiam die, quâ Imperatores solent coronari, quatuor aut quinque artifices cum lapidibus diversi generis ad coronatum ingrediuntur, & ipsum metinterrogant. Ex quo ô Imperator, horum lapidum tuum monumentum fabricemus? Philosophi etiam qui Brachmani dicebantur, solebant apertum quoddam sepulchrum ante fores ædium suarum construere, ut intrantes & exeuntes semper mortis reminiscerentur, & à peccatis tantò magis sibi caverent. Sed jam ad vos Christianos, quid putatis causæ esse, quòd olim DEus volens instruere Jeremiam Prophetam cap. 18. mandaverit illi, ut iret in domum figuli, ibiq; verba DEI audiret? an non potuisset illi Dominus loqui loco alio? equidem poterat, sed voluit eum in domo figuli audire verba sua, ubi in luto & terra operabatur, ut eò meliùs humanæ conditionis, ejusque fragilitatis ac mortalitatis memoriam teneret, sciretque homini jam pridem dictum. *Memento quia terra es, & in terram reverteris.* Quemadmodum ergo D. DEus Prophetam misit in domum figuli ut ibidisceret ac audiret verba divina, ita ego vos mitto omnes ad domum

sepul-

sepulchri tanquam scholam famosissimam, ut ibi cœlestem quandam Philosophiam hauriatis. Ibi enim discetis, quàm sit brevis, fragilis, caduca, fallax, & inanis humana vita. Ibi discetis vitam nostram esse *ventum* Job. 7. Ibi discetis vitam nostram esse *fœnum* Ps. 102. Ibi discetis vitam nostram esse momentum Isai 10. Ibi discetis vitam nostram esse *vaporem* Jacob 4. Ibi discetis vitam nostram esse *umbram* Ps. 108. Ibi discetis vitam nostram esse *succisum florem* Ps. 101. imò flore succiso deteriorem & infeliciorem. Flos namque licet succisus, siccus, marcidus, adhuc benè olet, homo autem falce mortis sectus, mox corrumpitur, putrescit, ac gravissimè fœtet. Denique ibi discetis vitam vestram esse *vanitatem* Ps. 38. *Verùm tamen universa vanitas omnis homo viveus.* Et Eccl. 1. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* An non mera vanitas est quòd in hoc mundo ampliss ima & pretiosissima quæramus palatia, cùm tamen in sepulchro contentos nos oportebit esse angustissimo & vilissimo novem vel decem pedum domicilio? ut meritò Alexandrum irriserint, qui de eo post mortem dixerunt Plut. in Alex. *Heri Alexandro totius terræ spatium non sufficiebat, hodie Alexandro sufficere debet sepulchrum vel quatuor ulnarum. Heri Alexander terram oppressit, hodie Alexander terrâ opprimitur.* An non summa vanitas, quòd hic in mundo corruptibili hoc nostrum corpus tam pretiosis & exquisitis adornemus vestibus, quòd in sepulchro operietur serpentibus ac bufonibus? An non summa vanitas, quod hoc moriturum corpus tam delicatis fovere delectat alimentis, quod futurum est alimentum insectorum? An non summa vanitas, hoc mortale corpus hic tam splendida ac opima ambire convivia ac epulas, quod tam horrendi convivæ epulaturi vermes dico, serpentes, bufones, mures. Ibi discetis hoc nostrum corpus quod aliquando servi ac famuli stipaverunt ac defenderunt contra

adversariorum incursus, jam à nullo ampliùs defendi còntra morsus venenatorum animalium. Verè universa vanitas omnis homo vivens. Rursum in hac schola discetis non esse feliciorem Regum, Principum, ac Imperatorum sortem quàm rusticorum, & mancipiorum. *Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumq; turres.* Contemplare nunc obsecro cineres alicujus pauperis, & contemptibilis homuncionis, eosq; confer cum cineribus ac ossibus ditissimi ac potentissimi Regis vel Imperatoris, & vide num eos discernere poteris. Imò ad hoc convoca omnes Philosophos, Doctores, Sapientes, Medicos, &c. ut tibi dicant, quænam sit horum discretio, & vide utrum id præstare poterunt? Sanè in 4. Reg. 9. legimus quòd cùm pulcherrima illa, florentissima, ac potentissima quondam Regina Jezabel de fenestris præcipitata, atq; à canibus maximâ sui parte dilaniata, transeuntes dixerunt, & cum stupore magno exclamaverunt. *Hæccine est illa Jezabel?* illa inquam Jezabel, nobilis, famosa, venusta, potens ac glorioſa? Illa, iterum dico, Jezabel, quam omnes suspiciebant, venerabantur, adorabant? Illa Jezabel, cujus imperio ac nutu, parebant universi? Eheu quàm jacet contemptibilis, ignobilis, ignominiosa? quænam hæc tam stupenda metamorphosis? Ad eundem modum si nunc quisquam nostrum sepulchrum aliquod aperiret, in quo fortè jacet famosa & formosa quædã fœmina, sive puella cujus amore tantoperè inescatus eras, cujus aspectum tantoperè ambiebas: videns hoc ipsum corpus scaturire fœdissimis vermibus, ac omninò corrosum & dilaniatum improbis eorum morsibus, annon stupefactus exclamares. Hoccine illud corpus cujus elegantiam, ac compositam venustatem toties admiratus fui? ubi nunc rubicunda facies stibio depicta? ubi nunc coruscantes oculi? ubi nunc disertissima & melliflua lingva, ubi ornatæ comæ & capillitia? ubi pretiosæ vestes? ubi famulorum ac famularum turba? ubi musici ac tibicines? ubi ludi, ubi voluptuosa convivia? Eheu nihil

hil horum hic intueor: *Transierunt illa omnia tanquam umbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam navis quæ transit fluctuantem aquam*, cujus cùm præterierit, non est invenire vestigium.

Hanc dico tam salutarem doctrinam possetis haurire in schola illa sepulchri si frequenter illam adiretis, ac dociles & attentos discipulos ibidem vos præberetis. Sed proh dolor, pauci hanc scholam adeunt, aut si adeunt, parum in ea proficiunt. Equidem crediderim esse fanaticum aliquem cacodæmonem qui ab hac nos tam utili schola arceat, qui hujus rei de qua agimus, meditationem, contemplationem, & Philosophiam, nobis avertat, vel excutiat. Quî foret enim alioqui possibile ut hujus rei tam citò eventuræ, tam alta nos oblivio caperet?

Omnes viam mortis ingredi necesse est, testatur hæc natura, docet experientia, clamat Scriptura, *statutum est omnibus hominibus semel mori.* Non licet hic nobis uti vocabulo, *fortè*, sicut faciebat Eva cùm diceret, *ne fortè moriamur.* Sed vocabulo, *certò*, & *infallibiliter.* In omnibus sermonibus vocabulum *forsitan* locum habet, hìc verò minimè, &c. Sit ergò cuilibet quilibet annus suspectus, sit & quilibet mensis, quælibet dies, quælibet hora, &c. Et cogitemus singula horum dum currunt, nobis esse postrema juxta illud Eccl. 38. *Mihi heri, tibi hodie.* Si sic fecerimus, futurum est ut maturante morte non timeamus, sed cum fiducia dicamus. *Mori non timeo in Christo.*

PARS SECUNDA.

Strenæ Particulares.

STRENA I.

De his quæ fuerunt circa Nativitatem Christi.

SEptem sunt in Ecclesia Status seu conditiones hominum. 1. Magistratus Ecclesiasticus. 2. Magistratus civilis. 3. Status

virginalis. 4 Status vidualis. 5. Status conjugalis. 6. Adolescentes, Pueri. 7. Famuli, singulis istis afferemus Strenas ex Natalitiis Christi.

Incipiamus à Statu *Ecclesiastico* seu Sacerdotali. Huic in Strenam dono *Stellam* illam admirabilem, quæ Orientales Magos fulgore suo, & conspicuâ claritate præcessit, & in domum Bethleemiticam, ubi Christus adhuc infans erat, adduxit. Et quidem convenienter hæc illis offertur stella, quia sicut illa stella fulgidâ quâdam claritate illos antecedebat donec venirent in locum ubi erat Puer, ita Ecclesiasticorum & Sacerdotũ est, lucidis bonorum operum exemplis antecedere laicos & sæculares dicente Christo D. Matth. 5. *Vos estis lux mundi.* Et, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona;* juxta id quod & Magi dicebant. *Vidimus stellam ejus.* Hi enim potissimùm sunt qui in medio nationis pravæ atque perversæ lucere debent sicut luminaria in mundo. Hi sunt, qui videre & cavere debent, ne lumen quod in iis est, tenebræ fiant. Ne cùm aliorum debeant esse duces, ipsi etiam in tenebris ambulent. Et sic tam ipsi, quàm alii, quorum duces sunt, turpiter corruant. *Si enim cæcus,* Matth. 15. *cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Hæc stella oriens fuit. Imitentur Sacerdotes eum de quo scriptum est Zach. 6. *Ecce vir, Oriens nomen ejus.* Ps 111. *Exortum est in tenebris lumen rectis.* Et. *Visitavit nos Oriens ex alto.* Sint Ecclesiastici fideles aliorum duces, ducant statum sæcularem per hujus mundi tenebras ad cognitionem veræ lucis, quæ est Christus D. qui de seipso dicit Joann. 8. *Ego sum lux mundi.* De quo & Joannes Joann. 3. *Lux venit in mundum, & dilexerunt magis tenebras quàm lucem.* Ducant errabundos per viam veritatis & mandatorum DEI. Ducant populos in Jerusalem, quæ est domus pacis: in Bethleem, quæ est domus panis. Id est, monstrent sæcularibus viam, quæ tendit ad cœle-

cœlestem patriam, ubi est sempiterna pax, Isai. 32. Ubi sedetur in *pulchritudine pacis & requie opulenta*: ubi Angelorum panis comeditur, de quo scriptum est Luc, 14. *Beatus qui manducabit panem in regno DEI.* Hoc totum Sacerdotes exactè fecerint, si aliis præluxerint verbo doctrinæ, & exemplo vitæ juxta salutarem Apostoli monitionem, sic adhortantis suum discipulum. Tit. 2. *In omnibus præbe temetipsum exemplum bonorum operum in doctrina & integritate.* Et licet hæc stella ad modicum tempus lumen suum Magorum obtutibus subtraxerit, dum scilicet cum Herode in Jerusalem agerent, tamen egressis ab Herode mox iterum apparuit, neq; eos deseruit, donec ad optatum pervenirent locum. Ad eundem modum si contingat Ecclesiasticos dum tractant cum Herode amisso lumine bonorum operum tenebris peccatorum obcœcari, dum sæcularibus implicantur negotiis, dum in aulis Principũ versantur. *De humano namq; pulvere necesse est etiam Religiosorum corda sordescere*, ait D. Leo. Si, inquam, id eveniat, ut ad tempus aliquod lumen exemplaris vitæ abscondant, conentur mox iterum illud omnibus conspicuum reddere, tantòque vivant sanctiùs, quantò majora de se pravitatis exempla dederunt. Meminisse namque debent aureorum illorum verborum D. Greg. hom. 17. *Nullum, puto Fratres charissimi, ab alijs majus præjudicium quàm à Sacerdotibus DEus tolerat, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se pravitatis exempla cernit. Quando ipsi peccamus, qui peccata compescere debuimus, Nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum DEI, causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.* Videant igitur Sacerdo-

tes, ne de istorum sint numero. Porrò quia inter Ecclesiasticos præcipui sunt Episcopi, Prælati, & Pastores, qui ex eo quòd benè præsunt. 1. Tim. 5. *Duplici honore sunt digni*, ideò etiam peculiarem illis Strenam offeram, quamvis & præcedens illis potissimùm conveniat. Do itaque & his loco Strenæ *Pastores* illos, qui in nocte Nativitatis vigilabant Luc. 2. & excubabant super gregem suum contra incursus luporum aliarumvè ferarum. Est enim Pastorum & Prælatorum vigilare, pro subditorum salute, eosque defendere contra rabidos luporum, id est hæreticorum morsus Act. 20. *Attendite* ait Apostolus *vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quoniam post discessionem meam venient lupi rapaces.* &c. Hinc vocantur in divinis literis speculatores, quia scilicet undique prospicere debent, attendereque diligenter, ne grex animarum ab hoste invadatur. Gregor. *Quùquis enim populi speculator ponitur, debet in alto stare per vitam, ut prodesse possit per providentiam seu vigilantiam.* Utinam igitur Prælati & Pastores imitarentur vigilantiam ac sollicitudinem Patriarchæ Jacob in custodiendis ovibus Laban, cui sic locutus Gen. 31. *Viginti annis fui tecum, oves tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam, die noctuq; æstu urgebar ac gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* Si enim tantam diligentiam adhibuit Jacob pro custodiendis sibi ovibus concreditis irrationalibus, quantam adhibere oportet Prælatos & Pastores in custodiendis ovibus rationalibus, animabus, inquam, Christi sanguine redemptis. Sanè eorum somnus nimis periculosus est, nimisque pernicios, quandoquidem illis dormientibus navicula Petri, id est, Ecclesia multùm periclitetur, iis dormientibus veniat inimicus homo Matth. 13. & superseminet zizania in medio tritici. Quid causæ putatis cur Christus D. voluerit

luerit naviculam illam Matth. 8. in quam ascenderat, operiri fluctibus, & propemodum submergi se dormiente, nisi quòd in se, suoque exemplo docere nos voluerit, quantum Ecclesiæ DEI immineat periculum, quanto exposita sit discrimini dormientibus in ea naucleris seu Pastoribus & Rectoribus negligentiæ & torporis somno oppressis? Quid rursum causæ existimabimus, quòd idem Christus dormientibus in horto tribus discipulis suis, Petro, Jacobo & Joanne, quorum omnium erant oculi gravati, potissimùm tamen se ad Petrum converterit, eumque præ cæteris increpuerit? Marcus enim cap. 14. dicit Christum invenisse eos dormientes, & dixisse Petro *Simon dormis*, non *potuisti unâ horâ vigilare*. Nisi quia, ut sapienter Doctores notant, Petrus à Christo constitutus est suprem9 in Ecclesia Pastor, cujus proinde præ reliquis erat vigilare, & gregi sibi commisso attendere? Quid denique causæ censebimus, quòd Dominus Jeremiæ Prophetæ cap. 1. quem populo suo præfecerat, statim ostenderit virgam vigilantem, seu ut alii legunt, amygdalinam; nisi quia hâc visione voluit ostendere Præfectorum & Pastorum Ecclesiæ esse vigilare, & excubare, ovesque Dominicas custodire, juxta illud Isai. 62. *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, tota die ac nocte non tacebunt.* Nec refert quòd loco *virgam vigilantem*, alii legunt, *amygdalinam* etenim & amygdalina virga hâc virtute prædita à quibusdam dicitur, ut si dormientis capiti, vel cervicali supponatur, evigilare tempestiviùs faciat. Audi quomodo Sapiens Prov 6. Præfectos & Pastores ad vigilandum hortetur. *Fili si spoponderis pro amico tuo* &c. Fac igitur ne *dormitent palpebræ tuæ.* In quæ verba pulchrè more suo S. Greg. part. 3. pastoral. *Quisquis ad vivendum aliis in exemplum proponitur*, ut sunt propositi Pastores & Ecclesiarum Præfecti, *non solùm ipse ut vigilet, sed etiam ut amicum suscitet admonetur. Somnum*

enim

enim oculis dare, est intentione cessante subditorum curam omninò negligere: palpebræ verò dormitant, cùm cogitationes nostræ, ea quæ in subditis arguenda cognoscunt, pigredine opprimente dissimulant. Plenè autem dormire, est commissorum acta nec scire nec corrigere. Non autem dormire, sed dormitare, est, quæ reprehendenda sunt quidem cognoscere, sed tamen propter mentis tædium ea intrepationibus non emendant. Admonendi sunt itaq; qui præsunt, ut per circumspectionem oculos pervigiles intùs, & in circuitu habeant. Nec verò mysterio carere videtur, quòd veteres nostri Prædecessores, gallum gallinaceum in editiore sacrarum ædium loco constitui voluerunt. Hoc enim signo Pastorum circa Ecclesiam vigilantiam repræsentare voluerunt. Quoties igitur illi templorum limina adeunt, tantisper subsistant, oculos sursum erigant, considerentque avem illam fastigio impositam, Pastores omnes ad vigilantiam excitare, ac quodammodo commonefacere, ut omnem torporem, negligentiam, ac oscitantiam excutiant, meminerint, *turpe esse Ducitotam somno traducere noctem, cui populi commissi & tanta negotia curæ*, ut quondam apud Homerum, Agamemnon Græcorum Dux graviter reprehensus legitur.

Sequuntur Præfecti, ac Judices *sæculares*, quibus in Strenam dono *tres Magos* offerentes munera. Discant illi horum exemplo non accipere, sed potiùs offerre munera, ac bene meritis dare præmia; sicut enim justitia postulat, ut malos ac pernicioſos afficiant pœnâ, ita eadem exigit, ut bonos ac de Repub. bene meritos afficiant honore, præmio, ac munere. Quare non immeritò olim Judices solebant pingi cæci, ac sine manibus, ut significaretur, non debere, nec posse eos habere manus ad accipienda munera, sed ne quidem oculos ad ea conspicienda: munera namque amicitiam conciliant & Judicem emunt. Exuit verò personam Judicis, quisquis amici, vel ser-

viem.

vi empti induit. Æquitas sinistram & dextram amoris necat. Talis enim debet esse juris Minister & Judex, ut nullius authoritate Personæ titubet aut vacillet, apud eum libra justitiæ quod adeò verum est, ut Exod. 23. Dominus noluerit Judicem misereri pauperis, scilicet, in derogationem justitiæ, aut detrimentum partis adversæ. Sanè qui apud Gentes Sapientum nomine gloriabantur, Philosophiam suis fictis historiis tegendo, Posteritati tradiderunt. Ovid. Metam. 2. Regem quendam vellus aureum habuisse, quod Draconi cuidam multorum oculorum servandum præbuit, ne ab aliquo surriperetur; at Jason pulveribus à Medea assumptis draconem sopivit & obcæcavit, atque ita vellus illud aureum summi valoris ac pretii surripuit. Per hunc draconem multorum oculorum figurari potest Senatus ac congregatio doctorum virorum, quibus Rex vellus aureum, scilicet regni justitiam administrandam & conservandam committit. Sed quemadmodum non profuit illi Regi, vellus illud pervigili draconi servandum commisisse, cùm omnes illius oculi pulveribus erant obcæcati, ita neque Regi vel Principi justitiam custodiendam & exercendam Senatoribus justitiæ custodibus tradere, si eorum oculi muneribus sopiantur. Pulveres enim Jasonis magno incantamenti artificio confecti, quid aliud fuerunt quàm largitiones, & munera, quibus litem intendentes Judicem veluti phyltris dementant, & incantationibus ligant. Sic munera Judicum oculos excæcant, sicque surripitur justitia, & veritas auro venditur. Hanc ob causam distinctè prohibet DEus in Exodo, ne Judices accipiant munera quæ excæcant etiam prudentes. De ejusmodi corruptis & obcæcatis Judicibus conqueritur DEus Isai. 1. *Principes tui infideles, socii furum* &c. Et cap. 5. *Væ qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.* O quàm longè alius erat Judex Samuel 1. Reg. 12. qui ultimis suæ

vitæ diebus convocato omni populo confidenter & intrepidè sic dixit. *Loquimini de me coram Domino & Christo ejus, utrum bovem cujuscunq; tulerim, aut asinum*, &c. Et *dixerunt, Non.* Cujusmodi etiam erat D. Paulus sic disertè professus Act. 20. se nullius aurum aut argentum concupivisse, memor verbi Domini, quoniam ipse dixit. *Beatius est magis dare quàm accipere.* Talis & Moyses qui de se testatur num. 6. *Tu scis*, quòd *nec asellum quidem acceperim ab eis* &c. Hanc igitur ob causam Præfectis & Judicibus sæcularibus, tres Magos offerentes, non accipientes munera Strenæ loco obtuli. Est nihilominùs & alia causa. Nam hi Magi nihil veriti authoritatem & potestatem Herodis liberè & intrepidè interrogant de vero Messia, & nato Rege Judæorum Jerosolymam ingressi, *Ubi est qui natus est Rex Judæorum?* Ita Judex non debet respicere personam & vultum Potentis, aut Principis, quò minùs de veritate sententiam ferat. Debet sese malignis intrepidè opponere pro servanda & tuenda justitia ac publico bono. Eccl. 7. monet Scriptura. *Noli quærere fieri Judex nisi valeas virtute irrumpere iniquos.* Rursum. Sicut Magi non leviter asserunt Regem Judæorum, sed nativitatem ejus confirmant testimonio & indicio stellæ Orientalis, *vidimus*, inquiunt, *Stellam ejus in Oriente;* ita Judex non leviter sententiam ferat, sed videre diligenter debet, an sententia quam fert sit fundata in jure, & possit probari legum testimoniis &c. Nam aliàs frequenter non justum sed iniquum judicium judicaret. Denique hi magi licet essent viri famosi, potentes, & magni, tamen humiliter sese prostraverunt coram nato Puero, *procidentes* enim *adoraverunt eum.* Ita Judex & Præfectus sæcularis colere debet humilitatem monente Scriptura Eccl. 4. *Quantò magnus es, humilia te infra omnes* &c. Denique Magi per aliam viam regressi sunt in regionem suam: Ita Judex relictâ viâ iniquitatis & injustitiæ, de qua scriptum est Ps. 110. *Viam iniquitatis remove à me*, capessere debet viam æquitatis & justitiæ, de qua

de qua Prov. 4. *Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris &c. non habebis offendiculum.* Quam viam si ingrediantur pervenient in *regionem suam* Patriam nimirum cœlestem, quia testatur Propheta Ps. 14. Eum in tabernaculo Domini habitaturum, & in monte sancto ejus requieturum qui *ingreditur sine macula, & operatur justitiam.*

Tertio loco se offerunt *Virgines*, quibꝰ pro Strena dono *cultrũ* quo circumcisus Christus D. cùm enim Virgines se immaculatas corpore & spiritu servare debeant, & nihilominùs pro fragilitate humanæ carnis sæpenumero in illis exurgant mali appetitus, carnales cupiditates, nociva desideria, illicitiq; motus & passiones: debẽt hæc resecare, & rescindere. Debent circũcindere carnales voluptates. Debent Coloss. 6. mortificare *membra* sua quæ sunt *super terram*, ut *non regnet peccatum in mortali* eorum *corpore*, debent castigare corpꝰ suum, & in servitutem redigere, 1. Cor. 9. ut non reprobentur à Domino cupiditatibus victæ, pravisq; inclinationibus, & oblectationibus succumbentes. Quemadmodũ autem carnalis circumcisio fiebat cultro non ferreo, sed lapideo sive acuta petra, ita & virgines in hac spirituali circumcisione utentur operâ & subsidio petræ, quæ verò est Petra nisi Christꝰ D? de quo Paul. 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus.* Per hoc ergo significatur, Virgines in illa sua circumcisione, implorare debere opem & auxiliũ Christi, ut ab eo accipiant virtutem & fortitudinẽ, continentiam ac castitatem: sine ipso enim hæc dona non habẽtur. Hinc Sap. 8. *Ut scivi quoniam aliter continens esse non potui nisi Deus det* &c. Rursum in circũcisione dolorosa effundebatur sangvis quasi in quodam martyrio, ita etiam virginitas Martyrio comparatur, ut enim virginitas servetur illibata, innumeræ difficultates vincendæ sunt, ob quod meritò ebori comparatur, quod cùm natura album sit, nimiâ vetustate rubeum efficitur, ac Martyrio seu effusioni sangvinis assimilatur. Hinc D. Ambr. l. 1 de Virginit. *Non ideò laudabilis virginitas quia in Martyribus reperi-*

reperitur, sed quia ipsa Martyres facit. Quod ergò Sephora circumcidens filium suum dixit Moysi Exod. 4. *Sponsus sanguinum tu mihi es,* hæc quælibet Virgo diu castitatem servans Christo D. jure dicere potest. Quamvis autem virgines multa circumcidere debeant, potissimùm tamen cor & oculos. Cor circumcidêdum est ab immundis & noxiis cogitationibus. Hinc Dominꝰ apud Jerem. 4. *Lava à malitia cor tuum Jerusalem ut salva fias* &c. Et Ps. 4. *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Meminerint Virgines scriptum esse, Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi DEum videbunt.* Et Ps. 23. *Quis ascendet in montem Dei* &c. *Innocens manibus & mundo corde.* Deniq; Prov. 22. *Qui diligit cordis munditiam efficietur amicus Regis.* Oculi verò circumcidendi ab illecebrosis & curiosis rebus hujus mundi, neque cum Dina curiosè volente vidère personas alienigenas turpiter ruere contingat. Gen. 34. De qua sic D. Bern. tract. de grad. humilit. *O Dina, quid necesse est ut videas mulieres alienigenas, qua necessitate, qua utilitate? an sola curiositate? etsi tu otiosè vides, sed non otiosè videris, tu curiosè spectas sed non curiosè spectaris. Quis crederet illam tuam otiosam curiositatem, vel curiosam otiositatem forepost non otiosam, sed tibi, tuis, hostibuq́, tum perniciosam?* Et D. Hieron. ad Eustochium. *Dina egressa corrumpitur. Nolo te sponsum quarere per plateas, nolo te circumire angulos civitatis, foris vagentur virgines stultæ, tu intrinsecùs esto cum sponso. Semper te cubiculi tui secreta custodiant, semper tecum sponsus ludat intrinsecùs* &c. Sihoc virgines rectè observarẽt non tot cum Dina perirent, *nunc autem piget dicere,* ait idem Hieron. *quot quotidie virgines ruant, quantas de suo gremio perdat mater Ecclesia, super quæ sydera inimicus superbus ponat thronum suum?*

Quarto loco statuendæ sunt *Viduæ,* quibus in Strenam offero *Annam Prophetissam Viduam,* de qua legitur Luc. 2. quòd fuerit in diebus multis, & *vixerit cum marito suo annis septem à vir-*

proces-

ginitate sua, & hæc vidua usq; ad annos 84. *quæ non discedebat de templo, in jejuniis, obsecrationibus serviens nocte ac die.* Præclara sanè encomia hujus mulieris viduæ, multæque in ea paucis his verbis denotantur virtutes, quas optarem omnes alias viduas æmulari. Legimus in Deut. cap. 23. Moysen benedixisse Aser, ac inter cæteras benedictiones ejus dici. *Sicut dies juventutis tuæ ita & senectutis tuæ.* Impletur verò hæc benedictio in hac vidua, quæ à juventute usque ad senectam indefessè servivit Domino. En verò viduam de qua Ps. 131 *Viduam ejus benedicens benedicam.* De hac vidua dicitur quòd vixerit cum marito suo, non seorsim facto divortio, nec cum aliis viris, sed cum marito suo. Laudandæ viduæ quæ vixerunt cum maritis suis, non cum alienis. Rursum dicitur, vixisse septem annis cum marito suo à virginitate sua, quo innuitur fuisse virgo cùm nuberet, & incognita viro. Utinam omnes cùm nubunt à virginitate sua nuberent. Sed proh dolor! multæ cum matrimonio junguntur jam non sunt virgines. Commendatur etiam hæc vidua ex eo, quòd plurimis annis in viduitate sua permanserit. Ita & illæ viduæ laudandæ, quæ continenter vivunt, nec ad secundum matrimonium facilè redeunt. Parum enim commendandæ, quæ mox post obitum prioris mariti ad alias nuptias convolant, multò minùs quæ pluribus maritis, successivè nubunt. Narrat D. Hieron. ad Gerontiam de Monogamia rem quasi incredibilem, ut ipse fatetur, sed multorum testimoniis approbatam. *Ante annos,* inquit, *plurimos cùm in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ urbis Episcopum, & Orientis atq; Occidentis Synodicis consultationibus responderem, vidi duo inter se paria vilissimorum è plebe hominum comparata. Unum qui viginti sepelisset uxores, alteram quæ vigesimum secundum habuisset maritum, extremo sibi, ut isti putabant, matrimonio copulatos. Summa omnium expectatio virorum pariter ac mulierum, post tantas rudes,*

quis quem efferret prior. Vicit maritus, & totius urbis populo confluente coronatus, & palmam tenens adoreamq; per singulos sibi acclamantes uxoris multinubæ feretrum præcedebat. Imitari præstat hanc viduam, quàm multinubas illas ac in deliciis viventes viduas. Audi quomodo commendetur fortissima illa castissimaq; vidua Judith cap. 13. *Joachim summus Pontifex de Jerusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Judith, quæ cùm exiisset ad illum benedixerunt eam omnes unâ voce dicentes. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia gentis nostræ &c. Ideò benedicta eris in æternum.* Denique laudatur hæc vidua ex eo quòd non discederet de templo nocte & die serviens DEO. Tales veræ viduæ sunt juxta illud D. Pauli 1. Tim. 5. *Quæ verè vidua est speret in DEum, & instet orationibus & obsecrationibus nocte & die.* Discant ergò omnes viduæ hanc insignem viduam imitari.

Sequuntur quinto loco *Conjugati*, quibus do in xenium insignes illos duos *Conjuges*: *Zachariam & Elisabetham*, Parentes Præcursoris Domini, quorum etiam laus in Scriptura habetur, Luc. 1. *Erant justi ambo ante DEum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Notanter dicitur, ambos fuisse justos, non alterutrum eorum tantùm. Sunt enim multi Conjuges, quorum unus bonus est, alter malus, unus Catholicus altera hæretica aut è diverso. Unus pacificus, altera turbulenta, aut vice versa. Unus ædificat, altera destruit, aut è contrà. Fortunata verò illa sunt conjugia, quando ambo sunt boni, ambo justi, ambo Catholici, ambo pacifici, ambo ædificativi. Beata illa domus in qua uterque conjux ejusdem voluntatis, & unum & idem pari voluntatis consensu exequuntur, ubi enim alter eorum claudicat, & à recto ordine deviat, accidit ut in boum jugo si alter retrocedat & fugiat progrediente altero. *Ambo justi erant.* Gen. 13. Abraham & Sara sancto matrimonii jugo copulati. Ambo orationibus & devotioni intenti. Tob. 7.

Tobias

Tobias & Sara. Ambo Jerosolymam descendunt pietatis ergo Luc. 2. *Secundùm consuetudinem dieifesti*, Joseph. & Maria. Erant etiam ambo justi ante DEum Zacharias & Elisabeth, non tantùm coram hominibus ut Pharisæi, quorum justitia reprobatur dicente Christo Luc. 16. *Nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et alibi Luc. 16. Pharisæis dicit. *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus.* Illud etiam. *Ante Dominum*, significat eos habuisse virtutem undiquaque absolutam & perfectam: cùm enim literæ Divinæ aliquid magnum & excellens significare volunt, usitata phrasi dicunt, *Ante Dominum*, vel, *coram Domino.* Ut Gen. 10. *Robustus venator coram Domino.* Id est. Excellens venator. Et Gen. 13. *Erant Sodomitæ peccatores coram Domino*, id est, maximi, & gravissimi. Ejusmodi perfectam & excellentem virtutem studeant Conjuges imitari. Tertiò commendantur, quòd *erant incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini. Qui enim universam legem servaverit*, Jacob. 2. *offenderit autem in uno factus est omnium reus.* Quid namq; profuerit si omnes alicujus civitatis portæ clausæ fuerint ad arcendos hostes, si vel una pateat, ac reseretur, per quam hostis intret? Quid proderit navem undiq; stipari relictâ unâ duntaxat rimâ, per quam aqua subintret? Oportet igitur omnia mandata custodire ac dicere cum Psalmista. Ps. 118. *Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* O beatos conjuges qui sic universam DEI legem observant, quique B. Virginem audiunt sic monentem Joannis 2. *Quæcunque dixerit vobis facite.* Quartò, dicuntur vixisse *sine querela*, utpote omnibus grati, chari, & amabiles, sic de Moyse legitur Ecclesiastici 45. *Dilectus DEO & hominibus Moyses cujus memoria in benedictione est.* Et de Judith cap. 8. *Erat in omnibus famosissima, quoniam*

Quoniam timebat DEum valdè, nec erat qui de ea loqueretur verbum malum. Et Paulus Rom. 12. Providebat bona non solùm coram DEO, sed etiam coram hominibus. Et rursum 2. Cor. 6. *Nemini dantes ullam offensionem.* Denique Philip. 2. *Omnia facite sine murmuratione, ut sitis sine querela simplices Filii DEI in medio nationis pravæ atq; perversæ.* Discant ergo Conjuges horum exemplo, sic cum omnibus agere & conversari, ut omnibus grati sint ac dilecti, utque nullus de illis loquatur verbum malum.

Sextum locum obtinent *Famuli & Famulæ*, quibus in Strenam do *unum ex novis nominibus novi Regis* Bethleemitici, videlicet Isai. 8. nomen *Accelera.* Vocatus hoc nomine fuit eò quòd mira celeritate promptissimâque obedientiâ opus redemptionis nostræ perfecerit Ps. 18. *Exultavit ut gygas ad currendam viam suam*, scilicet humanæ salutis. Et Cant. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Veniendo* quippe ut ait Divus Greg. hom. 29. *ad redemptionem nostram, quosdam ut ita dicam saltus dedit. Vultis Fratres charissimi ipsos ejus saltus cognoscere? de cœlo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepi venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cœlum.* Festinabat Christus ad sangvinem suum pro humano genere fundendum, sicut cervus desiderat ad fontes aquarum. Hinc ipse dicit Luc. 12. *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor usq; dum perficiatur?* Tam vehemens fuit ejus desiderium patiendi, ut dilatio & mora fuerit ingens pœna, unde in ultima cœna Judæ proditori dicebat Joann. 13. *Quod facis fac citò.* Hanc ergò promptitudinem obediendi Paternæ voluntati, hanc festinam sedulitatem imitentur famuli & famulæ in exequendis mandatis suorum Dominorum. Tales erant servi illius Centurionis Matth. 8. De quibus in Evangelio ita loquitur. *Nam & ego sum homo sub potestate constitutus, habens sub me milites,*

milites, & dico huic vade & vadit, & servo, fac hoc & facit. Talis & ille servus Evangelicus cui Paterfamilias mandaverat ut exiret citò, Luc. 14. in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos & claudos introduceret in domum convivii, qui mox jussa perficiens respondit. *Domine jam factum est ut imperâsti.* Talis & Abrahæ servus erat quem in Mesopotamia miserat Gen. 24. ad quærendam Isaac uxorem, qui in hospitio existens comedere noluit donec loqueretur sermones suos quos in mandatis habebat. Exequantur servi promptâ obedientiâ voluntatem Dominorum, meminerintque scriptum esse Luc. 12. *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se paravit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.* Meminerint servum pigrum & inutilem Matth. 22. ligatis manibus & pedibus projici in tenebras exteriores. Sint Dominis suis in omni timore subditi, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis ut Apost. Petrus monet 1. Petr. 2. Sint *oculi Servorum* semper *in manibus Dominorum suorum* Ps. 122. Et *oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ*, ut Psalmista ait. Cui exhibent se servos ad obediendum servi sint ei, & expectent à Domino Rom. 6. omnis obedientiæ mercedem in cœlesti regno, ubi non jam servi dicentur, sed amici Christi, juxta illud Joan. 14. *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus, sed amicos, quia omnia quæcunq; audivi à Patre nota feci vobis.*

Ultimò se offerunt *Pueri & Puellæ*, quibus pro Strena largior *dulcedinem nominis JESU.* Pueri enim dulcedine gaudent & delectantur. De dulcedine autem nominis JESU, vide quæ diximus 1. Parte Strena 1.

STRENA II.

In qua distribuitur Stabulum Bethleemiticum.

DAbimus nunc Strenas ex sacro Bethleemitico stabulo, eodem ordine quem in præterita largitione tenuimus. Inprimis igitur *Sacerdotali statui* loco Strenæ dono & offero *Præsepe*, tanquam altare in quo Christus D. tanquam vera hostia DEO Patri immolanda jacuit, & tanquam verus cibus Fidelium, non tantum Judæorum, sed & Gentilium. Idem jacuit coram utroque animali, scilicet bove & asino, ut præsignaret se ab utroque populo fido manducandum. Unde pulchrè V. Beda lib. 1. in 2. Lucæ. *Qui panis est Angelorum in præsepio reclinatur, ut nos quasi sancta animalia carnis suæ frumento reficiat.* Accedant Sacerdotes frequenter hoc præsepe Dominicum altare, ut immolent in eo quotidie hanc immaculatam hostiam ut S. Andreas facere solitus fuit, qui sic ad Ægeam Proconsulem in Brev. Rom. *Ego omnipotenti DEO, qui vivus & verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari, cujus carnem postquam omnis credentium manducaverit populus, Agnus qui sacrificatus est, integer permanet.* Hanc offerre hostiam propriè munus est Sacerdotum. Hebr. 5. *Omnis* namque *Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad DEum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Talibus profectò hostiis promeretur DEUS.* Tali oblatione nihil DEO Patri gratius. Quid enim gratius Deo Patri offerri queat, quàm unigenitus Filius atque dilectus Matth. 17. *in quo sibi benè complacuit?* Hoc donum toties ei offertur quotidie, in altari quoties consecratur. Ipse enim Filius est Hostia, altare, offerēs & oblatio. Nō subtrahant

proinde

proinde Sacerdotes Deo tam gratum munus, tam acceptabile donum, tam efficacem hostiam. Sanè si V. Bedæ de Eucharist. credimus. *Sacerdos non legitimè impeditus, celebrare omittens, quantum in eo est, privat SS. Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidio, & gratiâ, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam præstantissimo beneficio, seipsum medicinâ ac remedio.* Faciant quoque Sacerdotes ad altare quod Christus in præsepio. Fudit enim ibi lacrymas more cæterorum infantium. *Vagit Infans inter arcta conditus præsepia*, canit Ecclesia. Et quare obsecro flevit? Flevit non tantùm ut cæteri infantes, qui miseriam & angustias hujus vitæ suo fletu nescientes denuntiant; sed cùm rationis usum plenissimum Christus habuerit, ac ut Luc. 2. Sapientiâ plenus fuerit, flevit ex compassione, deflevit nostras miserias, nostra peccata, nostram captivitatem, nostrum exilium. Sic & Sacerdotes oportet non tantùm sua in altari deflere peccata, sed etiam aliorum, totius scilicet populi, ex Christiana charitate, ac vera compassione. Joël 2. *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent, Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.* Et Jerem 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lachrymarum & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei*, &c. Et rursum Joël 1. *Accingite vos & plangite Sacerdotes, ululate ministri altaris.* Sanè D. Ambrosius lacrymas Sacerdotum arma vocat. *Lacrymæ* inquit, *meæ arma sunt. Talia enim sunt munimenta Sacerdoti, aliter nec possum, nec debeo resistere.* Orat. contr. Auxentium. Imò non solùm ille solitus est flere dum sacrificaret, verùm etiam dum peccatorum confessionem exciperet. Testatur enim de ipso Paulinus in ejus vita. *B. Ambrosius ita solitus est flere, dum in confessione peccata alicujus audiret, ut etiam peccatorem confitentem in lacrymas deduceret: alienos*

ut suos deflebat, &c. Ad instar D. Pauli quem Chrysost. hom. 2. de laud. Pauli testatur magis deflevisse aliena peccata, quàm aliquem propria. Imitentur ergo Sacerdotes hos Dei ministros, imitentur & summum Sacerdotem Christum D. qui non tantùm in altari præsepii, sed etiam in altari S. Crucis lacrymatus est. Hebr. 5. Nam *in diebus carnis suæ preces supplicationesq;, ad illum qui posset illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Rursum, in præsepio fuit Christus pannis involutus: in altari involvitur linteis & albis pannis accidentibus & speciebus Sacramentalibus. Est enim Christi corpus involutum ut quondam gladius Goliath Philistæi quem David occiderat. 1. Reg. 26. *Venit David ad Abimelech, dicitq; ad eum, si habes hic gladium aut hastam ad manum? Cui Sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philistæi quem percussisti in valle therebinthi est involutus in pallio post Ephod. Si illum vis tollere, tolle: Neque enim hic est alius absque eo. Et ait David, non est alter illi similis, da mihi eum.* Hic gladius corporis Christi in altari figura est. Venit Christus decertare cum dæmone ut David cum Philistæo. Sed quo gladio illum jugulavit? certè gladio ipsius proprio, carne scilicet nostrâ, quâ universum pænè mundum prostraverat. Assumpsit Christus carnem nostram, & in ea vicissim ipsum superavit, & caput ipsius abscidit ut David Goliath; sicut ergo in istius egregii facinoris memoriam gladius ille servatus est in sanctuario, involutus pallio post ephod, quod erat ex lino albo: Ita in memoriam facinoris præclari ipsius Christi caro hæc servatur perpetuò in Ecclesia, & in altari involuta accidentibus albis, ac candidis linteis. Utantur Sacerdotes hoc gladio ad gerendum bellum cum dæmone, carne, & mundo. Non est enim alter huic similis ad vincendam omnem tentationem, & ad hostes animarum prosternendos, & victoriam obtinendam.

Magis

Magistratui *Civili* pro Strena dono *ligamenta* quibus bos & asinus alligati fuerunt. Debet enim civilis potestas habere funes suos ac vincula, quibus populum nectant & constringant, ut ad præsepe maneant, id est, ut in Dei domo, seu Ecclesia perseverent, ut templa frequentent, ut missam, conciones, aliaque divina officia audiant, ut in mutua pace, ac concordia vivant, ut non dissolutè ac scandalosè vivant, quemadmodum enim animalia, si non alligentur funibus ac vinculis dissolutè discurrunt, ac limites suos transiliunt, ita populus si non coërceatur & constringatur legibus veluti funibus, transilit limites sibi à Deo præscriptos, committuntur homicidia, patrantur adulteria. Adulteri namque transiliunt ut Eccl. 23. ait. *Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnit animam suam, & dicit, quis me videt?* Statuant ergò Præfecti leges pœnales ne ejusmodi peccata fiant, aut non impunè fiant. Puniant scandalosè viventes in exemplum aliorum, coërceant Reip. perturbatores, injiciant funes & vincula quibus bos & asinus, id est, indisciplinati benè alligentur, & contineantur juxta illud Ps. 31. *In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Et Ps. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Et Prov. 8. *Funibus peccatorum constringitur impius.* Quando enim trahi nolunt *in funiculis Adam* Oseæ 11. nec in *vinculis charitatis*, necesse est ut durioribus & arctioribus vinculis adstringantur. Ita & Christus D. Joan 2. usus est flagello de funiculis, quo ejecit de templo ementes & vendentes, id est, prophanatores templi. Sic & Magistratus Ecclesiasticus habet sua vincula, quibus rebelles & refractarios irretitos tenet, qualia sunt vincula excommunicationum, &c. licet hæc vincula perrumpere conentur dicentes illud Ps. 2. *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum.* Habet ergo sua vincula Magistratus civilis qui per Moysen notatur: habet & Aaron, id est, Ecclesiasticus. Ps. 98.

Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus. Quia verò Moysis mentionem facio, rogo & hortor Judices, ut quemadmodum Christus in sua transfiguratione habuit secum Moysen & Eliam, ita quoque ipsi in sua exaltatione hos duos secum adhibeant, Moysen, id est, misericordiam, & Eliam, id est, justitiã. De Moyse habemus, fuisse eum virum mitissimum & misericordem. De Elia, fuisse eum valdè zelosum pro lege DEI. Unde ipsemet dixit 3. Reg. 19 *Zelo Zelatus sum pro D. DEO exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini, filii Israël.* Servent ergo judices misericordiam & veritatem seu justitiam. *Misericordia* enim *& veritas* Ps. 84. *obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.* Sic, inquam, servent & exerceant justitiam, ut tamen non deglubant nec evisceerent, nec opprimant pauperes. Hinc Eccl. 4. *In judicando esto pupillis misericors.* Sint igitur dicta vincula & funes Magistratui Civili pro Strena, iisque loco & suo tempore utantur. Sed caveant ne ipsi sint de eorum numero de quibus Isai. 5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.*

Virginibus loco Strenæ offero B. *Mariam Virginem.* Hanc ipsis dono tanquam speculum clarissimum quod contemplentur, & illustrissimum exemplum quod imitentur. Imitabuntur autem in ea potissimùm singularem ejus modestiam, seu verecundiam, humilitatem & castitatem. Ad modestiam pertinet, ut sint verbis parcæ, ac sobriæ, in verbis non profluæ, non garrulæ, non leves. *Discant Virgines* ait Ambr. lib. 2. in 1. Luc. *non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria enim in domo sera, in publico festina,* &c. Ut patet cùm iret salutatum Elisabeth. *Exurgens* enim Maria *abiit in montana cum festinatione, & salutavit Elisabeth.* Ubi & eximium humilitatis præbuit exemplum. Unde V. Beda lib. 1. in Luc. *Disce Virgo humilitatem Mariæ, &*

via, ut & corpore casta & pectore posſis esse devota. Visitat junior seniorem, salutat Virgo uxorem. Decet enim ut quò castior Virgo, eò sit humilior, & senioribus deferens habitum charitatis, præconio commendetur humilitatis. Maria ad Elisabeth, Dominus venit ad Joannem, hæc ut Spiritu S. repleatur, illius ut baptiſma consecretur. Majorumq; humiliatio, minorum est utiq; exaltatio. Et conformiter Ambr. lib. 2. in 1. Luc. *Noverit Virgo deferre senioribus, sitq; Magiſtra humilitatis, in qua est profesſio castitatis. Custos Virginitatis* ait Auguſt. lib. de bono Virginit. *est charitas, locus autem hujus custodis est humilitas.* Ibi quippe habitat qui dixit, ſuper humilem faciam requieſcere ſpiritum meum. Cogitent itaque Virgines, humilitatem inprimis esſe neceſſariam, fruſtraque ſe aliis virtutibus ornatas, ſi hæc ſola deſit. *Qui enim ſine humilitate virtutes congregat, quaſi qui in ventum pulverem portat.* Ut ait D. Greg. Moral. 19. c. 17. Et idem dicit. *Omne quod agitur perire, ſi non ſollicitè in humilitate cuſtodiatur.* Adeò neceſſaria eſt humilitas, ut non alia ſit via ad ſapientiam, & veritatis cognitionem perveniendi quàm humilitatis. Sic enim D. Auguſt. ad Dioſcorum. *Non aliam tibi ad capeſſendam & obtinendam veritatẽ viam munias, quàm quæ munita eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorum tanquam DEus, videt infirmitatem, ea autem prima eſt humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas. Et quoties interrogares, hoc dicerem, non quòd alia non ſint præcepta quæ dicantur. Sed niſi humilitas, omnia quæ facimus benè, & præceſſerit & comitetur, & conſecuta fuerit, & propoſita quam intueamur, & appoſita cui adhæreamus, & impoſita quâ reprimamur, jam nobis de aliquo facto bono gaudentibus, totum extorquet de manu ſuperbia.* Hanc ergo tam neceſſariam Virgines amplectantur virtutem, & à Virginum Regina humilitatis Magiſtra exemplum capiant. Cujus humilitas vel in eo lucet, quòd ancillam Domini ſe vocet quæ Dei Mater eligitur, nec repentino exaltata eſt promiſſo. Caſtitatem

tem ejus vel in eo inprimis imitentur, quòd virorum semper fugerit consortium, vitaverit colloquium, imò ad Angelicum sit turbata sermonem, de quo sic Ambr. loc. cit, *Discite virginem moribus, discite verecundia, discite virginem oraculo, discite mysterio. Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressu pavere, omnes viri affatus vereri. Sola erat in penetralibus, quam nemo virorum viderit, solus Angelus repererit.* Breviter, vis videre fasciculum omnium ejus ferè virtutum, audi rursus eundem Ambros. lib. 2. de Virginit. *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitaq; B. Mariæ, de qua velut speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis, licet, exemplum vivendi* &c. Vide in Brev. Decembr. 8. Noctur. 2. lect. 1.

Viduis pro Strena offero *tria munera Magorum*, aurum, thus, & myrrham. Et auro quidem sæpè opus habent utpote multis debitis gravatæ, ut quæ multis subinde ad jus citationibus impetuntur, & sumptuosis litibus sua debent recuperare, vel conservare. Pauperculis proinde viduis optimè conveniret aurum. Sperarem illis non futurum in perditionem ut Simoni Mago Act. 8. Qui pecuniâ volebat comparare dona Spiritûs Sancti. Et consultissimè, piissimèque facerent ditiores si clancularie in ædes paupercularum viduarum aliquam massam auri injicerent, ut S. Nicolaus fecisse legitur in domo cujusdam Civis egeni, qui ob angustiam rei domesticæ tres filias suas nubiles prostituere, earumque pudicitiam traducere cogitabat. Hoc verè esset visitare pupillos Jacob 1. & viduas in tribulatione eorum. Hoc esset honorare viduas, quæ verè viduæ sunt, id est, quæ suorum auxilio destitutæ, quæ manibus suis laborare non possunt, quas paupertas debilitat, ætasque conficit, quibus DEus spes est, & omne opus oratio ut Hieron. loquitur epist. ad Gerantiam. Inveniuntur hodie proh dolor innumeræ, quæ in paupertate conferendæ sunt cum vidua illa Evangelica & pau-

percula

percula, quæ in gazophylacium misit æra duo minuta, quæque ex eo quod sibi deerat, omnem victum suum quem habuit misit. Secundò obtulerunt Magi thus per quod significatur oratio juxta illud Ps. 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Hæc Strena apprimè convenit viduæ, debet enim illa diligenter insistere orationi dicente Apost. 2. Tim. 5. *Quæ verè vidua est instet orationibus & obsecrationibus die ac nocte.* D. Hieron. ad Salvinam scribens de servanda viduitate *Habes tui ordinis viduas quas sequaris. Judith de veteri testamento, & Annam Phanuelis filiam de novo testamento, quæ diebus ac noctibus versabantur in templo & orationibus, atq; jejuniis thesaurum pudicitiæ conservabant. Unde & altera in typo Ecclesiæ diabolum capite truncavit, altera Salvatorem mundi prima suscepit Sacramentorum conscia futurorum; semper ergo in manibus tuis sit divina lectio, & tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, hujusmodi clypeo repellantur.* Tertiò, offerebant Magi myrrham quæ viduis etiam necessaria est. Per Myrrham enim quâ corpora mortuorum conservari solent à putrefactione, significatur mortificatio. Et sanè opus habent vidui & viduæ corporis sui mortificatione, cùm enim aliquando expertæ fuerint carnis voluptatem, difficulter se continent, quin saltem præteritarum voluptatum memoriâ ac morosâ recordatione animas suas fœdent ac commaculent. *Difficile est, quin potiùs impossibile*, ait D. Hieron. *perturbationum initiis carere quempiam, quas significantiùs Græci propatias vocant, nos antepassiones possumus dicere, eò quòd incentiva vitiorum omnium titillent animos, & quasi in meditullio nostrùm sit abjicere cogitata, vel recipere.* Sedulò ergò & studiosè debet mortificare membra sua quæ sunt super terram, strenuèque pugnare ac luctari contra carnis illecebras. Corpus proinde castigent, cilicio dorment, aliaque pœnitentiæ opera subeant.

Talia fecit Venerabilis illa Paula vidua de qua sic Hieron. in epitaph. ejusdem. *Mollia etiam in gravissima febre lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis cilicioli quiescebat, si tamen illa quies dicenda est, quæ jugibus orationibus penè dies noctesq; jungebat illud implens de Psalterio Ps. 6. Per singulas noctes lavabo lacrymis stratum meum, in quo fontes crederes lacrymarum. Ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum ream esse crederes. Cùmq; à nobis crebrius admoneretur, ut oculis parceret & eos reservaret Evangelicæ lectioni, ajebat: Turpanda est facies quam contra Dei præceptum, purpurissâ & cerussâ, & stybio sæpè depinxi. Affligendum est corpus quod multis vacabat deliciis. Longus risus perpeti compensandus est fletu, mollia linteamina & serica pretiosissima asperitate cilicii commutanda: quæ viro, & sæculo placui, nunc Christo placere desidero.* Hanc myrrham viduæ quæ in deliciis vixerunt adhibeant. Nam *cùm luxuriatæ fuerint in Christo* 1. Tim. 5. *nubere volunt.*

Conjugatis pro Strena do *Josephum & Mariam* sanctissimos & castissimos Conjuges, quosque omnes matrimonio junctos imitari velim in pacifica cohabitatione, in mutua concordia, in vinculo charitatis & amoris, in fideli obsequio alterius ad alterum. Multa sunt modò connubia ubi intestinis disfidiis domus scinduntur, ubi frequentes rixæ, contentiones, pugnæ. Ubi maritus insurgit contra uxorem, uxor involat in maritum. Diceres esse domum Socraticam, nisi quòd Socrates multos patientiâ suâ vincat in ferendis uxorum suarum injuriis & improperiis. Narrat siquidem D. Hieron. lib. adv. Jovinian. Socratem duas habuisse uxores Xantippen & Myron neptem Aristidis, quæ cùm crebrò inter se jurgarentur, & ille eas irridere fuisset solitus, quòd propter se fœdissimum hominem, fimis naribus, & recalvâ fronte, pilosis humeris, & repandis cruribus, disceptarent: novissimè in eum vertisse impetum & malè mul-

lè mulctatum fugientemque prosecutas. Quodam autem tempore cùm infinita convitia ex superiori loco ingerenti Xantippæ restitisset, aquâ perfusus immundâ, nihil amplius respondit, quàm capite detersо: Sciebam, inquit, futurum esse, ut ista tonitrua imber sequeretur. Dolendum profectò inter ipsos etiam Christianos & Catholicos tam infausta ac infortunata quàm plurima reperiri conjugia, ubi amor conjugalis & affectus exulant, ubi expulsa charitas, ubi mutuum odium, livor, invidia & zelotypia omnia perturbant: ubi vir est quasi leo in domo sua, evertens domesticos suos & opprimens subjectos sibi, ut Eccl. ait 2. Audiant hi D. Paulum sic salubriter monentem Eph. 5. *Viri diligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ &c.* Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit seipsum diligit. D. Chrysost. hom. 15. ex variis, exponens præceptum illud dilectionis. *Diliges DEum tuum ex toto corde tuo*, pulchrè docet & tradit dilectionem conjugalem. *Ecce si vir habeat uxorem, quomodo cognoscitur uxoris plena dilectio? Uxor neminem debet sapientiorem putare quàm virum suum, & si alter sit sapientior tamen alterum sapientiorem esse, illa intelligere non debet. Uxor neminem fortiorem putare debet quàm virum suum, & si alter fortior, tamen illa intelligere non debet alterum fortiorem. Uxor neminem formosiorem putare debet quàm virum, & si alter formosior sit, tamen coram oculis ejus alter formosior apparere nõ debet. Perfectũ enim odium, & perfectus amor verum judicium non cognoscit. Ut puta, si perfectè oderis aliquem, qualiacunq; fuerint, omnia tibi displicent, sive quæ loquitur, sive quæ agit, & si sint bona tamen tibi videntur mala. Sic & si perfectè aliquem amas, quacunq; sunt apud eum, tibi placent, sive quæ loquitur, sive quæ agit, & si sint mala, tamen tibi bona videntur. Ergò si uxor videns aliquem dixerit, quàm sapiens*

vir, utinam vir meus talis esset, jam amor ejus minus habet aliquid de perfecto amore. Et pro quanta parte aliquid laudaverit amplius in altero viro quàm in suo, tantò dilectio minor est ad virum suum. &c. Sit ergo talis inter Conjuges amor & affectus.

Servis, & *Ancillis*, & *Adolescentibus* do *Christum D.* diversimodè consideratum, his ut Puerum, illis ut *perfectioris ætatis*. Non sint servi & ancillæ dejecto animo ob conditionem servilem, nec tædeat eos laborum & vilium operum, quæ subinde præstare debent, cogitent illud Christi Matth. 20. *Non est servus major Domino suo. Filius enim hominis non venit ministrari sed ministrare.* Nec est dedignatus lavare pedes discipulorum suorum more servorum præcinctus, ne quidem proditoris Judæ unà cum aliis recumbentis. Rursum Luc. 12. *Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus invenerit vigilantes* &c. Et iterum Luc. 22. *Quis major est qui recumbit, an qui ministrat*: &c. Hinc aliquoties in Scriptura Sacra Christus omnium Dominus servi nomine vocatur. Ut apud Isai 42. Ubi Pater cœlestis sic loquitur de Filio suo. *Ecce servus meus, suscipiam eum, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet*, Et Isai. 49. *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & feces Israël convertendas*, &c. Et Zach. 3. *Ecce ego adduco servum meum Orientem.* Denique conqueritur Dominus apud Isai. 34. & expostulat graviter adversùs Judæorum ingratitudinem. *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Uti & apud Ps. 87. *Ego autem in laboribus à juventute mea.* Hâc igitur consideratione solabuntur servi & ancillæ laborum suorum tædia.

Pueris verò & Adolescentibus proposui eundem *Christum infantem*, ut ejus vitam & mores à pueritia imitari discant. Discant frequentare templa, ut Puer JEsus ascendit cum Parentibus suis Jerosolymam secundùm consuetudinem diei festi, cùmq;

cùmque à Parentibus fuiſſet perditus, ab iisdem inventus eſt, nõ in tabernis, non in plateis, non in ſuſpectis locis, ſed in templo, in medio Doctorum. Diſcant obedire Parentibus ſuis, ut Puer JEſus obediens erat & ſubditus Mariæ Matri ſuæ & Joſepho, cùm tamen eſſet verus DEus. Unde non ſine magna admiratione ſic loquitur S. Bern. hom. 1. ſuper Miſſus. *Quis? quibus? DEus hominibus, DEus, inquam, cui Angeli ſubditi ſunt, cui Principatus & Poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ, nec tantùm Mariæ, ſed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrum libet & elige quid ampliùs mireris, ſive Filii benigniſſimam dignationem, ſive matris excellentiſſimam dignitatem, utrinq; ſtupor, utrinq; miraculum. Et quòd DEus fœminæ obtemperet, humilitas absq; exemplo; & quòd DEO fœmina principetur, ſublimitas ſine ſocio. Diſce nunc ô homo obedire, diſce terra ſubdi, disce puluis obtemperare. Erubesce ſuperbe cinis. DEus ſe humiliat, & tu te exaltas. DEus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis authori? utinam mihi tale aliquid aliquando cogitanti Deus reſpondere dignetur, quod & ſuo, increpando, reſpondit Apoſtolo. Matth. 16. Vade, inquit, poſt me Sathana, quia non ſapis quæ ſunt Dei. Quoties me hominibus præeſſe deſidero, toties Deum meum præire contendo, & tunc verè non ſapio ea quæ ſunt Dei. De ipso namq; dictum eſt. Et erat ſubditus illis.* Deniq́ue de Puero JEſu dicitur in Evang. Luc. 2. *Puer autem crescebat & confortabatur, & gratia Dei erat in illo.* Et iterum. *Jesus proficiebat ſapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.* Conentur omnes pueri & adoleſcentes progreſſum facere in pietate, ſapientia, & gratia, timore Dei &c. A primis juſtitiæ rudimentis ſemper oportet progredi ad perfectiora, quemadmodum enim corpus habet actus ſuos, quousq́; ad perfectum ſtaturæ modum, perfectasq́ue vires deveniat, ita & pietas incrementa habet, donec perfectionem attingat, & plenitudinem Chriſti. Grandis fit Chriſtus in nobis & adoleſcit

cùm perfectionem acquirimus, cùm jam relicto carnalis sensûs lacte solidum cibum appetimus, cùm relictis & neglectis terrenis ad cœlestia aspiramus. Crescite ergo cum Puero JESU, crescite cum Samuele de quo Scriptura 1. Reg. 2. *Puer Samuel proficiebat atq; crescebat, & placebat tam Deo, quàm hominibus.* Proficite cum Davide, de quo 2. Reg. 3. *David erat proficiens & se ipso robustior.* Ne igitur semper pueri simus, sed quotidie in melius proficiamus. *Semper*, inquit, August. serm. 15. de verbis Ap. *tibi displiceat quod es, ut possis pervenire ad id quod nondum es, ubi tibi placuisti, ibi rem amisisti. Si autem dixeris, sufficit, etiam periisti. Semper ambula, semper profice, semper adde, noli in via remanere, remanet qui non proficit.* Et D. Leo serm. 2. in Quadrag. *Ibi incidunt homines in deficiendi periculum, ubi proficiendi deponunt appetitum.* Dicite ergò cum Paulo 1. Cor. 13. *Cùm essem parvulus loquebar ut parvulus, cùm verò factus sum vir, evacuavi quæ sunt parvuli.* Rogate DEum ut assiduè crescatis in gratia, & cognitione Domini nostri & Salvatoris JEsu Christi, ut D. Petrus monet 2. Petr. 3. Rogate cum D. Paulo Ephes. 3. *Ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum ejus in interiorihomine.* Ite Ps. 83. *De virtute in virtutem*, ut postea videatis DEum Deorum in Sion, ut occurratis ei *in virum perfectum* Ephes. 4. *in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

STRENA III.

De Septem Donis Spiritûs S. in figura Columbæ.

DIstributurus Strenæ loco dona septem Spiritûs S. quæ requieverunt super hunc Regem novum ut Isai. 11. testatur. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet,*

det, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectûs: spiritus consilii & fortitudinis: spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini. Cùmq; Columba typus sit Spiritûs S. habeatq; etiam septem proprietates seu conditiones, eas quoque breviter applicabo dictis Spiritûs S. donis. Proprietates columbæ sunt istæ. 1. Quòd lympidis gaudeat aquis. 2. Quòd vivos horreat lumbricos, mortuos edat. 3. Quòd dum serpentes metuit evolat in altas rupes. 4. Quòd compare suo amisso turtur seu columbus sylvester nihil agat nisi gemat. 5. Quòd felle careat. 6. Quòd è pluribus granis meliora & candidiora eligat. 7. Quòd Domino valdè fructificet.

Sacerdotibus igitur opto pro convenienti Strena donum intellectûs, horum est enim intelligere, interpretari, docere Scripturas, quod donum illi Sacerdotes nondum acceperant, de quibus dicitur in Evangelio *nondum sciebant Scripturam* Joan. 20. *quia oportebat Christum resurgere à mortuis.* Et alibi Matth. 15. *Et vos adhuc sine intellectu estis.* Hi tamen hoc dono præditi esse debent. Nam dicit Eccl. 8. *Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientum &c. ab ipsis enim disces sapientiam & doctrinam intellectûs.* Hoc donum habebat Timotheus ad quem sic 2. Tim. 12. *Intellige quod dico, dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.* Sacerdotum ergò est, amare scientiam scripturarum, ut carnis vitia non ament, ut Hieron. loquitur. Amare libros ne ament liberos. Eorum enim est plùs scire & intelligere præ cæteris, ut alios doceant, & informent Malach. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam & legem ex ore ejus requirent.* Et rectè. Sanè opus est intellectu in sacrarum literarum lectione, sunt enim illæ multis locis difficillimæ intellectu, licet hæretici aliud de illis dicant. Nunquid enim dicit D. Petrus 2. Petr. 3 In epistolis Pauli esse quædam *difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & scripturas cæteras ad ipsorum perditionem.* An non in Actibus

bus Apost. Act. 8. Eunuchus cùm legeret Isaiam Prophetam interrogatus à Philippo. *Putasne intelligis quæ legis?* respondit. *Quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi?* Audi quid censeat D. Aug. epist. 3. *Tanta Christianarum profunditas literarum ut in iis quotidie proficerem, etsi eas solas ab ineunte pueritia usq; ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio, addiscere conarer.* Et alibi 12. Confess. 14. *Mira profunditas eloquiorum tuorum Domine, mira profunditas, Deus meus. Horror est intendere in eam: horror honoris & tremor amoris.* Hinc D. Chrysost. in 1. Joann. *Primùm nobis curandum est, & omni studio invigilandum, ut sacrarum Scripturarum profundum inspicere possimus, quarum sensus nunquam deprehendemus oscitantes, &c.* Et D. Hieron. ad Paulin. *Quanti hodie putant se nosse literas, & tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reseraverit, qui habet clavim David. Qui aperit & nemo claudit, qui claudit & nemo aperit. Ego, ut de me loquar, nec sanctior sum Eunucho Act. 8. nec studiosior, qui de Æthyopia, id est, de extremis mundi finibus venit ad templum, reliquit aulam regiam, & tantus amator legis divinæq; scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo legeret literas sacras, & tamen cùm librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, linguâ volveret, labiis personaret, ignorabat tamen quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit JEsum, qui clausus in litera latebat.* Et post pauca. *Hæc à me breviter perstricta sunt, ut intelligeres te in Scripturis sacris sine prævio & monstrante semitam non posse ingredi.* Et paulò post graviter conqueritur *passim omnes sibi vendicare artem scripturarum, eamq; docere antequam didicerint, cùm tamen cæteræ artes absq; Doctore & prævio monstrante non discantur.* Quæ cùm ita sint, an non meritò Sacerdotes clamare & orare debent cum Regio Propheta, Ps. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Da mihi intellectum & discam mandata tua.* Et rursum. *Revela oculos meos & considerabo mirabilia tua.* Ut ergo Sacerdo-

tes

tes verum intellectum S. Scripturæ aſſequantur, debet *voluntas* eorum Pſ. 1. *eſſe in lege Domini*, & in eadem meditari die ac nocte. Debent eandem frequenter ruminari ac maſticare. Debent cum Propheta Ezech. 3. volumen illud comedere. Debent orationibus inſtare quibus petant illuminari dicentes iterum cum Pſ. 118. *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificationes tuas.* Meminiſſe quoque debent ſaluberrimæ iſtius monitionis D. Auguſt. ſic ſcribentis in Joann. tr. 2. *Omnia quæ leguntur in Scripturis ſanctis ad inſtructionem & ſalutem noſtram oportet audire, maximè tamen memoriæ commendanda ſunt, quæ adversùs hæreticos valent plurimùm.* Diſcent hæc omnia, & practicabunt exemplo columbæ, quæ ut dixi, limpidis gaudet aquis, ut in iis clariùs ſpeculari poſſit vulturum & milvorum ſupervolitantium umbram & imaginem, ac tempeſtiviùs ſibi proſpiciat loca tutiora petendo. Ita, inquam, Sacerdotes affici debent, & gaudere aquis Scripturarum, tanquam fluentis quibusdam ac ſinceris fontibus, & in illis frequenter ſpeculari ut ſibi proſpiciant contra milvos ac vultures, id eſt, contra hæreticorum inſidias, fraudes, corruptelas, argutias, &c.

Sæcularibus Dominis fero in Strenam donum *Sapientiæ*, hoc enim ipſis admodum neceſſarium eſt, ut populum prudenter regant, & ſalutares leges ferant, ut benè meritos præmiis ac honoribus afficiant, ut malefactores ac Reipub. perturbatores plectant, ut juſtitiam rectè adminiſtrent. Si namque prudentia & ſapientia iis defuerit, facilè incident in illam damnationem. Iſai. 8. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Nihil tunc judicant rectâ ratione, ſed omnia corrupti judicii opinione metiuntur: ex quo efficitur, ut mentis cæcitate impediti nomina rerum mutent, virtuti vitii nomen imponentes, vitium verò virtutem appellantes, id eſt, vel bonos impro-

improbantes, malos verò laudantes, juxta illud Prov. 7. *Qui justificat impium & qui condemnat justum, abominabilis est uterq; apud DEum.* Cùm viri justi sit, optimos laudibus extollere, & benevolentiâ prosequi: homines verò impios non solùm non laudare, sed etiam odio habere, non quatenus homines sunt sed quatenus iniqui, ut non DEI opus detestetur, sed hominis malitiam; non quod fecit DEus sed quod fecit homo. Hoc enim odium non contrariatur amori proximi, imò cum charitate maximè cohæret. Rex enim David in eo Psalmo, in quo pollicetur se Regis optimi officio functurum, ita inquit. Ps. 100. *Facientes prævaricationes odivi.* Et in alio Psalmo 88. *Nonne, qui te oderunt oderam, & inimici facti sunt mihi?* Et in alio Psalmo 14. Ubi viri justi qualitates describit, ita ait. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem DEum glorificat.* At depravati homines corrupto judicio & cæco impetu agitati omnia pervertunt, viros doctrinâ & pietate excultos vituperant & maledictis lacerant, amentes autem & scelerum maculis respersos ac notatos laudibus extollunt: optimos pœnâ afficiunt, & sceleratos immunes dimittunt. Ita fecerunt illi corruptissimi & iniquissimi Judices Matth. 27. qui Barabbam seditiosum homicidam ac latronem dimiserunt, Christum verò sanctissimum & innocentissimum ad mortem vocaverunt. An non ergò Judicibus & Præfectis sapientia est necessaria, ut rectè, justè, ac discretè omnia decernant, exequanturque? An non hanc magis, quàm aurum, argentum, & vitrum, divitias, vel honores optare sibi ac comparare debent? Quod non ignorans Salomon, cùm Præfectus esset ac Judex super populo Israëlitico constitutus, non perituras divitias, nec fugitivos honores sibi postulavit, non vitæ longitudinem, non inimicorum suorum stragem ac mortem, sed tantùm sapientiam quâ dignè populo suo præesse posset, salubriter imperare, ac regere. Audiamus verba Scri-

pturæ

pturæ 3. Reg. 3. *Dominus DEus meus* &c. Hæc verò ejus sapientia paulò post eluxit ac se manifestavit 3. Reg. 3. in judicio duarum Meretricum secum altercantium super oppresso mortuoque filiolo. Hanc prudentiam & sapientiam si omnes Judices possiderent, & Provinciarum rectores ac gubernatores, non eviscerarent nec degluberent miseros ac pauperiores, sed humanè, benignè, ac misericorditer eos tractarent. Hanc discant exemplo etiam columbæ, quæ cùm vermes aut lumbricos in esçam quærit, non vivos devorat, sed mortuos quos invenit.

Virginibus pro Xenio defero alterum donum Spiritûs S. nimirum *fortitudinem*. Hæc enim illis valdè est necessaria, cùm enim quotidie pugnare debeant contra carnem, vitia, 1. Petr. 2. *ac desideria quæ militant contra animam*, cùm etiam non rarò tam graviter oppugnentur, ut difficulter resistere posse videantur tentationibus, sitq; non parvum succumbendi periculum, quid iis magis necessarium quàm Spiritûs S. fortitudo quâ difficultates omnes superare queant, & in periculoso hoc, duroque certamine victores evadere? SiD. Augustino credimus de honestate mulier. cap. 3. *Inter omnia Christiana certamina sola dura sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, rara victoria.* Testantur hoc quàm plurimarum virginum lapsus ac ruinæ. Est enim *pudicitia virginalis res tenera ac fragilis, quæ ut Hieron. ait quasi flos pulcherrimus citò ad levem marcescit auram, levique flatu corrumpitur, maximè ubi ætas consentit ad vitium.* Et in ep. ad Salvinam. *Quamdiu hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, & concupiscit spiritus adversùs carnem, & caro adversùs spiritum, nulla est certa victoria*, &c. Tantò igitur bellum hoc difficilius, quantò hostis contra quem dimicamus, magis internus. Matth. 10. *Inimici hominis domestici ejus. Facilè aliis caremus vitiis*, ait Hieron. ad Eustoch. *Hic hostis nobis incluſus est, quocunq; pergimus nobiscum portamus*

inimicum. Unde magnarum hic vigor mentium est, grandis virtutis & sollicitæ diligentiæ, superare quod nati sumus in carne, præter carnem vivere, nobiscum pugnare quotidie, & inclusum hostem centũ Argi oculis observare. Hinc etiam victoria hujus belli maximè est glorioſa. Nam ut D. Cypr. ait de bono pudicitiæ. *Nulla major est victoria quàm quæ de cupiditatibus refertur. Qui hostem vicit fortior fuit, sed altero, qui libidinem repressit, seipso fortior fuit: qui inimicum prostravit, externum hostem percussit, qui cupiditatem repressit, hostem domesticum superavit. Malum omne facilius vincitur quàm voluptas. Quia illud quidquid est, horridum est, hæc blanda est, nihil tam difficilè opprimitur, quàm quod per illud armatur.* Quandoquidem ergò hoc virginale bellum laborioſum & periculoſum, induant hanc armaturam Spiritûs S. ſcilicet fortitudinem, audiant & faciant quod Spiritus S. monet, *Estote fortes in bello.* &c. Hebr. 1. Rogent cum Samſone Judic. 16. & invocent Dominum. *Domine DEus memento mei & redde mihi fortitudinem priſtinam.* Dicant cum Davide Pſ. 58. *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam.* Non enim exiſtimare debent ſe, ex ſe ſatis fortes ad vincendum, & de hoſte triumphandum, ſed humiliter confiteri ac clamare debent, Pſ. 42. *Tu es DEus fortitudo mea.* Deniq; victoriam non tam ſibi, quàm ei à quo fortitudinem acceperunt adſcribere debent. Ita feciſſe legitur invicta illa virgo B. Sara de qua Tympius in loc. comm. verb. *Humilitas.* Cùm enim hæc virgo in carnalis laſciviæ bello per annos tredecim victrix ſemper evaderet, acriusq; tandem à dæmone impugnaretur, ut vix poſſet reſiſtere aut ſuſtinere, invocato Sponſi ſui Chriſti auxilio tum quoque triumphavit. Diabolus verò eidem cedendo victoriam, victoriæ palmam ſubtili ſtratagemate tentabat eripere, dum ei apparens, latusque ſtimulo inanis gloriæ petens, dicebat. *Viciſti me Sara, viciſti.* Sed ipſa, quâ oportebat arte, proditoriam ipſius eludens ſicam, ac prudens, ut David Saulis ha-

lis haſtam declinans 1.Reg. 19. ei quod oportebat reſpondit. *Non ego te vici ſed Dominus meus JEſus.* Ut verò ſe fortiter in hoc quotidiano bello gerant, nec tædio diuturni certaminis affecti ſtationem ſuam deſerant, ſtatuant ſibi ob oculos præmia futuræ vitæ, & ſingularia privilegia quæ poſt victoriam obtinebunt. *Egredere pauliſper* inquit D. Hieron. ad Euſtoch. *de carcere, & præſentis laboris, finge tibi mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit,* &c. Cogitent ſe laureolâ virginitatis coronandas ubi legitimè certaverint, ſecuturas in cœlo, Apoc. 14. Agnum quocunque iverit, & cantaturas canticum novum quod nemo alius cantare poterit. Ut autem omnia quæ dicta ſunt faciliùs exequantur, imitentur etiam columbam, cujus eam eſſe diximus conditionem, ut ſi ſerpentem, milvum, aut nocivum aliquod animal conſpexerit, mox in altum evolat. Ita virgines cùm diabolus, caro aut mundus ad malum ſollicitat, inſidiasque ſtruit caſtitati, protinus oratione, & meditatione in cœleſtia conſcendant, & in firmiſſima gratiæ divinæ rupe, ac foraminibus petræ, ſcilicet, vulneribus Chriſti deliteſcant, dicentes cum Propheta Pſ. 13. *In DEO ſperavi, non timebo quid mihi faciat caro.* Et Pſ. 42. *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?* &c. Et Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Viduis in Strenam aliud offero donum Spiritûs S. nimirum *conſilii* intrinſecè & extrinſecè. Cùm enim maritalis deeſt authoritas, cujus umbra uxoris eſt tutamen, ut D. Hieron epiſt. ad Salvinam loquitur. Unde maritis deſtitutæ plerumq; vexantur & opprimuntur, varias injurias pati coguntur, quia defenſore carent: multis difficultatibus involvuntur, quibus ſe extricare non valent, adeò ut in omnibus illis anguſtiis, litibus, ſalubri egeant conſilio, quo juvari poſſint & in paupertate levari. In tali afflictione conſtituta erat illa vidua, de qua legitur 4. Reg. 4. Mulier quædam de uxoribus Prophetarum clamabat ad Eliſæum di-

um dicens. *Servus tuus vir meus mortuus est, & ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. Cui Elisæus. Quid vis ut faciam tibi? Dic mihi quid habes in domo tua? & illa respondit, non habeo quidquam ancilla tua in domo mea, nisi parum olei quo ungar*, &c. Vides, quomodo suo consilio S. Propheta hanc pauperculam viduam juverit. Simile quid legitur in Act. Apost. cap. 6. Ubi Scriptura sic dicit. *Crescente numero factum est murmur Græcorum adversùs Hebræos, &c.* Hìc iterum vides viduas bono consilio Apostolorum adjutas & promotas. Tu quoque similiter fac. Si non vales pauperculis & afflictis viduis opem ferre, dando pecuniam, eleemosynam &c. assiste eis consilio, consolando eas, & verbis apud ditiores commenda, & dic cum B. Virgine Joann 2. *Vinum non habent.* Imò, *panis in domo non est, neq; vestimentum*, ut Isai. 3. quidam queruntur. Quod si non feceris, talentum non rectè expendisti. Dicit namque D. Greg. hom. 9. eos qui familiaritatis locum apud divites meruerunt, si nihil pro indigentibus loquantur, pro talenti retentione damnari. Sanè Christus D. luculentè nobis exemplo suo ostendit, quomodo afflictis viduis compati debeamus, cùm blandis & consolatoriis verbis viduam Civitatis Naim funus deplorantem Filii sui Joann. 7. sic alloqueretur. *Noli flere*, viduarum namq; lacrymas, & gemitus præterire ac negligere non solet. Ecc. 35. *Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitûs. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? à maxilla enim ascendunt usq; ad cœlum, & Dominus exauditor delectabitur in illis.* Et Psalmista Ps. 145. *Dominus custodit advenas, pupillum & viduam suscipiet.* Inter omnia Judæorum peccata, ob quæ DEus olim contra eos graviter & minanter expostulabat, non infimum erat, quòd pupillos & viduas negligerent. Audi Dominum Jer. 5. *Causam viduæ non judicárunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non*

non judicaverunt nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea? Rursum apud Isai. 1. *Pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos, propter hoc ait* D. DEUS *exercituum. Heu consolabor de hostibus meis & vindicabor de inimicis meis.* Et ibidem sic adhortatur eos. *Quærite judicium, subvenite oppresso, defendite viduam, & venite, & arguite me dicit Dominus &c.* Magna erat crudelitas istius Judicis DEUM non timentis, & hominem non reverentis, ad quem vidua quædam civitatis veniebat, dicens Luc. 18. *Vindica me de adversario meo.* Qui tamen per multum tempus nolebat, nisi tandem ob nimiam ejus importunitatem & molestiam, non ex compassionis affectu. Tales proh dolor, hodie plurimi sunt qui aures obturant ad viduarum clamores & lacrymas, & querulis vocibus earum, nec molliuntur, nec flectuntur. Quia verò lachrymarum & gemituum viduarum mentionem fecimus, meminerint columbæ seu turturis, quæ amisso compare, sæpe gemit, & gemebundam vocem edit. Unde illud Cantic. 2. *Vox turturis audita est in terra nostra.* Diximus enim suprà, inter alias columbæ conditiones etiam esse, quòd viduata & orbata socio, quasi indesinenter gemat, producant & illæ in mortuos maritos lacrymas Eccl. 38. Et *quasi dura passa incipiant plorare.* Ne tamen contristentur *sicut cæteri qui spem non habent.* 1. Thess. 4. Non enim mortui sunt mariti, sed dormiunt in terræ pulvere, excitandi aliquando, & resuscitandi in novissimo die.

Conjugatis offero pro Strena donum pietatis, *Pietas ad omnia utilis est.* Dicitur 1. Timoth. Est enim Conjugatis necessaria pax, concordia mutua inter ipsos, & erga proles pietas & charitas. Pietatem in conjugio requirit Apost. 1. Tim. 2. *Mulieres in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, pietatem promittentes per bona opera.* Loquitur au-

tur autem Apoſt. de Conjugatis, nam paulò poſt ſubjungit. *Docere mulierem non permitto, neq; dominari in virum &c.* Et ideò quemadmodum idem Apoſt. myſterium Incarnationis, quod eſt ſpirituale quoddam connubium inter Chriſtum & humanam naturam, vocat, magnum pietatis Sacramentum. 1. Tim. 3. Ita & matrimonium poteſt vocari magnum pietatis Sacramentum. De quo idem Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Sint ergo Conjuges pii in DEum, & in ſæculari ſua religioſam ducant vitam, ut exemplaria ſint virtutum & bonorum operum. Sint de numero eorum de quibus D. Greg. *Sunt multi ſæculares homines, qui etiam imitandum aliquid habent de actione virtutis.* Sint tales, qui primò quærant *regnum DEI & juſtitiam ejus*, Matth. 6. ut *cætera illis adjiciantur.* Audiant frequenter divinum officium, ſæpè confiteantur, communicent, aliaq; pietatis officia & exercitia diligenter exerceant. Hæc pietas fundamentum eſt pacis & concordiæ domeſticæ, quæ multa ſecum bona trahunt. *Quando enim concordia & pax, & vinculum dilectionis cum muliere & viro fuerit*, inquit D. Chryſoſt. hom. 38. in 16. Gen. *omnia ſimul affluunt bona, & nullis inſidiis expoſiti ſunt, magno & inexpugnabili quodam muro circumdati ſuâ juxta DEI præceptum concordiâ. Hoc, ferro eos fortiores reddet, hoc omnibus divitiis & abundantiâ magis locupletabit. Hoc ſupernam gloriam eis conferet, hoc & DEI benevolentiam ubertim eis conciliabit. Proinde oro, ſic omnia agamus & faciamus, ut tranquillitas & pax ſit cohabitantibus. Tunc enim & filii qui naſcuntur, virtutem ſequentur, quos imitabuntur & ſervi, & undequaq; domus virtute florebit, eritq; multiplex rerum proſperitas. Quando enim Divina præferimus juxta illud. Primum quærite regnum Dei &c. Matth. 6. facilè alia omnia nobis proſperè ſuccedent, & nihil difficile putabimus, ſuppeditante nobis omnia largiter Divinâ gratiâ.* Porrò qualis debeat eſſe hæc concordia, amor, & affectus

ctus conjugalis in pietate fundatus, vel ipse annulus pronubii declarat. Inprimis enim annulus pronubus est unus, quo significatur amorem conjugalem debere esse inter unum & unam, juxta illud. Matth. 19. *Masculum & fœminam creavit eos.* 2. Annulus ille est ut plurimùm aureus aut saltem deauratus, quo innuitur amorem conjugalem excedere debere quemlibet alium inter homines amorem, juxta illud. *Propter hæc dimittet homo Patrem & Matrem & adhærebit uxori suæ.* Multò magis alios. 3. Annulus est figuræ circularis, quo indicatur stabilitas & perpetuitas amoris conjugalis Prov. 17. *Omni tempore diligit qui amicus est.* Insuper annulus pronubus inseritur digito proximè minimo sinistræ manûs. Ratio est, quia vena quædam à corde pergere dicitur ad digitum istum, quo significatur amorem conjugalem esse debere cordialem, juxta illud 1. Joann. 3. *Filioli non diligamus verbo, sed opere & veritate.* Deniq; annulus ille deponi non potest à semetipso, sed ab altera manu, quo declaratur conjugium dissolvi non posse, nisi per mortem alterius conjugum. *Quòd* enim *DEus conjunxit* Matth. 19. *homo non separet.* At verò quod deplorandum est, jam invenire est quàm plurimos conjuges divortio separatos: jam invenire est plurimos maritos non magis concordes quàm canes & teles. Jam invenire est plurimos Maritos Uxores suas cædentes, verberantes, vulnerantes &c. Cùm tamen nullum sit vel esse debeat tam magnum peccatum quod ad verberandum uxorem instigare debeat maritum juxta doctrinam S. Chrysost. hom. 26. in 1. Cor. 10. *Et vos Viros illud admoneo, quòd nullum sit tam magnum peccatum quod ad verberandum uxorem vos compellat, & quid uxorem dico? ne servam quidem verberare & manus in eam injicere viro libero esset tolerandum. Quodsi servam verberare viro maximæ ignominiæ est, multò magis contra Liberam dextram extendere, & hoc ab Gentium legum latoribus cognoscere possumus, qui, quæ vapulaverit, non amplius eam cum marito habitare cogunt, utpote qui indignus*

sit, ut cum eo ampliùs consuetudinem habeat. Etenim summa injuria est, vitæ sociam, & in rebus necessariis sibi antea conjunctam, tanquam mancipium ignominiâ afficere. Ideò ejusmodi virum, siquidem vir potiùs appellandus quàm fera, & parricidæ, & matricidæ similem esse dixeris, nam si Patrem & Matrem uxoris gratiâ relinquere præcipimur, ut non injuriam eis faciamus: sed divinam legem impleamus, quonam pacto non ultimæ dementiæ est, eam contumeliâ afficere, propter quam Parentes dimittendos DEus præcepit? &c. Colant igitur omnes Conjuges pietatem amoris & concordiæ fundamentum. Hoc etiam discent exemplo columbæ, cujus eam diximus esse conditionem & naturam ut felle & amaritudine careat, præsertim fœmella, ita & Conjuges felle amaritudinis, rancoris, maleuolentiæ, iracundiæ, careant, & pacem, amorem, pietatem, & affectum Conjugalem conservent. Sequuntur sexto loco *servi & ancillæ*, & septimo *pueri seu adolescentes*, illis loco Strenæ fero donum *scientiæ*; his autem Timoris Domini! *Servus* convenit scientia, debent enim scire ac cognoscere voluntatē Domini sui, nec tantùm scire & cognoscere, sed etiam facere & adimplere. *Servus* enim *sciens voluntatem Domini sui & nō faciens, vapulabit multis.* Vide Luc. c. 12. Sic accidit infideli illi & pigro servo in Evangelio, ubi sic legitur Matth. 25. Accedēs servus qui unum talentum acceperat, ait: Domine scio *quia homo durus es, metis ubi non seminâsti, & colligis ubi non sparsisti &c. Ecce habes quod tuum est. Respondens autem Dominus, dixit illi. Serve nequam &c. Tollite ergo ab eo talentum &c. Et inutilem servum projicite in tenebras exteriores.* Nec obstat quod Christus dicat Joann. 15. *Servum nescire quid faciat Dominus ejus.* Quia eo tantùm significare voluit: Servum ut plurimùm nescire secreta consilia Domini sui, sed tantùm scire, quid sibi Dominus faciendum imperet. Unde hinc potiùs confirmatur quod diximus, quàm contrarium asseratur. Conentur servi tales esse, quales ad se adduci

duci præcepit Nabuchodonosor Rex, Dan. 1. Nempe *in quibus nulla esset macula, eruditos omni sapientiâ, cautos scientiâ, & doctos disciplinâ* &c. Aut saltem, discant scire, quid faciendum, quid omittendum sit, quid bonum, quid malum, quid eligendum, quid repudiandum, quid sanum vel integrum, quid illicitum, quid Catholicum, quid Hæreticum, ut sciant *reprobare malum, & eligere bonum*, Isai. 7. Hoc facient exemplo columbæ, cujus ea est conditio, ut dum pabula vel plura grana illi objiciuntur, seu objecta reperit, candidiora & puriora seligit, nigricantibus postpositis & relictis. Sic inquam faciant servi cùm incidunt in varios Heros, quorum hi Catholici isti Hæretici sunt, dum hic catholicam audiunt doctrinam, illic obtrusa dogmata Hæretica: dum apud quosdam incorruptè vivitur, apud alios dissoluta liberiorq; vita permittitur: adhæreant puritati & veritati Romanæ Catholicæ & Apostolicæ doctrinæ, contemptis, neglectis & repudiatis hæreticorum falsis doctrinis, & perversis suggestionibus: æmulentur virtutes conculcatis vitiosis moribus, adhæreant bonæ societati noxiam relinquendo.

Pueris autem & Adolescentibus est necessarius. *Timor Domini* Eccl. 1. *Initium sapientiæ timor Domini.* Et Prov. 15. *Per timorem Domini declinat omnis à malo*, Et Eccl. 23. *Nihil melius est quàm timor Dei.* Et Eccl. 2. *Fili accedens ad servitutem DEI, sta in timore.* Hic inquam timor DEI à pueritia docendus est, & inculcandus à Parentibus, ut fecisse legitur Tobias senior Tob. 1. Filium enim suum ab infantia docuit timere DEum, & abstinere ab omni peccato. Sic &, Dan. 13. Susannæ castissimæ matronæ Parentes cùm essent justi, erudierunt filiam suam secundùm legem Moysi. Non dubium, quin in timore DEI. Sic & Regius Propheta Ps. 33. *Venite Filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Sic & Gen. 18. Abraham præcepit Filiis suis & domui suæ post te, ut custodiant viam Domini &c. Utinam ea esset omni-

bus Parentibus cura, providere Filiis suis DEum, ejusque timorem. At nunc nimis verum, quod hom. 35. in Matth. 20. deplorat Chrysostom. *Alii filiis suis militiam providēt, alii honores; nemo filius suis providet DEUM, Perditionem eorum magno pretio comparant, salutem autem illorum nec dono accipere volunt. Nam si videant filios suos pauperes, tristantur, quòd corporum non animorum sint Parentes, corpus natorum amant, animam autem contemnunt. Desiderant illos valere in sæculo isto, & non curant quòd passuri sint in alio.* Frequenter igitur culpâ Parentum est, quòd non sit timor DEI ante oculos filiorum. *Qui viret in foliis venit à radicibus humor, & Patrum in natos abeunt cum semine mores.* Discant ergò Pueri & Adolescentes à pueritia timere DEum. Non timeant eos *qui occidunt corpus.* Matth. 10 *Animam autem non possunt occidere: sed potiùs timeant eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Hunc timorem discent etiam columbæ exemplo, quæ multùm timet accipitrem, juxta illud Ovid. *Terretur minimo pennæ stridore columba Ungvibus accipiter saucia facta tuis.*

STRENA IV.

De Floribus & Plantis.

QUoniam Flos campi nascitur Christus hyeme, dabo in Strenam flores & plantas, sed quæ etiam hyeme prodire possunt. *Sacerdotibꝰ* igitur & Ecclesiasticis do *virgam Aaron* germinantem, de qua num. 17. *Quem ex his* DEus *elegerit germinabit virga ejus.* In primis oportet Sacerdotes eligi à Domino sicut electus est Aaron. *Nemo enim sibi sumit honorem,* Hebr. 5. *Sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* Est enim Sacerdotium res divina non humana. Consules aliique Reipubl. Rectores constituuntur atque creantur à Rege, Sacerdotes autem & Episcopi à Spiritu S.

ritu S. juxta illud Act. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Cogitent hoc seriò omnes Sacerdotes, ut tantò rectiùs tantòque honoratiùs tam divino munere fungantur. Cogitent & Sæculares ut tantò magis venerentur Sacerdotium. Dicit itaque Scriptura, solam virgam Aaron germinâsse & turgentibus gemmis flores protulisse, qui foliis dilatatis in amygdalas maturuerunt. Ita Sacerdotum est frondere & florere virtutibus, etiamsi cæteri essent omnes arida ligna. Christus D. nominat eos viride lignum Luc. 23 *Si hæc in viridi, quid fiet in arido?* Sit Sacerdos lignum viride & non dicat Isai. 55. *Ecce ego lignum aridum.* Germinans illa virga significat etiam Sacerdotalem gratiam nunquam marcescere, sed semper in Ecclesia Dei permanere. *Juravit* enim *Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum.* Ps. 99. Et *pro Patribus tuis nati sunt tibi filii* Ps. 44. Secundò non solùm fronduit virga Aaronis, sed etiam fructus protulit, & quidem nuces amygdalinas, hi fructus habent corticem durum & aspera tegmina, sed dulce intùs continet edulium, quo significatur qualis debet esse Sacerdotum vita, exteriùs nimirum, aspera, dura pœnitentialis, intus autem suavitate ac dulcedine consolationum Spiritûs S. delibuta. Talis erat vita Apostoli Pauli 1. Cor. 9. qui *castigabat corpus suum & in servitutem redigebat*, qui multus erat *in jejuniis, laboribus, vigiliis*: intus verò plenus consolationibus, unde & *gloriabatur in tribulationibus.* 2. Cor. 10. & Gal. 6. Affectus erat dulcissimo & suavissimo amore. *Optabam anathema esse pro fratribus meis* Rom. 9. *Filioli mei quos iterum parturio.* Gal. 4. Tertiò, hæc virga productione florum & frondium & fructûs, delevit lites, & compescuit querimonias filiorum Israël contra Moysen & Aaronem, & seditionem moventium ob functionem Sacerdotii. Magnum est hodie ac multum murmur populi adversùs Sacerdotes. Hæretici

conjurant in caput noſtrum, negant nos eſſe Sacerdotes DEI, ſed miniſtros, detrahunt paſſim Sacerdotio noſtro, & Sacerdotalem gradum peſſundare nituntur. Gregor. Quare hoc? Quia nimirum advertunt nos eſſe ligna arida, vident nos locum ſanctitatis accipere, & terrenis actibus implicari: obſervant vitam noſtram vocationi noſtræ nullatenùs reſpondere. Eia Sacerdotes DEI dirimite hanc litem, tollite has querimonias productione & oſtenſione fructuum. Sitis deinceps non virgæ aridæ ſed florentes & fructificantes inſtar virgæ Aaronis. Quartò, hæc virga ſervabatur in tabernaculo teſtimonii in ſignum rebellium filiorum Iſraël. Sint etiam Sacerdotes frequentes in tabernaculo Domini, id eſt, domo DEI, quæ eſt Eccleſia, & ejus amore illecti & inescati clament cum Propheta Pſ. 83. *O quàm dilecta tabernacula tua Domine, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Et Pſ. 68. *Zelus domus tuæ comedit me.* Et Pſ. 41. *Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis.* Sanè Sacerdotes qui Eccleſiam frequentant, & devotè DEO miniſtrant, multùm promovent pietatem populi. Nihil enim eſt, inquit Conc. Trident. Seſſ. 22. cap. 1. Quod alios magis ad pietatem & DEI cultum inſtruat, quàm eorum vita & exemplum qui ſe divino miniſterio dedicârunt.

Præfectis *Sæcularibus* do in Xenium *palmam.* Palma enim inprimis venuſta eſt, denſis in vertice & ſpecioſis foliis: Præfecti & ſæculares Judices venuſtentur variis gratiis & dotibus virtutum ac eruditionis. Pſ. 2. *Erudimini qui judicatis terram.* Qui ad gubernacula Reip. ſedent, multâ ſapientiâ ac ſcientiâ ſint inſtructi oportet. Unde Sapiens ita eos alloquitur ſap. 6. *Melior eſt ſapientia quàm vires, & vir prudens, quàm fortis. Audite ergò Reges & intelligite,* &c. Oportet Præfectos & Judices præditos qualitatibus & conditionibus, quas Jethro requirebat Exod. 18. Ut *ſint Viri ſapientes, DEUM timentes, & qui oderint avaritiam.*

Secun-

Secundò, palma, est fortis, & valida, nec facilè succumbens oneri. Ita Judices sint fortes cùm gravissima habeant ferenda onera, quibus facilè succumberent, si animi fortitudo deesset. Sanè magna erat Moysi fortitudo. Exod. 18. cui populus à manè usq; ad vesperam assistebat, ut ab eo judicaretur. Tertiò, ut dicit Plin. lib. 13. cap. 4. Ex succo palmarum confici vinum, sed relinquendum utpote capiti noxium. Sic Prov. 31. *Noli ô Samuel, noli, Regibus dare vinum, quia nullum secretum est; ubi regnat ebrietas, ne fortè bibant, & obliviscantur judiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.* Quartò, palma non marcescit, sed semper folia retinet. Ps. 91. *Justus ut palma florebit.* Tu Judex semper justus sis, semper viriditatem serva, nec marcescat æquitas. *Ne* Isai. 59. *corruat in plateis veritas.* Ne cedas timori vel invidiæ ut Pilatus iniquus Judex. Quintò, Palma insigne est victoriæ. Hinc de electis ante thronum Apoc. 7. In conspectu Agnistantibus dicitur. *Et palmæ in manibus eorum.* Aug. *Palmas habent in manibus, quia præmia in operibus.* Item, Christo mortis & inferni victori occurrunt turbæ cum ramis palmarum Matth. 21. Sed & Crux Christi in qua triumphum egit, palmæ comparatur Cant. 7. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Septuaginta quoque discipuli qui extiterunt victores diaboli, cum exultatione ad Christum redeuntes gloriabundi Luc. 10. quòd dæmonia sibi essent subjecta, Luc. 15. Septuaginta palmis designari possunt, quarum fit mentio in Exodo. 3. Esdræ 3. Pugnate ô Judices pro justitia, ut super omnia vincat veritas, vincite affectus & passiones, quæ rectum judicium pervertunt: vincite cupiditates, avaritiam, ambitionem. Conemini etiam, vincere causas eorum qui iniquè opprimuntur & vexantur à ditioribus. Eruite eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare non cessate. Si dixeritis, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem

torem animæ tuæ nihil fallit. Prov. 24. Reddetque homini juxta opera sua.

Virginibus do *Lilium.* In lilio varia considerari possunt. Primò, candidum est & purum. Sint Virgines candidi & immaculati instar liliorum, Sancti corpore & spiritu Eccl. 9. Et serventur vestimenta sua omni tempore candida. Sponsus Christi ejusmodi liliis delectatur, ipse namque *pascitur inter lilia* Cant. 2. Imò & ipse lilium appellatur. *Ego* inquit, *flos campi, & lilium convallium.* Secundò, lilium crescit inter spinas. Hinc Sponsus Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Virginitas non gaudet deliciis & illecebris, sed potiùs ciliciis & asperitate pœnitentiæ. Et quamvis lilium ex spinis oriatur, nihil tamen commune habet cum illis in duritie, læsione, nigredine, &c. Sic virginitas in carne est, tamen nihil habet commercii cum carnis desideriis & operibus. Virgines in carne sunt, & non secundùm carnem ambulant. Tertiò lilium est speciosum & odoriferum, sint Virgines *Christi bonus odor* 2. Cor. 2. *in omni loco* per bonæ famæ diffusionem, sint pulchri & speciosi per inculpatam vitam. Quartò, lilium non serpit per terram, sed sursum se erigit procul à terra. Coloss. 3. Virgines *sapiant, quæ antè quæ sursum sunt non quæ super terram. Cogitent quæ Domini sunt.* 1. Cor. 7. *quomodo placeant DEO.* Sed licet lilium in altum exurgat, est tamen repandum ac folia reclinat, seu ut Plin. loquitur, *resupinis per ambitum labris.* Sit virgo humilis, & oculis versus terram demissis. Quintò, lilium est roriferum, nec tamen humectatur rore. Virgines humorem libidinosum aliquando sentiunt, qui tamen nihil nocet dum non consentiunt. Sextò, lilio gaudent apes. Sic Angelici Spiritus qui cœlestes sunt quædam apes delectantur virginitate. In lilio hæc rursum considerari possunt. Radix, flos, hastile, & grana. Per radicem fides, per hastile spes, per florem innocentia, per grana aurea charitas designari

signari potest. Exerceant se diligenter & proficiant virgines in his virtutibus. Septimò, ex lilio ungventum oleumque conficitur teste Plin. lib. 21. cap. 5. Estque medicinale. De vera virgine dici potest Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* Octavò. Lilia facilè crescunt, hinc Salvator in Evang. Matth. 6. *Considerate lilia agri quomodo crescunt* &c. Dominicus ager plenus est liliis virginum Cypr. lib. 4. epist. 8. *Floret Ecclesia tot virginibus coronata.*

Viduis do *juniperum.* Legimus Eliam Prophetam fugientem 1. Reg. 19. persecutionem Jesabel, venisse, in desertum, & defatigatum ex itineris molestia quievisse, & sedisse subter unam juniperum, ubi etiam prostratus in umbra ejus obdormivit tanto affectus vitæ tædio, ut petierit animæ suæ, ut moreretur, sed mox ab Angelo DEI excitatur, & confortatur. Viduæ tam graves aliquando patiuntur persecutiones ut dicant cum Job 10. *Tædet animam meam vitæ meæ.* Nusquam inveniunt quietem, nusquam consolationem, auxilium nusquam. Quid faciant in hac amaritudine animæ, quâ eas valdè, ut olim viduam Noëmi Ruth 1. replevit Omnipotens. Eant in desertum pœnitentiæ cum B. Elia, ac prosternant se subter juniperum, id est, sub arbore Crucis Dominicæ, contemplentur devotâ animi recordatione Christi amarissimam passionem & mortem, considerent Christi stigmata & vulnera, meditentur Crucis Christi mysteria. Hæc enim pia meditatio somnus quidam est spiritualis, juxta illud Cor. 1. *Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam quoadusque ipsa velit.* Sic ergo sub ista junipero obdormiant. Sanè invenient ibi in doloribus suis præsens remedium, sentient ibi magnum juvamen, percipient copiosam & mirificam consolationem, Dicant cum Ps. 93. *Secundùm multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Faciant juxta salutarem D. Bern. serm. 43. in Cant, admonitionem. *Fasciculus myrrhæ est*

Passio Salvatoris, hunc fasciculum vobis colligite, hunc medullis cordis inserite, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis intra ubera commoretur. Habete illum semper, non retrò in humeris sed antè præ oculis, ne portantes & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Juniperus quoq; montes amat, ait Plin. l. 16. cap. 18. Viduæ in omni tribulatione & angustia, confugiant ad montes illos de quibus David Ps. 120. *Levavi oculos meos in montes unde veniet auxilium mihi.* Et Ps. 124. *Qui confidit in Domino sicut mons Sion non commovebitur in æternum.* Iterum juniperus teste eodem Plin. lib. 16. cap. 40. Cariem vetustatemque non sentit. Non sentiant viduæ cariem & vetustatem vitiorum. Exuant *veterem hominem* Ephes 4. *cum actibus suis. Expurgent vetus fermentum* Colos. 3. Et *sint nova conspersio. Non ambulent secundùm carnem* 1. Cor. 5. *Nec obtemperent carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam.* Meminerint dicti Apostolici Gal. 6. *Quæ seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne, de carne metet & corruptionem.* Denique folia Juniperi sunt spinosa, seu ut Plin. loquitur lib. 16. cap. 74. *Junipero spina pro folio est.* Viduæ configuntur spinis tribulationum in tantum, ut verè dicere possint cum Propheta Psal. 117. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Et quod olim Gedeon facturum se dixit Judic. 8. Viris Socoth. *Conteram carnes vestras cum spinis tribulisq; deserti.* Hoc viduis non rarò infligitur, sed meminerint spineæ Coronæ D. N. JESU CHRISTI & non sentient aculeos harum spinarum. Nihil enim est tam grave, acerbum, ac molestum, quod non leve fiat gratum ac jucundum, si passio Domini nostri in memoriam revocetur.

Conjugatis do *Oleam.* Olea est symbolum pacis & concordiæ. Christo Domino Jerosolymam intranti tanquam pacifico Regi obviaverunt cum ramis palmarum & olivarum Joan. 12. Offic. Rom. die Palmarum. Jam proh dolor non rarò

inter

inter virum & mulierem miseranda est pugna ac discordia Jam unus adversus alterum rupto omni pacis fœdere insurgit. Qvod est ita deforme, ac si unius corporis membra inter se pugnarent. Si os & dentes lacerarent manus, si manus effoderet oculos vel præscinderet pedes, vel si omnia alia membra bellum gererent contra stomachum. Sunt enim vir & uxor unum corpus, una caro, juxta illud Adami de Eva loquentis Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Et illud Eph. 8. *Erunt duo in carne una.* Et illud. *Nemo carnem suam unquam odio habuit, sed fovet & nutrit illam.* Repugnat ergò naturali inclinationi Conjugum discordia & pugna. Sanè docet Plin. lib. 18. cap. 3. Olivas non percutiendas, nec perticis decutiendos fructus, qvod fit aliis qvibusdam arboribus. *Olivantibus*, inquit *Lex antiquissima fuit, Oleam ne stringito, nevé verberato.* Sint ergò concordes Conjuges, nec sese percutiant. Fructus oleæ est oleum, qvod charitatem designat. Sicut enim oleum inter omnes liquores eminet, ita charitas inter omnes virtutes juxta illud Apostoli 1. Cor. 3. *Major autem horum est charitas.* Et illud 1. Cor. 12. *Excellentiorem viam vobis demonstro.* Ut ergò servent Conjuges pacem habeant oleum charitatis. *Omni timore*, inquit Sapiens Eccl. 9. *sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Deficit oleum de capite juxta D. Greg. interpretationem, *cùm charitas discedit à mente.* Præterea oleum lucet, pascit, & lenit. Parentum est prælucere filiis virtutum exemplis, nihil agere, nihil dicere perperam qvod imitentur juxta illud Poëtæ. *Nil dictu fœdum visuq; hæc limina tangat, intra quæ puer est.* Parentum etiam est pascere & educare filios. Parentum est lenitate quâdam uti, ut non sint nimis austeri, hinc Ap. Ephes. 6. *Nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Non tamen etiam nimiùm indulgeant. Nam. *Magna Patrum segnes facit indulgentia Natos.* Rursum Oliva est symbolum misericordiæ. Hæc etiam ne-

ceſſaria eſt Conjugatis. Nam oportet virum multa condonare uxori, ſimiliterque uxorem viro, cùm in multis hinc inde delinquant. Cùmque mulier ſit vaſculum infirmum & fragile; 1. Petr. 3. miſericordiâ erga eam uti freqventer maritum oportet. Sic ergò vivant Conjuges, ut eorum ſinguli verè dicere poſſint cum Pſ. 57. *Ego ſicut oliva fructifera in Domo DEI.* Et Eccl. 24. *Quaſi oliva ſpecioſa in campis,* &c. Sic poterunt qvoque conſequi illam benedictionem de qua Pſ. 127. *Filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ.* &c.

Adoleſcentibus & Pueris do Rosam ſvaveolentem. Roſa flos eſt admodum gratus oculis & ſpecioſus, qui tamen decerptus mox flacceſcit. Ita Juventus eſt inſtar ſpecioſæ roſæ, quæ tamen vel unâ febriculâ marceſcit. *Homo* inquit Job 14. *Quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* Sanè Juventus eſt admodum fugax. Nam ut D. Hieron. in Job. 40. *Qui dudum infans, ſubitò puer; qui puer, repentè juvenis: & usq; ad ſenectam per ſpatia mutatur incerta, & antè ſe ſenem intelligit, quàm juvenem ſe non eſſe miretur.* Patet hoc in ſpecioſa illa comtèq; ornata Jezabel 4. Reg. 9. Quam Jehu præcipitari mandaverat, cujusq; carnes canes comederant, prætereuntes enim dicebant, *Hæccine eſt illa Jesabel?* Roſa etiam mirè rubet: commendat ingenuus rubor adoleſcentes, pudor ac verecundia. Talis roſa fuit Chriſtus: *Dilectus meus,* inquit Sponſa Cantic. 5. *candidus & rubicundus.* Rubicundus, quia in paſſione proprio perfuſus ſangvine. Tales etiam roſæ fuerunt, Laurentius, Vincentius, &c. Aliiqve Martyres adoleſcentes. Sanè D. Chryſoſt. hom. ult. in epiſt. ad Rom. B. Petrum & Paulum roſas appellat, ita ſcribens in laudem Romanæ Urbis. *Civitas* inquit, *iſta quemadmodum corpus magnum & validum duos habet oculos illuſtres. Sanctorum videlicet illorum corpora. Non ita cælum ſplendeſcit, quando ſol ex ſeſe radios ſuos dimittit, quemadmodum Romanorum*

Urbs

Urbs duas illas lampades ubiq; terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus, considerate & horrete, quale spectaculum visura sit Roma. Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem, in occursum Domini sursum ferri. Qualem Rosam Christo mittet Roma? Ita & S. Mater Ecclesia innocentes Martyres rosas appellat, in Hymno ad Laudes. *Salvete flores Martyrum, quos lucis ipso in limine Christi insecutor sustulit ceu turbo nascentes rosas.* Item rosa est flos admodum odoratus. Diffundite & vos ô adolescentes odorem virtutis & bonæ famæ, ut verè vobis liceat dicere. 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus.* Malæ enim famæ est inquit Eccl. 3. Qui derelinquit Patriam. Rosa non est, nec boni odoris adolescens Veneris mysta, qui immersus est cœno libidinis & voluptatis, qui ut jumentum computruit in stercore suo, ut est apud Joël. 2. Rosa non est adolescens qui peregrini muris olet pelliculas, quem pudicitiæ venenum appellat D. Hieron. ad Demetriadem. Ut sitis Rosæ veræ, sit vobis cordi illa Apostolica lectio & admonitio, Philip. 4. De *cæteroFratres, quæcunq; sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; justa, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.* &c. Denique scribit Plin. lib. 21. capite 4. De Rosa. Indicium esse boni odoris scabritiem corticis, & omnem rosam locis siccis quàm humidioribus esse odoratiorem. Multi adolescentes essent odoriferæ rosæ, si esset scabrities corporis asperâ, non mollis & effœminata. Si aliquando loco mollis indusii uterentur cilicio aspero. Si etiam non amarent humida & pingvia, id est, pingves & opiperas mensas, vina, delicias, &c. Nam hæc omnia inflammant corpus ad libidinem. Appetant ergò potiùs jejuniorum laborem, asperitatem vestium, victûs continentiam, ut Demetriadem fecisse scribit S. Hieron.

Servis & ancillis do *vitem.* Servi estote palmites illius vitis quæ Christus est de seipso dicens Joann. 15. *Ego sum vitis, & vos*

vos palmites. Sitis, in quam, palmites vitis veræ, non illius alienæ, cui dicitur Jerem. 2. *Quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena?* Num quo pacto est vinea vera. Isai. 5. *Quæ expectata est ut faceret uvas, fecit autem labruscas?* Palmites & ramusculi vitis sunt in omnem partem flexiles & ductiles; sic ita servorum voluntas flexilis ad nutum Dominorum, prompta ad obediendum. Non faciant voluntatem propriam, neque qvod sibi bonum videtur, sed voluntatem suorum Dominorum dum non sit contraria Divinæ. Vineæ odorem spargunt juxta illud Cantic. 2. *Vineæ florentes dederunt odorem suum.* Per odorem intelligitur bona fama. Estote boni nominis & bonæ famæ. Estote veraces, fideles, sobrii, moribus compositi, pudici, prompti, agiles, & quod omnium caput est, pii & devoti. Sic enim conciliabitis vobis bonum nomen coram hominibus, & diligemini ab heris vestris, juxta illud Scripturæ, Eccl. 33. *Si est tibi servus fidelis sit tibi tanquam anima tua.* Rursum, odor vitis dicitur fugare & occidere serpentes. Si odorem istius boni nominis & vitæ diffundatis, fugabitis antiqvum serpentem diabolum, & extingvetis ignita ejus jacula. Vitis etiam ligari debet, & à ramis inutilibus liberari, admittite & vos vincula mandatorum, inhibitionum, legum, statutorum, & ordinationum: nec dicatis cum refractariis Ps. 2. *Disrumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum.* Audite consilium Sapientis Prov. 6. *Conserva fili mi præcepta Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde jugiter, & circumda gutturi tuo. Cùm ambulaveris gradiantur tecum, cùm dormieris custodiant te, & evigilans loquere cum eis, quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ correptio disciplinæ.* Admittite & putationem, id est monitiones, correptiones, & justas disciplinas Dominorum vestrorum, & dicite cum Propheta. *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impingvet caput meum.* Amputate

putate etiam superflua, ne sitis nimium vani, curiosi, mundani, & nolite conformari huic sæculo, ut Apost. monet Rom. 12. Denique amputate vitia qvælibet antequam nimiùm succrescant, dum parvus est hostis interficite, ut monet Hieronymus.

STRENA V.

De Gemmis.

Distribuemus in Strenam gemmas, seu lapides pretiosos cum suis custodiis sive thecis, in quibus serventur. Sed ut hujusmodi Strenas accipiatis mundos vos oportet esse & lotos, Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis.* Porci semel loti redeunt ad volutabrum, juxta illud 2. Petr. 3. *Canis reversus ad suum vomitum, & sus ad volutabrum luti.* Vos estis loti in hisce diebus Natalitiis lavacro pœnitentiæ, nolite, monet S. Leo, iterum in veterem vilitatem degeneri conversatione redire, nolite, Thren. 4. antiquas sordes & stercora rursus amplexari. Itaque cùm credam vos lotos & mundos, spargam vobis margaritas. Habebitis Strenam opulentam.

Primò igitur *Sacerdotibus* & Ecclesiasticis lapidem *Chrysolitum*: Hic lapis teste Plinio lib. 37. c. 9. aureo colore translucet, & videtur ardentes scintillas emittere. Per aurum divina intelligitur sapientia, per ardentes verò scintillas, bona opera quibus coram hominibus lucere oportet, designantur. O DEI Sacerdotes! qvi incruenta qvotidie libatis sacrificia, qvorum lingva semper rubet in sangvine Agni, qui manibus vestris in dies cõtrectatis Virginis Filium, qvi super familiam DEI constituti estis, sapientia & scientia vobis necessaria est. Scriptum est enim, Aggæi 2. *Interroga Sacerdotes, legem,* &c. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Malach. 2.

Quia

Quia Angelus Domini exercituum est. Requirebat olim DEUS à Sacerdotibus veteris testamenti scientiam, quâ discernere possent Levit 10. inter sacrum & profanum, multò majori ratione hæc scientia requiritur in vobis, qui judicare debetis inter lepram & non lepram, id est, discernere inter peccata & non peccata, inter mortalia & venialia, &c. Admonebat proinde D. Paulus suum Timotheum 1. Tim. 4. Ut *attenderet lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* Oportet enim Episcopum ac Sacerdotem, *amplecti eum qui secundum doctrinam est, sermonem fidelem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Tit. 1. Væ Sacerdotibus qui scientiam hanc repellunt, nam iis sic minatur DEUS per Prophetam Oseam 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* O miseram Rempubl. cui Sacerdos indoctus & idiota præficitur. Si enim Plato Rempubl. putavit esse beatam ubi Philosophi regnarent, vel Reges Philosopharentur, è contrà, miseram & infortunatam cui tales desunt. Isaiæ 56. Quomodo non infelix ea, *ubi speculatores ejus cæci, nescientes universi, canes muti, non valentes latrare. Ubi non est gubernator,* Prov. 11. Scilicet prudens, *populo corruet.* Quem ergò constituit Dominus super familiam suam, fidelem oportet esse servum ac prudentem, ut det illis in tempore tritici mensuram, tum demùm familiæ Domini benè erit. *Sapientiâ* enim Prov. 24. *ædificabitur domus, & prudentiâ roborabitur.* Secundò, necesse est ut ardentes emittant scintillas bonorum operum & exemplorum, illis enim potissimùm dicitur, Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona &c.* Eorum potissimùm est, *providere bona,* Rom. 12. *non tantùm coram DEO, sed etiam coram omnibus hominibus.* Illorum præcipuè est, vivere sine *reprehensione & in medio nationis pravæ* Philip. 2. *atq; perversæ lucere* tanquam luminaria in mundo. Non absque ratione est quòd olim veteres Sacerdotem de-

liniare

lineare volentes depingerent & effigiarent venerabilem senem una manu tenentem solem, aliâ horologium. Per solem namque significare volebant, vitam Sacerdotis debere esse luminosam, claram, & illustrem, contra quam nemo meritò loqui posset, juxta illud Pythagoræ. Adversus solem ne loquaris id est, ne sugilla eum cujus vita est ut sol. Cùm ergò Sacerdotes in Evangelio dicantur Matth. 5. *Lux mundi*, quàm oportet eorum vitam conspicuam esse & illustrem? Quòd verò alterâ manu horologium teneret, per hoc innuere intendebant, à vita & regimine Sacerdotum dependere vitam & regimen totius populi, sicut ab horologio dependet directio civitatis & negotiorum in civitate tractatio. Est enim hora mensura quædam, & regula rerum agendarum. Hinc commune adagium. *Ut populus sic Sacerdos.* Et. Sicut *Regis ad exemplum totus componitur orbis*: ita & ad Sacerdotis, qui Rex quidam spiritualis est. Hinc pulchrè D. Chrysost. hom. 10. in Matth. *Sacerdotum bona conversatio populi est conditura.* Et lib. 3. De Sacerd. *Sacerdotalis animi pulchritudinem undiq; splendescere oportet, ut oblectare pariter & illuminare possit eorum animos, qui suos in illum oculos conjiciunt.* &c. Et D. Greg. Pastor. part. 1. c. 2. *Cùm Pastor per abrupta graditur, fit ut grex ad præcipitium sequatur.* Videant ergò Sacerdotes, ut nemini dent ullam offensionem 2. Cor. 6. Ut *non vituperetur ministerium illorum.* Curent exemplum esse fidelium. 1. Tim. 4. in *verbo & conversatione* & *præbeant seipsos* Tit. 2. *Exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.* Deniq; videant Matth. 6. *Ne lumen quod in ipsis est tenebræ sint*, Et in tenebras tandem exteriores Matth. 25. cum reprobis omnibus projiciantur. Custodia seu theca hujus gemmæ sit studium sacrarum literarum. Vobis enim ô Sacerdotes potissimùm dicitur Joan. 5. *Scrutamini scripturas, quia illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Sacerdoti potissimùm dicitur Isaiæ 1. *Non recedat volu-*

men legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte. Sacerdoti dicitur Ezech. 3. *Comede volumen istud, & fiet in ore tuo mel dulce.* Ament ergò Sacerdotes scientiam literarum, & non amabunt vitia carnis, ait Hieron.

Præfectis *Sæcularibus* & Judicibus do *Adamantem.* Hic lapis est admodum durus nec facilè potest frangi. Per hoc significatur justitia, quæ ita dura sit oportet, ut dicat DEUS Exod. 23. *Pauperis non misereberis in judicio.* Id est ut Hieron. in Ps. 32. *Non propter pauperem, nec propter divitem, non propter proximum & longinquum, non propter cognitum & incognitum, declines à recto judicio, sed priùs judica rectum judicium.* &c. Ps. 47. *Si verè utiq; justitiam loquimini, rectè judicate Filii hominum.* Quo edocet testo eodem D. Hieron. in hunc Ps. Ut *quisquis mortalium judicio fuerit usus publico, si verum loquitur, & verum judicet, nec ponat in blanditiis sermonum muscipulam deceptionis, per quam occultè interimat innocentem. Judæi justa loquebantur ad Christum, quia dicebant Magister scimus, Matth. 22. quia verax es, & viam Dei in veritate doces Non judicabant tamen justa, quia petierunt Barabbam filium mortis & interfecerunt Christum filium vitæ.* Imitentur Judices petram justitiæ Christum de quo scriptum est Ps. 115. *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Et Isaiæ 11. *Erit justitia cingulum lumborum ejus.* Et Ps. 21. *Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem, & liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adjutor.* Sanè qui calumniatoribus favent, Christum non imitantur: qui amore, aut odio, aut quâvis animi passione judicant, veri Judicis sectatores non sunt. Judicare enim oportet ex ratione & præscripto legum, quibus ipse imprimis Judex debet obedire ac sese subjicere. Solon unus è septem Græciæ Sapientibus, interrogatus, quomodo civitas in optimo statu degeret? respondit. Si *Cives Magistratui, & Magistratus legibus obediant.* Nec multùm

dissimi-

dissimiliter Seneca epist. 37. *Si vis omnia subjicere tibi, subjice te rationi, multos reges, si te ratio regat.* Rursum Adamas venena irrita facit, ut ait Plin. Nullum majus venenum justitiam necans, quàm acceptio munerum 1. Reg. 8. *Filii Samuel declinaverunt post avaritiam, acceperunt munera, & perverterunt judicium.* Hinc in Exodo 16. præcipiebat DEus Judicibus. *Judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent. Non accipiant personas, nec munera, quia munera excœcant oculos Sapientum.* Et Eccl. 20. *Xenia & dona excœcant oculos Judicum.* Et Ps. 28. *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* In quæ verba D. Hieron. *Abstinendum docet à muneribus, culpans eos qui munera accipiunt, qui iniquitatem agentes questum hujus impietatis lucrum aliquod arbitrati sunt, sicut ipse Judas proditor fecit.* Pro custodia hujus gemmæ, do Contemptum munerum. *Qui* enim Isaiæ 33. *excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitat.*

Virginibus do *Carbunculum*, qui à similitudine cum ignito carbone sic appellatur, nec tamen sentit ignem, test. Plin. lib. 37. cap. 7. Ita carnali homini videntur aduri, ut ipse uritur Virgines. Sed si ante emissum votum urerentur, matrimonium inirent, cùm Apost. 1. Cor. 7. dicat. *Melius est nubere quàm uri.* Vel si aliquando flammâ aliquâ corripiantur, ut est naturæ nostræ, non tamen comburuntur, ut Exod. 3. comparari possint rubo Moysis, qui ardebat quidem, sed nequaquam comburebatur. Carbunculus lapis est purus, quo imprimis significatur puritas corporis & spiritûs. *Mulier innupta*, inquit, virginitatis laudator S. Paulus 1. Cor. 7. *Cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO, ut sit sancta corpore & spiritu.* Rectè dicit, *corpore & spiritu.* Nam ut ait D. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. *Nonnullæ sunt virgines carne, non tamen spiritu, quarum corpus integrum, anima corrupta. Sed illa virginitas hostia Christi est, cujus*

nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit. Perit enim & mente virginitas, ut idem Doctor ait. Carbunculus est parva gemma, & commendat Virginibus humilitatem. *Pulchra* enim *permixtio humilitatis & virginitatis*, ait Bern. hom. 1. super Missus. *Nec mediocriter placet DEO illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur, ad illam invitaris, ad istam cogeris. De illa dicitur Matth. 10. Qui potest capere capiat, de ista dicitur Matth. 18. Nisi efficiatur quis ut parvulus iste non intrabit in regnum cælorum. Potes sine virginitate salvari, sine humilitate non potes. Potest placere humilitas quæ virginitatem deplorat amissam, sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset. Super quem inquit Isai. ult. requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum? Super humilem dixit, non super virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus S. non requievisset. Ideò respexit humilitatem Ancillæ suæ DEus Luc. 1. potiùs, quàm virginitatem, ut placeret virginitas, procul dubio fecit humilitas. Quid dicis Virgo superbe, Maria Virginem se oblita gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem blandiris tibi de Virginitate? expedit tibi virginem non esse, quàm de virginitate insolescere. Non omnium quidem est virginitas, multò tamen pauciorum est cum virginitate humilitas.* Sint ergò virgines etiam humilitate commendabiles. Porrò ut hanc gemmam exactè servent do pro ejusdem custodia sobrietatem. Sobrietas enim est custos pudicitiæ, è contrà verò, venter æstuans mero facilè despumat in libidinem ut testatur S. Hieron.

Viduis do *Achatem.* De hoc lapide scribit Plin. lib. 37. c 10. quòd myrrham redoleat, & contra scorpiones validus sit. Viduæ myrrham sæpè redolent, quia mœrore, lacrymis, & singultibus mortificantur. Sentiunt etiam crebros ictus scorpionum & mul-

& multis afficiuntur moleſtiis, opprimuntur ab amicis & conſangvineis, ab ipſis etiam liberis paulatim exuuntur bonis & fortunis. O quàm varii morſus ſcorpionum, quàm amarulenti ictus & aculei. ſed adhibete ô viduæ contra hos ictus & morſus, gemmam illam Achatem, per quam intelligo, ſpem in DEUM. 1. Timoth. 5. *Quæ verè vidua eſt, ſperet in Domino*, ipſe enim eſt defenſor, Patronus, & ſuſceptor viduarum Pſ. 185. *pupillum & viduam ſuscipiet.* Et Pſ. 67. *Turbabuntur à facie ejus, Patris orphanorum, & Judicis viduarum.* Hic lapis etiam ſangvinei coloris eſt, & ſignificare poteſt Chriſtum ſangvine rubicundum. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Cant. 5. inquit ſponſa. Ornent ſe viduæ, & depingant ſe Chriſti ſangvine, dicantque cum S. Agnete in Brev. Rom. *Sangvis ejus ornavit genas meas.* Dicant cum Sephora Exod. 4. *Sponsus Sangvinum tu mihi es.* Cogitent ſæpè non ſe auro vel argento, *nec corruptibilibus hujus mundi rebus* 1. Petr. 1. *eſſe redemptas, ſed pretioſo Chriſti ſangvine quaſi Agni immaculati.* Soletur eas hic Chriſti ſangvis, quando ſangvinem uvæ meraciſſimum hujus mundi bibere cogunter. Achates deniq́ue refocillat, refrigerat, Plin. loc. cit. & ſitim ſedat. Chriſtus D. ſitibundos refocillat, imò abundè potat, Joan. 7. *Si quis ſitit veniat ad me, & bibat.* Ipſe enim eſt Cant. 4 *Puteus aquarum viventium.* O viduæ eſtote ſitibundæ ad hunc fontem vivum, & dicite cum Propheta Pſ. 41. *Sitivit anima mea ad te fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini?* Ut hanc gemmam conſervetis do vobis cuſtodiam, perſeverantem orationem. *Inſtent orationibus die ac nocte*, 1. Tim. 4. ad exemplũ Annæ Prophetiſſæ viduæ Luc. 2. Mirè quoq; orationem coluit caſtiſſima vidua Judith c. 8. 12. 13. Quid enim ei imprimis virilem animum dedit, quo celebre illud facinus aggreſſa eſt, ut Holoferni caput reſecaret, niſi oratio? cùm civitas ejus obſideretur ab exercitu Aſſyriorum, oravit ipſa inſtantiſſimè

ad Dominum unà cum Sacerdotibus & populo, à senioribus usq; ad pueros: cùmq; exiret in campum nihil aliud civibus suis præcepit quàm ut orarent. Sed & cùm in medio pessimorum hostium versaretur, nocte & ante lucem egrediebatur foras ad orandum & deprecandum Dominum. Quin etiam ipso momento quo pugionem evaginavit ad tyranni caput abscindendum, brachium muliebre oratione roboravit, quo abscisso in urbem suam indemnis reversa cum totius civitatis plausu omniumque exultatione.

Conjugatis do *Beryllum.* Dicit Plin. lib. 37. cap. 5. Beryllos esse probatissimos qui viriditatem puri maris imitantur. *Mare quando tranquillum est colorem habet Berylli.* Designat ergò hic lapis pacem, tranquillitatem, concordiam, & amorem. Amor conjugalis multùm commendandus cujusmodi fuit inter Abraham & Saram, inter Isaac & Rebeccam, inter Jacob & Rachelem, Tobiam & Saram, Zachariam & Elisabetham. Debet autem amor conjugalis esse honestus & moderatus, in excessu namque Conjuges peccare contingit. *Nihil fœdius* inquit D. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. *quàm uxorem amare quasi adulteram.* Et. *Adulter est in suam uxorem amator ardentior.* *Refert Seneca.* Ait ibid. idem Hieron. *Cognovisse se quendam ornatum hominem, qui exiturus in publicum fasciâ uxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præsentiâ ejus carere poterat, potionemq; nullam nisi alterius tactam labris, vir & uxor hauriebant, alia non minùs ineptas facientes, in quæ improvida vis ardentis affectûs erumpebat. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest quàm ex honesta causa quis insaniat. In alienâ uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Vir sapiens judicio debet amare Conjugem non affectu.* Amor ergò Conjugalis debet esse purus ut viriditatem puri maris, Berylli instar imitetur. Ut verò in quibusdam Conjugiis peccatur amoris excessu, ita in pluri-

bus

bus aliis amoris defectu. Multi hodie Conjuges inter quos quotidianæ lites, rixæ, contentiones, pugnæ, &c. Multæ hodie uxores domi desidentes pavent ad adventum ebrioſi & furioſi mariti, non ſecùs quàm ſi lupum expectarent, urſum, aut leonem, omnia in domo ſubvertentem. *Tunc ululatus & gemitus per angiportus tolluntur*, ait D. Chryſoſt. hom. 27. in cap. 10. Corinth. 1. *Et ad tam turpis viri à vicinis & prætereuntibus concurritur tanquam ad feram quandam omnia devaſtantem, cui ſanè melius eſſet ut terra dehiſceret, quàm amplius in foro deſpiceretur.* Apud tales nulla eſt tranquillitas, ſed quotidiana tempeſtas. Porrò ut hæc gemma benè ſervetur do Conjugatis pro cuſtodia longanimitatem ſeu patientiam, quâ alter alterius defectus & infirmitates æquo animo ferat. Narrat S. Chryſoſt. loc. cit. Philoſophum quendam malam duxiſſe uxorem, ut quotidie in ea toleranda erudiretur, & manſuetudini aſſueſceret. *Multùm doleo*, inquit idem Doctor, *quòd Gentiles nobis ſint ſapientiores, nobis, inquam, qui Angelos imitari jubemur, vel potiùs ipsum DEUM per manſuetudinem.* Lubet hìc in gratiam iſtius virtutis attexere exemplum non multùm diſſimile ex Caſſiano, quod refert ex illo Joan. David in Veridico Chriſtiano cap. 58. Nobilis matrona Alexandriæ Athanaſium Epiſcopum adiens, ſibi unam ex viduis dari petiit, quæ Eccleſiæ impenſis alebatur, cui ipsa benefacere poſſet. Cæterùm cùm petenti optima conceſſa eſſet, queri deinde cœpit, non ex animi ſui ſententia ſibi datam. Eâ igitur reſtitutâ deterrimam omnium accepit, dumque illi benignè humaniterque deſerviret, nihil ab ea niſi contumelias & maledicta referebat. Verbera quoque interdum excipiens, ne quid ad exercendam animi tolerantiam deeſſet. Inde læta gratias egit Athanaſio, quòd eam tandem ſibi delegiſſet contubernalem, cui pro malo bonum, pro injuria beneficium reddere aſſueſceret. Nam ſe ab illa priore, quoniam mitis & manſueti in-

ti ingenii fuerat, officiis, fuisse superatam. Videt hanc matrónam intolerantia, mansuetudine, longanimitate ac patientia magnum sibi proposuisse lucrum, ac pietatis mercedem. Sic quoque discant mariti asperiores ferre uxores, & è contrà, uxores molestiores maritos, ut amplam apud DEUm mercedem consequantur per hanc tolerantiam & mansuetudinem.

Adolescentibus ac pueris do *Smaragdum.* Hic lapis viridis quoque est coloris & jucundissimi aspectûs, eoque designari potest Timor DEI, optimè juvenibus conveniens. Timor namq; DEI facit juvenes virere ac florescere in omni virtute. Nec quidquam est jucundius quàm videre adolescentes non ætate sed virtute canos. Talis adolescens fuit Samuel, talis Jacob, talis Joseph, talis David. Meritò igitur Propheta Ps. 33. *Venite Filii audite me, timorem Domini docebo vos.* Et Eccli. 2. *Fili accedens ad servitutem DEI sta in justitia & timore.* Et cap. 1. *Initium sapientiæ timor Domini.* Et Prov. 23. *In timore Domini esto quotidie, & habebis spem in novissimo.* Et Eccli. 1. *Timenti Dominum benè erit, & in diebus consummationis illius benedicetur.* Multi hodie, proh dolor! Adolescentes timorem Domini abjecerunt, ut in iis locum habeat quod Propheta dicit Ps. 13. *Non est timor DEI antè oculos eorum. Quanta hodie in Adolescentibus malitia,* ait Chrysost. *Quanta lascivia, quanta luxuria, quanta curiositas, quanta mollities?* Ideòque monet idem Doctor Parentes, ut quam oportet diligentiam adhibeant in educandis Filiis in timore DEI, & revocandis à lascivia, temulentia, vinolentia, aliisque vitiis ac depravatis moribus. Hom. de fide Annæ, *si,* inquit *liberos acceperimus multâ curâ educemus, eosq; cùm ab omni vitio, tum præcipuè à lascivia, quod hoc difficile sit bellum, nec alia res molestior sit huic ætati, quàm hic morbus, revocemus. Undiq; igitur circumvallemus eos consiliis, adhortationibus, terroribus, minis. Si hanc devicerint concupiscentiam, nec ab aliis facilè expugnabuntur,*

buntur, sed & pecuniis erunt superiores, & temulentiam, vinolentiamq; superabunt, & improbos convictus omni studio discutient, & amabiliores erunt Parentibus, & omnibus hominibus magis reverendi. Quis enim non revereatur juvenem castè sobriègq; viventem? quis non amplectatur, exosculeturq; eum qui cupiditatibus frenum imposuit? Quis non, velè numero prædivitum multa cum gratia volet illi locare Filiam suam, etiamsi omnium fuerit pauperrimus? sicut è diverso luxuriosè viventem, etiamsi fuerit omnium opulentissimus, nemo tam miser est, nemo tam abjectæ fortunæ, ut eum velit sibi Generum adsciscere. Ut igitur Filii nascantur & hominibus reverendi, & DEO amabiles, exornemus illorum animos, cumq; pudicitia ad conjugium perducamus. Rursum smaragdus dicitur curare morbum caducum, sic timor DEI præservabit adolescentes ne cadant in peccatum Eccli. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Præservabit ergò timor DEI à variis morbis, à peste superbiæ, à febri ardentissima luxuriæ, à phtysi invidiæ, ab hydrope avaritiæ, &c. Nam hæ virtutes etiam smaragdo adscribuntur. Ideòque Eccli. 25. *Beatus homo cui datum est habere timorem DEI.* *Si* autem Eccli. 27. *non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.* Sit ergò timor DEI vobiscum, per quem, Prov. 15. *declinetis ab omni malo.* Ut verò hanc gemmam non amittatis, do vobis pro custodia, præsentiam DEI. Si enim DEUM præsentem & omnia videntem judicantemque creditis, idque sæpè animo revolvitis, credo vos rarò, aut nunquam peccaturos.

Servis & Ancillis loco Strenæ do *Aurichalcum*, quod gemmis colore tinctum solet subjici. Servorum & Ancillarum est subjici Dominis & Heris suis. 1. Petr. 2. *Servi estote subditi in omni tempore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis.* Servis etiam dici potest illud ejusdem Petri. ibid. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter DEum.* &c. *Sicut servi DEI.*

Nec ideò vos contristari oportet quòd subjecti sitis: nam & Christus Dei Filius subditus erat hominibus. Subjectus etiam est quodammodo Patri. Dicit enim Apost. 1. Cor. 15. *Omnia subjecit sub pedibus ejus. Cùm autem dicat, omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia, tunc & ipse Filius juxta quod homo est*, subjectus erit ei qui subjecit sibi ut sit DEUS omnia in omnibus. Nec verò tantùm subjectos esse servos oportet in omni timore, sed etiam in fidelitate. Non diminuant bona Dominorum suorum, non furentur, non alienent, non disponant de iis pro suo libitu, sed ex beneplacito Dominorum. Non agant fraudulenter in distributione eleemosynarum quæ ipsis committuntur, sed fideliter exequantur Dominorum piam voluntatem. Narrat D. Greg. in Dialog. l. 2. cap. 18. Quendam famulum Exhilaratum nomine, à Domino suo missum, ut D. Benedicto duo vascula plena vino deferret: qui unum quidem detulit, alterum verò pergens in itinere abscondit. Vir autem Domini quem facta astutia latere non poterat, unum cum gratiarum actione suscepit, & descendentem Exhilaratum monuit dicens. Vide Fili, ne de illo flascone quem abscondisti bibas, sed inclina illum cautè, & invenies quod intùs habet. Qui confusus valdè à DEI homine exivit. Reversus autem volens probare quòd audiverat, cùm flasconem inclinâsset, de eo protinus serpens egressus est. Tunc prædictus Exhilaratus per hoc quod in vino reperit, expavit malum quod fecit. O utinam omnes servi eam servarent Dominis suis fidelitatem, quam Joseph Hero suo Putiphari Eunucho Pharaonis cui venditus erat in terra Ægypti! Ejus enim fidelitatem herus advertens tradidit ei omnia gubernanda quæ in domo erant, unde sollicitanti sc. postmodum Dominæ suæ ad peccatum, Gen. 30. fideliter & timoratè respondit. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est quod in mea non sit potestate*

potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ uxor ejus es. Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Studeant servi hujus Josephi esse similes in innocentia, simplicitate, & fidelitate. Ut verò hanc lamellam æneam servetis do custodiam, spem retributionis. Ut enim diligentiùs & fideliùs Dominis vestris serviatis, cogitate, DEum aliquando operam vestram remuneraturum, laborem vestrum non futurum inanem coram DEO. Cogitate vos aliquando à servitute liberandos Rom. 8. *in libertatem gloriæ filiorum DEI. Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe.* Sperate ergo vos, qui nunc servi estis hominum, futuros aliquando Filios DEI in æterna beatitudine, & audituros vocem illam Matth. 25. *Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Tunc scietis quoniam unusquisq; quod fecerit bonum hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber, ut Apost. promittit ad Ephesios scribens.

STRENA VI.

De Avibus,

Distribuemus nunc Strenas ab Avibus petitas, quæ in Scriptura ponuntur. Inter quas eminet regalis aquila, Hãc igitur offero in Strenam *Sacerdotibus* & Præpositis Ecclesiarũ ob diversas considerationes. Primò namq́ue inter omnes aves maximè sublimis est aquila. Quis verò status sublimior Sacerdotali? In sublimi quidem dignitate constituti sunt Principes, Reges, & Imperatores. Sed tamen hi libenter & humiliter se Sacerdotibus subjiciunt, ac coram genibus eorum sese prosternunt Ecclesiastici 4. *Presbytero humilia animam tuam.* Et cap. 7. *Honora Deum ex tota anima tua & honorifica Sacerdotes. Habent quidem*

terrestres Principes vinculi potestatem ait D. Chrysost. lib. 3. de Sacerd. *Verùm corporum solùm. Vinculum autem Sacerdotum ipsam animam contingit, atq; ad cœlos pervadit, usq; adeò, ut quæcunq; in fernè Sacerdotes confecerint, illa eadem DEus rata habeat. Quidnam hoc aliud dicas, esse, nisi omnem rerum cœlestium potestatem illis à Deo concessam, quorumcunq; enim, ait, peccata retinueritis, retenta sunt? quænam, obsecro, potestas hâc unâ major esse queat?* Pater *omnifariam suam potestatem Filio suo dedit. Cæterùm video ipsam eandem omnifariam potestatem à Filio illis traditam.* Rursum. *Is datum est, ut potestatem habeant, quam DEus optimus neq; Angelis, neq; Archangelis datam esse voluit. Neq; enim ad illos dictum est. Quæcunq; alligaveritis in terra, erunt alligata & in cœlo.* Videte ergò quàm sublimes sint Sacerdotes authoritate & potestate. 2. Aquila altissimè volat. Ideòque Scriptura ad superbum se elevantem ita loquitur. Abdiæ. *Si exaltatus fueris ut Aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detrahamte, dicit Dominus.* Sacerdotum est altiùs cæteris cœlestia conscendere, ut dicere queant cum Apost. Philip. 3. *Nostra conversatio in cœlis est.* Illi potissimùm, quæ sursum sunt, sapere & quærere debent. Coloss. 3. non quæ super terram. Illis præcipuè dicendum & clamandum cum Ps. 72. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* &c. O quàm sublimis fuit Aquila Apost. Paulus 2. Cor. 12. qui in tertium usque evolavit cœlum! Quàm *altivolans* Aquila D. Joan. Evang. qui, ut Div. August. in Joan. ait, *non solùm cacumina montium ut Geometra, non solùm altitudinem syderum ut Astrologi, sed etiam super omnes cœlos conscendit. Nisi enim conscendisset, quomodo ad verbum per quod facta sunt omnia, pervenisset? In principio inquit, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum* &c. Rursus idem tract. 36. in Joan. *In quatuor Evangelio, vel potiùs quatuor libris unius Evangelii S. Joannes Apost. non immeritò secundùm intelligentiam spiritualem Aquilæ comparatur, altiùs enim multò sublimiùsq; cæteris tribus Evan-*

Evangelistis erexit prædicationem suam. Nam cæteri tres Evangelistæ tanquam cum homine Domino in terra ambulant, & de Divinitate ejus pauca dixerunt: istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipse sermonis sui exordio intonuit, erexit se non solùm super terram & super omnem ambitum aëris & cæli, sed super etiam omnem exercitum Angelorum, omnemq; constitutionem invisibilium Potestatum, & pervenit ad eum per quem facta sunt omnia, dicendo. In principio erat verbum &c. 3. Aquila in volatu suo est celerrima. Unde Scriptura volens significare magnam celeritatem Thren. 4. *Velociores fuerunt persecutores nostri Aquilis cæli.* Ita Sacerdotes non tardos, socordes, desidiosos, ac negligentes esse oportet Jer. 38. *Maledictus homo qui facit opus Domini fraudulenter.* Alii legunt *negligenter*; sed in officio divino alacres, excitatos, strenuos. *Moneo vos*, inquit D. Bern. serm. 47. in Cant. *Dilectissimi purè semper ac strenuè divinis interesse laudibus, strenuè quidem, ut sicut reverenter, ita alacriter Domino assistatis. Non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non transilientes integra, non fractis & remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes: sed virili ut dignum est sonitu & affectu voces spiritûs S. depromentes.* Hæc ille de horis Canonicis in choro. Prov. 22. *Vidisti virum velocem in opere suo. Coram Regibus stabit nec erit ante ignobiles.* Et Eccl. 32. *In omnibus tuis esto velox.* 4. Aquila valdè oculorum acie præcellit, & solares fixè intuetur radios. Habeant & Sacerdotes claros oculos juxta illud. Cant. 1. *Oculi tui columbarum.* Per oculos significari intentionem clarum, quia priùs illuc oculos intendimus quò procedimus. Matth. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum tuum corpus lucidum erit.* Habeant rectam in omnibus intentionem, nihil quærant in operibus suis nisi Dei honorem & gloriam, & animarum salutem. Attendant, Matth. 6. ne justitiam suam faciant coram

hominibus ut videantur ab eis. Non evangelisent nec ministrent turpis lucri causâ. Intueantur etiam solares radios, id est, contemplentur splendorem divinæ bonitatis, misericordiæ, ac similium operum. Hinc non malè quadraret Sacerdotibus nomen *Videns*, cujusmodi nomine, olim Prophetæ vocabantur. Dicit enim Scriptura hunc in modum. 1. Reg. 9. *Olim in Israël sic loquebantur unusquisq; vadens consulere DEum. Eamus ad Videntem, qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* Unde Saul & puer ejus interrogantes de Samuele dixerunt. *Num hic est Videns?* Debent namque plura videre quàm alii, id est, majorem divinarum rerum habere notitiam, ne objiciatur eis illud quod Christus Nicodemo. Joan. 3. *Ergo & tu Magister in Israël, & hæc ignoras?* Et Matth. 15. *Si cæcus cæco ducatum præbet, nonne ambo in foveam cadunt?* Habeant ergò perspicaces oculos instar aquilæ. 5. Aquila ut nucem frangat in sublime evolat, & inde nucem in saxum aliquod demittit, & sic eam frangit. Ita Sacerdotes ut frangant dura subditorum & populorum corda, priùs ipsi vitæ suæ exemplo in altum conscendere debent, tum enim majore cum virtute & energia frangent duritiem cordium humanorum. Sic Christus qui Aquila vocatur Ps. 17. volavit super pennas ventorum, fregit duritiam cordis discipulorum suorum. Ascendens in altum, & post resurrectionem suam discipulis apparens, Marc. 16. Exprobrans eis incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse à mortuis non crediderant. Isai. 40. *Ascendo in montem excelsum, tu qui evangelizas Sion.* Quorsum ascendere oportet? vitæ sanctitate eminere, ut sagittas divinorum verborum impingant fortiùs in corda inimicorum Regis obdurata. Ps. 44. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum Regis.* Denique docent aquilæ volare pullos suos dicente Scripturâ Deut. 32. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas*

suas,

suas. Ita Sacerdotum est docere inferiores & sæculares quomodo volare debeant in cœlum, & dare eis pennas ad volandum Ps. 44. sicut columbæ ut requiescant. Debent se aliquando etiam infirmitatibus hominum accommodare, & omnibus omnia fieri, ut omnes Christo lucrifaciant. Ita fecit altivolans Aquila D. Paulus, qui in tertium evolaverat cœlum, ille enim sic de seipso testatur. 1. Cor. 9. *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci ut plures lucrifacerem, & factus sum Judæis tanquam Judæus ut Judæos lucrarer: iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cùm ipse sub lege non essem, ut eos qui sub lege erant lucrifacerem. Iis qui sine lege erant tanquam sine lege essem, cùm sine lege DEI non essem, sed in lege essem Christi ut lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmus infirmis ut infirmos lucrifacerem &c. Hæc autem omnia fecit non simulantis astu, sed compatientis affectu* ut D. Aug. epist. 29. ait, & lib. contra mendacium cap. 12. *Neq; enim,* ut pulchrè ait Div. Gregor. *egregius prædicator, ut quasi Judæus fieret ad perfidiam erupit, neq; ut quasi sub lege esset, ad carnale Sacrificium rediit, neq; ut omnibus omnia fieret simplicitatem mentis convertit in varietatem erroris. Sed condescendendo appropinquabat infidelibus non cadendo, ut videlicet singulos in se suscipiens, & se in singulos transfigurans, compatiendo colligeret. Si ita ipse, ut illi, esset quod impendi sibi ab aliis voluisset* &c. Imitentur hæc Sacerdotes, præsertim Pastores.

Præfectis *Sæcularibus* ex Avibus offero *Gruem.* Hujus avis mentio etiam fit in Scriptura, nam Jerem. 8. Ubi nos legimus. *Hirundo & ciconia custodierunt tempus adventûs sui.* Quidam legunt. *Hirundo & grues.* Conditiones istius avis optimè

primè conveniunt Rectoribus & gubernatoribus civitatum. De his conditionibus accuratè scribit S. Ambr. l. 5. Hexam. c. 15. *Grues iniussæ & voluntario usu in nocte sollicitam exercent custodiam, dispositos vigiles cernas cæteris sui generis consortibus quiescentibus. Aliæ circumeunt & explorant ne qua ex parte insidiæ tendantur, atq; omnem deferunt impigrò sui vigore tutelam. Post ubi vigiliarum tempus fuerit expletum, perfuncta munere in somnum se componit præmisso clangore ut excitet dormientem cui vicem muneris traditura est. At illa volens suscipit sortem, nec invita & pigrior somno renuntiat, sed impigrè suis se excutit stratis, vicem exequitur, & quam accepit gratiam pari curâ atq; officio repræsentat. Hunc etiam volantes ordinem servant & hâc moderatione omnem laborem alleviant, ut per vices fungantur ductûs sui munere: præcedit enim una cæteris, præstituto sibi tempore, & quasi ante signa præcurrit, deinde convertitur, & sequenti sortem ducendi agminis cedit.* Non dissimilia de Gruibus scribit Plin. lib. 10. cap. 23. *Quando proficiscuntur, consentiunt, volant ad prospiciendum altè, ducem quem sequantur eligunt, in extremo agmine per vices qui acclament dispositos habent, & qui gregem voce contineant. Excubias habent nocturnis temporibus lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno & decidens, indiligentiam coarguat, cæteræ dormiunt capite subter alam condito alternis pedibus subsistentes, dux erecto prævidet collo ac prædicit.* Discant ab his avibus moderatores ac rectores invigilare publicæ saluti, sic curare singulos tanquam omnes, & sic omnes tanquam singulos. Faciant ut monet Sapiens Proverbiorum 6. *Discurre festina, suscita amicum tuum,*

tuum &c. De Alexandro Magno narrat Laërt. lib. 5. in Arist. solitum eum ut plurimùm exertis brachiis dormire, & alterâ manu prendere amplectiq́ue globum argenteum supra vas aheneum, ut laxatus somno & in vas cavum illud incidens sonitum cieret, atq́ue dormientem excitaret. An non ille accuratè Grues imitabatur? Excutiant somnum Duces qui capi & trucidari nolunt ab hoste: multos enim somnus perdidit, neciq́ue dedit. Holofernes Assyriorum Princeps Judith 13. in lecto suo dormiens ac stertens, capite truncatus est per mulierem. Jahel dormientem occidit Sisaram. *Tulit* inquit Scriptura Judic. 4. *Jahel uxor Aber clavum tabernaculi, assumens pariter & malleum, & ingressa abscondità & cum silentio posuit supra tempus capitis ejus &c. Isboseth* 2. Reg. 4. *super stratum suum dormientem in meridie Rechab & Baana frater ejus percutientes interfecerunt.* David hastam & scyphum dormienti in castris Sauli abstulit 1. Reg. 26. quem nullo negotio trucidâsset, si libuisset. Samson obdormiens in sinu Dalilæ à Philistiim apprehensus est oculisq́ue orbatus Judic. 16. Infelix exitus paucorum exemplum est omnium. Discent etiam à Gruibus Præfecti, alter alterius onera portare, neq́; enim omnia soli onera portare sufficiunt. Constituant ergò fideles Vicarios & Coadjutores, qui suppetias ferant manusq́; auxiliatrices. Sequantur salubre consilium quod Jethro Moysi dedit in constituendis judiciorum Magistratibus Exod. 18. *Audi*, inquit ille Moysi *verba mea, atq́; consilia* &c. Notat etiam Plutarch. lib. de solert. animal: fol. 967. aliter volare grues aëre tranquillo & sereno: aliter densiore & asperiore. Aëre enim tranquillo procedunt in modum lineæ, aëre verò asperiori in modum trianguli, ut cuspide illius sinûs ac dispositionis commodiùs aërem obsistentem findant. Imitemini & vos istam solertiam ô Præfecti Reipub. & discite hinc, quomodo gubernanda sit Respub. Aliter enim regenda in tranquillitate pacis,

aliter cùm ſpirant venti & ingruunt tempeſtates bellorum ac tumultuum &c. Conſtituite tunc benè agmen veſtrum ne vi ventorum rumpatur & ſcindatur ordo & politia. Porrò Judices omnes & Præfectos hîc moneo verbis laudatiſſimi Joſaphat 2. Paralip 19. *Videte quid faciatis, non enim hominis ſed DEI exercetis judicium, & quodcunq; judicaveritis in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* Et iterum cap. 6. Vos hortor cum Sapiente. *Audite Reges & intelligite, diſcite Judices finium terræ* &c. Deniq́ue cum Pſalmiſta Pſ. 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, ſervite Domino cum timore, & apprehendite diſciplinam &c.*

Sequuntur *Virgines* quibus in Strenam do *Luſciniam* ſeu Philomelam, licet in Scriptura non reperiatur. Sed quia in hac avicula multa ſunt conſideranda, quæ virginibus apprimè conveniunt. Luſcinia imprimis propter teneritudinem ægrè ac difficulter poteſt educari. Sic Virginem ſeu Virginitatem diu illæſam ſervare difficile eſt. Diximus ſupra ex D. Hieron. pudicitiæ formam rem eſſe teneram & quaſi florem pulcherrimum ad levem auram marceſcere, leniq́ue flatu corrumpi. Nimirum ut pupilla oculi facilè læditur niſi cum ſumma providentia cuſtodiatur: ita Virginitas facilè detrimentum patitur, niſi omni cuſtodiâ atq́ue cautelâ ſervetur, ut meritò Sapiens monuerit Eccli. 7. *Filiæ tibi ſunt, ſerva corpus illarum, & non oſtendas faciem tuam hilarem ad illas, trade filiam, & grande opus feceris, &c.* Cui conformis D. Paulus 1. Cor. 7. *Si quis turpem ſe videri exiſtimat ſuper Virgine ſua, quòd ſit ſuper adulta, &c.* Unde non adeò commendandi Parentes qui filios aut filias ad Matrimonium aſpirantes, neq́ue de ingreſſu alicujus Religionis approbatæ ſeriò deliberantes & cogitantes, diutiùs quàm par eſt detinent, antequam nuptui tradant, cùm ſit meliùs nubere quàm uri. Ideòq́ue ſi non ſe continent, nubant ait idem Apoſtol. 2. Luſcinia licet amicabilis

bilis sit & grata avicula, tamen decore ac colore plumarum seu pennarum, se non ita reddit commendabilem. Sed illud ex quo potissimùm commendatur, internum est. Ita Virginis pulchritudo potissima ab intùs. Non se putet Sponso suo amicabilem & gratam fieri externo cultu & apparatûs splendore. 1. Tim. 2. *Mulieres in habitu ornatæ cum verecundia & sobrietate ornãtes se, non intortis crinibus vel auro, vel margaritis, aut veste pretiosa &c. Dum enim ornari cultiùs & evagari liberiùs Virgines volunt,* ait D. Cyprian. de Habitu Virg. *esse Virgines desinunt, furtivo decore corruptæ, viduæ antequam nuptæ, non mariti sed Christi adulteræ, quàm fuerant præmiis ingentibus Virgines destinatæ, tam magna supplicia pro amissa virginitate sensuræ.* Et paulò post. *Estote tales quales vos Deus artifex fecit, maneat in vobis facies incorrupta, cervix pura, forma sincera. Non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla de armillis & monilibus catena pretiosa. Crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo DEO digni.* Et rursùm. *Sericum & purpuram induti, Christum induere non possunt, auro & margaritis & monilibus ornati ornamenta cordis ac pectoris amiserunt.* 3. Philomela dulcissimè ac suavissimè cantillat, sic de Virgine Christiq; Sponsa dicitur Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies decora.* Talem autem addit in dulcissimo suo Cantico Virginum Princeps Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum.* &c. Audi quomodo ad dulcedinem divinarum laudum & Ecclesiasticorum canticorum hortetur *D. Aug. de bono Virginit.* Laudate dulciùs quem cogitatis uberiùs, sperate feliciùs cui servitis instantiùs, amate intensiùs cui placetis, ardentiùs. Lychnis accensis & lucernis ardentibus expectate, Dominum quando veniat à nuptiis. Vos adferetis ad nuptias, Agni Canticum novum quod cantabitis cytharis vestris, non, utique tale, quale cantat universa terra, cui dicitur. Cantate, Domino canticum novum, cantate Domino universa terra. ,,

„ſed tale quale nemo niſi vos, poterit dicere. Sic enim vos vidit „in Apoc. quidam præ cæteris dilectus Agno, qui diſcumbere ſu„pra pectus ejus ſolitus erat, & bibebat, & eructabat mirabilia, „ſuper cœleſte DEI verbum. In quo alludit ad illa verba *Apo„calipſis.* Cantabant quaſi canticum novum ante ſedem, & ante „quatuor animalia & Seniores. Et nemo poterat dicere canti„cum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti „ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinqui„nati, Virgines enim ſunt, hi ſequuntur Agnum quocunq; ierit. 4. Nec tantùm à dulcedine ac ſuavitate vocis philomela commendatur, ſed etiam à fortitudine & pertinaci quadam inſtantia. *Luſciniis,* inquit Plin. lib. 10. cap. 29. *diebus ac noctibus continuis quindecem garrulus ſine intermiſſu cantus denſante ſe frondium germine non in noviſſimum digna miratu ave.* Primùm *tanta vox tanto in corpuſculo, tam pertinax ſpiritus, &c.* Et vobis ô Virgines ut ſitis ſpirituales quædam luſciniæ neceſſarius eſt fortis & pertinax ſpiritus; quia dæmon variis modis diverſisque artibus ac fraudibus veſtram arcem oppugnat. Fortiter igitur & viriliter reſiſtendum clamando ad DEum, fortiùsque inclamando divinis ejus auribus, ad implorandam ejus opem his aut ſimilibus verbis. *DEus in adjutorium meum intende* &c. Et. Pſ. 117. *Exurge Domine adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum.* Et, *Dominus mihi adjutor & ego deſpiciam inimicos meos.* Et Matth. 8. *Domine ſalva nos perimus.* Et Pſ. 53. *Exurge Domine quare obdormis? exurge & ne repellas in finem.* Et Pſ. 55. *In Domino ſperavi, non timebo quid faciat mihi caro,* &c. Deniq; luſciniæ minores ſeu juniores imitantur verſus ac cantus majorum æmulâ quâdam attentione, præbentque ſe audiendo dociles. *Certant inter ſe* inquit idem Plin. *palamq; animoſa contentio eſt. Meditantur aliæ juniores, verſusq; quos imitentur accipiunt. Audit diſcipula intentione magnâ & reddit, vocibusq; reticens intelligitur emendata correctio,*

ctio, & in docente quadam reprehensio. Ita & Virgines studeant imitari virtutes perfectiorum, & præbeant se in omnibus piis instructionibus & spiritualibus exercitiis dociles & attentas. Admittant etiam libenter correptionem Seniorum. Cogitent sibi multa deesse ad perfectionem, & studiosè ac sollicitè observent aliorum virtutes ac perfectiones, quas suæ proponant imitationi. Ita refertur apud *D. Bern.* de quodam Monacho, eoque Laico, qui ad ejus pedes se projiciens cum magna confusione seipsum accusabat. Væ mihi, quia Fratrem unum hâc „ nocte consideravi, in quo triginta virtutes numeravi, quarum „ nec unam quidem in me invenio. Idipsum fecit & *B. Bern.*, „ serm. 5. in Cant. Alium intueor singularis abstinentiæ, alium „ verò patientiæ admirandæ, alium autem summæ humilitatis, „ & mansuetudinis, alium multæ misericordiæ & pietatis, istum, „ in contemplatione frequenter excedere, hunc pulsare cœlos „ orationum instantiâ, alios in aliis præeminere virtutibus. Hos, „ inquam, considero omnes ferventes, omnes devotos, omnes, „ cœlestibus donis & gratiis affluentes, tanquam spirituales re- „ vera montes, quià Domino visitantur. Ego autem qui horum „ in me invenio nihil, quid me aliud putem quàm unum de mon- „ tibus Gelboë, quem præterit in ira & indignatione sua ille cœ „ terorum benignissimus visitator? Filioli hæc cogitatio conti- „ net oculorum extollentiam, conciliat gratiam, Sponsi saltibus „ præparat. Nec minùs luculenter *Gregor.* 24. Moral. 6. Qui „ plenissimè intelligere appetit qualis est, tales debet conspicere, „ qualis non est, ut ex bonorum forma metiatur quantò ipse de- „ fectus bonis deformis est. Ex iis quippe quibus plenissimè bo- „ na adsunt, perpendit rectè, quæ sibi minùs sunt, atq; in illo- „ rum pulchritudine conspicit fœditatem suam, quam in semet- „ ipso & perpeti potest & sentire non potest. Justorum ergò de- „ bemus vitam conspicere, ut subtiliter deprehendamus no- „

„ſtram, illorum videlicet ſpecies quaſi quædam forma nobis i-
„mitanda proponitur, quia noſtra lectio eſt vita bonorum.
Ultimò, Luſciniæ ſatis fæcundæ ſunt. Dicit enim Plin. loc. cit.
eas parere cùm plurimùm ſena ova. Ita Virgines licet ſteriles
ſint prolium, fæcundæ tamen ſint virtutum, gratiarum & privi-
legiorum DEI. Hinc Iſai. 56. *Non dicat Eunuchus* qui ſe caſtra-
vit propter regnum DEI, nec virgo, *ego lignum aridum, quia hæc
dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierunt ſabbata mea, & elegerunt
quæ ego volui, & ſervaverunt fœdus meum, dabo eis in domo mea, &
in muris meis locum*, &c.

Viduis pro Strena offero *Turturem*. Convenit hæc avis Viduis ob certas quasdam conſiderationes. 1. Turtur eſt coloris ferè cinerei, ſic oportet habitum Viduarum eſſe lugubrem, ab habitu Conjugatorum quæ cupiunt placere viris, & Juvencularum quæ ambiunt maritos, valdè diverſum. Sic Judith cap. 10. *Induebatur veſtimentis viduitatis ſuæ*, quibus exuebat ſe cùm ad Holofernem deſcenderet. Sic & Thamar Gen. 38. cùm concepiſſet ex Juda depoſuit habitum ſuum, & induit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ. Commendat Salvinam viduam D. Hieron. quòd litam purpuriſſo & ceruſsâ faciem ſuper feretrum mariti diluerit, quòd pullam tunicam nigroſq; calceolos candidæ veſtis & aurati abaci depoſitione ſumpſerit, ſicque in jejunio perſeveraverit. Habitus ergò nimis ornatus, & ſæcularis, qui levitatem atq; laſciviam indicat, minimè decet viduas quæ verè viduæ ſunt. Sed etiam fugiat vidua conſortium earum, quæ in hac levitate ambulant. Hinc idem Hieron. ad Furiam viduam ſcribit ita. *Juvenum fuge conſortia, comatulos, comptos, atq; laſcivos domûs tuæ tecta non videant. Nec Procurator calamiſtratus, nec formoſus collactaneus, nec rubicundus & candidus aſſecla lateri tuo adhæreat.* 2. Turtur non iterat ſocialem conjunctionem, ſemel viduata & orbata compare, ut pulchrè ac diſertè teſtatur D. Ambroſ.

brosi lib. 5. Hexam. cap. 19. *Turtur ubi jugalis proprii fuerit amissione orbata, pertæsos thalamos & nomen habet conjugii, eò quòd primus amor fecerit eam dilecti morte deceptam. Itaq; iterare conjunctionem recusat, nec pudoris jura, aut complaciti viri resolvit fœdera, illi soli suam charitatem reservat. Illi custodit nomen uxoris.* Discite mulieres quanta sit viduitatis gratia, quæ etiam in avibus prædicatur. Quis has leges turturi dedit? Si hominem quæro, non invenio: homo enim nullus est ausus, quando nec Paulus est ausus leges tenendæ viduitatis præscribere. Nam ipse ait 1. Tim. 5. *Volo ergo juniores nubere, filios parere, Matres familias esse, nullam occasionem dare adversario.* Et alibi 1. Cor. 7. *Bonum est illis si sic permanserint, quòd se non continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm uri. Optat Paulus in mulieribus, quòd in turturibus perseverat. Et juniores hortatur ut nubant, quia mulieres nostræ turturum pudicitiam vix implere possunt. Ergo turturibus DEus hunc infudit affectum, hanc virtutem continentiæ dedit, qui solus potest præscribere quod omnes sequantur. Turtur non uritur flore juventutis, non tentatur occasionis illecebrâ. Turtur primam fidem irritam nescit facere, quia novit castimoniam servare primâ connubii sorte promissam.* Hæc S. Hieron. Optat D. Paulus 1. Cor. 7. ut mulieres hanc turturum cõditionem imitentur. *Beatior* inquit, *erit, si sic permanserit secundùm meum consilium.* At jam, invenire est viduas, quæ vix sepulto primo marito alterum ambiunt. Quæ si juxta *D. Hieronymi* „ *monitionem* ad Furiam, cogitarent quotidie se morituras, nun- „ quam ad secundas nuptias aspirarent. Interim obtendunt ple- „ ræq; honestam matrimonii secundi causam. Solent enim, ait, „ idem D. Hieron. adolescentulæ viduæ, quarum nonnullæ abie- „ runt retrò post Sathanam cùm luxuriatæ fuerint in Christo, nu- „ bentes dicere. Patrimoniolum meum quotidie perit, majo- „ rum meorum hæreditas dissipatur, servus meus contumeliosè „ locutus est, imperium ancilla neglexit. Quis procedet „ ad pu-

„ ad publicum ? quis respondebit pro agrorum tributis ? „ parvulos meos quis erudiet ? & vernulas quis educa- „ bit? Et hanc proh nefas causam opponunt matrimonii, quæ „ vel sola debuit nuptias impedire. Superducit mater filiis non „ nutricium sed hostem: non Parentem sed Tyrannum, inflam- „ mata libidine oblivisciturutericui, & inter parvulos suas mi- „ serias nescientes, lugens dudum, nova nupta componitur. „ Quid obtendis matrimonium? quid superbiam servulorum? „ confitere turpitudinem. Nulla idcircò maritum ducit ut cum „ marito non dormiat. 3. Turtur est avis gemebunda, sic viduarum est gemere ob varias calamitates in quas se incidisse cognoscunt. Dicant ergò sæpè cum Propheta Ps. 26. *Laboravi in gemitu meo* &c. Ps. 37. *Rugiebam à gemitu cordis mei,* &c Ps. 101. Ps. 37. *Gemitus meus non est à te absconditus.* 4. Turtur non quærit arbores frondosas nec opacas, sed siccas & foliis orbatas: ita viduæ non quærant oblectationes mundanas, nec carnales delicias. Nam 1. Tim. 6. *Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Hoc est, in evidenti est periculo mortis. Sic enim dicimus de aliquo, *perit,* cùm in gravem se mortis conjecit occasionem. Sed Isaiæ 38. *Recogitent annos suos in amaritudine animæ suæ.* Amenc loca solitaria, incumbant pœnitentiæ operibus, jejunent corpusque suum castigent, & secundæ quasi virginitatis agant vitam. Deniqúe Turtur avis est pudicissima semper habitans in sublimibus, ut ait D. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. imitentur viduæ hanc pudicitiam. Vult enim Apost. 1. Tim. 3. *Mulieres esse sobrias & pudicas.* Habitent etiam in sublimioribus. Ps. 90. *Altissimum Dominus posuit refugium suum.* Ædificent in profundissimis christi vulneribus, ut possint, Eph. 3. *Comprehendere cum omnibus Sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, sublimitas, & profundum,* &c.

Conjugatis in Strenam offero *Columbam.* Conditiones enim columbæ Conjugatis rectè conveniunt. Inprimis columbæ ser-

bæ ſervant conjugalem quandam pudicitiam, nec thorum violant. Conjugati ſervate fidem hinc inde promiſſam, ſitq; vobis nefas & horrendum crimen violare thorum alterius. Heb. 13. Mementote *honorabile eſſe Connubium in omnibus & thorum immaculatum*, fornicatores & adulteros judicare DEum. Mementote verborum D. Job 31. *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum, ſcortum alterius ſit uxor mea, & ſuper illam incurventur alii hoc enim nefas eſt & iniquitas maxima: ignis eſt usq; ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Audite etiam Sapientem Prov. 6. *Qui adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam. Turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur.* Et Eccli. 23 *Omnis homo quaſi transgreditur lectum ſuum contemnens in animam ſuam, & dicens, quis me videt? tenebræ circumdant me, &c. Sic & mulier omnis relinquens virum ſuum & ſtatuens hæreditatem ex alieno matrimonio &c.* 2. In columbis commendatur ſimplicitas dicente Chriſto Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Laudandi Conjuges ſimplices & recti, à quibus abeſt zelotypia. Ab ejuſmodi ſimplicitate commendatur D. Job. c. 1. *Erat ille ſimplex* &c. Magnum in conjugio malum zelotypia. *Dolor cordis & luctus mulier zelotypa* inquit Eccli. 25. *In muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus communicans. Grave malum zelotypia* inquit D. Chryſoſt. hom. 56. in cap. 38. Geneſ. *Et deſinit in inſipientiam ut evenit Racheli dicenti marito, da mihi liberos, alioquin moriar, æmulando Liam ſororem ſuam quæ pepererat. Inconſiderata enim fuit: hæc multebris petitio animæq; ab æmulatione impugnatæ.* Et ſerm. 10. in 4. Eph. *Zelotypia ſurſum ac deorſum verſat ac turbat omnia, & non ſolùm terrarum orbem, ſed etiam Eccleſiam innumeris malis opplevit.* Caveant ſibi Conjuges ab hoc malo & ſervent ſimplicitatem columbinam, ſintq́ue *oculi eorum oculi columbarum.* 3. Columba fuit nuncia pacis, Emiſit enim ex arca Noë colum-

bam ceſſante diluvio Gen. 8. quæ reverſa ſub veſperam portavit ramũ olivæ virentibus foliis in ore ſuo. Unde Noë intellexit quòd ceſſâſſent aquæ ſuper terram. O Conjuges eſtote & vos pacifici, aut ſi ingruente aliquâ tempeſtate pax domeſtica turbata fuerit vel expulſa, illico inferte ramum pacis. *In tribus enim beneplacitum eſt ſpiritui meo* ait Eccli. 35. *quæ ſunt probata coram DEO & hominibus, concordia fratrum & amor proximorum, & vir & mulier benè ſibi conſentientes.* In ſignum pacis ſervant columbæ communem domum, ſervent & Conjuges cõmunem domum, non habitent ſeparatim vel diviſim, non cogitent divortia. *Iu* 1. Cor. 7. *qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari & ſimiliter, vir uxorem non dimittat. Præcepit Dominus*, ait D. Hieron. lib. 3. ep. 10. *Uxorem non debere dimitti exceptâ causâ fornicationis, & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris jubetur, redundat in fœminas. Neq; enim adultera uxor dimittenda eſt, & vir mœchus retinendus. Quod non licet fœminis, æquè non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur. Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ JESU Chriſti. Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcepit. Apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur, & ſolo ſtupro atq; adulterio condemnato, paſſim per lupanaria & ancillulas libido permittitur, quaſi culpam dignitas faciat non voluntas.* 4. Columba maſculus parturienti fœminæ ſolatia ac miniſteria affectuosè præſtat. Et vos mariti ſubſidio & ſolatio uxoribꝰ gravidis & infirmis, aut quâvis neceſſitate laborantibus eſtote. *Viri* 1. Pet. 3. *ſimiliter cohabitantes ſecundùm ſcientiam quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem tanquam & cohæredibus vitæ æternæ, ut non impediantur orationes veſtræ. Conſidera mulierem* ait. D. Chryſoſt. hom. 27. in 10. ad Cor. 1. *Debile vas* eſſe. Tu autem vir propterea *Princeps factus es, & capitis loco datus, ut ſubditæ feras imbecillitatem. Velis igitur tuum illuſtrare principatum, quòd facies,*

cies, si subditæ non insultaveris. Si enim illam quæ suum post te locum obtinet contumeliâ afficis, non parùm tui principatûs derogas honori. Et paulò post. *Quotiescunq; aliquid molesti domi contigerit, si quid uxor peccaverit consolare & noli mærorem augere. Quodsi invicem onera ferenda sunt, multò magis uxoris: & si pauper sit noli exprobrare, & si stulta noli ei insultare, sed esto modestior, etenim tuum membrum est, & caro una facti estis.* Refert ibidem exemplum de quodam Philosopho, qui cùm malam haberet uxorem, pravam, temulentam, & interrogaretur quâ gratiâ ejus mores toleraret, respondit, ut gymnasium & palæstram Philosophiæ domi habeam. Ero enim inquit tum cæteris mansuetior, cùm in eâ toleranda domi erudiar.

Jam ad fructum matrimonii quæ est proles. *Pueris* ergò & Adolescentibus do *Ciconiam*, de hac dicit Scriptura, quòd custodiat tempus adventûs sui. Utinam & vos *Adolescentes* custodiretis, & cognosceretis tempus adventûs vestri, quare nimirum in hunc mundum veneritis, non ad otiandum, ludendum, bibendum, comessandum, luxuriandum, pejerandum, mentiendum, &c. Sed ad, DEO, Parentibus serviendum, & obsequendum. Quod quidem erga Parentes obsequium vos ciconiæ docent, quæ Parentibus jam senio confectis & quodammodo implumibus subsidium afferunt, ac tegumentum præbent eos cooperiendo propriis alis. Hinc avis ista apud Romanos *pia* dicebatur, seu pietatis symbolum. Discant exemplo ejus Filii Parentum necessitati subvenire, eosq; si pauperie gravantur sustentare, hoc enim est verè Parentes suos honorare ut Christus testatur Matth. 15. *DEus dixit. Honora Patrem & Matrem, vos autem Scribæ & Pharisæi dicitis, quicunq; dixerit, Patri vel Matri munus quodcunq; est ex me tibi proderit, & non honorificabit Patrem vel Matrem suam,* &c. Ciconia est avis e lingvis aut nonnisi particulam lingvæ habens, non sint ergo adolescentes multùm loquaces & garruli, sed discant lin-

lingvam compescere. *Proximus ille DEO qui scit ratione tacere.* Hinc Eccli. 32. *Adolescens loquere in tua causa vix,* &c. Et Prov. 18. *Qui priùs respondet quàm audiat stultum se esse demonstrat.* Et Eccli. 11. *Priusquàm audias ne respondeas verbum, & in medio Seniorum ne adjicias loqui.* Imitentur exemplum Christi duodennis, quem, Luc. 2. dicitur, sedisse in medio Doctorum audientem illos & interrogantem. Priùs, inquam, audientem, quàm interrogantem. Hæc de Conjugatis & Filiis.

Servorum & ancillarum oblivisci non oportet, quia Domino formam serviaccipere dignatus est : his igitur pro Strena largior *Gallum*, cujus conditiones illis applico. Gallus, inprimis, est avis domestica, manens in territorio Domini sui, neque per alienas ædes multùm discurrit. Sic decet servos & ancillas se continere domi, nec passim discurrere vel egredi, nisi quando mittuntur. Decet eos custodire domum, ibique paratos esse, ut pulsantibus aperiant, ut Christus D. dicit in quadam parabola Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti,* &c. Gallus multùm vigilat, dormientesq; tempestivè excitat. Luc. 12. *Beati servi illi quos cùm venerit Dominus &c.* Gallus attollens caput videtur uno oculo cœlum, altero terram aspicere, sic faciant servi quæ jubentur dum non repugnent æquitati vel honori Dei. Quia Act. 5. *potiùs obediendum Deo quàm hominibus,* alterum oculum ad voluntatem Dei attollant, altero verò Domini terrestris voluntatem aspiciant. Duobus enim illos Dominis oportet servire, sed non sibi contrariis, non sic placere debent homini ut displiceant DEO. Alioqui Gal. 1. *Si adhuc hominibus placerem* potiùs quàm DEO, *Christi servus non essem.* Gallus terram scalpendo escam eruit ac sollicitè cibum quærit non otiosè obambulat, sic & vos in sudore vultûs vestri vescamini pane vestro. 2. Thess. 3. *Qui non vult operari non manducet.* Gallus si reconditam eruerit escam eam sibi non reservat, aut saltem non soli, ita si famulorum labor

bor cedat in Dominorum utilitatem. Deniq́uc gallus leoni ferarum generosissimo & fortissimo terrori est. Prov. 30. Sic vitam vestram componite & instruite servi, ut terrori sitis diabolo, *qui tanquam leo rugiens quærit quem devoret.* 1. Petr. 5. Hoc autem fiet si frequenter & devotè Sacramento Dominici Corporis vos munieritis, tum enim *tanquam leones ignem spirantes ab hac mensa recedetis facti diabolo terribiles*, ut ait Chrysost. hom. 61. ad populum.

Pueris in Strenam do *Vermiculum* sed alatum instar avis, *Apem.* Est valdè diligens & assidua temporis sui exactam rationem habet, colligit namq́ue in æstate formicarum more ea quibus vivat hyeme. Discant ejus exemplo Pueri præsertim scholares diligenter ac fructuosè tempus suum expendere ac collocare. Sint assidui in studiis aliisq́ue honestis ac salutaribus exercitiis. *Nulla dies abeat quin linea ducta supersit.* Cogitent illud Catonis. *Non jacet in molli veneranda scientia lecto: ipsa sed assiduo parta labore venit*: Rursum illud Horatii; *Qui studet optatam cursu contingere metam, multa tulit, fecitq́; Puer, sudavit & alsit.* Meminerint DEum omnia laboribus vendere. Diligenter seminent in juventute ut aliquando metant in senectute. Nam ut Sapiens dixit Eccli. 25. *Quæ in juventute tua non congregâsti quomodo in senectute invenies?* Apis delectatur floribus, iisq́ue frequenter circumvolitando præsens est, gaudetq́ue florum odore. Ita gaudeant Pueri & scholares floribus virtutum, & libenter & frequenter conversentur cum eis, qui Christi sunt bonus odor 2. Cor. 2. seu qui virtutum odorem ex se diffundunt. Agant & tractent cum ingenuis, & piis suæ sortis juvenibus, non cum perversis ac depravatis; ne eorum vitiosos mores induant, cum bonis enim boni erunt, & cum perversis pervertentur. Prov. 22. *Adolescens juxta viam suam & cùm senuerit non recedet ab ea.* Apes sequuntur Ducem suum eiq́ue in omnibus obtemperant, ita

Pueri & ſcholares Præceptores ſuos qui eis ſunt duces vitæ ac morum, libenter ſequantur, illiſque in omnibus prompto animo obediant aliquid præcipientibus. Apis eſt animal ſobrium ac caſtum. Sobrietas ac caſtitas inſigne ſunt ornamentum juventutis. Hinc Apoſt. Tit. 2. *Juvenes hortare ut ſobrii ſint.* Sobrietas acuit ingenium, & gignit ſubtilem ſenſum; & è contrà, pingvis venter non gignit tenuem & ſubtilem ſenſum. Ut ergò juvenes felicem in ſtudiis faciant progreſſum, ſobrii ſint. Caſtitas quoque eos maximè decet, nam ut Horat. *Qui ſtudet optatam cursu contingere metam. Abſtineat Venere & Baccho.* Deniqúe Apes gaudent alveari ſuo libentiſimèque illud ingrediuntur. Ita pueri & ſtudioſi frequenter intrent Eccleſiam deprecaturi DEUM pro felici ſtudiorum ſucceſſu, & invocaturi gratiam Spiritûs S. Nam non minùs aliquando orando quàm ſtudendo & laborando in eruditione proficitur, ut D. Thomæ, Bernardo, Bonaventuræ contigiſſe legimus.

STRENA VII.

De Animalibus Quadrupedibus.

DAturus nunc ſum omnibus & ſingulis ſtatibus pro Strena Chriſtum D. ſub diverſis animalibus conſideratum & figuratum in Scriptura.

Sacerdotibus ergo do Chriſtum tanquam *Cervum.* Comparatur enim Cant. 2. *hinnulo cervorum. Similis eſto dilecte mi capreæ, hinnuloq; cervorum.* Diverſa in Cervis conſiderantur, quæ Chriſto ejusque Sacerdotibus conveniunt. 1. Chriſtus mirabiliter ſalit. Saliit è ſinu Patris in ſinum Virginis, è ſinu Virginis in terram, è terra in crucem, è cruce in ſepulchrum, & infernum. Hinc Cant. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Tranſilient etiam Sacerdotes foveas peccatorum, lapides offenſionum,

ſonum, impedimenta virtutum, non ſint infixi *in limo profundi* Pſ. 65. nec in fæcibus vitiorum, ſtudeant ſe extricare ſordibus & inquinamentis hujus ſæculi. Dicant cum Propheta Pſ. 7. *In Deo meo transgrediar murum.* 2. Cervus facilè cicurari poteſt, reddi mitis, placidus eſt & ſimplex. Talis fuit myſticus cervus Chriſtus D. Matth. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Talem etiam oportet eſſe Sacerdotem & Epiſcopum teſtante Paulo Tit. 1. *Oportet Episcopum eſſe hoſpitalem, benignum,* &c. Sed licet cervus ſit animal innocens, bellum tamen gerit cum ſerpentibus teſte Plin. lib. 8. cap. 32. *Eſt iù cum ſerpente pugna, inveſtigant cavernas, nariumq; ſpiritu extrahunt renitentes.* Ita Chriſtus pugnam inivit cum ſerpente infernali, adeòque diabolis inviſus fuit, ut ejus præſentiam ferre non potuerint. Clamabant enim Marc. 1. Luc. 4. *Quid nobis & tibi JEsu Nazarene, veniſti ante tempus, perdere nos?* Extraxit eos quoque ex cavernis corporum & animarum ejiciendo, ſcilicet ex corporibus obſeſſorum. Sic & Sacerdotum eſt pugnare cum antiquo ſerpente ut accipiant regnum æternum. Sint capitales inimici ſpirituum infernalium. Extrahant eos cum facultate Superiorum ab energumenis & catechumenis ſpiritu oris ſui, dum exorciſant & baptiſant. *In nomine meo* inquit Chriſtus Marc. ult. *damonia ejicient, ſerpentes tollent.* 3. Cervus velox eſt in curſu & ſaltu, unde Iſaiæ 35. *Tunc ſaliet ſicut cervus claudus.* Chriſtus etiam velox fuit in curſu & ſaltu ſuo, quia Pſ. 18. *Exultavit ut gygas ad currendum viam ſuam.* Eſtote & vos DEI Sacerdotes veloces in curſu veſtro, & *ſic currite ut comprehendatis* 1. Cor. 9. Dicite cum Propheta Pſ. 17. *Perfice greſſus meos tanquam cervorum,* nimirùm ad tranſilienda ſpinoſa hujus ſæculi. Dicite rurſum cum eodem Pſ. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilatâſti cor meum.* De Petro & Joanne ſcriptum eſt, Joan. 20. *Currebant autem duo ſimul ad monumentum & ille alius diſcipulus quem amabat JEsus præcucurrit citiùs Petro.* Sic & vos in ſpirituali ſtadio certatim currite,

rite, ut dicere liceat cum Apostolo 2. Tim. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi,* &c. 4. Cervus juxta fontes libenter versatur Ps. 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.* Ita & mysticus Cervus noster juxta fontem invenitur, ibique sedet & requiescit. Dicit enim Scriptura Joan. 4. *JEsus ergò fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Imò & ipse fons est Jerem. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Estote & vos Sacerdotes mystici cervi, quærite fontem gratiæ, fontem Scripturarum. Anhelate ad DEum fontem vivum & dicite cum Propheta Ps. 41. *Sitivit anima mea ad te DEum fontem vivum, quando veniam* &c. 5. Cervus tuetur se cornibus. Cornua sunt verba DEI. His etiam se tuebatur mysticus Cervus Christus, cùm tentaretur & oppugnaretur à Diabolo. Matth. 4. *Scriptum est, non tentabis D. DEum tuum. Scriptum est* &c. Et vos Sacerdotes cornibus utriusque testamenti defendite vos & populum Christianum contra impugnatores fidei. Abacuc 3. Sint hæc *cornua in manibus* vestris. Dicite cum Propheta Regio Ps. 43. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu.* 6. Cervi libenter in montibus versantur. Hinc Ps. 103. *Montes excelsi cervis.* Christus etiam montibus gaudebat. Matth. 14. *Ascendit in montem orare solus,* Matth. 17. *Assumpsit Jacobum Petrum & Joannem, & duxit eos in montem excelsum,* &c. Et Luc. 22. *Ibat secundùm consuetudinem in montem.* Et vos Sacerdotes amate montes, & dicite cum Propheta Ps. 120. *Levavi oculos meos in montes unde veniet auxilium mihi.* Coloss. 3. *Quæ sursum sunt sapite,* sit Philip. 3. *Conversatio vestra in cœlis.* Denique de cervis scribit Plin. Quòd aquam tranantes se invicem mirè juvent. *Maria tranant gregatim nantes, porrecto ordine & capita imponentes præcedentium clunibus, vicibusq; ad terga redeuntes.* Ita Christus onera nostra, id est, peccata, quæ, Ps. 37. *Sicut onus grave gravata erant* super nos, portavit in corpore suo, & in humeris suis. Isai. 53. *Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores*

nostros

dolores noſtros ipſe portavit, Et vos Sacerdotes *alter alterius onera portate, ut adimpleatis legem* Chriſti, Vos, Gal. 5. *infirmos in fide ſuſcipite, & ſi præoccupatus fuerit quis in delicto, vos qui ſpirituales eſtis, ejuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis* &c. Veſtrum eſt in vinea Domini laborare & portare pondus diei & æſtûs.

Rectoribus Reipubl. do Chriſtum *Leonem.* Chriſtus enim frequenter Leoni comparatur, Gen. 49. *Catulus Leonis Juda requieſcens, accubuiſti ut Leo &c.* Apoc. 5. *Vicit Leo de Tribu Juda.* Oſeæ 11. *Quaſi Leo rugiet.* Inprimis Leo à fortitudine commendatur. Prov. 30. *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum.* Chriſto inter varia nomina tribuitur hoc nomen *Fortis* Iſaiæ 9. Luc. 11. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum.* Et vos Judices *virtute veſtrâ irrumpite iniquitates*, nec cedatis fracti metu, nec Eccli. 7. *Honoretis in judicio vultum Potentis*, ne ſitis Act. 5. perſonarum acceptatores, quia *non eſt perſonarum acceptio apùd DEum.* Ne ſitis de numero eorum de quibus Micheæ 3. *Principes ejus in muneribo judicabant.* 2. Leo dicitur dormire apertis oculis, & myſticus noſter Leo quodammodo apertis oculis dormivit, ut dicere potuerit, Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Habeatis ſemper oculos conjectos in populum cui præeſtis licet aliis rebus intenti, nam & in vobis locum habere putandum eſt illud Hebr. 13. *Ipſi pervigilant pro vobis, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris.* Veſtrum etiam eſt de nocte aliis dormientibus, luſtrare vicos & plateas, ut videatis quid agatur, nullæ ſint inſidiæ, non turbetur publica quies &c. & impedire quævis mala. 3. Excurrit leo ad prædam. Sic de myſtico noſtro Leone dicitur Gen. 49. *Ad prædam aſcendiſti Fili mi.* Prædam enim abſtulit ex inferno ſeu lymbo, unde *captivam duxit captivitatem.* Epheſ. 4. Et vos ô Judices & Præfecti aſcendite ad prædam, id eſt, impedite peccata, ne propter illa populus ad infernum deſcendat; liberate & eripite injuſtè oppreſſos, id eſt, viduas, pupillos, &c.

Fecit hoc Daniel cap. 3. qui Susannam injustè damnatam liberavit. 4. Leo dicitur clemens esse in supplices; juxta illud Poëtæ. *Parcere subjectis scit nobilis ira Leonis. In sibi prostratos se negat esse ferum.* Ita Christus pepercit supplicibus, ut patet in servo debente decem millia talenta. Matth. 18. Nam procidenti *donavit omne debitum.* Estote igitur & vos Rectores clementes in supplices, ad procidentes. Sit rigor justitiæ temperatus clementiâ & lenitate. Utimini vino, & oleo curandis hominum vulneribus Luc. 10. Sit Elias vobis à dextris, Moyses à sinistris.

Virginibus do Christum ut *Unicornem* cui ille comparatur. Unicornis inprimis dicitur venerari puellas Virgines, & per ea mansuefieri, & sinu earum capi. Christus est mysticus Unicornis, est enim amator castarum virginum, & suavis fragrantia Virginalis puritatis illexit hunc unicornem in Virginis Mariæ sinum & uterum. Estote & vos Virgines Unicornis, & virginalem castitatẽ, sic amate ut non tantùm corpore, sed spiritu castæ sitis. 2. Unicornis est solitudinis amator teste D. Basil. serm. 2. in Ps. 28. Ita mysticus Unicornis noster Christus in solitudine seu deserto libenter versatus est, ibique jejunans 40. diebus & 40. noctibus Matth. 4. Ament & Virgines solitudinem, dicantq; cum D. Hieron. l. 2. ep. 15. *Mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est.* Dicant cum Ps. 45. *Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine.* Similes fiant *pellicano solitudinis* & fiant sicut *nycticoraces in domicilio*, & sicut passeres solitarii in tecto. Ps. 101. Maneant cum B. Virgine in conclavi, & orent in abscondito. 3. Unicornis est animal insuperabile, teste D. Basil. serm. 2. in Ps. 28. & vix aliter quàm per Virginem capitur. Christus etiam invictus est, & non potuit capi nisi à Virgine. Virgines quoq; decet fortitudo, ut illibatam servent castitatem & puritatem. *Grandis enim virtutis est & sollicitæ diligentiæ superare quod natæ sunt*, ait D. Hieron. ad Furiam. 4. Unicornis dicitur ex indignatione & tristitia mori si vinctus detineatur,

neatur, Christi anima tristis fuit ad mortem dum à Judæis in hortо caperetur, ibiq́ue Patrem oraret, ut si *possibile esset transiret calix passionis* & mortis Matth. 26. Multæ quoq́; castæ Virgines, ut Thecla, Agnes, Lucia, Agatha, &c. mori maluerunt quàm ab hominum amore capi, & inter eas quædam dixit. *Si me invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* S. Lucia in Brev. Rom. 5. Unicornis cùm ambulat, præcedit omnia animalia, nec patitur quodquam præcedere. Christus Dominus in omnibus nos præcedit virtutibus, de eo quoq́ue dixit Angelus mulieribus Matth. 16. *Dicite Discipulis ejus & Petro, præcedet vos in Galilæam.* Virgines quoq́ue sic vitæ sanctitate emineant, ut turpe existiment se à quopiam virtute superari, conentur piâ quâdam æmulatione omnes præcedere vitæ sanctimoniâ, semper esuriant & sitiant justitiam, eant de virtute in virtutem, *quæ retrò sunt obliviscentes.* &c. Philip. 3. 6. Unicornis juxta nomenclaturam unicum habet cornu, & Christus D. licet duas habuerit naturas, humanam & divinam, una tamen est persona, & unam cum Patre communem habet Divinitatem juxta illud Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Unicornes sint Virgines quasi *uni viro* despondit Apostolus *virginem castam exhibere* Christo. 2. Cor. 11. Clament sæpè cum Psal. 21. *Erue à framea DEus animam meam, & de manu canis unicam meam.* Unum petant à Domino & hunc sæpè requirant *ut inhabitent in domo Domini omnibus diebus vitæ suæ* Ps. 26. 7. Unicornis priusquàm bibat, cornu intingit in aquas, & ejusdem contactu dicitur fugare venena, præbetq́ue salubrem virtutem contra omne venenum. Et mysticus noster Unicornis Christus, intinxit cornu in aquas Jordanis Matth. 9. quando baptisari voluit à Joanne, & tribuit aquis virtutem purgandi, sanandi, regenerandi, & pepulit omne venenum, & contagium peccati originalis aquâ baptismali Casta quoq́; virgo pellit omne venenũ peccati mortiferi virtute cornu, scil. virtute crucis, ubi *absconditа est fortitudo ejus.*

do ejus. Abacuc 3. Virtute hujus cornu S. Joannes qui semper Virgo mansit legitur venenum extinxisse quodilli fuit propinatum.

Viduis do Christum ut *Arietem.* Christus per Arietem ab Abraham immolatum significatur, & ad pabula ducit. Ita mysticus Aries Christus D. ducit nos, vocat, & invitat ad pabulum pretiosi corporis sui Matth. 26. *Accipite & manducate* &c. Et Prov. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum* &c. Sic & vestrum est Vidui & Viduæ præcedere juniores ad pabulum carpendum spirituale, ad conciones aliaq; officia divina, ut in bonis operibus testimonium habeatis, sicut D. Paulus in Viduis requirit 1. Tim. 5. Ducat ergò juniores, ad Ecclesiam, ad preces, ad usum Sacramentorum &c. &c. 2. Iterùm Arietes præcedunt oves ad caules, ad stabulum, ad quietem & somnum. Christus præcessit nos ad veram requiem. *Vado parare vobis locum* Joan. 4. &c. *Vado ad eum qui me misit* Joan. 15. Et *expedit vobis ut ego vadam.* Sic & Viduarum est ducere Juniores ad stabulum Ecclesiæ, ad domum DEI, & invitare illos ad locum illum ubi aliquando *requiescent à laboribus suis* Apoc. 14. 3. Aries Abrahami cornibus hærebat inter vepres Gen. 22. Spinis Christus coronatus mortuus est. Matth. 27. & vos Viduæ sic inter spinas & tribulos molestiarum & tribulationum hæretis, ut aliquando mortem potiùs exoptetis quàm vitam, tot difficultatibus & incommodis agitamini, tot puncturis laceramini, ut à morte aliquando non procul absitis. Sed imitari debetis Christum Arietem mysticum, qui inter spinas non murmuravit, non spineam coronam excussit, nec de Cruce descendit, sed patienter omnia toleravit donec spiritum exhalaret. Ita & vos contra omnes hujus mundi adversitates patientiâ ac tolerantiâ coronemini. 4. Aries ille Abrahami oblatus est in holocaustũ. Christus D. oblatus est in ara Crucis salutaris. Viduæ, *obsecro vos per misericordiam DEI ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.* Roman. 12. Mactate omnes carnales affectus,

fectus, & *mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam* Coloss. 3.

Conjugatis do Christum ut *Leænam*; Sicut enim Rectoribus civitatis dedi Leonem, ita Conjugatis qui sunt Rectores familiarum dare licet. Comparatur Christus non tantùm Leoni sed & Leænæ à S. Jacob Patriarcha. *Requiescens accubuisti ut Leo, & quasi Leæna, quis suscitabit eum?* Leænam inprimis scribit Plin. lib. 8. cap. 15. dolis carere & suspicione, convenit hoc Christo, in cujus *ore non est inventus dolus.* 1. Petr. 2. Hoc est Conjugatis curandum ut vivant sine dolo ac fraude. *Nolite fraudare invicem,* ait Apost. 1. Cor. 7. *Nisi fortè ex consensu ad tempus ut vacetis orationi.* Vivant etiam sine suspicione ac zelotypia. Ubi enim vir suspectam habet uxorem, & uxor virum, ibi non requiescit vera pax, sed domus plena est jurgiis. 2. Scribit idem Plin. loc. cit. Leones & Leænas non intueri limis oculis, & simili modo aspici nolle. Christus D. ne quidem pauperes limis aspicit oculis nec dedignatur eos. Ps. 10. *Oculi ejus in pauperes respiciunt, & palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Non intueantur etiam se invicem limis oculis sed rectis, placidis, benignis. 3. Dormientis Leænæ oculi suffulgent teste Plinio. De Christo D. dicit Joannes Apoc. 16. *Oculi ejus sicut flamma ignis.* O Conjuges, dormite apertis, quod ajunt, oculis, quia magnus thesaurus vobis commissus est, salus nimirum vestrorum liberorum. Erit enim anima vestra pro animabus eorum. Observate diligenter mores eorum, an de nocte non currant ad loca inhonesta, frequenter cauponas intrent, lusibus & potibus vacent, &c. Si quæ hæc deprehendatis vitia, corrigite, & deinceps illos *educate in disciplina & correptione Domini,* ut Apost. salubriter monet Ephes. 6.

4 Leæna pro catulis dimicat, ait idē Plin. & hoc cùm facit, oculorum aciem fertur defigere in terram. Et Christus Leænæ instar pro nobis tanquam catulis suis dimicavit demissis etiam

oculis, quando *inclinato capite in Cruce tradidit ſpiritum* Joan. 19. Et vobis ô Parentes & Conjuges dimicandum eſt pro liberis veſtris, magnus Venator jam emiſſus eſt, qui veſtros molitur auferre & eripere catulos. Defendite eos, liberate eos ex faucibus ejus antequam exportentur in barathrum infernale. Teſtatur D. Greg. 4. Dial. 18. Filium quinquennem jurantem & blaſphemantem, nec à Patre correctum, è ſinu ejus à venatore diabolo abreptum. Deniq; refert Origenes ſerm. 17. in Gen. 49. Catulum Leænæ editum in lucem triduo dormire, & tum parentis rugitu ſuſcitari. Hoc pulchrè convenit Chriſto, qui triduo in ſepulchro dormivit, ſed eum Pater ſuſcitavit à mortuis. *Ego dormivi & ſoporatus ſum & exurrexi quoniam Dominus ſuſcepit me.* Pſ. 3. Parentes tempus eſt ut rugiatis, ut dicatis cum Pſ. *Rugiebam à gemitu cordis mei,* ut hoc modo excitentur catuli veſtri; nam dormiunt ſomnum vitiorum, & obliviſcuntur DEI Creatoris ſui. Dicite ergo cum Apoſt. Epheſ. 5. *Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* O Chriſte ſuſcita eos, qui ſuſcitâſti filium Civitatis Naim. *Adolescens* inquiens, *tibi dico ſurge* Luc. 7.

Juvenibus & Pueris do Chriſtum Agnellum. Chriſtus enim ſignificatur per Agnum Paſchalem, de quo ſic ſcriptum Exod. 12. *Erit agnus ſine macula, maſculus anniculus.* Tales agnellos & vos opto eſſe ſine macula, abſque nota infamiæ, abſque peccato turpi, ſiquidem macula peccatum eſt. Macula inobedientia, petulantia, ebrietas, turpiloquium, ſcurrilitas, &c. Fuit agnus ille maſculus, quo ſignificatur fortitudo: nihil fœmineum, nihil molle, nihil fluxum Chriſtus admiſit. Tales ſint adoleſcentes, nihil in moribus habeant diſſolutum. Imitentur juniorem Tobiam de quo ſic teſtatur Scriptura Tob. 1. *Cùm eſſet junior in omni tribu Nephtali nihil tamen puerile geſſit in opere, cùmq; omnes irent ad vitulos aureos quos Jeroboam fecerat Rex Iſraël, hic ſolus fugiebat conſortium omnium, & pergebat in Jeruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat ad D. DEum Iſraël.* Imitentur & Saram ita de ſe loquentem Tob. 3. *Nunquam cum ludentibus miſcui me, neq; cum his qui in levitate ambulabant, participem me præbui.* 2. Agnelli matrem agnoſcunt etiam

in

in numeroso grege. Agnovit & Christus matrem, eique in omnibus obtemperavit, ac tantum illi detulit, ut in ejus honorem tempus faciendi miracula prævenerit cùm aquam converteret in vinum. Agnovit Matrem in cruce cùm diceret. *Mulier ecce Filius tuus.* Joan. 19. O Juvenes & Filii agnoscite Parentes vestros, audite quàm salubriter Tobias monuerit filium suum Tob. 4. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus.* Nolite contristare Parentes vestros, sed eos probitate vitæ potiùs exhilarate. *Filius* enim *sapiens lætificat Patrem, filius verò stultus mœstitia est Matri suæ.* Prov. 10. *Stultus homo despicit Matrem suam.* Et iterum Prov. 30. *Oculum qui subsannat Patrem, & qui despicit partum Matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* 3. Agnelli maternis uberibus contenti sunt etsi perparum habeant succi, præteritis aliarum ovium uberibus lacte distentis, unde è stabulis exiliunt singuli quærentes matrem suam, & ubera illius sugentes. Quo docemur non despiciendos esse Parentes, licet tenuis sint conditionis, licet ignobiles, licet humiles. Non puduit Christum Matris suæ licet pauperculæ, & Fabro desponsatæ. Dicit Christus Salvator Luc. 9. *Qui me erubuerit,* &c. Et Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus* &c. Ad eundem modum erubescet Christus illos, qui hic erubescunt Parentes pauperculos, & negabit eos, qui hic Parentes suos negant. Agnoscant ergò filii Parentes, & rursum Parentes filios. Oves enim agnoscunt & discernunt proprium fœtum ab alieno inditâ quâdam naturæ vi, licet plurimi sint agni ejusdem coloris, vocis, ætatis, magnitudinis. Exhibeant Parentes liberis suis Paternum & Maternum affectum, & vicissim ab eis debito modo amentur & honorentur, ne tradant Matres filios alienis alendos; sed ipsæ sint Matres & nutrices, ut maternum cum lacte Filii imbibant affectum. Deniq; agnus est animal utile. Quidquid enim ab agno & ove provenit, deservit humanis usibus. Mysticus Agnus Christus fuit nobis per omnia utilis, in vita, in morte, post mortem: in verbis, in operibus, in exemplis: & omnis ejus actio nostra est instructio. Sint & juvenes, non ut telluris inutile pondus, non ut arbores infructiferæ, quæ frustra terram occupant. Sed *ut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo.* Ps. 1. Sint repleti *fructu justitiæ per JEsum Christum in laudem & gloriam Dei.* Philip. 1. S. Juvenes & Filii has conditiones habebunt, stabunt cum agnis & ovibus

à dextris

à dextris Judicis, & audient illam optatam vocem Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei.*

Servis & Ancillis do Christum *Capreolum.* Christus enim in Scriptura comparatur Capreæ cant. 2. *Similis est dilectus meus capreæ,* &c. Caprea in primis est acuti visûs. Mystica Caprea Christus habet oculos sole lucidiores, qui *in omni loco contemplantur bonos, & malos* Prov. 15. *Nihil inscrutabile relinquit oculus ejus.* D. Bern. inquit serm. 55. in Cant. *Tu qui adventum desideras Salvatoris time scrutinium Judicis, time oculos capreæ, time illum, qui per Sophoniam cap. 1. dicit. Et erit in die illa, & ego scrutabor Jerusalem in lucernis. Acuto visu est, scrutabitur renes & corda.* Estote servi acuti visûs. Sint oculi vestri in manibus Dominorum vestrorum Ps. 122. Attendite & videte quid præcipiatur, quid inhibeatur. *Videte ut obediatis Dominis carnalibus cum timore & tremore cordis vestri.* Eph. 6. 2. Capreoli veloces sunt, Christo velox est in operibus misericordiæ. Servos oportet esse & veloces agiles ad explenda jussa Dominorum. *In cunctis operibus tuis esto velox.* Eccli. 32. Si aliquò mittantur, non diu hæreant in via, non perdant tempus, non tractent alia; sed expeditè absolvãt opera injuncta, tunc diligenter ab heris & in pretio habebuntur, juxta illud Eccli. 33. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi* &c. Tertiò Capreoli fugientes convertunt sæpè oculos ad insequentes. Christus D. etsi videatur à nobis aliquando fugere, tamen in *manibus suis deseri, pascit nos, & muri nostri coram oculis nostris semper* Isai. 49. *Respicit enim super iniqua agentes.* Et vos servi qui aliquando à Dominis vestris fugitis (*Si* enim *læseris servum injustè, in fugam convertetur.* Eccl. 33. *Et hodie increverunt servi qui fugiunt Dominos suos* dicebat Nabal pueris David 1. Reg. 25.) Resipiscite & redite ad Dominos vestros. Sic fecit Onesimus qui fugerat à Domino suo Philemone ad quem D. Paulus epistolam scripsit, & hunc servum remittit pro eo obsecrans. Sic & Filius prodigus, servus inutilis, rediit ad domum Paternam, in qua sciebat mercenarios abundare panibus, cùm ipse fame periret in regione longinqua Luc. 25. *Malus* namque *mos est servorum* ait D. Chrysost. hom. 38. in 16. Genes. *Quia non permittitur eis more suo uti, & impediuntur eorum conatus, statim, Dominorum ruptis froenis, fugam capessere* &c.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX TITULORUM.

CAPUT I.

Beatam dicunt MARIAM Personæ Divinæ.

I. *Quia Virgo sacratum est illis Reclinatorium.* Folio 1.
II. *Quia quandam affinitatem habet cum SS. Trinitate,* 2
III. *Quia imitatur divinas perfectiones.* 2
IV. *Quia quandam æqualitatem habet cum DEo.* 4
V. *Quia Spiritum Sanctum magnificavit.* 5
VI. *Quia DEi Amica intima.* 5
VII. *Quia adhuc in terris admissa ad visionem beatificam.* 7
VIII. *Quia est Deliciæ DEi.* 7
IX. *Quia est Gaudium SS. Trinitatis.* 8
X. *Quia est omnia DEo.* 9

CAPUT II.

Beatam dicit Mariam Christus Dominus.

I. *Quia quodammodò est idem cum illa.* 10
II. *Quia in Matrem illam assumpsit.* 13
III. *Quia Dominam illam sibi certo modo constituit.* 14
IV. *Quia fecit illam sui Regni Sociam.* 15
V. *Quia est ejus Thronus, Sceptrum & Purpura.* 16
VI. *Quia proxima Christo Domino in gloria.* 16
VII. *Quia est Templum Sacrificantis Christi.* 18
VIII. *Quia est Socia laborum Christi Domini circa Ecclesiam.* 19
IX. *Quia est Thesauraria Christi gratiarum.* 21
X. *Quia Christus ejus cultores instar filiorum habet: & quodammodò Deificat.* 24
XI. *Quia Christus Dominus ejus cultum promovet.* 25

CAPUT III.

Beatam dicunt Virginem omnes Cœlestes.

I. *Quia Sanctissima.* 27.
II. *Quia omnia dona quæ omnes habent Cœlites accepit uberiùs.* 28
III. *Quia impeccabilis.* 29
IV. *Quia hujus ope mortalibus Cœlites beneficia tribuunt.* 31
V. *Quia de ejus gloria Cœlites participant.* 32
VI. *Quia est quodammodò Omnipotens.* 33
VII. *Quia dominatur Angelis. ibidem.*
VIII. *Quia est Canticum Cherubim ac Seraphim.* 34

CAPUT IV.

Ecclesia Beatam dicit Sanctam Virginem.

I. *Quia Virgo est Mater Ecclesiæ.* 36
II. *Quia gentes ad Ecclesiam inducit.* 37
III. *Quia Doctrinam accepit à Virgine Ecclesia.* 41
IV. *Quia Virgo Hæreticos supprimit.* 42
V. *Quia Tyrannos Ecclesiæ domuit.* 45
VI. *Quia est Scutum quo nos protegimur ab ira Dei. ibidem.*
VII. *Quia est Auctrix virtutum.* 45
VIII. *Quia est Asylum peccatorum.* 46
IX *Quia Magistra est pœnitentium.* 50
X. *Quia in mortis hora plurimos apud Judicem protegit.* 52
XI. *Quia multùm auxiliatur detentis in purgatorio.* 54
XII. *Quia illius cultus nota est electionis ad gloriam.* 55

CAPUT V.

Beatam dicit Mariam mundus universus.

I. *Quia cadentem mundum sustinet.* 58
II. *Quia est Advocata apud DEum pro mundo.* 62
III. *Quia mediat inter DEum & mundum.* 64

IV. *Quia*

IV. *Quia finem mundi differt.* 65
V. *Quia mundam Regina tranquillat.* 67
VI. *Quia damna quæ mundo suo peccato intulit Eva, hæc Virgo repara-vit.* 69
VII. *Quia ad reparationem mundi concurrit.* 71
VIII. *Quia Filium suum dedit in mortem pro mundo, & ipsa certo modo Redemptioni cooperata.* 73

CAPVT VI.

Beatam dicit Virginem omnis generatio Sanctorum in particulari.

I. *Sancti universi Beatam dicunt; quia illis omnibus excelsior.* 76
II. *Angeli Beatam dicunt; quia Virgo illorum est veneratio-nis ob-jectum.* 79
III. *Beatam dicunt Virginem Patriarchæ & Prophetæ. Quia Virgo illorum Solatium.* 81
IV. *Beatam dicit Antiquior Synagoga Judæorum. Quia ejus magnas excellentias agnovit.* 84
V. *Apostoli & Evangelistæ Beatam dicunt; quia facta est illis Magistra & Exemplar prædicandi.* 87
VI. *Beatam item dicunt Mariam Apostoli & Evangelistæ. Quia maximo post DEum cultu dignam censuerunt.* 90
VII *Beatam dicunt Martyres; quia & ipsa est plus quàm Martyr, & Mar-tyrum Corona.* 97
VIII. *Doctores Beatam dicunt. Quia est Liber sapientiæ.* 101
IX. *Virgines Beatam dicunt; quia est Thesaurus Castitatis.* 104
X. *Confessores Beatam dicunt. Quia preces illorum DEo offert.* 107

CAPUT VII.

Beatam dicit Virginem omnis hominū generatio in particulari.

I. *Beatam dicunt Sacerdotes ; quia Mater Sacramentorum.* 109
II. *Beatam dicunt Reges ; quia Regnorum est Præsidium.* 111
III. *Beatam dicunt milites, quia illorum est Robur & Auxilium.* 113
IV. *Beatam dicunt angustiati ; quia est immensæ misericordiæ.* 124
V. *Beatam dicunt tentati ; quia est eorum Protectio.* 135
VI. *Beatam dicunt in necessitatibus positi.*
Quia est illorum Procuratrix. 137
VII. *Beatam dicunt ægri, quia est omnium morborum Medica.* 138
VIII. *Beatam dicunt pauperes ; quia est illorum Ditatio.* 141
IX. *Beatam dicunt ejus cultores; quia velociter exaudit.* 143
X. *Beatam rei dicunt ; quia in judicio DEi succurrit.* 144
XI. *Beatam dicunt Virginem Religiosi ; quia curam illorum specialem gerit.* 146

CAPUT VIII.

Beatam dicunt Virginem Christi Domini Progenitores.

I. *Beatam dicit Virginem Abraham ; quia illum in fide præcellit.* 148.
II. *Beatam dicit Virginem Isaac cum Rebecca; quia Virgo peperit.* 149
III. *Beatam dicit Virginem Jacob, quia illo ampliorē accepit benedictionē.* 149
IV. *Beatam dicunt Virginem Judas , & Thamar & Phares.*
Quia sine periculo Filium peperit. 151
V. *Beatam dicit Virginem Aminadab ; quia Virgo est major Princeps.* 153
VI. *Beatam dicit Virginem Nahasson ; quia Virgo in antiquum serpentem habet imperium.* 155
VII. *Beatam dicit Virginē Salmon & Rahab; quia non eguit pœnitentiâ.* 156
VIII. *Beatam dicunt Virginem Booz , & Ruth , ac Noemi.*
Quia est Sponsa Spiritus Sancti. 157
IX. *Beatam dicit Virginem Obed ; quia est mundi Gaudium.* 160
X. *Beatam dicit Virginem Jesse ; quia est Entis Neptis.* 161
XI. *Beatam dicit Virginem Rex David ; quia ab originali culpa libera.* 161
XII. *Beatam dicit Virginem Bethsabee; quia ipsa Rebelles contrivit.* 164

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XIII. Beatam dicit Mariam Salomon; quia est Canticum illius. 169
XIV. Beatam dicit Virginem Josaphat; quia cum illa Dominus. 167
XV. Beatam dicit Virginem Ezechias; quia à malo culpæ non sanata, sed præservata. 168
XVI. Beatam dicit Virginē Josias; quia gloriosè magis nomē ejꝰ prædictū. 169
XVII. Beatam dicit Virginem Jechonias; quia est Fructus bonus. 171
XVIII. Beatam dicit Virginem Salathiel; quia est dulcior. 172
XIX. Beatam dicit Virginem Zorobabel; quia omnibus prodest. 173
XX. Beatam Reliqui Progenitores Christi dicunt Virginem; quia figuras & Prophetias illorum explevit. 174

CAPUT IX.

Beatam dicunt Virginem illustres in S. Scriptura Viri & mulieres.

I. Beatam dicit Virginem Adam; quia illa meliori pane vescitur in labore suo. 176
II. Beatam dicit Virginem Hevas; quia ipsa contrivit caput seductoris. 177
III. Beatam dicit Job Virginē; quia est Mulier quæ non tētat, sed salvat. 179
IV. Beatā dicit Virginē Moyses & Samuel; quia miracula eorū complet. 179
V. Beatam dicit Virginem Noe; quia illius ortu Misericordia est exorta. 182
VI. Beatam dicit Virginē Aaron & Gedeon; quia est nova Virga & novum Vellus. ibid.
VII. Beatam dicit Virginem Elias, Isaias, Jeremias. Quia illa est Scopus suarum Prophetiarum. 183
VIII. Beatam dicit Virginem Judith, & Jahel, & Esther. Quia est illis nobilior. 185
IX. Beatā dicit Virginem Joseph sponsus ejus; quia ex illa dignitatē habet. 187
X. Beatam dicit Virginem M. Magdalena; quia ista est verior Maria. 189
XI. Beatam dicit Virginem S. Simeon; quia ista est Lumen omnium. 190
XII. Beatam dicit Virginem Martha; quia hæc intimiùs recepit Dominum. 191
XIII. Beatam dicit Virginem Joannes Baptista. Quia per illam Spiritum S. accepit. ibidem.
XIV. Beatam dicunt Virginem cæteri in Ecclesia Dei Heroes atq; Heroinæ. Quia Virgo omnes superavit. 193

CAPUT X.

Beatam dicit Viginem omnis omninò Generatio.

I. *Beatam dicunt Judæi recentiores, quia est eorum Benefactrix.* 193
II. *Beatam dicunt Virginem Indi, Japones, Chinæ; quia Patronam experiuntur.* 196
III. *Beatam dicunt Virginem Oracula Gentilium & Sybillæ. Quia nunciárunt Virginem parituram.* 197
IV. *Beatam dicunt Virginem Saraceni, Turcæ, & alij Mahometani. Quia non sunt ejus gratiarum vacui.*
V. *Beatam dicunt Virginem Schismatici, atq; Hæretici; quia ab ejus gloria abruuntur.* 206
VI. *Beatam dicit Virginem Natura sensitiva; quia in ejus cultu hominibus præire permissa.* 209
VII. *Beatam dicit Virginem Natura vegetativa; quia suo modo illam prædicavit.* 211
VIII. *Beatam dicit Mariam cœlum & terra; quia majorem præ illis hominibus affert Virgo utilitatem.* 212
IX. *Beatam dicit Mariam Natura inanimata, quæ sub cœlo est; quia DEus illius obsequio cultum Virginis promovet.* 213
X. *Beatam Mariam dicit omnis universim creata natura, Quia propter illam facta & refecta est.* 216
XI. *Beatam dicit Mariam ipsi damnati; quia est illorum Refrigerium.* 219
XII. *Beatam dicunt dæmones; quia illorum est Triumphatrix.* 220

CAPUT XI.

Beatam dicunt Virginem omnes generationes ob ejus multiplicem excellentiam.

I. *Quia est* MARIA. 225
II. *Quia est DEI Mater.* 234
III. *Quia est Lumen omnium.* 236
IV. *Quia est Domina universæ naturæ.* 239
V. *Quia ad sui cultum homines obligavit.* 242

VI. Quia

VI. Quia est tota dulcis, tota suavis. 244
VII. Quia ita est venerabilis, ut qui illi non servit suæ miser. 246
VIII. Quia est Angelis Nobilior. 250
IX. Quia est Primas reparati generis humani. 253
X. Quia omnia à DEo impetrare potest. 254
XI. Quia est Spes omnium. 256
XII. Quia meruit à DEo laudari. 257
XIII. Quia bellorum eventus secundos in sua manu habet. 258
XIV. Quia peccatores extrahere è peccatis potest. 261
XV. Quia est maximæ post DEum gloriæ. 263
XVI. Quia mediante Virgine omnia facilè à DEO impetrantur. 265
XVII. Quia cœlum ejus laudibus plenum. 269
XVIII. Quia est maximæ bonitatis. 271
XIX. Quia est Mater misericordiæ. 274
XX. Quia non solùm ipsa in se, sed etiam in suis imaginibus est admirabilis Thaumaturga. 275
XXI. Quia est Salus sibi servientium. 277
XXII. Quia est Mater communis omnium. 283
XXIII. Quia est Solamen agonizantium. 286
XXIV. Quia liberare è portis inferni potest. 288
XXV. Quia mundi perditi est Inventrix. 289
XXVI. Quia est Fuga Dæmonum. 291
XXVII. Quia Unica est salutis nostræ Via. 292

CAPUT XII.

Beatam te dicat ô Virgo omnis generatio.

I. Quia non solùm specialiter es electa & redempta; sed etiam causa es aliorum electionis ad gloriam. 294
II. Quia non solùm es sine macula concepta; sed etiam alios à macula temporali & æterna præservas. 297
III. Quia tuo fœliciſsimo natali non solùm parentes tuos consolata es; sed etiam omnes peccatores. 310

IV. Quia

IV. Quia non solùm ipsa Religiosè scalas templi dum præsentareris conscendisti: sed etiam facta es Scala nostræ salutis. 314
V. Quia non solùm ipsa in tua glorioßißima Annuntiatione Deum recepisti: sed etiam eundem mundo impendisti. 318
VI. Quia in Visitatione Elisabethæ, non solùm ipsa humilitate plena fuisti, quà Deum Joanni attulisti, sed mundum ad te attraxisti. 322
VII. Quia non solùm ipsa es humillimè purificata, sed etiam nos DEo purificas. 324
VIII. Quia non solùm ipsa es mirabiliter in Cœlum assumpta, sed etiam nobis ad Cœlum præivisti. 326
IX. Quia non solùm ipsa est in Cœlo coronata, sed etiam ex nobis coronam sibi fecit. 338
Monitum ad Cultorem Virginis. 341
Epilogus Operis. 344
Ejusdem Autoris Anagrammata.

FIDELIS PROPHETISSA

SEU

Impletum SS. Virginis MARIÆ Vaticinium.

Beatam me dicent omnes Generationes. *Luc: 1.*

S. Ildefon: Serm: 2. de Assumptione. Virgo fuit Prophetissa DEI; imò ut ita dicam Evangelista, Prædicabat enim quæ futura noverat, Ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

CAPUT I.

Beatā dicūt Mariam Personæ Divinæ.

1. **Quia Virgo sacratum est illis reclinatorium.**

CAnit hoc Ecclesia Græca 25. Jan: in Menæis. Salve, ajens, incorruptum & illustre conceptaculum SS. Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti. *Quod ipsum quasi explicat ibidem Anatolius 25. Martij.* In te omnis plenitudo Divinitatis habitavit corporaliter. *O beatum domicilium! ô felix tali hospite! addit ibid: S. Andreas Cretensis Aug:* De te publicè constat Maria, quòd sis æterni Patris beneplacitus thesaurus, Filij quoque mundum intrantis commoratio, & augustum denique Spiritus Sancti diversorium, ideoque totius Trinitatis Ideam vi quadam repræsentans. *Inde S. Petrus Martyr: serm: de Assumpt: appellat Virginem Sanctam* Nobile triclinium Trinitatis, *ibi enim cubat Sponsus in meridie in umbra illa, quâ obumbrat virtus*

altissimi, ibi est Filius dilectus in quo sibi Pater complacuit. Bernardus supermissus. Pater tecum, qui Filium suum fecit tuum, Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum, miro modo fecit sibi Sacrarium, Spiritus S. tecum, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat uterum. *Theophanes in hymno de B. Virgine,* Sanctuarium Sanctissimæ Trinitatis. *B. Petrus Damian. Sermone de Annunt. B. Virginis.* Cum fecerit DEus omnia sua opera valde bene hoc melius fecit (*scilicet Virginem,*) consecrans sibi in ea reclinatorium, in qua sola se post tumultus Angelorum & hominum reclineret, & requiem inveniret. Quam meritò itaque S. *Bonav. in Spec.* Virginem Sanctam dixit, Requiem totius Trinitatis.

2. Quia quandam affinitatem habet cum S. Trinitate.

Sanctus Thomas de Aquino serm: in Dominica 4. Quadragesimæ dixit: Beatus venter Virginis propter magnam affinitatem, quam habuit cum Beatissima Trinitate, fuit enim Filia Patris, Mater Filij, Sponsa & habitaculum Spiritus Sancti & totius Trinitatis Nobile Triclinium, in quam rem venit *Guerrici Abbatis sensus Serm: 2. de Assumpt:* ubi inducit Christum D. Matri ita loquētem; Communicâsti mihi quod homo sum, & ego communicabo tibi quod Deus sum. Quæ sors certè Angelis non contigit. *B. Petrus Damian. Serm: 1. de Nativitate.* Inest Deus Virgini Mariæ identitate, quia idem cum ipsa est, & habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis, quia cum illis non est ejusdem essentiæ, habitat DEus in Virgine, habitat cum illa, cum qua unius naturæ habet identitatem.

3. Quia imitatur Divinas perfectiones.

S. Andreas Cretensis hom: 1. de dormit: Virg: Mulier quæ cælorum superavit naturam puritate. Virgo, ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam; miraculo Dei generationis, primæ naturæ proximè accedens ad Deum opificem omnium generationis; adeo ut illum veluti in quadam imagine perfectissimè referat. *Anonymus citatus à Novarino in umbra Virginis lib. 1. n.* 187. Considerandum nobis est Mariam fuisse perfectissimam Dei imaginem, ab ipso, summâ arte ac singulari prudentia depictam. Nimirum inter cætera sicut DEus omnium creaturarum perfectiones continet absque imperfectionibus, ita Virgo suo modo illas comprehendit, ut meritò illi approprietur illud Ecclesiastæ. 2. *In me omnis gratia viæ, & veritatis.* Suscepit Baptismum & in eo quidquid perfectionis sine imperfectione, quæ alias supponitur peccati; pœnituit sed non præmisso defectu proprio, peperit, sed salva Virginitate, nupsit sed illæso Virginitatis voto. Prophetiæ habuit donum sed etiam pleraque oculis proprijs conspexit. Divisam habuit ad tempus animam â corpore, sed sine corporis corruptione: Unde, *Idiota:* Sanctorum omnium privilegia omnia ô Virgo habes in te conjuncta, nemo æqualis est tibi, nec major te, nisi DEus. Sed

magis

magis intentum nostrum explicat *Divus Bernardus super missus.* Benedicta tu in mulieribus quæ generalem evasisti mulierum maledictionem, ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parias, concipies quidem sed sine macula, gravida eris, sed non gravata, paries sed non cum tristitia, nesciens virum, gignes Filium, illius Mater eris, cujus DEus est Pater. Et *Hesichius Jerosol. Serm. 2. de Deipar.* Peperit, & uterum non aperuit, concepit & ventrem non corrupit, eduxit infantem, & uterum signatum reliquit: hæc suppeditavit ubera, tamen intacta conservavit, portabat Puerum, tamen Pueri Patrem non agnoscebat, Mater effecta est, & tamen minimè Sponsa fuit; nutriebatur Filius, & non inveniebatur Pater. *B. Josephus Hermannus opusc: 3.* O Virgo, tu Imago viva Dei expressiva sanctitatis: Verùm non solùm exprimit perfectiones Divinas, quæ in creaturis relucent, sed etiam ad illas pertingit quæ in solo Deo manent. *S. Andreas Cret: de orat: assumpt:* Hæc est declaratio profundorum Divinæ incomprehensibilitatis: hic est scopus qui excogitatus est ante sæcula. *Unde S. Chrysolog: Serm:* 141. Quantus sit Deus, satis ignorat ille, qui hujus Virginis mentem non stupet, animum non miratur, Exod: 37. scribitur. *Fecit Beseleel arcam:* hoc significat Deus fecit arcam in umbra, quid hoc? Arca est Virgo. Figura & imago Patris Filius, umbra rudior quidem imago, sed tamen est imago corporis, à quo jacitur; hanc arcam in umbra fecit Deus; ut sit umbra Dei. quod expresit *S. Ioannes Damasc: relatus in Menæa 9. Martij:* Sine ullo conjugij usu fœcundata, nihilo tamen secius perennas ut Virgo, repræsentans in temetipsa imagines, sive symbola ipsissimæ Divinitatis Filij tui: Nimirum communicavit illi gloriam suam Deus Pater, id est Filium. *S. Bonav: speculi c. 7.* Plena est tota Maria relucente in se plenissimè Divinâ gloriâ, *gloria* verò *Patris est Filius* ut Scriptura attestatur. *Dion: Carth: lib. 4. de laudib: Virg: artic:* 15. B. Virgo est simulachrum præclarissimum splendidissimumque contemplandi altissimum, post Christi humanitatem & simulachrum in quo Beati, admirandæ Trinitatis bonitatem, pietatem, charitatem, omnipotentiam, sapientiam, liberalitatem, misericordiam, æquitatem limpidissimè ac jucundissimè contemplantur. *Et ut idem art:* 25. Palam est nihil in creaturis Genitrici Dei Deo similius, atque vicinius posse consistere: *S. Bern: Senensis tomo 1. Serm: 6. art:* 1. *cap:* 11. confert Virginem Sanctam cum DEo quoad creationem primi & secundi Adam. Et sic ait: DEus formavit hominem de limo terræ & Maria eum formavit de purissimis sanguinibus suis, & de purissima carne sua, quæ prævalet rebus omnibus Mundi. Deus impressit in hominem decorem imaginis suæ: glorioſa Maria impressit in eum imaginem suam, nam sicut ipsa fuit pulchrior omnium fœminarum, sic JEsus est pulchrior & speciosior formâ præ Filijs hominum. DEus fecit hominem sine passionibus, famis, sitis, caloris, frigoris & consimilium; & sedula Mater JEsu & præ cunctis hominibus pia, omnibus passionibus ejus occurrebat, scilicet fami, siti, nuditati, frigori, calori, sicut status pauperrimus exigebat. Vestivit Deus pellicea veste ho-

minem,& Virgo Benedicta veſtivit eum in præſepio ſuis pauperculis pannis,& proceſſu temporis, tunicam ei inconſutilem fecit, quæ prævaluit omnibus veſtibus Mundi. Docuit DEus hominem ſapientiam; & ſapientiſsima & prudentiſsima Virgo Maria docuit Chriſtum puerilia nociva fugere, & ſequi eam: nutrivit DEus hominem de fructibus paradiſi, & B. Virgo &c. Plura his addit *S. Anſelm. lib. de excell: Virg: c. 1.* Sicut DEus ſuâ potentiâ parando cuncta Pater eſt Deus omnium; Ita B. Dei genitrix Maria cuncta reparando Mater eſt & Domina rerum, DEus enim eſt omnium Dominus, ſingula in ſua natura propria viſione conſtituendo: & Maria eſt Domina rerum ſingula congenitæ dignitati, per illam quam meruit gratiam reſtituendo. Et quemadmodum DEus ex ſubſtantia genuit eum, per quem cuncti originem dedit; Ita B. Virgo de ſua carne Mundiſsima peperit illum, qui decoren primæ creationis omnium, cunctis reſtituit. Proſequitur id ipſum *Dion: Carth: lib. de laud: Virg: art: 3.* Quemadmodum ſupermiſericordiſsimus DEus nullum bonum quamvis extra charitatem factum deſerit irremuneratum, ſic Deiformis Domina pijſsima Virgo Maria nullum obſequium ſibi impenſum relinquit impræmiatum.

4. Quia quandam æqualitatem habet cum Deo.

Paulus de Heredia tract: de B. V. Conceptione. Tot ſunt Mariæ perfectiones, ut ſi nos effingeremus Deum creare alterum mundum huic conſimilem, qui millio repleretur, & in hoc quo ſumus non eſſent niſi cardueles & aves, quarum pennæ linguæ efficerentur, quæ nihil aliud canerent, quàm glorioſæ Virginis laudes, cantibus varijs, ita quod ante cecinerint ampliùs repetere non poſſent, eæq; aves non comederent niſi granum millij, triginta millibus annis, prius millium abſumerent, quàm laudes Virginis glorioſæ finem conſequi poſſent, cum ſint infinitæ. *Hymn: Joan Hondemius.* Angelorum ſi linguis clamitem parum erit quodcunque recitem laude tua, quâ trahis alitem Majeſtatis ad carnis limitem. *Et in hymno de Excell: Deip:* Verbi Princeps Paulus opprimitur, ſi te ſatis laudare nititur, Auguſtini ſermo reprimitur, Auri lingua Joannis labitur, Pius tibi cedit Ambroſius, Leo Papa nil dicit plenius, laudi ſubeſt ſacer Gregorius, & Translator ſilet eximius. Et quid dicam linguis copia, Cherub mutus, habent ingenia mira laudis tuæ magnalia. Dicat Verbum per quod ſunt omnia.

Ita argumentatur *S. Bernardin. Senenſis tomo 1. ſerm: 61. c. 120.* Quòd DEus generaret Deum, non requirebatur in Deo diſpoſitio, cum ei ex natura conveniret ut per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia ſibi æquale: imò impoſsibile eſt, quòd non generaret Verbum propter ſuam fæcunditatem; ſed quòd fœmina conciperet, & pareret Deum, fuit miraculum miraculorum, oportuit enim, ut ſic dicam, fœminam elevari ad quandam Divinam æqualitatem, per quandam quaſi infinitatem perfectionum, & gratiarum. Cui multum conſonat quod dixit

Leontius

Leontius Cypr. Neapolitanus hom. in S. Simeonem, Divinæ, *ait* Virgo, ac consubstantialis Trinitatis su effecta particeps. Ut quodam sensu facta sit complementum Trinitatis. *Ita Hesychius Jerosol. hom.2.* Arca Noë duas, aut tres contignationes, & mansiones habebat, Maria autem Universum Trinitatis complementum. Et quod dixit *Andr. Cret. Orat. 2.* Compendium incomprehensibilium perfectionum DEI. Quod fortè respe t *Buteo in hymno*, ubi Virginẽ vocavit Radium solis intelligibilis, Et *Chrysippus Orat. de Deipara*, Radicẽ bonorũ omniũ. *Et Epiphanes orat. de laudibus B.V.* Radium gloriæ. Et *Bonav. in psalt. Mari.* Aulam solis. Et *Andreas Cret. orat. 2. de Assumpt.* Rem illam magnam venerandæ œconomiæ, quam cupiunt Angeli inspicere. *Damian. serm. de Nativitate B.V.* Illa quæ instar cæli totius Divinitatis meruit esse Sacrarium.

5. Quia Spiritum Sanctum magnificavit.

S. Josephus Confessor in Menæis 2. Jan. ode 5. Ita Sanctam Virginem salutat. Ave quæ es pratum totius fragrantiæ sancti Spiritus, sed quomodo magnificaverit Spiritum sanctum exponet nobis *Tuitiensium Abbas Rupertus in cap.1. Matthæi.* Spiritus S. maximè in hoc facto nominatur: nusquam enim antè absolutè Spiritus Sanctus, sed relativè scribitur Spiritus Dei, sivè Spiritus Domini, ab hoc ferè loco primum insonuit in auribus nostris, hoc reverendum & insigne vocabulum, proprium atque absolutum Spiritus Sanctus, ubi Angelus ad Mariam dixit: *Spiritus S. superveniet in te*, quam ob causam, nisi quod cum magna reverentia cogitandum sit, maximè ex hoc opere, quod in Maria operatus est, claruit hic Spiritus Domini, quod verè Sanctum est. Meritò alicubi Sanctã Virginem Ecclesia Catholica appellat *Sacrarium Spiritus S.* in quo ut in loco proprio magis claresçit, & colitur.

6. Quia DEI amica intima.

Qui vel aspexerit Canticum Canticorum, statim id clarissimè cognoscet sed audiat etiam *S. Anselmum lib. de Excell. V. cap. 4.* Estne putatis ulla mens hominis, quæ modum hujus dilectionis, quam Deus ad Virginem habuit, queat penetrare? *Et ulterius.* Potestne quæso ullus hominum, aut Angelorum ipsius amoris immensitatem penetrare. Ita Deus amavit Mariam, sed & Maria DEUM ex sensu *S. Bernardini tom. 2. serm. 51. cap. 2.* Statim in utero amorem incepit ob acceleratum usum rationis, ubi jam perfectissimas contemplationes inclusa utero Matris exercebat. Ecce enim amorem. *Idem tom. 1. sermone 61. art. 3. cap. 3. docet.* Nè somno quidem interrumpebat. S. *Anselmus de Excell. Virginis cap. 4.* Quantus hic amor fuerit, declarat, cum dicit: Superat omnium Creaturarum amores, & dulcedines, magnitudo amoris Virginei in Filium suum & dulcedinis immensitas quâ exultabat & liquefiebat in Dominum Deum suum.

Vicissim Amorem Dei erga Virginem describit S. *Bonav. in speculo ubi dicit c.6.* Te ipse Rex Regum ut Matrem veram & decoram Sponsam præ omnibus diligens, amoris affectu associat. S. *Ansel. De Excell. Virg. c.* 4. Ostendit eum amorem Christi erga Matrẽ, quo nullum putemus esse majorẽ, ex hujus amoris vehemẽtia processit id, quod firmissimè S. *Bernardinus Serm.15. de Festis B.V. cap.3.* asseruit Christum potius venisse, pro sola Virgine redimenda, quàm pro cæteris omnibus hominibus. Ratio potest esse, quia cæteri sunt famuli, illa Mater. Quod tangit *Ernestus Progensis Archiep. Marialis c.* 1. ita discurrit. Dico si inter amicos tanta est unitas animorum ut secundum *Philosoph. Ethic.* 9. Amicus sit quasi alter idem, & si multitudinis credentium cor fuit unum & anima una; Quanta putas fuerit, inter Matrem & Filium, & talem Matrem, & talem Filium unitas animorum, quanta inter illos extiterit consolatio, solatium charitatis, societas Spiritus, viscera pietatis? istam unitatem videtur magis eructare, quam dicere, quæ dicit cant. 2. *Dilectus meus mihi & ego illi.* Acquisitione conjunguntur isti duo Dativi, quia utrique est datio, utrique acquisitio, non est ibi verbum copulans, quia ipse dilectus est Verbum, & copula & amor & nexus & vinculum, si tamen opus copulâ, ubi est unitas, & identitas. Hinc est quod sicut in illa excellentissima unione Verbi & carnis, tanta fuit facta unitas, ut sibi invicem communicent proprietates; ut dicatur: Puer iste creavit stellas, & Creator stellarum involuitur pannis, ita inter Matrem, & Filium, tanta fuit per gratiam unitas animorum ut sua sibi communicarent nomina, opera magnalia, atq; præconia. Ipse enim Dei Sapientia JESUS Christus nomen suum quod est Sapientia, Matri suæ communicat, dicens, Sapientiæ 7. *Super salutem & pulchritudinem dilexi sapientiam*, id est Mariam, unde etiam dilecta est à Domino, sicut & multa alia quæ in laudibus Sapientiæ scripta sunt, de ipsa confidenter Catholicè legit, & intelligit Ecclesia, ut est illud Eccles. Ab initio & ante sæcula creata sum. Quasi cedrus exaltata sum. Et similia alia. Sicut enim Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem, ita Filius opera sua, & beneficia quæ fecit nobis, & facit, adscribit Matri, ut omnes honorificent Matrem, qui honorificant Filium. Unde potest dicere dilectus meus adscribit mihi beneficia sua, & ego illi mea. Hinc quod liber ille canticorum, vel illæ duæ Beatissimæ Animæ sive Personæ, JEsus & Maria, alternatim se invicem collaudando quasi contendere videntur. Canticum Canticorum dicitur, sive Cantica Canticorum, quia omnia genera musicorum, omnes linguas hominum, & Angelorum excedunt laudes illæ, laus verò Dei non est sterilis, facit talem qualem dicit, nisi invenerit jam talem. Virgo itaque Sancta, Amica Dei, Columba Dei, tota pulchra, tota Dei, sed etiam Deus totus Virginis, totus dilectus. Illa lilium inter spinas: ille lilium convallium. Ille coronat Virginem, illa coronat Deum in die desponsationis suæ. Imò ampliùs quod facit amor, id quod inter effectus ejus computat *Dionys. Areop. de divin. nomin. c.* 4.

Facit

facit extasim Divinus amor, non dimittens sui ipsorum esse amantes, sed amatorum. Quocirca Deus erat Virginis, & Virgo Dei, ita S. *Paulus* amans dicebat. *Vivo ego jam non ego, sed vivit in me Christus.* In quam rem facit quod dixit *Petrus Damiani serm. de Annunt.* A Domino electam & præelectam, totam eam rapturus erat sibi Spiritus S. & cælestibus insigniturus ornamentis. Inde veneratio tanta secuta in Angelis, quantam in uno eorum notavit *Laur. Justinian. Serm. de Annunt. ipsius (Virginis)* gratiæ plenitudinem cælestis nuntius præsensit, cognovit, manifestavit, & dixit: Ave gratiâ plena, salutat illam tanquam sibi Dominam honoreque dignissimam, atque à Deo singulariter electam, & dilectam.

7. Quia adhuc in terris admissa ad Visionem beatificam.

Consentiunt in hoc non pauci Patrum ac Doctorum. *Rupertus lib. 3. in cantic. Albertus Magnus in Mariali cap. 132. S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 17. Gerson in Magnificat. Dionys. Carthus.* & multi Scholastici inter quos *Suarez in 3. p. disputat. 19. sect. 4. Idem sensisse videtur S. Cyprianus sermone. de Nativitate.* Virgini debebatur abundantior gloria, quâ Spirituali, & corporali intus, & extra Christi præsentiâ fruebatur. *S. Hieronymus tomo 9. Serm. de Nativitate.* Quotidie Divinâ visione fruebatur, quæ eam à malis omnibus custodiebat, & bonis omnibus redundare faciebat. *S. Petrus Damian. serm. 1. de Nativit.* Considera quia ipsa est, quæ in contemplatione dignitatis supervecta dulcedinem, in ipsius Dei substantiam lucidiores defixit obtutus; sed ut certum videtur non fuisse illi hanc visionem toto vitæ continuam tempore, ita ambigitur quando fuerit concessa. Alij in conceptione sua, alij in Filij, Alij in ejusdem nativitate, alij in resurrectione, alij denique putant in morte, sed *Gerson in Magnificat. alphabeto 82. Lit. Q.* Lumen illud immensum stillabat aliquoties ad oculum mentis, intuendum se inde præbens, qualiter in via vidisse DEum Moyses, & Paulus existimantur. *S. German. Constantinop. orat. in dormit.* In hoc mundo Virgo degens, non peregrinabaris à Cæsti commercio. Subscribit illi *Rupert. lib. 3. in Cant.* Si enim dixit quisquam se fuisse raptum in paradisum, sive usq; in tertium cælum, & audisse arcana verba quæ non licet loqui, quantò magis tu Regina Cælorum persæpe Cælestibus interfuisti?

8. Quia est Deliciæ Dei.

Meritò à *Laur. Justiniano serm. de Nativit.* B. Virg. appellatur Filia præelecta Patris æterni. *A S. Method. orat. de Hipap.* Thesaurus amoris Dei Patris. Erat enim ut S. *Bonav. docet speculi, c. 5.* verè Paradisus Dei in benedictionibus multiplicium deliciarum spiritualium. Quod veluti prosequendo *Petrus Damian. serm. de Annunt.*

Annunt. ait. Locum voluptatis, intelligo uterum Mariæ, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus, de cujus delicijs S. Spiritus admiratorio sermone in amoris sui cantico sic eructat: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Nunquid in Angelis habet voluptatem Altissimus? in quibus ipse reperit pravitatem? nunquid in stellis? nunquid in igne? &c. Non est locus voluptatis Deo: nisi uterus Virginis. *Hinc Sophron. dicit de Assumpt.* Verus Virgo hortus deliciarum. *S. Bernardinus tom. 3. serm. 11. art. 2. cap. 1.* Beatam Virginem vocat Requiem Christi ex *Psalmo* 131. Non tantùm quia in ea novem mensibus requievit: Verùm quia plus per quietum amorem requievit in ea, quàm in tota alia creatura rationali. Unde illæ voces in Cantico. *Veni columba mea, immaculata mea, jam enim hyems transijt, imberabijt & recessit. Veni de Libano Sponsa, veni coronaberis. S. Aug. de Incarn.* Hominem peperit Virgo decora, Virgo Sponsa, tota pulchra, tota speciosa, flos florum, Virgo Virginum, Regina Cæli, mundi gloria, ô digna digni, ô immaculata immaculati, ô sancta Sancti, ô Maria splendor mundi, gloria Cœli, qualem Filium nobis peperisti! ô felix fœmina inter cæteras benedicta, cujus Venter fuit reclinatorium Dei, sacrarium Spiritus Sancti, lectus eburneus Christi, thalamus Divinæ majestatis, & quia amor Divinus in quos fertur facit magis amabiles, amabiles verò reddit pulchritudo. Magnus infert *August. tom. 3. tract. 9.* Quantùm in te crescit amor Dei, tantũ crescit pulchritudo, quia ipsa charitas animæ est pulchritudo. Et ante S. Aug. *D. Dionysius de Divin. nomin: cap. 4.* Deus mittit universis justis pulchrificas radij sui irradiationes. Si universis? quid illi, quæ juxta *S. Bonaventuram in Speculo* Mater ditissima, quæ clavem thesaurorum SS. Trinitatis, & thesaurum indeficientem Dei hæreditatis tenet? clavem scilicet pulchritudinis, formositatis, amabilitatis; Vide quò hic amor progreditur, & audi mellifluum Doctorem *serm. signum magnum.* Quàm familiaris facta es ô Domina! quàm proxima, imò quàm intima fieri meruisti, quantam inveniſti gratiam apud DEum (Audi deliciantem amorem seu potius spectа) in te manet & tu in eo! & vestis eum, & vestiris ab eo! vestis eum substantiâ carnis, & ille te vestit gloriâ majestatis suæ! vestis solem nube, & ipsa sole vestiris! *S. Joan. Damascenus 27. Jan. ode 5.* vocat illam Suave spirans olfactorium Numinis.

9. Quia est gaudium SSmæ Trinitatis.

Postquam *in sermone suo cap. 1. versus finem* quem *S. Brigittæ dictavit Angelus*, descripsit, ex quam selectis elementis corpus B. Virginis fuerit compositum, addit: Et ideo ô Maria à principio omnia creanda in Dei conspectu, ad ejus gaudium maximum, plurimum excellebas &c. Unde sicut Trinitatis Personis de te erat unum gaudium, ita ad te omnes unam habent charitatem. *Et cap. 2.* Gaudebat Noe de arca

arca sua antequam fabricaretur, gaudebat summè de te Deus antequam te crearet. Ubi Angelus comparat Arcam cum S. Virgine. Et *cap.* 3. Diligebat Abraham Patriarcha Filium suum Isaac, statim cum illi Deus filium nasciturum promisit multis annis antequam conciperetur; sed majori charitate te ô dulcissima Virgo Maria, antequã aliquid crearetur, ipse Deus omnipotens diligebat, quia præscibat ab æterno, te sibi ad magnum gaudium nasciturum, & pergit Angelus in comparatione Isaaci cum Virgine. Sed *cap.* 8. amplius quid habet. O Domina spes nostræ salutis, honoris Dei corona justè appellari poteris. *Cap.* 10. Venerabilis Anna verè nuncupari potest omnipotentis Dei gazophylacium, quia ipsius thesaurum sibi super omnia sibi amabilem recondebat in utero suo; ô quàm propè erat jugiter cor Dei huic thesauro! ô quàm piè & alacriter huic thesauro oculos suæ majestatis infixit! qui postmodum in Evangelio suo sic ait. *Ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Verè in Virgine fuit cor Dei.

10. Quia est omnia DEO.

Fontem illam DEo esse, in quo sumus visuri DEum, asserit *Sophron. serm. de Assumpt.* Virgo est fons signatus totius Trinitatis sigillo, ex quo fons vitæ manat in cujus lumine videbimus lumen. *Isid. Jerosol. lib. de laud. Virg.* vocat Trinitatis complementum, nimirum in his quæ à S. Trinitate, circa humani generis redemptionem præfinita fuerunt. S. *Epiphanius serm. de Deip.* cælum, templum & thronum Divinitatis. *S. Chrysologus* templum, ita enim *serm:* 144. Virgo factum est magnum Deitatis templum, quæ erat pusillum humanitatis hospitium. Consonat *S. Damascen. lib. 4. de fide cap.* 5. postquam Virginem cum templo Salomonis comparavisset dixit. Ad hunc modum Virgo Sanctissima Sanctitatem consectatur, sanctumque & admirabile ac Summo Deo dignum templum exstitit, templum Dei sanctum. Sed *S. Anselmus* plurima coacervat quæ Deo in se Virgo sanctissima exhibet, ita enim loquitur de illa *lib. de laud. Virg. cap.* 22. Virgo, Virgula radicis, gemmula floris, aurora solis, nutus Patris, genitrix & germana Filij, & simul sponsa, & felix vernacula; sanctarum soerus animarum, supernorum Regina Civium, columba inter sexaginta reginas. Fuit enim columba adhuc in foraminibus petræ id est originis. De qua Isa:55. *Attendite ad petram unde excisi estis*, quia scilicet in origine sua immaculata & innocens, inter ipsas Reginas una columba; nec primam visa habere similem, nec sequentem. Semper pura, semper columba, evolans super Reginas. Verùm adhuc pleniore calamo has Virginis definitiones exhibet *S. Bernardus serm.* 3. *super salve Regina; aut quisquis ille est.* Ipsa tabernaculum Dei, templum, domus, atrium, cubiculum, thalamus, sponsa, filia, arca diluvij, arca testamenti, urna aurea, manna, virga Aaron, vellus Gedeonis, porta Ezechielis, civitas Dei, cœlum, terra, sol, luna

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtella matutina, aurora, lucerna, tuba, mons, fons, hortus, lilium convallium, deſertum, ipſa eſt terra promiſsionis lacte & melle manans, ſtella maris, navis, via in mari, ſagena, vinea, ager, arca, horreum, ſtabulum & præſepe, ſubjugale, apotheca, aula, turris, caſtra, acies, populus, regnum, ſacerdotium, ovis, paſcua, paradiſus, palma, roſa, fluvius, porta, columba, columna, veſtis, margarita, candelabrum, menſa, corona, ſceptrum, panis, oleum, vinum, arbor, virga, cedrus, cypreſſus, platanus, cinamomum, balſamum, myrrha, thus, oliva, nardus, crocus, fiſtula, calamus, ſtorax, ſoror, & mater eſt, & ut breviter concludam de hac, & ob hanc & propter hanc totus mundus factus eſt, & hæc gratiâ Dei plena eſt, & per hanc redemptus homo eſt, Verbum Dei caro factum eſt, Deus humilis, homo ſublimis, *uno verbo Virgo & Deus omnia.*

CAPUT II.

Beatam dicit Mariam Chriſtus Dn⁹.

1. Quia quodammodo eſt idem cum illa.

TEſtatus id *Dionyſ. Carthus lib. 10. de præconiis Virginis art. 21.* Unio ex amore procedit, tantò itaque ſpecialiùs, ac eminentiùs DEus dilexit & prælegit Mariam, quantò intimiùs, propinquiùs, ac familiariùs ſe illi univit, ſed huic Virgini ſe Deus conjunxit, non ſolùm per gratiarum charismata, per illuminationem, per dilectionem, aut adhæſionem extrinſecam, ſed etiam per naturalem, ac realem quandam identitatem, quia factus eſt aliquid ejus, eo modo, quo proles eſt aliquid ſui Parentis, etenim aliquid ſubſtantiæ Virginis ſacræ aſſumpſit, & hypoſtaticè, atque realiter ſibi univit, & habitavit in medio ejus. Idem aſſeruit *Arnoldus Carnotens.* Una eſt Mariæ & Chriſti caro, unus ſpiritus, una charitas, ex quo dictum eſt ei Dominus tecum, inſeparabiliter perſeveravit promiſſum & donum: & Filij gloriam cum Matre non tam communem judico, quàm eandem. Et hæc quidem de Virgine ratione Maternitatis. Alia eſt unio quæ procedit ex amore, de hac *S. Anſelmus lib. de excellentia Virg. capite 3.* Amorem quem Pater & Mater filijs debent, Filio ſuo debet hæc felicisſima Mater, amorem etiam quem debet quilibet filius ſimul ſuo Patri & Matri, ille Filius veræ Virginis debet ſoli Matri: Et quia ut docet *Albertus Magnus*, anima plus eſt ubi amat, quàm ubi animat. Anima itaque JEſu plus fuit in Maria, quàm in JEſu, & anima Mariæ

Mariæ plùs in JEsu, quàm in Maria. Imaginis aut similitudinis nomine hanc identitatem alij explicuerunt. S. *Anastasius Sinaita lib. 6. hexam.* Quomodo est Mater Dei ejusmodi non ferens in se integram & illibatam fœtus sui imaginem? *Nicolaus Monachus epist. ad Petrum Cellensem,* ubi loquitur de immaculata Virginis conceptione hæc dixit: Sicut in cælo qualis Pater, talis Filius, sic & in terra qualis Filius talis Mater. *Sinaita lib. 6. hexam.* quòd paulò ante nomine similitudinis expressèrat, probat ex unitate essentiæ, & ait: Quis mihi dic quæso, aut ex hominibus, aut ex dæmonibus audebit dicere? quòd ea quæ est cum Deo ejusmodi simul essentiâ (quod carnem attinet) non sit ad imaginem & similitudinem ejus qui ex ipsa est natus. *S. Theophanes 11. Jan. ode 4. in Mæneis.* Nobis Virgo progeneras ejusmodi Filium, qui & in Divinitate æqualis Patri cerneretur, & tibi sese gignenti fieret consubstantialis. Idem dixit etsi alijs verbis *S. Bernardinus serm. 1. de nomine Mariæ.* Virgo vicinissima Filio Dei per carnis identitatem, quia eadem caro quæ fuit Virginis Matris, fuit caro Filij Dei: *Idem tom. 1. serm. 61. artic. 1. cap. 10.* De carne Virginis benedicta, & in parte corporis ejus excisa, consistit & perficitur, & terminatur totum decus & pondus Sacramentorum Ecclesiæ. Quod ipsum antea docuit *S. Augustin. in Psal. 98.* ex quo verba S. Bernardini lucem accipient. De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem dedit nobis manducandam ad salutem. *Et apud eundem serm. de Assumpt. B. V.* quòd ista maneat defacto identitas ita dicitur. Caro Christi quamvis gloriâ resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ suscepta est de Virgine, quod S. *Bernardus* prosequitur *super missus.* Cum Dominus sit cum omnibus Sanctis, specialiter tamen est cum Maria, cum qua utique illi fuit tanta consensio ut illius sibi non solùm voluntatem, sed etiam carnem conjungeret, & de sua Virginisque substantia, unum corpus efficeret, vel potiùs unus Christus fieret. *Petrus Blesensis serm. 2.* De Assumpt. eandē identitatē explicat. Vir & Uxor duo sunt in carne una, expressiùs autē Mater & Filius sunt una caro. Ut meritò dixerit *Hugo Victor. lib. de Verb. Incarnato coll. 3.* In cælo qualis Pater, talis Filius & in terra, qualis Mater talis Filius: in cælo cum Patre æternus & immensus, in terra cum Matre immaculatus. Quod fusiùs exponit *Petrus Damian. serm. 10.* de Nativitate B. Virginis. Quatuor modis inest Deus omnibus creaturis. *Primo* modo essentialiter. *Secundo* modo operatione, *tertio* illuminatione, *quarto* autem modo inest uni creaturæ videlicet Virgini Mariæ identitate, quia idem est quod illa suo modo, taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis, & dignationis immensitatem. Et *rursus ibidem.* Dominus tecum, inquit Archangelus, habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis quia cum illis non est ejusdem essentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua unius naturæ habet identitatem, hoc est aurum fulvum nimis, quo Salomonis thronus & vestitus, quia tali modo Deus Virginem induit, & in Virgine indutus

est, ut meliore non posset. In eadem assertione est *Scriptor antiquus* apud S. Augustinum *Serm. 4. de Assumpt.* Putredo & vermis humanæ est opprobrium conditionis, à quo opprobrio, cùm sit JEsus alienus, natura Mariæ excipitur, quam JEsus de illa assumpsisse probatur. Caro enim Jesu, caro est Mariæ. *Et tom. 9. tract. 8. lib. de Assumpt. B. V. cap. 5.* hoc ipsum ulterius deducitur. Caro JEsu caro est Mariæ, & multò specialiùs quàm Joseph, Juda cæterorumque fratrum quibus dicebat Genes. 37. & 27. *Frater enim & caro nostra est.* Ex quo consequitur illud, quod affert *Arnoldus Carnot. lib. de laud. Virg.* Individua est Matris & Filij gloria, commune utriusque præconium: ut quod illius nomini impenditur huic erogetur. *Anast. Sinaita hexam. lib. 6.* Qui mihi dic quæso, aut ex hominibus aut ex dæmonibus audebit dicere? quod ea quæ ejusdem est cum Deo (*Christo*) essentiæ non sit ad imaginem & similitudinem ejus, qui est ex ipsa natus? quomodo est enim Mater ejusmodi Filij, non ferens in se illæsam tætùs sui imaginem? *Anonymus apud Blosium in dictis PP. c. 5.* Maria in potestate, sapientia, dilectione, & cunctis charismatibus, donis, perfectionibus, atque excellentijs super omnes creaturas benedicta Filio suo Redemptori nostro quàm simillima, & proxima est. *Et ipsemet Christus S. Brigittæ revel. extrav. c. 37. de S. Virgine dixit.* Similitudo corporis ejus relucebat quodammodò in carne mea, & similitudo omnium Virtutum resplenduit perfectius in corde, & operatione ejus. *Eusеb. Emiss. hom. in Vigil. Nativ. Dom.* Non habet Filius in hominibus parem, non habet Mater in mulieribus similem, speciosus ille præ filijs hominum, speciosa illa quasi aurora consurgens. *Hugo Victor: tom. 3. collat. 3.* In cælo qualis Pater talis Filius, & in terra qualis Mater talis Filius. Non solùm verò hanc identitatem ex similitudine ortam agnoscit *Alb. M.* sed aliam majorem, *serm. 3. de Assumpt. B. V.* B. Virgo soror Dei appellatur propter conformitatem, & hæreditatis identitatem, ipsa enim Filio suo conformis erat in vita: Sicut enim Filius Virgo fuit, ita & Mater Virgo semper permansit, propterea idem Regnum & eandem hæreditatem participat cum Filio tanquam cohæres & propter has duas causas soror appellatur. *S. Anton. 4. p. tit. 14. cap. 15. par. 2.* Sicut Filius dicitur esse apud Patrem propter naturæ identitatem, quia est ejusdem naturæ, sic Maria gratiam invenit ut sit apud DEum, scilicet Filium, quia scilicet ejusdem naturæ cum eo secundum humanitatem, in qua est unum cum Matre, sicut in Deitate unum cum Patre. Aliud adhuc advertit *Albertus Magnus*, in quo Virgo non solùm cum humanitate, sed etiam cum Deitate Christi aliquo modo concordat, ita enim *serm. 7. de Nativ. B. M.* Beata Virgo est speculū Imperialis palatij, quod omnes electorum animæ summo desiderio contemplantur, & in quo universorum Beatorum facies resultant & elucent.

2. Quia

2. Quia in Matrem illam assumpsit.

Quæ dignitas, & quæ beatitudo quanta sit docet *S. Anselmus lib. de excell. Virginis cap. 2.* Hoc solùm de S. Virgine prædicari, quod Dei Mater est, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel cogitari potest, & altissimum quid habet ad cogitandum, & ruminandum mens humana. Nimirum si beatius est dare, quàm accipere, illa Deo dedit carnem & gloriam quodammodò externam, quæ per incarnationem acquisita, unde posset aliquo sensu dici causa Dei, Mater enim est causa Filij, Filius autem est Deus, unde aliquam præcellentiam, prioritatem & nobilitatem acquirit, quæ non modicè ex eo increscit, quia hunc Filium ipsa liberè elegit, ut pareret, quod alijs matribus non evenit, sed & Filius Matrem hanc sibi designavit, & ad hoc paravit, uti canit *Ecclesia Græca in Menæis 25. Martij hom. de Annunt.* Deus Virginem providentia singulari perfecit, ut sacra Virgo ab ipso vitæ suæ principio tam omnino existeret pura, quàm esse puram decebat illam, quæ tanto bono id est Christo digna existeret. *Id est*, præseruauit à contradictione maculæ originalis. Ex quo etiam sanctitatem maximam infert. *Dion: Carthus. lib. 1. Initio de laudib. B. V.*

Post præstantissima, ac excellentissima gratiæ dona, ac opera assumptæ humanitati à Verbo collata: primum excellentiæ gradum sortita sunt munera gratiarum Virgini donata. *Et subijcit*: Sicut non decuit naturam humanam, nisi pulcherrimè atque incomparabiliter decoratam assumi à Verbo, ita nullatenùs dicendum fuit personam humanam effici Dei Matrem, nisi speciosissimè ac glorioſissimè ornatam, quantoperè verò ornatam inferre possumus *ex S. Thom. 3. part. q. 27. art. 5.* Unicuique datur gratia à Deo secundum hoc ad quod eligitur; electa verò Virgo est ad eandem Maternitatem, de qua *S. Bonavent. speculi cap. 8.* docet. Virgo est Mater, quia majorem Deus facere non posset, majorem mundũ facere potest Deus, Majus Cælũ posset facere: majorem Matrem quàm Matrem Dei facere non posset Deus.

Quod ipsum etsi alio modo loquendi docet *S. Thom. 1. part. q. 23. art. 6. ad 4.* Humanitas Christi ex hoc quod unita est Deo, & B. Virgo quod est Mater Dei habent quandam dignitatem infinitam. Et certè plus fecit Deus Virgini faciendo Matrem, quàm si fecisset Sororem. *Albertus Magnus super missus cap. 180.* Major gratia non potest intelligi puræ creaturæ communicari, quàm esse Dei Matrem. Major hæc dignitas est, quàm si eam fecisset Sororem, quia hæc relatio est æqualium, Maternitatis est majorum. Et quoniam de relatione agimus, eam ex termino etiam æstimemus: Ut quanta sit Virgo ex fructu sui ventris cognoscatur, juxta dictum *Matth. 7. Ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

Et ita argumentatur *Basilius Seleuc. orat. de Annunt.* Si Petrus ob id B. appellatur, regnique cælorum claves sortitus est, quia Christum Dei Filium palàm confessus est: quomodo ea super omnes prædicanda non est, quæ illum parere meruit, quem ille confessus est. Utrumque collegit. *S. Thom. de Villa nova serm. 3. de Nativit. Virginis.* Antequam conciperet Filium Dei, jam idonea erat, ut esset Mater Dei, sed qualis est hæc dignitas? utique habet quandam infinitatem esse Matrem infiniti, & omnipotentis. Quæ autem excellentia, quæ perfectio, quæ magnitudo decuit eam, ut esset Mater Dei! hic jam silet lingua carnis, excedit enim intellectum & loquelam magnitudo Virginis, non solùm nostram, sed etiam suam; fecit mihi inquit, magna qui potens est, sed quàm magna nescio, an ipsamet valeat comprehendere. Unde melius eam silentio venerentur, sicut scriptum est *Psal.* 48. Tibi silentium, laus, secundùm translationem Chaldaicam. Ubi dicimus. Te decet hymnus in Sion quia verè omnis laus silentium est, & cùm finierit homo laudare, tunc incipit, imò nec locutus est, propter quod S. Evangelistæ de laudibus ejus silent, quoniam ineffabilis est ejus magnitudo, satis fuit de ea dicere, de qua natus est JEsus.

Et S. Bernard. serm. signum magnum. Quod verus Deus, & homo prodijt ex Maria abyssus est luminis, nec facilè dixerim, quòd vel Angelicus oculus ad hujus fulgoris vehementiam non caliget. *S. Bernardin. tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 1.* Tanta fuit perfectio Virginis, ut soli Deo cognoscenda reservetur, juxta illud Eccles. 1. *Ipse creavit me in Spiritu S. vidit, dinumeravit & mensus est*, scilicet ipse Deus solus.

3. Quia Dominam illam sibi certo modo constituit.

Gerson. serm. de Annunt. Hodie Domina nostra altius nomen accepit & perfectius quod esse possit homini post nomen Filij, & est, quòd Mater Dei dicatur, meliùs eam appellare non possumus, quoniam per hoc habet veluti authoritatem, & naturale Dominium ad totius mundi Dominum, & à fortiori ad omne id quod huic subjectum est Domino, ita quòd in nomine suo omnia flectantur, in cælo & in terra, & in inferno, per hoc accepit plenitudinem gratiæ non solum pro se, sed etiam pro omnibus hominibus. Sed pridem hoc Dominium expressit S. Lucas cap. 2. cùm dixit. *Et erat subditus illis.*

Quod *S. Bernardus* admiratur *serm. 5. super missus.* Ille cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & potestates obediunt, subditus erat Mariæ! nec tantùm Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam! *Richardus lib. 1. cap. 5.* hoc ipsum expressit. Maria majus aliquid cæteris hominibus sanctis sortita est, ut non solùm ipsa subjiceretur voluntati Domini, sed etiam Dominus voluntati ipsius, ut per hoc meritò diceretur Dominus esse cum ea.

Quantùm

Quantum verò jus natura Parentibus in filios dederit, deducit *Lessius lib. 2. de justitia cap. 5. dub. 4. num. 17. & cap. 21. v. 7. Exod.* Quod scilicet illos sibi servos facere, & loco sui in servitutem dare possint, agnoscebat Dominium & deferebat omnem venerationem Matri iste Filius. Et ut *Richardus à S. Laur. lib. 4.* docet, Multoties ut creditur, genu flexit coram Virgine Matre, & hoc notat *S. Bernardus tom. 3. serm. 11. Art. 2.* Misticè figuratum fuisse 3. Regum 2. ubi scriptum est quòd *surrexit Salomon in occursum Matris suæ & adoravit eam &c. quæ sedit ad dexteram ejus.* Ubi ait *S. Bernardinus.* Contemplare mirificam obviationem; quia surrexit Salomon in occursum Matris suæ, mirificam adorationem, quia adoravit eam; altissimam sublimationem, quia positus est thronus Matri Regis; surrexit igitur dulcissimus JEsus in occursum Matris suæ &c. Imo jam jam moriturus Christus Dominus, quid agit? *Arnold.* respondet, *tract. de Verbis Domini,* Christus cum moriturus erat quasi solum optaret vitam ut Matri obsequeretur, voluit vicarium obedientiæ, & curæ filialis in Joanne & observantiæ in reliquis fidelibus relinquere; siquidem mortem evitare non expediebat, ut hoc pacto & redimeret nos moriendo, & gratus esset Matri, relinquendo vicarios exhibendæ venerationis, quasi ipse fateretur; non se satis fecisse Matri pro suo desiderio.

Jure Matri huic applaudit *S. Method. orat. in hypap.* Euge euge quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur. Deo universi debemus, tibi autem etiam ille debet, ac proinde qui dixit honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut is decretum à se promulgatum observaret, & alios excederet, omnem Matri & gratiam & honorem impendit.

4. Quia fecit illam sui Regni Sociam.

Regem veneramur Christum Dominum cui tradidit Deus gentes ut illis imperet & in domo David regnet in æternum, sed en Reginam eorundem Regnorum *S. Damascenus in Menæis 27. Julij* ostendit, alloquitur atque adorat. Tu tanquam Regina Regi ex utero tuo effulgenti à dextris adjuncta es, velut Psalmista testatur. Consonat *Comestor* dum enim in librum Esther scribens illa *cap. 4.* explicat. *Non pro te sed pro omnibus hæc lex constituta est,* hanc paraphrasim ex parte Christi format: nomine Estheris Mariam intelligendo, Noli timere propter subditos data lex est, tu verò mihi conregnas. Hujus imperij effectum *Arnold. Carnoten. de laudib. Virg.* assignat, communia cum Christo laudem, gloriam, & præconium, ita enim ait: Cum debitæ venerationis summa ad Christum respiciat, ex cujus plenitudine roratum est desuper, quod Maria prædicatur gratiâ plena, manifestum est esse individuam Matris, & Filij gloriam, & commune esse utriusque præconium, cujus definitio omnem superat intellectum.

Hanc,

Hanc sanctam Virginem designabat Bersabee Mater Salomonis 3. Reg. 7. cui non solum assurrexit Salomon, sed *positus est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* Hanc Esther cap. 2. Quam dilexit Assuerus *super omnes mulieres, & posuit diadema Regni in capite ejus:* Idque in tantum, ut cant. 8. scribitur *innixa super dilectum suum,* non jam supra ancillas. Hinc *S. Hieron. in cap. 1. Marci* vocat illam Principem cum Deo. Et *Bernard. serm. 1. de Assumpt.* ait: Sicut nullus in terris locus dignior fuerat uteri Virginalis templo; ita nec in cælis est Regali solio, in quo Mariam Mariæ Filius sublimavit.

5. Quia est ejus Thronus, Sceptrum, & Purpura.

Christi Domini Regnum Angelus Luc. 1. ostendit esse *in Domo David,* sed quorum David Rex fuerat? Paralip. 1. *Convenerunt ad eum omnes mœsti, afflicti, ære alieno graves & regnavit super eos.* Sceptrum Christi est Virgo, sed in *Domo David,* ad quem sensum videtur respexisse *S. Joseph Confessor relatus in Menæa Græcorum 25. Julij:* ubi Virginem affatur. Intaminata Virgo planè est, ipsum Domini sceptrum super res omnes admiratione diginsimum, me de laqueis exime adversarij dolosissimi.

Per Arcam veterem figurabatur Virgo, quæ inter cætera continebat Virgam, quæ Christi D. sceptrum fuit, ita psalmus 109. *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Sed hæc Virga fuit simul cum Manna ut juxta Psal. 22. consolationi esset. In idem recidit quod dixit *Hugo Carensis in Psal. 109.*

Significata est Maria per Virgam Assueri de qua Esther 8. dicitur; quod *extendit contra eam Virgam auream,* & hoc fuit *signum clementiæ.* Sic Deus B. Virginem nobis dedit ut ipsa mediante gratiam ejus inveniremus, & ulteriùs accommodè hic dici potest cuivis peccatori quod dictum Estheri 15. *Accede & tange sceptrum,* sed à sceptro ad purpuram ducit *Alcuinus lib. 3. de Trinit.* Sicut Conchylis sanguinem lana suscepit, ut purpura ex eadem lana imperiali Majestati tantummodò digna fiat, quâ nullus alius induitur, nisi augustâ præditus dignitate: ita Spiritus S. superveniens in B. Virginem, Virtute Altissimi obumbravit eam, ut lana fieret Divinitate purpurata solummodò æterno Imperatori indui dignissima.

Quod Thronum attinet, non solùm ut *S. Athanasius 25. Dec. apud Surium.* Thronus Dei per Virginem Mariam figurabatur, ut apud *S. August. de Assumpt.* dicitur. Facta Thronus Dei & Aula Regis æterni. Sed & *S. Ildefons. serm. 3. de Assumpt.* ait: Facta est Thronus quæ fuerat in carne templum Divinitatis.

6. Quia proxima Christo Domino in gloria.

Hanc gloriam nostræ Virginis descripsit Angelus in *serm.* quem dictavit *S. Brigittæ cap. 4.* Intuebantur quoque (ab origine mundi Angeli) in illo Benedicto fœlici-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

licet in Deo creatore suo sedem quandam reverendam, ipsi Deo ita propinquam quod impossibile videbatur aliquam aliam sibi sedem fieri propiorem, & hoc tamen increatum, (*ideſt nondum creatum*) esse noverunt, cui ab æterno sedes illa extitit præparata, ex intuitu etiam claritatis Dei omnes & sine dubio in uno puncto, ita Divina charitas inflammabat, quòd quilibet alium, sicut se ipsum diligebat, verùm tamen Deum maximè, & super omnia, atque illud increatum (*nondum creatum*) plus se ipsis amabant quod in sede propinquiori Deo erat collocandum, videbant enim Deum illud increatum summè diligere, & de illo permaximè gratulari: ô omnium consolatio Virgo Maria! hoc ipsum tu es ad quod Angeli in principio suæ creationis ita arserunt charitate, quòd licet ex suavitate, & claritate quam ipsi in Dei visione & appropinquatione habebant, ineffabiliter lætabantur, plurimùm tamen ex eo gavisi sunt, quòd tu ipsi Deo propinquior fieri debebas, ex eo quòd majorem charitatem, majoremvè suavitatem, quam ipsi habebant, tibi noverant reservari.

Videbant enim etiam super sedem illam coronam quandam tantæ pulchritudinis, tantæquè dignitatis quòd nullius majestas nisi solius Dei ipsam debebat excellere; Et certè in eadem Hierarchia cum Christo D. considet, quod videtur innuere Ecclesia latina dum canit. *Assumpta est Maria ad æthereum thalamum in quo Rex Regum stellato sedet solio.* Nimirum ut sicut primus Adam in eodem secum paradiso habuit Evam suam, ita & secundus.

Hoc ipsum sentit *Alb. Magn. Super missus, & Damiani serm. de Assumpt.* cùm dicit: Virgo ad thronum Dei Patris evehitur, & in ipsius Trinitatis sede reponitur. *Et Sophron. de Assumpt.* Meruit pervenire Virgo, ubi Christus pro nobis intravit. Atque ita ut *Damianus* habet *serm. de Nativ. Virg.* Quid quid majus est, minus Virgine, solumquè opificem Deum, opus istud supergredi. Ita ut *Epiphan. Orat. de Virg. laudibus.* Virgo solo Deo excepto cunctis superior existit.

Quod ipsum dixit *Andr. Cret. Orat. de Assumpt.* Excepto Deo solo est omnibus altior. Et *Idiota* Virginem alloquendo. Nemo æqualis est tibi, nemo major te nisi Deus. Et quod sequitur *Epiphan. orat. de laudib. B. Virg.* addit. Nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus glorioſior. *Et S. Damascenus orat. 1. de dormit. Virgin.* Dei Matris & servorum Dei infinitum est discrimen. Et *Damiani serm.* 45. Gloria quæ Mariam de hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem. *Arnold. Carnot. lib. de laud. Virg.* Filij gloriam cum Matre non tam communem judico, quàm eandem, &. Constituta super omnem creaturam, &. Quicunque JEsu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat. In idem ferè recidit quod scripsit *Albert. Magn. in Mariali cap. 236.* Sicut dicitur Filius Dei esse apud Patrem, & Verbum erat apud Deum propter identitatem naturæ, sic etiam dici potest, Mater esse apud Filium, propter identitatem naturæ, in qua unum est. Quam consequitur quædam

identitas gloriæ, ut *idem* prosequitur *cap.* 237. Hæc omnia apud Deum invenisti ô Maria, apud, dico, propinquissima similitudine, dignitate, familiaritate, naturæ unitate.

Apertiùs hoc S. *Ildefonsus serm.* 10. *de Assumpt.* Maria collocatur in throno â dextris virtutis Dei, sicut canitur in psalmis. *Adstitit Regina à dextris* meis. Scilicet eo loci ubi *S. Stephanus* viderat Christum Dominum. Unde *S. Anselm. lib. de excellentia Virginis* gloriam ejus vocat immensam. De *B. Oringa Christiana* refert in ejus vita *Sylvanus Razzi*, quòd in raptu quodam vidit Deum in gloria, sed ipsa quoque vidit gloriosam Deiparam in uno throno cum Filio considentem, eodem conspicuam splendore, alba veste pretiosissima indutam.

Hanc porro Augustam Reginam Angeli ac Sancti omnes venerabantur singulari gaudio exultantes &c. Nec fuisse visionem vanam testatæ sunt dotes gloriosorum corporum, quas *Oringa* de eo raptu retinuit. *Gerson* verò etsi non eundem thronum cum Filio Matri assignat, unam tamen integram Hierarchiam altiorem omnibus alijs constituere docet *tract. 4. in Magnif.* Virgo sola constituit Hierarchiam secundam sub Deo Trino & Uno Hierarcha primo & summo, apud quem Hierarcham humanitas Filij sui sola sedet sublimata à dextris virtutis Dei per veritatem suppositi. *S. Bernardinus tom. 3. serm. 11. art. 3.* Sicut Benedictus Jesus sedet â dexteris Patris, id est in potioribus bonis æternis, sic ista gloriosa Virgo in potioribus bonis Filij sui juxta ipsum in Throno sublimata consedit. *Et ser. 61.* B. Virgo super Angelos coronatur, ut intra Trinitatis gloriam, ipsa sola sit amplius evecta. *Guericus Abbas Ignacensis serm. 1. de Assumpt. B.V.* Non immeritò creditur sine injuria vel invidia cæterarum sedium, quoddam esse speciale solium Regis excelsum, & elevatum super gloriam omnium; Mariam dico exaltatam super Choros Angelorum ut nihil contempletur supra se Mater, nisi solum Filium, nihil miretur super se Regina, nisi solum Regem. *Sophron. serm. 4. de Assumpt.*

Post Christum gloriosa Virgo resedit, sic enim confidenter ubique sancta canit Ecclesia quod de nullo alio sanctorum fas est credere, ut ultra Angelorum, & Archangelorum dignitatem meritò transcenderit. Nimirum ut *S. Gregor. in lib. 1. Reg. cap. 1.* Fuit B. Virgo Maria quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit, est enim ut eam vocat *S. Andreas Cret. orat. 3. de dormit. Virg.* Tremendæ dispensationis magnificum opus, in quod desiderant Angeli prospicere, & omnium miraculorum, si quæ usquam modo evaserunt consummata sedes.

7. Quia est Templum sacrificantis Christi.

Mirum est quod *in Menæis 1. Jan. dixit* S. *Damasc.* Maria Virgo est summa Christianorum Antistes. Quia ut opinor non solùm materiam sacrificij per quod mundus

mundus reconciliaretur dedit, verùm etiam templum se exhibuit, in quo illud sacrificium immolaretur. Ita enim *Proclus Constantinopoleos Præsul orat. de laud. Virg.* affatur Virginem.

O Templum in quo ipse Deus factus est Sacerdos, naturam non demutans. Idquè est Templum Salomonis de quo 2. Paralipom. *Oculi mei erunt aperti & aures meæ erunt erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit. Richard. à S. Laur. de laud. B. Virginis lib. 2.* Maria designata est per templum Salomonis: erat credo in Maria, seu in templo, qui sub tutela, & protectione Mariæ, vota & preces suas offert Deo. *In Menæis Feb. 1.* Virgo ipsissimum Dei templum, ut nos quoque Spiritus S. templum efficiat.

Quod explicatiùs prosecutus explicat istud templum *S. Ambros. lib. 2. de Virg.* Si corpus Virginis Dei templum est, quid est animus, qui tanquam membrorum cineribus excitatis, sacerdotis æterni redopertus manu, vaporem Divini ignis exhalet. Sed ad sacrificium hujus templi progrediamur, & dicamus cum *S. Epiphanio de laudib. B. Virginis.* Ave Clibanus intellectualis, qui ignem & panem vitæ calidum mundo in esum attulit, de quo Salvator mundi Christus ait: *Accipite & comedite hoc est corpus meum quod pro vobis* frangitur *in remissionem peccatorum. Et cum Damasc. orat. de dormit. B. Virginis.* In te natura humana subcinericium panem, hoc est sui primitias: ex tuis puris sanguinibus obtulit; ideo in Canticis: *Venter tuus sicut acervus tritici, Umbilicus sicut crater tornatilis,* ut secundum ritum Melchisedech sacrificio vinum & panem appararet.

Quod quasi explicans *S. Bernardin. tom. , serm. 61. art. 1. cap. 10. ait.* Decarne Virginis Benedictæ & in parte corporis ejus excisa consistit, perficitur & terminatur totum pondus ac decus sacramentorum Ecclesiæ. Hinc *S. Chrysost. in Liturgia* implorat Virginis intercessionem, ut sine condemnatione accipiat immaculatum tuum donum (Eucharistiam in remissionem peccatorum) Ad quam accedentem monet *B. Laur. Justinian. serm. de Nativitate B. Virg.* Hoc manna quod in utero B. V. repositum, tibique expositum, ac appositum, gratiam contemplare, quæ tale excepit munus, talem genuit prolem, quæ te corporis sui mannâ reficeret.

8. Quia est Socia laborum Christi Domini circa Ecclesiam.

Illa Summum nostrum Pontificem mitrâ coronavit. *S. Ambr. lib. de instit. Virg. cap. 16.* Beatus Mariæ uterus, qui tantum Dominum coronavit. Quando formavit, coronavit eum, quia hoc ipsoquod ad omnium salutem eum concepit & peperit, capiti ejus æternæ pietatis coronam imposuit, ut per fidem credentium,

fieret omnis viri caput Christus. *Et Cassiod. in Cantic.* 2. Mater sua eum coronâsse dicitur, quia Virgo Maria illi de sua carne, carnis materiam præbuit in die desponsationis ejus, hoc est in tempore Incarnationis, quando sibi Ecclesiam conjunxit: Materiam etiam Eucharistici dedit sacrificij.

Vult de hac re audiri *Damian. serm.* 2. *de Nativit. B. Virg.* cum ait: Hic dilectissimi fratres mei, hîc rogo perpendite, quàm debitores simus huic B. Dei genitrici, quantasquè illi post Deum de nostra redemptione gratias agere debeamus; illud siquidem corpus Christi; quod Beatissima Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod in fascijs cinxit, quod Maternâ curâ nutrivit, illud inquam, absque ulla debietate, non aliud de S. Altari percipimus.

Alias adscribunt laborum partes B. Virgini *Patres S. Cyrillus hom.* 6. *contra Nestorium inquit:* Per te Virgo Fideles ad sacrum baptisma pervenerunt. *S. Augst. lib. de Virg. cap.* 6. Eandem conversionem gentium Virgini attribuit, dicendo. Hæc est Mater cunctorum membrorum Salvatoris, quæ cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur.

Eandem *S. Petrus Chrysolog: serm.* 146. Maria Mater vocatur, & quando non Maria Mater? Nonnè hæc euntem populum de Ægypto concepit in utero, ut emergeret Cælestis in novam Creaturam renata progenies? *Et infra.* Ut semper Maria humanæ prævia fit salutis, populum quem unda generatrix emisit in lucem ipsa jure præcessit.

Eandem *Albertus Mag. super missus.* Omnium Sanctorum, quos per Spiritualem gratiam mediante Virgine regeneravit Deus, dicitur Mater ipsa Virgo. Ipsa se Magistram post obitum Christi D. præstitit Ecclesiæ; illa decidit quæstiones dubias in Concilio Jerosolimitano. Ita sentit *Rupertus Abbas in Cantic.* 4. *& Can. lib.* 1. *de B. Virg. cap.* 1. *Et Divus Bernard. innuit serm. signum magnum* Actorum primi verba expendens, *Hi omnes perseverabant unanimiter &c.* Hoc ipsum profitetur Romana Ecclesia, dumaccinit Virgini. *Cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.* Quod quasi explicat *Bernard.* dicendo *l. c.* Contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores. Quare meritò *Cyrillus Alexandrin. Epistol.* 5. *contra Nestorium*, Virginem appellat. Sceptrum orthodoxæ fidei. *Angelus in eo sermone quem B. Brigittæ de Virg. Excellent. dictavit hæc ipsa cap.* 19. *habet:* Ascendente suo benedicto filio ad Regnum suum glorioſum, Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum confortationem remanere permissa est; erat enim Magistra Apostolorum, Confortatrix Martyrum, Doctrix Confessorum, clarissimum Speculum Virginum, Consolatrix Viduarum, in conjugio viventium Saluberrima Monitrix, atque omnium in fide catholica perfectissima Roboratrix. Ob hanc causam reor appellatur à *S. Epiph. Orat. de laud. Deip.* Thesaurus dispensationis, & Divinæ œconomiæ planè arcanus

arcanus & ineffabilis. *Et ibidem.* Thesaurus stupendus Ecclesiæ *à Richardo.* A *S.Laurt lib.72.* Os Ecclesiæ. *A Buteone in hymno.* Firmamentum dogmatum Christianorum. *A Theophane in hymno de Assumpt.* Lampas multiluca. *Ab Epiphan. orat. de laud: B.V.* Lampas gestans lucem inextinguibilem sole splendidiorem. *Et rursus à Buteone in hymno.* Gloria veneranda Religioforum, Sacerdotum. *Et rursus,* Fulcimen validum fidei. *A S. Bonavent. in psalt. Mariano* Firmamentum mirabile totius Religionis. *AS. Ildefonso serm. 5. de Assumpt.* Forma omnium Ecclesiarum. *Ab Andrea Cret. orat. 2. de Deip.* Exultatio olei unctionis. *A Jo:Geom: apud Corderum in Luc.* Mensa Panis vitæ. *A Bonav. in litan. B.V.* Dapifera deliciarum Dei. *Et rursus à. B. But. in hymno Græco pag:133.* Vita mistici convivij. *Et à S.Germano orat. de Præsent. B.V.* Patrocinium omnium Christianorum, in quibus omnibus Sacramentorum & doctrinæ Christianæ, atque gubernationis ei cum Christo communio tribuitur.

9. Quia est Thesauraria Christi gratiarum.

Indicat *Salvianus lib. 2. de Ecclesia* quàm Deus sit ad benefaciendũ promptus. Extendit, *(inquit,)* Deus super spes nostras munera sua, & quod est maximum & rarissimum dona illius etiam vota vicerunt. *Et Basil. Seleuc. orat. cum ait.* Parturiens beneficentiæ Deus suæ munera, & habere clausum penes se thesaurum impotens, non est contentus prioribus, neque antè è dilargitis rebus sua bona circumscribit: nihilominus constituit opum suarum thesaurarios Cantic. 5. *Manus ejus tornatiles,* (legunt alij.) *Manus ejus Sphæræ cælestes.* Nimirum sicut naturæ munera, pluviam, calorem, serenitatem, & ejusmodi sub distributionem dedit Sphærarum cælestium, ita omnes gratias sub dispensationem Mariæ. *S. Anastas. Sinaita lib. 3. Hexam.*

Versatus est Christus cũ proprio orbe, nempè cũ Maria. Hæc est illius Sphæra, & ideo fortasse *Ecclesia* canit illam, Januam cæli, Matrem Divinæ gratiæ. *S. Hieron.* postquam ex Apostoli mente ad *Ephes. 5.* Christum comparavit capiti nostro, Virginem collo assimilat, per quod communicatio fit corporis cum capite. *S. Bern.* alia imagine idem expressit *serm. de aquæ ductu.* Aquæ ductus (inquiens) est Maria, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, in nos effundit.

Et *serm. signum magnum, claris verbis.* Totum nos DEUS habere voluit per Mariam. Cui concinit S. *Anton. in. 4. part. tit. 15. cap.20.* Virgo est secundùm Christum nobilissima, per quam DEus suam providentiam & in homines misericordiam peculiari ratione exercet. *S. Theoph. in Menæis 17. Jan. ode 7.* Ex ipsa nobis donorum Cœlestium, quæ mentem humanam excedunt, scaturigo promanat, ut quæ

est torrens quidam bonitatis Divinæ. In eundem modum Sacram Virginem alloquitur *Damian. serm.1. de Nativit. Virg.* In manibus tuis sunt Thesauri miserationum Domini, & sola es cui (illos tanta gratia dispensandi) conceditur.

Quod ipsum pulcherrimâ imagine *Græca Ecclesia* 24. *Martij* exprimit, dum illam compellat, ô purum valdè vehiculum Divinitatis. *Et 16. Julij.* Quicunque radios â gratia Spiritus Sancti projectos haurire oculis capimus, illud inquam in occiduum Divini luminis jubar (*hoc est qui salvari & videre Deum cupimus*) omnes ad gratiæ fontem, (*id est ad Genitricem Dei*) accurramus oportet: ad ipsius enim votum, summa quæque dona Deus fidelibus communicat. Quia, ut *Bern. serm. 3. in Vigilia Nativit.* D. Indignus eras ô homo cui donaretur: datum est Mariæ ut per illam acciperes quidquid haberes. Et *paulò post.* Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret. Et *serm. 2. in Pentecost.* Meritò in te Maria respiciunt oculi universæ creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit.

Sed hoc ipsum fusiùs describit *S. Bernardin. art. 2. sect.* 18. A tempore quo Virgo Mater concepit in utero Verbum Dei, quandam ut sic dicam jurisdictionem, seu authoritatem obtinuit, in omni Spiritus processione temporali: ita quòd nulla creatura à Deo obtinuit aliquam gratiam, vel virtutem, nisi secundùm ipsius piæ Matris dispensationem.

Hinc *Bernard.* devotissimus ait: Nulla gratia venit de cœlo ad terram, nisi transeat per manus Mariæ. Meminimus paulò superiùs dictorum apud *S. Hieron.* Nunc totum propriis verbis demus. *Serm. de Assumpt.* In Christo fuit plenitudo, sicut in capite influente, in Maria verò sicut in collo transfundente. Unde de Virgine ad Christum Salomon ait: *Collum tuum sicut turris eburnea*, nam sicut per collum vitales Spiritus à capite descendunt in corpus, sic per Virginem à capite Christo vitales gratiæ in ejus corpus misticum transfunduntur. *Et post pauca.* Non timeo dicere quòd in omnium gratiarum affluxus quandam jurisdictionem habuerit hæc Virgo; de cujus utero, quasi de quodam Divinitatis oceano rivuli, & flumina emanabant omnium gratiarum. (*Et rursus.*) Omnia dona & virtutes & gratiæ ipsius Spiritus S. quibus vult, quando vult, & quantùm vult per manus ipsius administrantur.

Quarè *Rupert.* illud Cantic. 4. expendens. *Emissiones tuæ paradisus, ita ait:* Quidquid gratiarum, quidquid operationum, quidquid virtutum cælestium mundus accepit, emissiones tuæ sunt ô Virgo. *Richard. à S. Laur. lib.* 10. dat quasi horum causam; Benè Maria Gazophylacium utriusque Ecclesiæ, quia quidquid boni nobis pauperibus dare disposuit munificentia Divina, in ipsa velut quodam gazophylacio congregavit. Unde dicta est gratiâ plena. *Et lib. 1. cap.* 4. conversus ad Virginem dixit.

dixit. Benedicta es gratiâ plena, ut ex tuo redundante totus hauriat mundus *Et ibidem cap. 6.*

Quidquid beatitudinis ab illo magno mari, id est ab illa infinita bonitate Deo ad genus humanum pervenit, totum per eam venam defluxit, & ideò quidquid nobis mittitur de supernis, per grâtiarum actionem ad eam referendum est, per quam mediatricem habemus procul dubio quidquid gratiæ obtinemus. *S. Anselm. lib. de orat. exclamat.* O Fœmina plena es superplena, de cujus plenitudinis redundantia, respersa revirescit omnis creatura.

Quod ad duo reducit *Idiota cap.* 10. Peccatoribus impetras ô Virgo gratiam, quia advocata es miserorum, & honorantibus promittis gloriam, quia thesauratrix existis gratiarum. *Idem in prologo.* Thesaurus Domini es, & Thesauraria gratiarum Dei. *Dionys. Carthus. de vita solit.* In manibus tuis sunt omnes thesauri misérationum Dei. Sed hoc ipsum audiamus ex ore *Christi D. apud S. Brigittam lib. 1. cap. 50.* dum Matrem in hunc modum alloquitur. Nulla erit petitio tua ad me, quæ non exaudiatur & per te omnes qui petunt misericordiam cum voluntate emendandi, gratiam habebunt; Quia calor procedit à sole, sic per te omnis misericordia dabitur. Tu enim quasi fons largifluus, de quo misericordia miseris fluit.

Quod præconcepit *Priscus Orator de festo Acathistico dicendo.* Divinæ œconomiæ ac bonitatis Ministra illa Sanctissima prorsusquè immaculata Dei Genitrix. *Et S. Bernard. de precat. ad B. V.* Maria est Secretaria Magna Dei, ipsa est Thesauraria SSmæ Trinitatis, in eum sinum omnes thesauros absque mensura transfundit. Deus 3. *Reg.* 17. oleum multiplicaturus elegit domum viduæ, sed hæc Vidua ex mente *Richard. à S. Laur. lib. 6.* Typus erat Mariæ. Ibi Deus oleum communicationis bonorum ut loquitur *S. Hieron. in* 45. *Ezechielis* largitur. *S. Methodius in Hyppap.* sic de illa habet. Forceps carbonis purificantis, per quem immundi à cunctis sordibus purificantur.

Imò ita Virgo administrat thesauros Dei, ut nemo quidquam ex illis per aliquem alium queat accipere. *S. German. orat. de zona.* Nullus est qui liberetur à malis, nisi per te ô purissima, nemo est cui donum concedatur, nisi per te ô castissima, cui misereatur gratia, nisi per te ô honestissima. Quia ut *Damiani serm. de Annunt.* Per ipsam & cum ipsa & in ipsa hoc totum faciendum decernitur ita, ut sine illo nihil factum est, ita sine illa nihil refectum sit. Inde ut *Richard. à S. Vict. dixit.* Nihil à throno D E I Divini muneris defluit, quod per Mariæ manus non pertranseat. Et *Bern. serm. 3. de Nativit. Virg.* Nihil nos Deus habere voluit quod per Mariæ manus non transiret.

Hinc *à Buteone in hym.* dicitur Clavis Regia Christi, ubi videtur respexisse ad canonem *Eccles. Græcorum ode prim:* ubi sic Divam Annam illa *Ecclesia* alloquitur.

O Anna

O Anna largitus est tibi Deus illam Progeniem quæ nobis gratiæ Divinæ januam aperuit. Et quidem ut *Richardus lib. 2. parte 1.* Maria non solum gratiam impetrat, sed etiam impetratam conservat, & hoc est necesse, quia citò bonum perditur, quod à largiente non custoditur. Propter quod convenit ei illud Eccles. 17. *Gratiam hominis quasi pupillam conservabit.* Hinc ex consilio *Alberti Mag. serm. in dedic.* Ecclesiæ applicantis Virgini hæc Apostoli verba. *Adeamus cum fiducia ad thronum ejus gratiæ* scilicet Mariæ. Ex adverso verò quod monuit *Adam de Persenia in Allegor. & trop. utriusq; testamenti* ad illa verba Eccles. 24. *Quasi oliva speciosa in campis.* Periculosum est ad punctum ab illa recedere, apud quam nostræ suavitatis deliciæ reponuntur; *divitiæ salutis, sapientia & scientia,* penes Virginem nostris usibus reservantur.

10. Quia Christus ejus cultores instar Filiorum habet, & quodammodò Deificat.

Doctrina hæc est *Græcæ Ecclesiæ in Menæis.* Filius tuus eos qui te uti Deiparam colunt per gratiam in filios adoptat. Sed adhuc expressiùs *ibid. 14. Martij ex S. Joseph Confess.* Ecce tuus ille filius, laudatores tuos propalàm in Cœlestis Patris sui filios adoptare cernitur. Et *23. Julij.* Porrò Filius Dei eos omnes, qui te ut Deiparam seriò colunt, in filios suos dignatur adoptare per gratiam. *Eadem Ecclesia 8. April.* Christum moribundum ita Matri loquentem inducit. Desine lachrimari ô Mater lucis, sponte enim meâ, & patior ista, & morior, paulò post tamen à mortuis surgam, ut glorificem omnes, quicunque te laudibus venerabundi celebrant.

Et hoc est quod dicitur 3. Regum 8. Postquam templum ingressa est *Nebula,* ingressa est & *Gloria Domini.* Virgo de se ait Eccles. 24. *Sicut nebula texi omnem terram;* cujus itaque hæc *Nebula* subintrat pectus, sequitur & *Dei Gloria. S. Joseph. Conf. 28. Maij in Menæis.* Tu nævorum expers ô Domina, Regis omnium Thronus effecta es, in quo residens Christus, à ruina jam inveterata nos evexit; unaquè dignatus est Divino Trinitatis consessu, omnes illos, qui te pari cum amore, & fide magnis afficiunt laudibus. Quod ferè idem dixit *S. Theoph. 16. Jan. ode 5.* Ex qua prodijt indutus hominem Deus, qui cultores suos ô Virgo usque ad lumen suæ Divinitatis exaltat. Sed non solùm cultores Virginis efficiuntur filij Dei, & gloriæ illius participes, verùm etiam quodammodò Deificantur. Ita *Ecclesia Græca in Menæis 27. Maij.* Per te à vano Divinitatis, per serpentem Evæ suggesto mihi desiderio retractus, planè sum Deificatus.

Idipsum *S. Joseph Confess. ibid. Jan. 4. ode 1.* Et *S. Sophron. Patriarcha 8. Jan. ode 9.* Cùm me totum Deus vellet transformare in Deum, totum univit se tibi ô Maria, sicquè novum, & incomprehensum repræsentatur mysterium. *Et S. Stephan. 9. Jan. ode 4*

ode 4. Cœlestis ille Filius tuus terrigenis similis factus, eosdem cœlestes effecit, atque in nostra natura ad patiendum idonea dolores perpessus, liberaliter nobis impatibilitatem suam Divinam communicavit. Ex quo 13. *Jan. ode* 8. supra nominatus *S. Joseph* ita Divam hanc affatur. Per te pristinus aperitur paradisus & in illum homo reducitur damnatus, jamquè verisimè Deus efficitur, ô Deo singulariter grata.

11. Quia Christus D. ejus Cultum promovet.

Ruperti in Cantic. penult: verba sunt. Tanta es, ut te honoret ipse Sol Christus honore, quo decet Filium honorare Parentes suos, qui enim dixit Honora Patrem & Matrem, non dubium quin & ipse honoret, & ab omnibus amicis suis velit honorari Matrem. Eccles. 3. *Sicut qui thesaurisat, ita qui honorat Matrem suam*: ita Matris cultum promovet tanquam si speraret aliqua sibi bona ex hoc honore sicut ex thesauro depositio. Quò spectat *Damasc. orat. 1. de dormit. B. V.* Quàm Christus bonus Legislator, etiamsi legi minùs subjectus sit, legem tamen quam ipse de honorandis Parentibus sanxit, explens honorat. Idquè in tantum ut *Bern: serm: 1. de Assumpt:* hunc Virgini formet titulum. Quis non credat Dei Filium honorare Matrem? Ideoque potest Deipara meritò appellari Mater honorificata. *Arnoldus Abbas Bonæ vallis de laud. Virg.* Hoc stupendum quod exspiratus JEsus Matrem tanto affectu honorat, Victor suppliciorum & quasi sui immemor, de cruce ad Matrem convertitur, & colloquitur intimans quantum apud eam meriti esset & gratiæ, quam solam in illo puncto respiceret, cùm jam capite vulnerato, fossis manibus & pedibus, in ultimis esset Matris affectio.

Sed jam videamus promotum à Filio Matris honorem in exemplis. Celebre est apud Helvetios sacellum Virginis dictum Cella S. Meginradi, hoc ipse Christus in honorem Matris suæ consecravit, qui est summus honor. In Bavaria vocatus fuit *S. Conradus Antistes Constantiensis* ut quandam Ecclesiam in honorem B. Virginis consecraret anno 948. 18. Cal. Octob. Cùm circa medium noctis pro oratione surrexisset, audivit cum suis melos dulcissimum, erat autem cantus ille quo tunc solebant uti in Dedicatione Ecclesiæ, cæremoniam autem totam idem *Conradus in lib. de Ster. secretorum apud Maraccium in Antistit: Marianis descripsit.*

Descendit Dominus de cælis casulâ violaceâ ante altare ad sacrum officium celebrandum, cui quatuor Evangelistæ infulam capiti ejus imponentes & more consueto deponentes Angeli aurea thuribula deferebant, alis suis ut ramis arborum stabant: juxta Dominum S. Gregorius manu sua flabellum tenens, S. Petrus tenens in manu baculum pastoralem; S. verò Augustinus & Ambrosius stabant ante Dominum, S. Michael præcentor erat, S. Stephanus legit Epistolam, B. Laurentius Evangelium &c. Secuto die sequenti populus templi Dedicationem solicitabat, solus

Conradus moras trahebat, sed dum jam meridies instaret, urgeretquè populus, tandem suam visionem aperuit, quam pro re vana passim habere cæperunt, ac tantò magis urgere: tum verò omnibus audientibus vox ejusmodi lapsa de cælo, quæ *Conradum* alloquebatur. Cessa, cessa, Frater, Divinitùs Capella consecrata est.

Similis honor Matri Sanctæ à Christo exhibitus scribitur apud *Maracc: in Antist: Marianis pag.* 125. *S. David Menevensium in Anglia Archiep.* voluit consecrare quandam B. Virginis Ecclesiam, sed Christus illum monuit, ut relinqueret, quod ipse jam consecravisset, & in signum rei manum ejus digito suo perforavit, & sic sequenti die mansit perforata, postea est sanata. Quia ut *Alexander V. summus Pontifex* argumentatur *tract. de Concept. B. V.* Filius debet exhibere honorem Matri secundùm legum decentiam, qui suæ non derogat dignitati: sed Dei Filius fuit Filius Virginis, ergo debebat sibi exhibere, vel saltem decens erat ut omnem honorem Matri suæ exhiberet, qui suæ non derogabat dignitati.

De *B. Petro Ordinis Cistercienſis in Brabantia ad annum* 1292. hæc habet *Benedictus Senorius in suo Chronico.* Contigit ut prædicto Petro B. Virgo compareret monens illa die esse festum suum, ut tantò esset devotior, sed Petrus ignoravit quodnam esset illud festum; & tandem à Monachis didicit Conceptionis Virgineæ fuisse. Quod ille festum singulari deinceps cultu observavit: ad quem quonam modo Christus incitavit, patet ex eo, quia raptus quandoque in extasim, & deductus ad Christum D. ac Matrem ejus à Domino reverentiæ & fervoris ac devotionis, quam ad Matrem suam habuerat admonitus, & debita fidelitate in eo perseverare jussus: Ipsam quoque perpetuo cultu ab eo honorari cupiens, se Matris honore delectari inseparabili vinculo demonstravit. Siquidem ipse Dominus JEsus vices Sacerdotis & morem assumens, Matrem suam ipsi ut moris est in facie Ecclesiæ, sponsalia fieri, in perpetuum spiritualis conjugij fœdus desponsavit, hæc verbis Historici quantùm fieri potuit servatis, etsi minùs concinnis, quod & aliàs facimus.

CAPUT

CAPUT III.

Beatam dicunt Virginem omnes Cælestes.

1. Quia Sanctissima.

TA sancta est Virgo ut existens in utero plus habuerit de gratia, quàm omnes in Cælo habeant Sancti, uti docet *Franciscus Mayron de Virgin. dist. 3. q. 1. c. 3.* Et *Vasq: tom: 2. in 3. p. d. 119. c. 3.* B. Virginem in instanti Conceptionis suæ, & deinceps plenum rationis usum in his saltem quæ ad Deum & virtutem pertinent habuisse; insuper, sinè interruptione, sinè tepiditate, sinè defectu aliquo semper operatam. Quantum igitur collegit gratiæ, dicat *Joan. Euchaita 30. Jan. ode 5. in Menæis.* Mortalis natura immortalē Angelicam superavit ad fastigium sanctitatis currendo: in hac quippè prætenera Virgo Angelos nulla carne gravatos post se reliquit. Certè ex eo solo quòd Mater Dei effecta, asserit *S. Ildefons: serm. 1. de Assumpt:* Christus eam Fons gratiæ, velut ignis ferrum decoxit, incanduit, ignivit. *S. Abbas in Menæis 15. Aug.* Virginis meritorum excessus omnem creatam cogitandi facultatem longissimè superat. Vetus est *S. Justini Martyris sensus orat. de pace.* Nullus mortalium, quamvis donorum multiplicitate præditus sit, Virgini valet coæquari. Et S. *Ephrem. orat. de Virg.* Sublimor est Cælicolis, purior solis radio, & splendoribus, namquè, ut *S. Anselmus de Concept. Virg. cap. 12.* Decebat Virginem ea puritate nitere, quâ major sub Deo nequeat intelligi. Unde juxta *S. Andr. Creten. de Assumpt: B. V.* Excepto DEO solo omnibus est altior.

Gerson de Nativit. acceptâ in fundamentū doctrinâ *S. Dionysij* de Angelis. Habet hoc Hierarchicus ordo secundum *Dionysium*, ut inferiorum virtutes sint in superioribus perfectiori modo repositæ. Quemadmodum sapientia perfectior in Seraphim, quàm in Cherubim. Est autem Maria super choros Angelorum per gratiam, & gloriam sublevata: erant igitur in ea perfectiones creaturarum irrationabilium, & rationabilium etiam Angelicarum eminentiori quodam modo reperibiles. Imò juxta *Greg. Mag. in 1. Reg. 1.* Maria meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis evexit. *Theodoret. lib. 3. in cantic.* Maria inter tot hominum quæ salvantur animas, veluti electa columba, non solùm pulchra penitùs, & immaculata, sed etiam quæ puritate Cherubim, & Seraphim antecellit.

Et *Rupert. lib. 6. in cantic.* ita illam affatur. Quando Spiritus S. in te supervenit, & Filium Virgo concepisti, tunc tu, & ex tunc pulchra facta es pulchritudine Divinâ. *Hailgrinus in cap. 7. Cant. citatus à Navar. in elect. lib. 4. n. 425.* Non minùs ait, meruit fundendo lac de uberibus suis ad Filij nutrimentum, quàm Martyres meruerunt fundendo sanguinem suum in Martyrio. Ex quo patet quantoperè gratiam augebat per opera, etiam per illa, quæ aliàs per se non sunt meritoria.

Præclarè hanc Virginis sanctitatem videtur mihi figurâsse *Arca Noë*, quæ utiq; juxta plerosque Patres hanc Virgem notabat Gen. 7. *Ferebatur super aquas.* Apoc. 17. *Aquæ populi sunt.* Itaque super sanctitatem populorum ferebatur. *Chrisp. Jerus. serm. de B. Virg.* ita eidem loquitur. Gratiâ plena es, quia tecum est universus gratiæ thesaurus. Et *S. Athanasius* explicatiùs *orat. de S. Deip.* Spiritus S. in Virginem descendit, cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratiâ, ut in omnibus grata esset, atque idcirco gratiâ plena cognominata est, eò quòd ab impletione Spiritus S. omnibus gratijs abundaret.

Undè juxta *Authorem imperfecti operis in Matth.* S. Joseph maluisset credere sine viro mulierem concipere posse quàm Mariam peccavisse. Nimirum ut ait *Petrus Dami: serm: de Assumpt:* Quid sanctitatis? quid justitiæ? quid Religionis? & perfectionis singularis huic Virgini deesse potuit, quæ totius gloriæ Divinæ Charismate plena fuit? in Cathechismo Græcano appellatur Deiparens intaminata, impolluta, immaculatissima, sanctissima, illibatissima, reverendissima.

2. Quia omnia dona quæ omnes habent Cælites, accepit uberiùs.

Virginem S. alloquitur *Idiota cap. 2. contempl.* Non deficit tibi ô Virgo, puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia & humilitas Virginum: in summa in nullo genere vacâsti virtutum ô Virgo plus quàm Beata. Quodcunque donum alicui Sanctorum unquam datum fuit, tibi non fuit negatum, sed omnium sanctorum Privilegia omnia habes, in te congesta. *S. Bonavent. spec. cap. 3.* Omnia flumina intrant in Mare, dum omnia charismata intrant in Mariam. Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam, flumen Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariam, flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Martyrum intrat in Mariam, flumen denique Confessorum, Virginum & Doctorum intrat in Mariam: Omnia flumina intrant in Mariam juxta illud Eccles. 1. *Omnia flumina intrant in mare.*

S. id

S. id prosequitur *Thomas Archiep. Valentinus conc. 3. de Nativit. Virg.* Sicut in homine collecta est omnis Creatura, & ideò Microcosmus est homo, sic in Virgine collecta est omnis Ecclesia, & Sanctorum perfectio: Unde Virgo Microcosmus, (id est parvus mundus) Ecclesiæ dici potest. Quidquid in quolibet Sanctorum fuit illustre, in illa fuit, in illa patientia Job, mansuetudo Moysis, fides Abrahæ, castitas Joseph, humilitas David, Salomonis sapientia, zelus Eliæ. Idquè ita ut juxta *Richard. à S. Laurentio lib. 2. de laud. V. cap. 2.* dici possit. Nec comparavi illi lapidem pretiosum, id est quemlibet Sanctum; quoniam omne aurum in comparatione ejus est arena, exigua, id est omnis sanctus respectu Mariæ est sicut arena respectu auri.

Ampliùs dixit *S. Hieron.* vel *alius apud eum Serm. de Assumpt.* Sicut in comparatione Domini nemo bonus est, ita in comparatione Matris Dei nulla res invenitur perfecta, quamvis eximia comprobetur. *S. Bonav. cap. 2. spec.* juxta illud proverb. 31. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*; si filias istas intelligamus animas sanctas, vel intelligentias Angelicas.

Quod ipsum videtur insinuâsse constructio tabernaculi, ad quod exstruendum quisque afferebat, quod domi habebat optimum. Principes aurum, argentum nobiliores, purpuram fœminæ, coccinum &c. *Jacobus Chrysopol. comment. in Magnificat.* Nulla fuit data gratia alicui Creaturæ, quin fuerit data Virgini Mariæ. Accedat his *S. Chrysol. serm. 145.* Singulis se est gratia largita per partes, Mariæ verò simul se tota dedit gratiæ plenitudo. Quod ipsum dixit *S. August. citat. in addit: Lyran: super psalmum ex libro de natura, & gratia.* Cæteris quidem Sanctis per partes data est gratia, Mariæ autem se tota infudit plenitudo gratiæ.

Quam doctrinam confirmat ex S. Hieron. *S. Antonin. parte 4. Summæ tit. 15. cap. 6.* Et *S. Damasc. orat. 1. de dormit. Virg. addit.* Dei Matris, & servorum Dei infinitum est discrimen. Collaboravit autem Virgo S. huic suæ Sanctitati, mortificationem corporis quotidiè à se exegit. *Ambr. lib. 2. de Virg.* Si quando reficiendi succesisset voluntas cibus plerumque obvius qui mortem arceret, non delicias ministraret, dormire non priùs cupiditas, quàm necessitas fuit.

3. Quia impeccabilis.

Quod S. Anton. 4. part. tit. 15. cap. 44. 69. sic deducit. Quia nec cessavit, nec potuit cessare à sanctitate; quia statim in utero sanctificata, ut nec venialiter unquam peccare potuerit: Angeli verò omnes potuerunt, quia aliqui de facto peccârunt. Creata etiam cum justitia originali ut *Bern. hom. 2. super Missus.* Talem sibi debuit deligere, imò condere Matrem, qualẽ & se decere sciêrat, & sibi noverat placiturâ. Quis autem non perhorrescat dicere decuisse Matrem DEI originali maculâ fuisse inquinatam

aut Deo placitum iri, in Matrem sumere quondam peccati turpitudine fœdatam. Hoc ipsum *Richard. Victor. lib. 2. de Emman. cap. 29.* his exprimit. Sicut Cælum non est capax alicujus peregrinæ impressionis: Ita nec Deipara propter mirabilem ejus impeccabilitatem nullam peregrinam levissimi etiam peccati originalis impressionem unquam suscepit; Imò nec sub peccati lege condita. Juxta *Laur. Justin. lib. de Cast. Connub. cap. sept.* Quotquot ex ipsa Adami nati sunt progenie, exceptis duntaxat Mediatore Dei & hominum Christo JEsu, & ejus Matre sub hac peccati lege conditi sunt. *Idem in fasciculo amoris cap. 7.* Nemo ab ipso mundi initio, usque ad plenitudinem temporis, duntaxat Mediatore ejusquè Genitrice exceptis, jugum dominationis peccati evasit. Ipse conceptus ejus passivus quàm sanctus, audi illam de se apud *S. Brigitt:* in re hac testem. Pro certo dico tibi quod ex verbo Angeli nunciantis convenerunt carne Parentes mei, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluntatem suam, ex Divina dilectione, & sic ex semine eorum, per Divinam charitatem caro mea compaginata est.

De ista sanctitate videtur locutus *Matthæus Augustus Cantacubenus* in illa cantica *Lampades ejus*, quod 70. legunt. *Pennæ ipsius*, ubi ita loquitur. Sedit Virgo super Seraphim, & super ipsas supremas intelligentias, invisceratum ferens Opificem, & Conditorem universi.

De hac *Origen. hom. 1. in Matth.* ubi inducit Angelum, qui hunc in modum Virginem Joseph commendat. Accipe ergo ô Joseph Mariam, sicut commendatum Cæleste thesaurum, Deitatis divitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam justitiam. Accipe eam sicut Unigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut donum Dei, sicut Creatoris omnium propriam, sicut Regis Cæleſtis domum immaculatam. *S. Ephrem. orat. de Deip.* Intemerata, incorrupta, pura, immaculata, Virgo Deipara ab omni sorde & peccati labe alienissima, omnium Regina sublimior fuit Cælicolis, purior solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, & glorioſior cæteris omnibus superis exercitibus. *S. Bernardin. tom. 1. serm. 12. artic. 3. cap. 1.*

Sicut Filius Mariæ est Sanctus sanctorum, ita constat, quòd Mater quæ ipsum portavit est Sancta sanctarum. Ubi ergo est summa plenitudo sanctitatis humanæ, & Angelicæ, ibi semper Virgo Dei Mater, prima sanctitatis suæ jecit fundamenta, ibi detinuit gradum, & palmam fixit virgineam. *Dionys. Carth. lib. 2. de laudib. B. Virginis art. 2.* ita habet. Scribit *Albertus Mag. in libro de laudib. Virg.* Beatissima Virgo gratiâ fuit plena. *Primò*, quia omnes gratias generales, & speciales omnium creaturarum in summa habuit. 2. Quia & illas gratias habebat, à quibus omnis creatura vacua fuit. 3. Quia ejus gratia tanta fuit, quòd pura creatura non fuit majoris gratiæ capax. 4. Quia increatam gratiam quæ Deus est, totam in se continuit.

4. Quia

4. Quia hujus ope mortalibus Cælites beneficia tribuunt.

S. Brigitta lib. 6. cap. 93. & S. Franciſca Romana apud Maraccium. Cùm imminerent Romanæ urbi clades, S. Petrus & Paulus Apoſtoli ad Virginem recurrerunt, & ejus interventu averterunt.

Hoc initio claruit imago Cellenſis B. Virginis Anno 1284. Henricum Marchionem Moraviæ morbus quispiam incurabilis obruerat: Conjugem verò Agnetem haud mitiùs habuit paraliſis. Deſtituti ambo ab arte Medicorum, Divi Wenceslai M. opem implorant. Apparet Divus per quietem, dat ſanitatem, ſed ut eam referant Divæ Virgini, idque coram ejus ſtatua, quæ tum in cella cujusdam Religioſi latebat in Germania profiteantur. Quod & fecerunt.

Alterum afferimus. Exceſſerat jam vitâ Franciſcus ſui ordinis Patriarcha, cùm hæc contigiſſe refert in ejus vita S. *Bonav.* Jam diem ſeptimam partûs laboribus quæpiam mulier diſcruciabatur, adeò, ut inſtar carbonis fuerit exuſta in nigrorem, omnemque ſpem vitæ ſuæ ab omnibus excluſerit. Invocat nihilominus Divum Franciſcum, is ſe præbet obtutibus ſemisopitæ, & quærit, nôritne ſe & illud canticum *Salve Regina*, &c. annuit mulier, dat ſpem vitæ mulieri, atque proli ejus D. Patriarcha, ac ſubitò diſparet. Redditur ſibi mulier, memorq; moniti orat *Salve Regina*, & dum verba: *Et Jeſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende* profert partum ſuum effundit feliciſsimè, & omnes cum eo dolores. Pulchrè *Idiota contemplat.* 18. Credo ô Domina pijſsima quia te orante pro me peccatore ad Filium omnes cæteri Sancti orabunt, te verò tacente nullus orabit, nullus lucebit. Sed quod ſcriptum eſt in *ſpec. vitæ S. Franciſci cap.* 109. ubi ipſe S. *Franciſcus* opitulaturus miſero, ad B. Virg. ipſe inter Cælites exiſtens recurrit. Refertur hoc ipſum & *in Chronico Minorum*, ſed quibusdam omiſsis. Res ſic erat.

In Hiſpania in Civitate Roderici Epiſcopus agebat vitâ lubricus ac diſſolutus, unicum tamen hoc habuit laudabile, quod ſummopere S. Franciſci Patrocinio fideret, ejusque Fratres liberaliter haberet: imminere illi mortem, damnationemque Sanctus prænoverat, ideo ut ad meliorem frugem flecteret, oſtendit per viſum Nobili cuidam, Epiſcopi ejusdem famulo, Epiſcopum in palatio quopiam dæmonibus refertiſsimo, cum inſtrumentis, quibus eum de cathedra conabantur deripere, cui ille nigris indutus inſidebat; & monuit Divus, ut hoc viſum Epiſcopo referretur. Metu aliâve causâ neglexit famulus. Exhibuit viſum Divus ſecundò, ſed rurſus famulus celavit Epiſcopum. Tandem tertiò Divus viſionem inſtaurat, & monet ut digito veſtem Epiſcopi oſtenſi tangat: fecit, ſed ferè digitum exuſsit: Quo jam factus fortior, expoſuit viſionem Epiſcopo, ſed ab eo ludibrijs exceptus. Paucis poſt diebus Epiſcopus

piscopus subitò ac impœnitens moritur. Aderant dæmones qui miseri auferrent animam : Adfuit & Divus cum S. Clara qui inhiberet : sed genij urgebant juxta leges justitiæ sibi deberi, utpote hominis in peccatis gravibus functi vitâ. Interea Divus S. Claræ commendat animam, ipsa verò ad Dei Matrem digreditur, ejusque sollicitè opem implorat. Cui Virgo: Verè iste non est dignus, ut pro illo Filium deprecer: propter te tamen interpellabo pro eo. Redditus itaque die tertiâ vitæ Episcopus, & quod de eo actum retulit, diebusq; novem ad pœnitentiam in vita relictus.

Benè argumentatus de patrocinio Virginis *S. Anton. p. 4. tit. 15. cap. 17.* Oratio Sanctorum innititur tantùm gratiæ, oratio autem Virginis innititur gratiæ Dei, jure naturali & justitiæ. Quapropter dum Sancti impetrant etiam per Mariam impetrant. Quod ipsum conspicitur *in Revel S. Brigittæ libro 1. cap. 103.* ubi *S. Dionysius* visus est orare Sanctam Virginem ut Regno Galliæ succurreret. *S. Menulphus apud Surium* testatus est revivisens à mortuis, se aliquid post obitum per Dei Genitricem Mariam impetrâsse. *S. Cæsarius M.* ut habetur *in vita Annonis apud Surium*, Peccatoris cujusdam salutem per opem Deiparæ quæsivit, & reperit. *S. Agnellus* ut habetur itidem *in ejus vita apud Paulum Regium*, post obitum apparuit cuidam orans pro salute ejus Virginem Mariam; ita Divi quod nobis donant, ope Virginis donant.

5. Quia de ejus gloria Cælites participant.

Sit primus hujus rei testis *S. Bernardinus tom. 1. serm. 61. artic. 3. cap. 30.* expendens illa verba Esther cap. 1. *Posuit diadema Regni super caput ejus, & voluit eam esse Reginam, ita ille*; Istud est diadema speciei, & coronæ gloriæ, quâ Virgo super Angelos coronatur, & intra Trinitatis gloriam ipsa sola sit ampliùs evecta ac plus Beatissimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat, ac fruatur, quàm omnis alia pura creatura simul sumpta: de cujus gloria post Filium participant universi. *S. Ephrem. Orat. de B. Virgine*, Regina omnium sublimior Cœlicolis, purior solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubim, & multò sanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus exercitibus glorioſior, omnium Sanctorum Corona.

Hinc meritò dantur hi tituli B. Virgini à *S. Bonav. in psalt. min.* Regina sæculorum. *A Buteone in hymno*, Altitudo inenarrabilis. *A S. Chrysol. serm. 143.* Virgo major Cœlo. *Ab Eucher. Presbyt.* Virgo purior omnibus Angelis Cælorum, & splendidior in puritate omnibus splendoribus eorum, & Civium omnium Supernorum. *Albert. Magn. in bibliis B. V. ad Cap. 1. cant.*

Pro infallibili Regula debemus habere, qui eam diligimus, quòd omne, quod unquam bonitatis in aliquo Sanctorum fuit, vel pulchritudinis, in ipsa hoc per excellentiam Deus exercuerit, & per ipsam in eos. Et *lib. de laudib. B. V. cap. 69. & 76.* tradit hanc regulam pro formandis de Virginis celsitudine sententijs: Dubium non est

est, quin Mariæ tribui conveniat, quidquid boni quævis Creatura vel fecerit, vel receperit. *Petrus Damian. ferm. de Nativit. Virg.* Attende Seraphim & in illius superioris naturæ supervola dignitatem, & videbis quidquid majus est, minùs est Virgine, solumquè Opificem opus istud supergredi.

6. Quia est quodammodò Omnipotens.

Richard. lib. 4. Cùm eadem sit potestas, & communis Matris, & Filij quæ ab omnipotente Filio, omnipotens est effecta, quia *non est potestas nisi à* DEo Rom. 14. Vnde dicit cum Filio Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in Coelo, & in terra*; tamen excellenter potens in Ecclesia triumphante. Vnde dicit Eccles. 24. *In Jerusalem* supernâ *potestas mea*, imperandi scilicet quod volo virtutibus Angelicis, & animabus sanctis, & faciendi ad beneplacitum meum, & quos volo introducendi. *S. Bonavent. in Cant. post psalt.* Domina nostra omnipotens post Dominum nomen ejus. Quia ut *August.* seu *aliquis* apud eum *serm.* 20. ad Fratres in Eremo docet. Talis suo modo Mater, qualis Filius. *S. Andr. Cret.* vocat Virginem Miraculorum effectricem, potestatem habentem, quæ labefactari nequeat; & quæcunque voluerit efficere potest. *S. Sabbas* ita illam affatur *in Menæis* 17. *Jan. in matut.* Et *Greg. Nicomediensis Orat. de exitu B. Virg.* Nihil tuæ resistit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo jussui, omnia tuæ potestati serviunt. *Damian. serm. 1. de Nativit. B. Virg.* Nihil tibi impossibile. *S. Bonav.* rationem dat *in speculo cap. 8.* Quia Dominus potentissimè tecum est, ideò tu es potentissima secum, & per ipsam potentissima apud ipsum. *S. Anselm. de laud. B. V. cap. 12.* Dominus te sic exaltavit, ut omnia tecum possibilia esse donaverit.

Refert *S. Brigitta revel. c. 84.* Sanctos hæc in Cœlo dixisse: O Domina Benedicta, tu portâsti Dominum in te, & tu Domina omnium es: quid est quod non poteris, quod enim tu vis, hoc factum est.

7. Quia Dominatur Angelis.

S. *Joan. Damascenus in Dialogo* Angeli annunciantis Virgini qui est relatus in *Menæa Græcorum ad 25. Martij*, ita inducit Angelum agnoscentem supra se Virginis Dominium. Quid me pertimescis ô nullo unquam nævo subjecta? me qui tibi potiùs metum ut subditus debeo? Quid me veneraris ô Domina, qui te etiam cultu quodam adorationis longè justiùs veneror? Non sine timore ante faciem tuam ut servus antè Dominam adsto, imò nec aspicere te præ veneranda tui formidine audeo. *Et paulò post.* Lætare ô altitudo Maria! ad supremum cujus fastigium cogitationes hominum ascendere nequeunt: lætare profunditas, cujus subtilem recessum nec quidem acies Angelica penetrat, lætare per quam innovantur Creaturæ.

Quòd verò ſtatim ab infantia Virginem Angeli, ut Dominam ſervi, famulatu fuerint proſecuti *Idem orat.1. de Nativ.B.V. teſtatur:* dum ſic illam alloquitur infantem. O ſanctiſsima Filia, quæ Materni uberis lacte aleris, & ab Angelis undiquè cingeris. Quod ipſum *Greg. Nicomed. Orat. de oblat. Deip.* Sentit & extendit. Oportebat non unum ſolum ei ſervire Angelum, ſed decies mille millia eam ſtipare. Quod explicatur à *S. Hieron. lib. de Nativit. B.V.* qui eſt *tom.9.* Quotidie ab Angelis frequentabatur, quotidie Divina viſitatione fruebatur, quæ eam à malis omnibus cuſtodiebat, & bonis omnibus redundare faciebat. Faſſus eſt hoc ipſum *in 3.p. Chronic. S. Franciſc. lib.6. cap.30. Angelus Gabriel qui hæc dixit B. Amedæo.* Septem Angeli ſumus qui Genitricem Dei noſtri veneramur, alios omnes generis noſtri præcedimus.

Hi ſeptem ex Angelis altioribus ſpecialiter ſerviunt, nam etiam omnes alij ſerviunt juxta S. *Bonav. in Cantic. Te Deum laud.* Tibi Virgo omnes Angeli & Archangeli, tibi Throni & Principatus fideliter deſerviunt, tibi omnes Poteſtates, & omnes Virtutes Cœli Cœlorum & univerſæ Dominationes obediunt, tibi Cherubim & Seraphim aſsiſtunt, tibi omnis Angelica creatura inceſſabili voce proclamat, ſancta, ſancta, ſancta Maria Dei Genitrix Mater & Virgo. *S. Athanas. in Evang. Deip.* Beatam te prædicant omnes Angelorum & terreſtrium hierarchiæ, & hierarchicas manus attollentes benedicunt tibi, quæ & in Cœlis benediceris, & in terris Beata prædicaris. *Et rurſus.* Ad te clamamus recordare noſtri SS. Virgo, quæ etiam à partu Virgo permanſiſti: Ave gratiâ plena Dominus tecum, Beatam te prædicant omnes Angelorum & terreſtrium hierarchiæ. Benedicta tu es in mulieribus, & benedictus Fructus ventris tui; Intercede ergo & Domina & Regina, & Mater Dei pro nobis.

Quàm profunda verò ſit hæc Cæleſtium Spirituum veneratio, indicat nobis omnium nomine *ille qui B. Brigittæ ſermonem dictavit, in quo cap.4. hæc habet ſermone ad S. Virginem directo:* Angeli initio mundi de hoc magis exultabant, quòd te (DEus) creare volebat, quàm ex eo, quod ipſos creaverat, & ſic tu ô Virgo Sanctiſsima, Angelis mox ut creati fuerunt, gaudium fuiſti, quæ ipſi Deo ſine principio ſummæ delectatio extitiſti, & ſic verè Deus cum Angelis, & Angeli cum Deo de te, ô Virgo Creaturarum omnium digniſsima, antequam crearetis intimè congaudebant. *Et cap.20.* Angeli ita obedientes natæ Virgini effecti ſunt, quòd omnes inferni pœnas libentiùs ſuſtinerent, quàm aliquibus ſuis præceptis in aliquo contradicerent.

8. Quia eſt Canticum Cherubim ac Seraphim.

Verba ſunt S. *Ephrem. de laud. Virg.* Canticum eſt Cherubim ac Seraphim. *Virgo* eſt hymnodia Angelorum, hanc hymnodiam priusquam nata fuiſſet, incepe-runt. *Teſte S. Vincentio Ferrario ſerm. de Concept.* Sancti Angeli conceperunt Virginem in ſuis mentibus per quam eorum ruina repararetur, & inceperunt tripudiare,

&

& facere festum magnum. Postquam verò nata est inquit *Richard. lib. 2. de laud. Virg. cap. 2.* Angeli nomen desiderabant nominari, ut non intra terræ terminos clauderetur, sed etiam celebre haberetur in cœlis, & de facto quantoperè hoc nomine delectentur, ipsamet Virgo apud *S. Brigittam lib. 1. cap. 9. exposuit.* Audi quantum Filius meus nomen meum honoravit, Angeli boni audito hoc nomine, justis magis propinquant, & de eorum lætantur profectu, quibus sunt ad custodiam deputati. Sed jam ad cantum veniamus. Quid tamen canant Virgini aut quomodo Virginem *B. Henricus Suso* frequenter auroræ tempore ab illis audivit decantari. Stella Maria maris hodie processit ad ortum &c. *Navarrus Abbas Monasterij Romanæ Vallis in manuali de Orat. cap. 18. n. 188.* Fama est sapidam illam orandi formam: *Salve Regina* olim in nostra Romana valle sabbatis solitam ab Angelis cantari, quam ab eo tempore in hoc præsens Angelorum fontem appellant; quam *S. Bern.* audivit ab ijsdem alibi cantari. *Vincent. Belvac, in spec. hist. lib. 6. cap. 65.* refert de quodam Eremita qui audivit Angelicum melos, miratusquè quid sibi vellet accepit responsum, Virgo perpetua quæ Deum genuit, hac nocte nata fuit, quod etsi ab hominibus ignoretur, ab Angelis tamen celebre habetur.

Sed quid cecinerint non expressum arbitror. Quod Ave Maria &c. Quia scripsit *S. Athanas. Orat. de laud: Virg.* tres Angelorum Hierarchias, non sine magna & sonora voce Verba Gabrielis identidem decãtare. Idem sensit. *S. Ephrem. de laud. Virg.* Et nos ut monet *S. Joan. Damasc. orat. de dormit. Virginis.* Cum Gabriele antesignano exclamemus: Ave gratiâ plena Dominus tecum. *Et orat. de Annunt. Virg.* Verè piorum labra Dei Genitrici, Angeli vocem sinè ulla intermissione modulantes cum exultatione clament, Ave gratia plena Dominus tecum. *Goffridus Vindocinensis serm. in omni fest. B. M.* Hæc est cui serviunt Angeli, Archangeli famulantur, omnis etiam militiæ Cœlestis exercitus hanc Virginem laudat, & veneratur. *S. Bernardin. tom. 3. ser. 3. de glo. nom. M. artic. 3. c. 3.* Omnes Angelici Spiritus sunt hujus gloriosæ Virginis Ministri, atque servi. Quomodo enim non essent servi illius, per quam eorum quantum ad integritatem, reparatio facta est, per cujus Filium eorundè facta est purgatio, illuminatio & consummatio, id est gloriæ consummatæ perfectio? Benè igitur Domina dici potest, atque meritò de illa omnes Cælestes spiritus confiteri & dicere illud 4. Reg. 10. *Servi tui sumus, quæcunq; jusseris faciemus. S. Bonav. in spec. cap. 3.* illam cum Esther quæ innixa super famulam unam, ab altera comitatum habuit sic confert.

Per Esther intellige Reginam Mariam, duæ famulæ, quarum Regina est Maria, sunt Angelica & humana natura. *Albertus M. super missus cap. 203.* Dominatur Maria volatibus cæli, id est elevatis Angelis, & volantibus in Cælum, & ad altitudinem contemplationis Dei. *B. Amedæo raptu 8. hæc dixit S. Gabriel.* Maria assiduè erat stipata multitudine Angelorum, quia à principio jussit Deus nobis Angelis, ut eam pro nostra

Regina teneremus: Nullus ex nobis tam potens & magnus fuit, qui non cuperet eam videre quamobrem alternatim ad eam veniebamus, & ab ea recedebamus admirantes tantam gratiam.

Pulcherrimè hanc rem exprimit *Jacobus Archiep. Junuensis in suo Mariali serm. 6. cum ait:* Cælum circa stellam maris se vertit, sic tota curia Cælestis ad B. Virginem attendit, *gyrum cæli circuivit*, ait ipsa Eccles: 24. Tunc quippe gyrum cæli circuit, quando totam cælestem curiam ad se attendere facit.

CAPVT IV.

Ecclesia Beatam dicit Sanctam Virginem.

1. Quia Virgo est Mater Ecclesiæ.

LUc: 2. *Peperit Filium suum primogenitum*, at ubi alij? nomen hoc utique alios videtur respicere? Mater nostra Maria, quæ licet non nisi Filium unicum carnalem genuerit, in eo tamen spiritualis Mater effecta est magnæ multitudinis filiorum, quorum primogenitus est Christus. *Richard. à S. Laur. respondet. lib. 2. p. 1. & addit:* Sicut *mater* Eva est dicta *omnium viventium* vita naturæ, Gen. 3. sic Maria Mater omnium viventium vita gratiæ. Ipsa etiam propter hoc figurata est per Saram quæ non nisi unicum carnaliter peperit Abrahæ; tamen Mater dicta est Populi Israelitici. Undè Isai: 51. dicitur Judæis: *Attendite ad Abraham Patrem vestrum & ad Saram quæ peperit vos.*

In idem recidit quod dixit *Guericus Abbas serm. 2. de Nativit.* O Mater incorrupta, Virgo fæcunda, Filius qui datus est tibi, filios dedit tibi. *Idem serm. 1. de Assumpt. ad illud Galat. 4. Filioli mei quos iterum parturio.* Si servus Christi filios suos iterum, atque iterum parturit, curâ atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus, quantò magis ipsa Mater Christi?

Explicat hoc *Albert. Mag. super missus.* Omnium Sanctorum quos per spiritualem gratiam mediante Virgine regeneravit Deus, dicitur Mater. Imò etiam Angelorum dicitur Mater: quia ipsa mediante ipsorum restaurata est ruina.

Hinc *Moysi* olim supremo Duci Ecclesiæ collata est inauguratio prope *Rubum ardentem incombustum* Virginitatis Marianæ symbolũ. *Aaroni* summus Pontificatus ex *Virga florente* prodijt, quæ ipsa Virginis istius erat imago: Virgo enim erat futura de radice Jesse.

Hinc

Hinc fortasse Greg. Nazian: illam vocat Formam credentium. *Andr. Jeros. in solut. Aug.* Fermentum sanctorum Dei, quo tota generis humani massa conspersa est ex uno Christi corpore, seu panis factus, in vinum coijt, incredibilis concretio.

2. Quia gentes ad Ecclesiam inducit.

Non dubium quin & nos in mancipatu dæmonis jacuissemus, nisi hæc Virgo manum porrexisset. *S. Cyrill. Alex. hom. 6. contra Nest.* hoc testatur; & in hunc modum grates refert. Sit tibi sancta Dei Mater laus, per te Trinitas sanctificatur, per te Crux pretiosa celebratur, & adoratur in toto Orbe terrarum, per te omnis creatura Idolorum errore detenta, conversa est ad agnitionẽ veritatis, atque in toto Orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ, Te adjutrice gentes veniunt ad pœnitentiam, quid plura? per te unigenitus Filius, vera illa lux effulsit sedentibus in tenebris, & umbra mortis. Vocabat autem ad fidem Virgo verbis, & exemplis. *S. Brigitta* alicubi scripsit *ex Revel.* In hoc mundo Filius tuus multis te annis manere permisit, & tunc per tua verba prudentissima, gestus honestissimos, & opera virtuosissima innumerabiles Judæos, & Infideles Paganos ad fidem Catholicam convertisti.

Et hoc videtur ipsa Virgo cantic. 7. egisse. *Veni dilecte mi egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Quod *Guillelmus* sic exponit. Egrediamur de illa Ierusalem quæ melius Babylon, egrediamur in mundum universum, commoremur in villulis gentium, usque ad vesperam sæculi: nam tecum manebo, ubicunque moram feceris, nam grata erit mihi omnium gentium salus. *Et rursus* cantic. ibid. *Manè surgemus ad vineas. Idem explicator agit.* Surgamus inquit Mater ad Filium ad vineas, hoc est Ecclesias per orbem plantandas, quæ in unam magnam vineam redigantur, hoc est in Ecclesiam Catholicam.

Hinc fortè *S. August. lib. de S. Virginitate dixit:* Mater est Maria omnium fidelium, & membrorum Christi; quia cooperata est charitate, ut illi in Ecclesia nascerentur. *S. Cyrill. Alexand.* loc. citato. Per te S. Baptisma & oleum exultationis obtingunt credentibus. Per te in universo mundo fundantur Ecclesiæ. Per te gentes, & infideles ad pœnitentiam adducuntur. Per te Apostoli salutem gentibus prædicârunt. Romam haud dubiè *Petrus* S. Fide illustravit; fidem tamen Romani ad Virginem videntur retulisse, dum eam domum in templum S. Virginis consecrant, quam teste *Bozio lib. 9. de signis Ecclesiæ cap. 9.* in via lata Magister fidei hospitio nobilitavit.

Quòd Virgini fidem debeat Hispania; narrat id nobis Laevius lib. 3. cap. 3. Quia scilicet sanctissima Jacobum Apostolum ad convertendos Hispanos miserit, quò gentem istam Idololatriæ cæno crassè indormientem ad Christianæ fidei splendorem, quâ posset industriâ provocaret. Novem tantùm converterat Jacobus, & cum illis ad Iberi fluvij ripas querebatur. Ecce subitò illi Virgo comparuit, & constrictum angore cernens affata, doloremquè ponere jussit, quod suis sudoribus obtinere non potuit, assecuturum per Discipulos pollicetur. Hoc scilicet suæ curæ despondisse Regnum.

Galliam converterunt M. Magdalena, Martha & Lazarus, sed illæ fuerunt Discipulæ Virginis, & cum isto primam Ecclesiam in Galliæ Regno honori Virginis erexerunt. Galliam excoluit S. Dionysius, sed iste Virginis studiosissimus. Primus Galliarum Rex Christianus Clodoveus, sed cujus ope factus fidem acceperit professus est, cùm primum Argentinæ templum in honorem Virginis erexit.

Flectamus jam oculos in Africam, & ipsas Indias, videbimus quòd illæ Gentes non aliunde lumen fidei accepêre. Ægypti certè illustratio S. Virgini debetur. Ita enim *Anastasius Sinaita lib. 6. hexam.* Quandò ex præsepi Bethleem, in Ægyptum cum sua Matre fugiente ab Herode versatus est, Sol Justitiæ Christus statim terrâ Ægypti prodetegitur, deponit tenebras, Solis justitiæ lumen induit. Versatus enim est cum proprio orbe, nempè Matre; ubi spectatur promontorium bonæ spei. Rex ejus terræ idololatra, dum sæpiùs per visum augustam quandam Fœminam contemplatur, & tandem quænam illa esset ex allata à Christianis Deiparæ imagine agnoscit, simul lumen fidei accipit. *Bozius de signis Eccles. lib. 9. cap. 10.* Indos stella ad Ecclesiam adduxit, uti colligimus ex *Hieronymo Osorio lib. 1. de gestis Emmanuelis Regis Lusit.* ubi hæc habet.

Gama Lusitaniæ classis Præfectus, dum vellet Indorum Regem adire, primò deductus est ad templum apud illos Sanctissimum, magnificentissimumquè, in medio verò templi sacellum erat editū, formâ rotundum, ad quod per multos gradus ascendebatur, ostium erat æreum, valdè angustum, in adverso intra sacellum erat imago locata, sed ob loci obscuritatem à Lusitanis aspici non poterat: aditus verò ad sacellum solis Sacerdotibus patebat, quorum dumquatuor in imaginem digito intento bis Mariam inclinâssent, omnes Indi in terram se proni abjecerunt, & orationem certam orârunt. Rationem autem facti eorum Princeps dictus *Catuelis* reddidit. Cranganor, inquit, erat in India Urbs vetustissima, Calecuto versus austrum obversa, cujus olim Rex Brachmanarum literis apprimè eruditus, cùm Sorori germanæ vitium intulisset, conscientiâ flagitij agitatus, gravi se inediâ sæpius mulctabat, & alijs laboribus, nec tamen vel sic relevabatur. Quare Religionis causâ iter suscepit in Persidem, & Caramaniam in qua antiquissima Magorum disciplina vigebat. Hic Reges ex stella de

Rege

Rege nato in Judæa edocti, se ad iter parabant, quibus se Craganoris adjunxit, qui fuit colore fuscus, qui ab hinc volebat dici Cheriperimale, hoc est unus ex tribus. Hi ergo Christum adorârunt. Hic verò tertio tandem anno reversus in Patriam ædem nomini Mariæ consecravit, in qua SS. Virginis imago in ulnis Filium tenentis collocata est, & eum ritum eos adorandi edocuit, tandem Rex ut Divinis rebus vacaret, omnia inter sapientes distribuit, ex quibus unus fuit erector Calecuti, & illud templum, & sacellum erexit, & cultum edocuit.

Virginem designabat stella juxta *S. Bonavent. in spec.* quæ Magos ad Christum duxit. Itaq; Virgo Magum Indorum Apostolum ad fidem adduxit, & Magus Virgini templum ut in ijs locis Patronæ fidei primum dedicavit.

Pulchrè *Buteo in hymno p. 132.* Virgo est lampas splendida, his qui sunt in tenebris conspicua, immortali accensa lumine, ad cognitionem Divinam omnes deducens, splendore mentem irradians, *Rovivardus in hist. Parthen:* scribit de S. Sabiniano & Potentiano, dum causâ Evangelij prædicandi S. Petri jussu cujus erant discipuli proficiscerentur, antequam Agendicum Senonum Metropolim pervenissent, ipsa nocte Natalis Domini cùm orarent exhibitam habuerunt per visionem S. Matrem cum infante modò nato. His auspicijs illata fides illi regno, ab his viris edocti fidem Senonenses, & Carnotenses Divæ Virgini templa erexerunt.

S. Marcianus datus Syracusanis Episcopus, ut scribit *Octavius Cajetanus de illustrib. ædib. B. V.* Siciliâ imaginem secum Virginis detulit, quâ idolorum statuas tanquam fulmine, dæmones, ac morbos profligabat. In Hispania S. Cæcilius Illiberorum à S. Petro Episcopo constitutus, scriptis Deiparam illustravit. S. Pius item Episcopus Hispalensis templum Divæ Virgini erexit. Pari modo Petragonicis in Gallia, Fronto, Anicij, Georgius Lemovicis, Martialis templa Virgini aut aras erexerunt, & quidem S. Martialis Anicij calceum Virginis deposuit. S. Mateonus à S. Petro in Germaniâ missus, Colonienſium, Tungrensium ac Trevirensium Apostolus, ut scribit *Bozius de signis Ecclesiæ lib. 9. cap. 9.* Virgini S. Templa erexit, præcipuè Tungris, quod primum in fra Alpes fuit. Nimirum testati illâ auspice, illâ duce, illâ directrice se gentes illas Christo lucratos.

Christophorus Bonius in hist. Cochinchinensi apud Niremb. in triumpho Mariano tradit: Cùm Patres Soc. JEsu habuissêt sedem in Urbe Noveeman Regionis Pulicambis, magna gentilium multitudo ad eorum fores apparuit, interrogati quid peterent: respondêrunt se vidisse in Regione pulcherrimam Virginem in aere sublimem, solis instar fulgentem, quæ ipsos ad hanc Urbem mittebat, ubi Patres convenirent, à quibus rectam cæli viam docerentur. Quocirca merìtissimè Virginem appellavit *Rupert. lib. 7. in cantic.* Matrem Christianorum. Et *Andr. Cret. Orat. de Assumpt.* Columbam vivificam, quæ est, non carnalem, per lucem deducens Israelem, qui fugatur, sed spiritualem

ritualem qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, Divinis illuminans facibus. *Et rursus dixit*: Quòd sit Virgo Currus Dei, decies mille millibus multiplicatus, qui millia locupletum adduxit ad Deum carne tectum. Adjiciamus adhuc *ex annalibus Benedictinorum de Mauris.*

Regnabat Toleti Maurus Alemcon hostis Christiani sanguinis sitientissimus: misit hic filium suum Petranem, ut Christianos ubique persequeretur, quod & strenuè fecit, & ingentem eorum numerum adduxit, jamquè erat captos divisurus militibus propè Oppidum Itam: tum verò gemitus captivorum ad Virginem conversus, nec frustra; nam Virgo subitò magnâ majestate super arborem ficum conspicitur, & dicit Petrani Christianos gentem suam esse, atque sub patrocinio à se haberi, quapropter sinat liberam. Petranes hæret dubius, atque quænam illa sit requirit. Respondet hæc se esse Virginem Mariam, quæ peperit Filium Dei in humani generis remedium, ac propterea ipsam quoque esse Advocatam peccatorum eorum, qui illius implorabant auxilium. Motus his verbis Barbarus, & donavit libertate captivos, & fidem veram appetijt, atque obtinuit: Nam Virgo illum instruxit, & in proximo fonte baptizavit, Romamquè causâ obedientiæ ire jussit, ac seriem eventûs ibidem explicare. Erexit eò loci sacellum Petranes, quod hodie dicitur Dominæ nostræ Desopetran, & redux Româ sanctissimè in obsequio illius sacelli vitam exegit. Multa etiam hodie miracula fiunt per aquam illius fontis, in quo fuerat baptizatus & Benedictini ibidem habent Monasterium.

Cùm S. Gripho Maronitis fidem Catholicam prædicaret, neque illi assentirentur, tandem ad eorum Regulum conversus dixit: Credesnè si solem qui nunc est in occasu retorsero in orientem? accepit conditionem Regulus; tum S. opem S. Virginis cujus illa dies fuit Assumptæ in Cælos implorare cæpit, &, ô rem miram! sol regressus in Orientem, rursus diem incepit. *Apud Maraccium in Antistit: Marian. fol:* 248. Ita verum est & quod *Buteo in hymno p.*137. Virgo est astrum inocciduum, magnum solem inducens mundo. Et quod *Hugo de S. Vict: serm:* 42. Est balsamum mundum universum opinionis optimæ redolentiâ adimplens.

Conversæ & aliæ gentes per Virginem, sed has solas & à quibus fidem cæteræ acceperunt, posuimus. Certè ipse Christus conversionem Samaritanæ quæ suæ gentis facta est deinde magistra propè fontem operatus *Joan.* 4. Qui juxta *S. Bonav. in spec.* Virginem nostram repræsentat.

Quid verò Virgo adhuc vivens ad cõversionem contulerit, *Angelus* nobis aperiat, qui *B. Brigittæ* sermonem de excell. Virginis dictavit. Ita ille *cap.*19. Post mortem Christi Virgo plures animas sua salutari doctrinâ ipsi Deo præsentabat, quàm aliqua alia persona suis universis operibus.

3. Quia

3. Quia Doctrinam accepit à Virgine Ecclesia.

S. August. 3. de Civit: Virginem appellavit Magistram Evangelistarum. Et ante illum *S. Ignatius* Magistram nostræ Religionis. Quod quomodo evenerit explicat S. *Anselm. lib. de excell. Virg. cap.7.* Erat utilis,& fidei nostræ necessaria conversatio Mariæ post ascensionem Domini, inter Apostolos ejus, quia licet illi per revelationem Spiritus S. edocti fuerint omnem veritatem, incomparabiliter tamen eminentiùs ac manifestiùs ipsa per eundem Spiritum veritatis profunditatem intelligebat: & per hoc multa eis per Virginem revelabantur, quæ in se non solùm simplici scientiâ, sed ipso effectu, & experientiâ didicerat. *Ambr. serm. 25. de Comm. Confess. non Pontif. ubi de arca foederis hæc habet:* Arcam quid nisi sanctam Mariam dixerimus: siquidem arca intrinsecus portabat testamenti tabulas, Maria autem gestabat hæredem: illa intra semet legem, hæc Evangelium retinuit. Ideo Apostoli frequenter conveniebant ad S. Virginem uti scribit *Dionys. Areopag. lib. de Div. nom. cap.* 3. Ac nominatim Petrus & Jacobus. De S. Joanne sic habet *Ambrosius instit. Virg. cap.7.* Mirum enim est præ cæteris Joannem locutum fuisse Mysteria Divina, cui præsto erat aula Cælestium Sacramentorum Maria.

De S. Luca, *Idiota contempl. cap.* 3. Doctrix fuisti Virgo Doctorum, & Magistra Apostolorum, unde & B. Lucas cui inter cæteros Evangelistas descriptio Dominicæ Incarnationis attribuitur, Evangelij seriem à te Maria didicisse traditur. Et universim *Andr. Cret. serm.2. de dormit. Virg.* Tu es verè liber ejus vivus, qui in te fuit tacitè inscriptus Verbi Paterni vivifico calamo Spiritus, Tu sola verè es novi testamenti volumen à Deo scriptum. *Alphonsus de Castro hist: Deip. cap.* 18. Apostoli omnes feliciter secum existimabant actum, quòd JEsu ad dexteram Patris considente, Mater ejus in terris superstes remaneret, cujus precibus germinans promoveretur Ecclesia, consilijs juvaretur, ac denique documentis erudiretur.

Sed hoc ipsum nobis dicet *Angelus sermonis cap.*19. quem *S. Brigittæ* dictavit. Erat Maria Magistra Apostolorum, Confortatrix Martyrum, Doctrix Confessorum, clarissimum Speculum Virginum, Consolatrix Viduarum, &c. Apostolis namq; ad se venientibus, omnia quæ de Filio suo perfectè noverat revelabat, & rationabiliter declarabat.

Diligentiam autem Matris sanctæ in gestis CHristi observandis adnotavit *Euseb. Emiss. serm.2.* Omnia verba hæc in corde suo ideo conferebat, nobisquè conservabat, & memoriæ mandabat, ut ipsâ postea docente, ipsâ narrante, & nunciante scriberentur, & in universo mundo prædicarentur, cunctisque nationibus nunciarentur. Ab ipsa hæc Apostoli audierunt, & ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda mandaverunt.

Extendit hoc ad Cælites *Ernesti primi Pragensium Archiep. Marialis. cap.* 143. Mariæ omniũ Sanctorum humillimæ, multò meliori modo quàm Paulo data est gratia evangelizare investigabiles gratiæ Christi divitias, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo, ut Principibus innotescat, & Potestatibus Cælestibus per Ecclesiam multiformis gratia DEI. Respexisse videtur *ad doctrinam S. Pauli*, quòd Angeli aliqua discant ab Ecclesia, & ita patet quòd Virgo non solùm homines edocuerit mysteria Dei, sed etiam Angelos. *Euseb. Emiss. hom. de Purificat.* Nisi ipsa verba Filij conservâsset, non ea haberemus: de ejus namque thesauris nos ista accepimus, quæ enim de Christi pueritia leguntur, à S. Virgine accepta leguntur, quæ non modò verba ista, sed & Pastorum, Magorũ, Simeonis & Annæ condidisse in corde dicitur: nimirum quæ aliquando revelaret.

Hoc ipsum est apud *S. Bernard. hom. 4. de Purific:* Rerum tempus & ordinem tenens ipsa melius postmodùm Scriptoribus ac Prædicatoribus Evangelij reservabat veritatem. Quia ut *Revel. cap.* 58. docet *S. Brigitta*, Christus Dominus adhuc puer cohabitans cum Matre multa illi arcana aperiebat. *Richard. lib. 2. p. 2.* Maria Apostolorum Magistra facta est, qui nostri postea Magistri facti sunt: & ascendente Domino, Apostolos novum docuit testamentum, quod ad docendum nos, ijdem Apostoli conscripserunt.

Quàm benè itaq; salutat Virginem *S. Germanus in orat. de Nativit. Virg.* Salve legis atque gratiæ Mediatrix, veteris novique testamenti Sigillum, totius prophetiæ clarissimum Supplementum, summa Divinitùs inspirata Veritas Scripturæ.

4. Quia Virgo Hæreticos supprimit.

Erumpebat in orbem pestis Pauli Samosateni, venit Virgo ad Greg. Thaumaturgum cum S. Joanne Apostolo, & quam doctrinam secuta sit antiquitas, edocet; & formulam fidei dat scripto, quâ Paulina hæresis vicina Arianæ confutabatur, quocirca ingressus Gregorius cum illa formula Concilium, quod habebatur Antiochiæ, mirificè erigit Episcopos Orientales. Hæc *Nissenus in vita S. Greg. Thaumat.* Optimè *S. Hieron. serm. de Assumpt.* sive *Sophron. Archiep: Jeros:* Virgo quæ solam universam interemit hæreticorum pravitatem, scilicet Virgo est aurora. Ut ait *Arnobius in ps.* 54. & ut Job. 24. *Fur & adulter perfodiunt in tenebris domos:* Fur qui mactat oves Dominicas. Adulter qui Verbum Dei adulterat, *sicut in die condixerant:* si subitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis. Ita ille.

Hinc *Richard. à S. Laurent. lib. 1. de laudibus Virg. cap.* 5. Per Mariam tanquam per mare transeunt veri Israelitæ ad portum felicitatis æternæ Ægyptijs submersis, quia ipsa universas hæreses interemit. *Sergius Hierop. in Nativit. B. V.* Victrix strenuissima omnium errorum, & infidelium hostium.

5. Quia

5. Quia Tyrannos Ecclesiæ domuit.

Amphilochius quod sequitur *in vita* S. *Basilij* narrat. Julianus Cæsar impius supremum Ecclesiæ meditabatur excidium, & cùm fuisset minatus id testatis verbis, S. Basilius se cum populo in templum Virginis recepit, ac triduanæ orationi vacavit, Julianus interim contra Persas abiêrat, comparuit Virgo augustissima Basilio ac S. Mercurium cujus in eo templo corpus, & arma asservabantur, jussit arma sumere, ac de impio Tyranno pœnas exigere. Id visionis per somnium habuit Basilius, qui evigilans neque corpus, neque arma amplius S. Mercurij conspexit. Post duas tandem horas cum lancea cruenta S. Mercurius comparuit; at post quartum diem advolat Quæstor Libanius, necem Cæsaris narrat factam manu militis incogniti, qui septemplicem custodiam perruperat.

Jam aliud accipe. Copronymus Cæsarum lues, ac Successor illius Leo Armenus bellum sacris Imaginibus indixerant, & ideo Catholicos ferro & igne tollebant, sed adeo Virgo pro Ecclesia contra Copronymum stetit, ut ille cælesti correptus igne, clamaret se viventem inferni flammis addictum, precarique ut Maria meritis laudibus, quibus mitior fieret ornaretur. Armeni verò Mater videbatur sibi esse in Blachernis, Templum id est Constantinopoli Virginis nostræ amplissimum, ibi D. Virginem videre: interea toti pavimento innatantem conspexit sanguinem, ex quo Regina Cœli vas jubet impleri, ac Matri Armeni offerri, ut biberet, recusat illa; tum Divina Virgo, atqui tuus Filius non facit finem effundendi sanguinem eorum, qui me venerantur, adeoque non cessat in se Deum Filiumque provocare; simulque addit Virgo paulò post Leonem periturum. Ita *ex Zonara*, etsi paucioribus *Bosius lib.* 4. *cap.* 10. Quod è Tyrannide Gothorum erepta fuerit Italia, quòd Ariani Hæretici ex ea expulsi, Deiparæ deberi docet. Et olim liberaturus Deus veterem synagogam Duce Moyse in nube comparuit, qui *rubus ardens incombustus* Virginis nostræ symbolum fuerat.

Hinc dixit *Gregorius Nicomed. orat. de Præsent: cap.* 12. Virginem Christianorum multitudo murum habemus fortissimum. Profectò teste *Th. Walsinghamo in Henr. IV.* B. Virgo S. Thomæ Cantuariensi Episcopo dedit cæleste quoddam unguentum, quo Reges Anglorum qui ungerentur pugiles essent benigni Ecclesiæ.

6. Quia est Scutum quo nos protegimur ab ira Dei.

Canunt *Menæa* 5. *Maij.* Te nos Christiani ac planè te solam irato objicimus Domino, quæ ut clementiùs de nobis statuere dignetur, impellas. Mihi id mysterium adumbrâsse videtur historia 2. Reg. 14. Offensus erat & meritissimè Absaloni David, quem

accesit Thecuitis, *& cecidit coram eo super terram, & adoravit, & dixit: serva me Rex & ait ad eam Rex, quid causæ habes? quæ respondit. Heu mulier vidua sum, mortuus enim est vir meus; & ancillæ tuæ erant duo filij, qui rixati sunt adversum se in agro, nullus q; erat qui eos prohibere posset, & percussit alter alterum, & interfecit eum, & ecce consurgens universa cognatio adversus ancillam tuam dicit. Trade eum qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit, & deleamus hæredem; & quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non supersit viro suo, & reliquiæ super terram. Et ait Rex ad mulierem. Vade ad domum tuam, & ego jubebo pro te.* S. Anton. 4. p. tit. 15. cap. 14. ferm: 7.

Maria figurata est in illa prudentissima muliere *Thecuite.* Absolon rebellis certè genus humanum repræsentat &c. Hæc *Thecuitis* sub cruce consistens unum amittebat Filium; & alium in filium accipiebat, id est genus humanum: & irato sc. Deo ut possimus piè opinari objecit, & similibus usa verbis, clementiam impetravit, & hoc quidem ut discurrit *S. Bernardinus ferm. 61. de B. V.* ubi ait: Indulsit misericors Deus primis parentibus, neque eos annihilavit post peccatum, quia non fuisset sic exorta B. Virgo, nec per consequens Christus, si Deus carnem non sumpsisset humanam, ergo propter istam nobilem Creaturam Deus Parentes primos salvavit de prima eorum transgressione, Noe diluvio inundātem, Abraham de Hur Chaldæorum, Isaac de Ismaele, Jacob de Esau, Judaicum populum de Ægypto, & de impia Pharaonis manu, & de mari rubro, & de manibus diversorum Regum, & Tyrannorum; scilicet Nabuchonodosor de captivitate Babylonis, & Assyriorum, Davidem de Leone, Ursis, de Gigante Goliath, de Saule infensissimo ejus hoste, & ut hoc brevi sermone cuncta comprehendam, omnes indulgentias & liberationes factas in veteri testamento non ambigo Deum fecisse, propter hujus Puellæ reverentiam, & amorem, quibus eam Deus in æterna sua prædestinatione honorandam cunctis operibus suis ab æterno præordinavit.

Subjiciamus nos isti sententiæ, quod Esthieri cap. 15. dictum, & dicamus Virgini. *Loquere Regi pro nobis & liberanos de morte.* Nam ut dictum apud *S. Aug. ferm. de Assumpt. B. Virg.* Nec potiorem invenimus meritis quàm te ad placandam iram Judicis, succurre ergò miseris. *Richard. lib. 4. de Virg.*

Comparatur misericordia Virginis Nubi, quia velut nubes misericorditer abscondit peccatores ab ardore solis, id est ab ira Filij. *Idem lib. 2. p. 1.* Ipsa Virgo dicit Eccles. 24. *Sicut nebula texi omnem terram,* ab irato scilicet Deo; quasi ab ardore solis. Ideo etiam dicit de Filio Cantic. 4. *Tenui eum,* nè scilicet percuteret, *nec dimittam* sed continuâ precum instantiâ furorem ipsius retinebo. Ipsa est Abigail, cujus prudentia furorem retinuit David, nè vindicaret se de Nabal stulto. De quo etiam S. *Andr. Mediolanens.* adductus à Novarino *Elect. lib. 4. n. 760.* Abigail placat David super nequi-

nequitiam mariti, Tu Deum ex peccatis generis humani, Abisag Sunamitis David senescentem calefecit, tu Virgo amore Deum nobis iratum refovisti. *S. Bonav. spec. cap. 7.* Detinet Filium Virgo, nè peccatores percutiat. Ante Mariam non fuit, qui sic Dominum auderet detinere, testante Isaia 64. *Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te.* Deipara Faventina *ut ex ejus historia constat*, depingitur cum fasce fractarum sagittarum, nam cum in Urbem Faventinam vellet eas vibrare Filius, Materna libertate illa de manibus Filij accepit, & confregit, & hanc suam erga Faventinos protectionem illis ipsis jussit significari. *Surius* quod sequitur *in vita S. Liobæ Abbatissæ* refert. Incubuerat loco gravis tempestas, tenebræ, tonitrua, fulmina, & quidquid minarum in cælo erat, imò persuaserant sibi ultimam adesse mundi diem, S. Lioba ante altare Virginis S. se abjicit, & templi fores reserat, invocatoquè auxilio D. Virginis iram Divinam componit, ac veluti scuti objectu evadit.

7. Quia est Auctrix virtutum.

Benè id *Bernardus* aut quisquis ille est *serm 1. in Salve Regina.* Origo fontium & fluminum mare, virtutum sanctarum Auctrix Maria. Si vis copiosas aquas haurire accede mare, si virtutes accede Mariam. Nam ut *S. Ildefonsus serm. de Partu & Purific.* Vexilla virtutis in Maria effulserunt, in qua tota Majestas Deitatis versatur. Ac ut *Jdiota in Prologo.* Inventa Virgine Maria invenitur omne bonum.

Quod videtur innuisse Moyses qui Dei præcepta reposuit in arca, nec alibi servanda censuit, quæ juxta *S. Jldefonsum serm. 1. de Assumpt.* B. Virginem figurabat. S. David, etsi antea justus, & probus, postquam tamen 16. Regum est *unctus oleo*, accepit *Spiritum S.* qui est fons omnium virtutum, quia *oleum* juxta *S. Ambros. 13. de Justit. Virg.* Sanctam Virginem denotat.

Statuerat Deus *Genes: 25.* ad magnas virtutes elevare in Mesopotamia *Jacobum*, prius illi eò peregrinanti *Scalam* ostendit, quæ juxta *Bernardum serm. in Nativit. B. V.* Typus erat nostræ Dominæ.

Nec caret mysterio quòd Deus in virtute provecturus, daturus benedictiones Jacobo, non ipsi tamen, sed Matri ejus Rebeccæ animum illas quærendi & modum inspiravit. Dei enim instinctum multi in hoc agnoscunt, quia teste *Richard. à S. Laur. lib. 2.* illa Virginem nostram indicabat. Quæ est ut ait *Ecbertus in Deprecat. ad B. V.* Areola aromatum sanctorum, à Cælesti confita Pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernans. Vel ut *Sophron. serm. de Assumpt.* Hortus deliciarum in quo sunt confita universa florum genera & odoramenta virtutum. Indè ut docet *Beda hom. de Visit. Elisabeth.* Fit largiente Domino, ut si B. Mariæ semper actus, & dicta recolamus, semper in nobis & observantia castitatis & virtutis opera perseverent.

Scribit *Castrius hist. Deip. cap.* 28. Quòd Virgo S. sivè adhuc vivens sivè jam è cœlo Florentinis scripserit Epistolam, in qua illos ad Divinum amorem, aliasque virtutes hortata. Misit & aliam de qua *Alanus Rupensis, & Alb. Renatus apud Odescalcum Episc. Vigevanensem* in ea Virginem quandam exhortata ad precationem, quam vocant coronæ seu rosarij, ad otij fugam, & solitudinem, paupertatem, aliasque virtutes Religiosas.

Non omittam quod scripsit *Jacobus Card. ut S. Gregor. tract. de Jubilæo.* Clericus quidam reprehensus fuit per visum à S. Virgine, quod anno 1300. dum causâ Jubilæi Romæ iret ad S. Paulum, iter garriendo confecisset.

8. Quia est Asylum peccatorum.

Quot ista illuminavit cordis oculos, (verbis utor *Menæorum* 4. *Jan.*) & pœnitentiæ radium immisit, ac tenebris æternùm duraturis liberavit, uti veri luminis Portus, & cunctorum Refugium! *Simeon Logotheta* vulgò *Metaphrastes ad Kal. April.* Quanquam gravibus hæreant peccatis affixi, quibus Filium Virginis ad peracerbam provocant iracundiam, utpotè malignis semper cogitationibus implicati, Filium tamen Virginis propitium ijs reddi, qui Virginem tanquam Dei Genitricem ex animo adorant.

Blosius Conclavis cap. 1. *narrat.* Gertrudi Cælestia contuenti Dei Mater ac Cœli Regina præsens affulsit, pallâ mirabili corpus omne contegente. Quo ipso tempore diversa animalia sunt Gertrudi objecta, & bestiæ dissimiles ad Deiparam accurrentes, ac se pallæ illius oblongæ finibus occultantes, quas universas Dei Mater humanissimè acceptas, latitate vestis obvelabat, singulas leviter manu tractabat, & blandè permulcebat, ut heri catulos solent, qui domi nascuntur. Gertrudi admiranti & quid illud esset nescienti declaratum est mutas illas pecudes, & varij generis animantes perditorum hominum, & multipliciter in legem Dei peccantium imaginem quandam exhibere, qui tamen Virginis amantes, ad eam rebus in adversis confugiunt; illam autem adversus animalia rationis expertia charitatem misericordiæ symbolum esse, quâ clementissima Mater libidinosis, flagitiosis, facinorosis, se invocâtibus opitulatur. Pulchrè hoc ipsum expressit *Ecclesia Græca in Menæis* 24. *Martij.* Virginem Deus ut dexteram suam omnibus lapsis ad surgendum extendit. Atque hic cum Psalmista Ps. 86. canere possumus. *Ecce Alienigenæ Tyrus, & Populus Æthiopum hi fuerunt illic;* pro hi fuerunt illic S. Hier: legit, iste natus est ibi. *Genebrardus*, hîc Rex unctus. In utero Virginis Rex Christus unctus: Tyrij verò infames ab usuris, Æthiopes à lascivia, hi fuerunt ibi, scilicet sub Matris Christi pallio; qui statim ait, *Memor ero Rahab* meretricis, *& Babylonis* matris omnium superstitionum, ac Idololatriarum; prideni siquidem hæc Virgini cura commissa pasce hædos tuos.

Et

Ex quo *S. Bernard: hom. 2. super Missus.* Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fæditate confusus, judicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi justitiæ, & desperationis abysso cogita Mariam: in periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam invoca, non recedat à corde, & ut impetres ejus orationis suffragium nè deseras conversationis exemplum.

Sensum aperuit suum de B. Virgine *Deus Pater coram s. Catharina Senensi dial. c. 4.* Maria est à me velut esca dulcissima collocata, & electa pro capiendis hominibus, & animabus præcipuè peccatorum. *Idiota contempl. cap. 18.* Omnia subjecisti sub pedibus Mariæ, oves, & boves, id est simplices, pecora campi, id est luxuriosos vagantes per campos, volucres cæli, id est superbos, pisces maris, id est cupidos. Dixerat verò *cap. 16.* O Misericordissima Virgo Maria, quis potest dignas impendere gratiarum actiones, quia tuâ misericordiâ plena est terra, fons tuæ misericordiæ irrigat aridam nostram, fons tuæ pietatis emittit rivulos suos ad nos peccatores, quibus continuè recreamur, fons tuæ clementiæ refrigerat peccatorum calorem, fons tuæ dulcedinis sitim nostram extinguit, & clamat quotidiè misericorditer ad nos: Sitientes venite ad aquas, & bibite cum lætitia.

Itaque cum *Guillem. Parisiensi Rhet: cap. 18.* Adibo te, imò etiam conveniam gloriosissima Dei Genitrix, quam Matrem misericordiæ & Reginam pietatis vocat omnis Ecclesia Sanctorum, an poteris denegare peccatoribus interpellationis tuæ gratiam? Tu cujus gratiositas nunquam repulsam patitur, cujus misericordia nulli unquam defuit; cujus benignissima humanitas nullum unquam deprecantem quantumcunque peccatorem despexit.

Et certè (*S. Saba in Menæis.*) Ego sum infructifera arbor, nullum salutis fructum afferens, quocirca nè exscindar, & in ignem qui extingui non potest miser projiciar, metuo, ut indè ergo me eripias, atque suffragijs tuis fructiferum exhibeas Filio tuo, coram te prosternor. *Innocent. 3. serm. 2. de Assumpt.* Illa dicta est Eva, huic dictum est Ave, quia per hanc mutatum est nomen Evæ in Ave. Ave inquit gratiâ plena, Dominus tecum, quasi diceret, illa fuit plena peccato, sed tu plena gratiâ, illa fuit maledicta in mulieribus, sed tu benedicta in mulieribus. Et sub finem.

Ipsa est ergo Cant. 6. *Aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata,* Luna lucet in nocte, aurora in diluculo, sol in die, nox autē est culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia. Qui ergo jacet in nocte culpæ, respiciat lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte invocavit eam, & non est exauditus? ipsa est Mater dilectionis, & sanctæ spei. Qui verò ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auro-

auroram, deprecetur Mariam, ut ipsa cor ejus ad satisfactionem illumsnet. Quis enim devotè invocavit eam, & non est exauditus. *Ansel: in hymno* 1. Patrona est peccatorum Virgo. Est *Tabernaculum* juxta *Richard. lib.* 10. In eo reponas etiam arefactas *Virgas*: num. 17. *germinabunt*. Illa est *Scala* cæli, sub qua si dormiens peccator collocetur, evigilabit ad vitam. Illa est *Aqua* ad cujus humorem Job 14. *lignum* mortuum *regerminabit*. Illa Terra benedicta, in qua insitum frumentum reviviscit cum fœnore, ut ait *Beda in* 2. *Gen.* Illa est Ruth ut vult *Bonav. in spec.* quæ à metentibus neglectas colligit spicas. Quia ut *Anselm. lib. de excell. Virg. dicit.* Maria propter peccatores, scilicet propter me, meique similes, facta est Dei Mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere me poterit ut eorum veniam desperem? quare si ipsa etiam Mater specificè peccatorum, undè in cœlo ni fallor non solùm Christifori, sed & Marianitæ dicemur, nec solùm in fronte signum Tau, sed & Mariæ circumferemus, utpote præcipuè salvati ab ea, præcipueque sui.

Ipsa de se loquitur *apud S. Brigittam Revel lib. 6. cap.* 10. Ego sum Mater misericordiæ, & aditus peccatorum ad Deum, nullus enim adeò maledictus est, qui quàm diu vivit, careat misericordiâ meâ, quia propter me leviùs tentatur à dæmonibus, quàm aliter tentaretur. *DEus Pater apud Blos. cap. in conclavi fidelis animæ* ita loquitur. Mariæ Unigeniti Filij mei Genitrici à bonitate mea concessum est propter incarnati Verbi reverentiam, ut quicunque etiam peccator ad eam cum devota oratione recurrit, nullo modo decipiatur à dæmone infernali.

Hinc *Eutychianus in vita Theophil.* dixit: O Domina mea Defensio generis humani, Portus & Protectio eorum, qui ad te confugiunt, quis unquam hominum rogavit tuam fideliter opem, & fuit unquam derelictus? Reverà nullus unquam. *Albertus Magnus in Bibliis Marian: ad cap.* 18. *Jerem:* Descende in domum figuli. Domus figuli est Virgo Maria, hæc est domus in qua reformatus fuit miser Theophilus. Sed quis ille? *B. Damian: serm: de Nativit: B. V.* Quid tibi negabitur, cui non est negatum Theophilum de ipsis perditionis faucibus liberare? sed uberiùs *Bernardus serm. Signum Magnum.* Tu Virgo peccatorem quantumlibet fœtidum non horres, non despicis, si ad te suspiraverit, Tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit tu illum à desperationis barathro tua manu retrahis, spei medicamentum aspiras, foves, non despicis quousque horrendo Judici miserum reconcilies. Famosum hujus tuæ benignitatis testimonium est per te Theophilus restauratus gratiæ, qui propter ambitionem Deum abjuraverat, & dæmoni se desponderat.

Quocirca *ibidem Idem.* Quid ad Ma[illegible]accedere humana trepidet fragilitas, nihil austerum in ea, nihil terribile, to[illegible]avis est omnibus offerens lac, & lanam. Evolve diligentiùs Evangelicæ historiæ seriem universam, & si quid fortè increpatorium, si quid durum, si quid denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Hunc

Hunc acceſſum ad Virginem ſuadet *S. Bonavent. tom. 7. Epiſtolâ quæ continet 25. Memorabilia.* Glorioſam Reginam Domini noſtri Matrem Benedictam habeas in ſummo venerationis affectu, & in cunctis ad eam neceſsitatibus, periculis, & preſſuris, tanquam ad Refugium tutiſsimum te convertas, ipſius tutelæ flagitando præſidium, eamque in tuam ſuſcipiens Advocatam devotiſsimè, ac ſecurè ei cauſam tuam committas, quia Mater eſt miſericordiæ. *Ludov. Blos. ſpec. ſpirit. cap. 12.* Devotiſsimam Dei Genitricem Virginem Mariam purè ama, ſeduloque venerare, & invoca, quæ non ſolùm perfectorum, ſed etiam imperfectorum benigniſsima Conſolatrix, atque Advocata eſt. Hæc enim nullum à ſe repellit, ſed omnibus ſe præbet exorabilem, peccatores blandè ad ſe, piè, & humiliter confugientes ſuſcipit, & fovet, protegit, & Filio ſuo Maternâ fiduciâ reconciliat. Citiùs cælum cum terra peribit, quam illa aliquem ſeriò ſe implorantem ſuâ ope deſtituat. Gratias age Deo qui illam tibi dedit in Matrem, & Adjutricem.

Cùm ergo conſtat Mariam omnium ad ſe confugientium tutiſsimum eſſe præſidium, currite ad Mariam Patres, currite Fratres; currite ſodales, currite Filij, currite Matres, currite Virgines, currat omnis ætas, & omnis conditio hominum. *Albertus M. ſerm. de Nativit. B.V.* [illegible]ùm diligenda eſt B. Virgo à quolibet Chriſtiano, propter hoc quod eſt inextinguibile lumen ejus, nunquam enim aliquis in tantum peccat, ſi vult per veram pœnitentiam recurrere ad ipſam, quin ipſa ſit ſtatim quaſi lucerna pedibus ſuis, & reducat eum ad viam ſalutis æternæ.

Quod ampliùs proſequitur *Anonymus* inter dicta PP. apud *Blos. cap. 5.* Nullum tam execrabilem peccatorem orbis habet, quem Maria Virgo abominetur, & à ſe repellat, quemque dilectiſsimo Nato ſuo modò ſuam precetur opem, non poſsit, ſciat, & velit reconciliare.

Hoc ipſum teſtatur *S. Agnes apud S. Brigit. Revel. lib. 2. cap. 30.* Sic pia, & miſericors fuit Virgo Maria, quòd maluit omnes tribulationes ſufferre, quàm quòd animæ non redimerentur; nunc autem conjuncta Filio non obliviſcitur innatæ bonitatis ſuæ, ſed ad omnes extendit miſericordiam ſuam, etiam ad peſsimos, ut ſicut ſole illuminantur, & inflammantur cæleſtia & terreſtria, ſic ex dilectione Mariæ nullus eſt qui non per eam, ſi perierit ſentiat pietatem. *Author M. S.* in Bibliotheca Vatic. cujus meminit *Maraccius* in notis in Mariale Leonis Imp. Maria mons ſignatus, per *montem Armeniæ* ubi *requievit arca.* Gen. 8. Quia inundante diluvio peccatorum ſuis precibus ſuſtentat Eccleſiam, & fidelem animam. Illi accommodat *Rich. à S. Laur. lib. 4. in ex. Eccl. 24.* In fluctibus Maris ambulavi cum familiaribus meis, ut ipſos eriperem à naufragio peccatorum. Illa eſt ut *Dion. in cant. art. 15.* Mons myrrhæ plurimos à vitiorum putredine præſervando. Illa ut *Jacob de Voragine.* Balſamum præſervans ſuos famulos à corruptione culpæ. Ut *Honorius Auguſtod.* Murus fidelium, quo in-

expugna-

expugnabiles sunt à vitijs. Illa ut *Albertus M. serm. 2. de Assumpt.* Auxiliatrix fortis fidelium contra dæmones. Illa ut *idem in Bibl. Exod. Velum hyacinthinum* Exod. 36. quo velamur à peccatis. Illa ut *Richard. à S. Laur. lib. 1.* Pharos luminosa. Ut *Bernardinus à Busto serm. 2. de Assumpt.* Sol optimus terræ.

9. Quia Magistra est pœnitentium.

In Menæis 23. Febr. S. Theophanes ita orat Virginem nostram. Ut ignis columna præfulgens Virgo, atque lucida nubes, me, qui in hujus vitæ solitudine cum viarum erroribus luctor proficiscentem antecede, usque dum ad cælestem hæreditatem pertingam. Quia ut cum *S. Joseph Confessore ibidem 13. Aprilis dicat quis?* Per malas cogitationes præcipitem lapsum exorsus, in profundum peccatorum descendi, & proindè ex corde intimo gemens te Dominam meam inclamo, da mihi pœnitentiæ donum cum venia peccatorum, omnes in me palàm obstupescant abundantis tuæ miserationis exemplum, item viscerum tuorum ad clementiam propendentium sine termino pelagus, thesaurum omni mensura carentem. Nam teste *Richardo à S. Laur. lib. 12. de laud. Virg.* Maria est Virga Moysis. *Virgâ percussit Moyses aquam fluminis, coram Pharaone, & servis ejus, & versa est aqua in sanguinem.* Exod. 7. Similiter & Maria precibus suis, meritis & exemplis, conversis peccatoribus & maximè dilectoribus suis, quæ citò præterfluunt ut aqua convertit in abominationem & amaritudinem.

Rursus idem lib. 9. ex Gen. 2. Phison circuit terram Hevilath, quod interpretatur vel dolens vel parturiens: Et B. Virgo circuit dolentes, per contritionem ad consolandum eos, maximè parturientes peccata per confessionem. *Bonav. spec. cap. 10.* Maria est signata per illam *Abigail*, pro qua adducenda cùm David nuntios misisset, respondit. *Ecce famula tua sit in ancillam tuam, ut lavet pedes servorum Domini mei.* Per benedictam Ancillam Mariam, quâ tot servi Domini loti sunt, quot fideles ejus suffragijs à peccatis mundati sunt; Ipsa enim tot servorum Domini pedibus aquam obtulit, quot pœnitentibus lachrymas compunctionis obtinuit. Obtinuit verò illis etiam qui erant duri ut lapides. *A S. Laur. Richardus lib. 12. de laudibus Virginis.* Hæc Virgo est Virga Moysis per quam fecit signa in Ægypto ut in psalmo quodam dicitur. *Percussit petram & fluxerunt aquæ*, per quam absumpsit dracones magorum. *Abbas Absalon serm. 31.* hoc ipsum. Virga Moysis per quam fecit signa in Ægypto, Maria est: per eam Deus fecit mirabilia in mundo, è quibus unum de maximis est quòd Virga versa in colubrum Dracones Ægyptiorum devoraverit, quia cùm de se Christum in similitudinem carnis peccati generavit, omnia crimina, omnes hæreses impiorum, quæ Ægypto hujus mundi illudebant, tũ virtute prolis, tum exemplo suæ sanctitatis delevit. Notissima est *historia de S. Maria Ægyptiaca*, hæc ab anno duodecimo ætatis corpus suum

publicare

publicare non destitit, & ita annos septemdecim transegit. Contigit ut adjungeret se peregrinantibus Jerosolymam ad diem Exaltatæ S. Crucis; sed cùm aliquoties ingredi conata fuisset templum, vi occultâ rejecta est semper. Demùm Virginis imagine conspecta sic oravit. O Domina Virgo quæ Deum verum genuisti secundùm carnem; scio non esse decens, me adorare imaginem tuam, vel oculis eam contemplari, quæ sum tantis sordibus polluta, quia tamen, ut audivi, effectus est Deus homo, quem ipsa digna genuisti, ut peccatores vocaret ad pœnitentiam, adjuva me desolatam, & nullum habentem adjutorium, ut ingredi possim Ecclesiam, ac videre & adorare pretiosissimum lignum crucis, firmissimè promitto, quòd nunquam carnem meam coinquinabo, sed mox renunciabo sæculo, & omnibus quæ sunt sæculi, & vadam quo præceperis, & viam salutis demonstraveris. Hac oratione finita, sine ulla remora templum ingressa, tum versus imaginem iterum conversa, ita Magistræ Virginis opem imploravit, & doctrinam accepit his verbis. Si Jordanem transieris, illic bonam invenies requiem. Sed ampliùs oravit Magistram. Domina, Domina mea nè derelinquas neque deseras me, sed jugiter custodias me ubi me vis ire. Profecta trans Jordanem vitam exegit sanctissimè, uti habetur *in secunda Synodo Nicæna act:* 4. Sed veteri historiæ adjungamus paulò recentiorem, de qua *Bzovius ad annum* 1160. Erat in Academia Cantabrigensi in Anglia adolescens Guilelmus Vidius: hic in extasi raptus ad Dei Tribunal, in quo cùm objectis satisfacere non posset, sententia mortis æternæ contra illum ferebatur, vertit se ad Virginem & ope ejus liber evasit: sed simul ei tradidit Virgo chartam, quæ graviora ejus scelera continebat, quæ cùm extra visionem manserit, visionem non vanam probavit. Expressum jam hoc olim 4. *Regum* 5. Leprosus Naaman petijt curationem ab Elisæo, sed illum remisit Propheta ad *Jordanem*, qui juxta B. *Hieron. ad Fabiolam* S. Virginem significat. Quis ad Noe *Ramum olivæ* symbolum scilicet clementiæ attulit, nisi *Columba*, id est figura S. Virginis? *juxta Bedam in* 8. *Genes.* Et ita est non oritur sol nisi aurora præcesserit; non priùs *Gen.* 28. effundit *oleum* in *lapidem* Jacob, misericordiam scilicet in cor saxeum peccatoris, nisi conspectâ *Scalâ*, Virginis symbolo. Non priùs Joseph *Genes.* 48. educitur ex carcere, quàm Pharao *Fluvium* per quietem viderit, qui *s. Bernardo serm.* 3. *in Salve* denotat nostram Dominam.

Pulchrè docet *Andreas Jeros. orat: in salut. Angelica.* Quòd Virgo sit Dioptra perspectiva, per quam sedentes in Christi umbra peccatorum recipientes Solem justitiæ, mirabiliter illustrati sunt. *Richard: à S. Laur. lib.* 7. Maria lux quia rimas, & angustissima foramina sua illustratione manifestat existentibus in domo, id est etiam minima peccata suæ gratiæ infusione perceptibilia facit. *Cyrill. hom.* 6 *in Nestorium.* Mariâ adjutrice veniunt gentes ad pœnitentiam. *Salmeron. tom.* 10. *tract.* 40 docet, quòd B. Virgo Latroni qui cum Christo pependit illam mirandam impetravit conver-

sionem, & affert *ex quodam sermone Damiani.* Latro in cruce conversus est, sed cur non ante? cur non resipuit, cùm Jesum in via sequebatur? tum convertitur cùm Maria juxta crucem stabat, tum ex Latrone factus est Martyr, cùm Maria deprecabatur pro illo. *Hactenus ille.*

Facit multùm in rem præsentem, quod scripsit *Theosterictus in Canone.* Virgo est Janua pœnitentiæ. Et quod *Chrysost. Paræneſi ad Theodorum lapsum.* Maria est Janua aurea, & firma, quâ de cœlo propensâ subducimus animas nostras, quæ brevi sursum in illud fastigium retracta, eò, qui ipsam fortiter manibus servant, evellit & rapit supra præsentis vitæ omnium longè periculosissimos fluctus. Quamobrem qui mollis per indulgentiam hanc Sanctam Anchoram amittit, continuò decidit & suffocatur in profundum malitiæ submersus.

Sed ô Virgo abjicio me ad tuos pedes cum *S. Sophronio Patriarcha in Menæis 8. Jan. ode. 3.* Me tuum in hymnis laudatorem qui indignas veniâ culpas admisi, dirige ad ambulandum pœnitentiæ vias. Ego *cum Sabba ibid. 31. Jan.* non abscondo infelix gravitatem ærumnarum quippe mearum, in quidquid Deus odio habet, me devenisse sentio. Carnem non minùs quàm animam, & in anima voluntatem præsertim, cogitationibus nefandis, pudendisque sermonibus, factisque fœdavi delinquentes, item linguâ meâ ut reos traduxi longè deterioribus ipse commissis inquinatus. Quarè ô Deipara horum mihi omnium malorum emendationem largire, ut per donum tuum hoc à pessima consuetudine resipiscens, supplex me ipsum prosternam; atque quod vitæ reliquum fuerit in gravibus meis facinoribus deplorandis consumam.

10. Quia in mortis hora plurimos apud Judicem protegit.

Audiamus in hac re *Richard. à S. Laurent. lib. 12.* Sicut pia Mater abscondit Filium suum sub pallio, quando Pater vult verberare; sic Maria refugientes ad se & Christi justitiam formidantes. Indè fit, ut *Idiota in prologo.* Sæpe quos justitia Filij potest condemnare, Matris misericordia liberat.

Quantam indè spem concipere debemus cum *Anselmo.* O Beata fiducia, ô tutum Refugium! Mater Dei est Mater nostra! Judex noster est Frater noster! quâ igitur certitudine debemus sperare, & quâ consolatione timere, quorum sivè salus sivè damnatio, de boni Fratris, & de bonæ Matris pendet arbitrio.

Huic Virgini salutem suam debet Bassus Episcopus Anicienſis de quo *Petrus Dam. cap. 2. de bono suffragg.* Iste Præsul visitata B. Virginis dictæ de Podio imagine, dum rediret domum, mortuus in via: Cadaver ex more compositum custodiebatur: sed nocte sequenti è feretro cōsurgit, ac quid de se factum refert. Nimirū ob carnis vitia, quæ

quæ incurrerat, dæmones ursisse justitiam Judicis, ut eis traderetur mortui anima: sed à Virgine permissam regredi ad corpus, ut peccata confessione expiaret, meritum autem hoc gratiæ, quia in obsequio Virginis decessisset vitâ. Confessus ergo lætus & hilaris rursus exspiravit. *Maraccius in Regibus Mariæ. pag. 51.*

Dagobertus 1. Francorum Rex vitijs deditus, raptus ad Christi Judicis tribunal, à multis SS. præsertim à S. Virgine graviter accusatus, & cùm nec quidquam respondere posset, occurrit ipsi ut in honorē Virginis & SS. si liberaretur Ecclesiam ædificaret, quo facto proposito dimissus. Virgo nostra est *Rubus Moysis* Exod. 3. de quo *Gregor. Nissenus in vita Moysis.* Alibi Deus noster est ignis consumens, sed quando est in Rubo, nè metue vel nudis pedibus accedere.

Non comburuntur in fornace Danielis 3. tres pueri, quia factus est *ventus* illis in fornace *Rorà*, per quem intelligit *B. Germ. Constant. in encom.* Nostram Virginem quæ de se dicere potest Oseæ 14. Ego *Ros* & *Israel germinabit.* Proferentur coram Judice libri nostrorum scelerum; sed Virgo nostra ut docet *Richard. à S. Laur. lib. 12.* Ex spongia quæ universa abolebit. *Idem lib. 10. hæc reliquit.* Erit ex Isa: 4. *Tabernaculum in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & in absconsionem à turbine, & à pluvia,* erit enim gloriosa Virgo servientibus & amantibus suis in die Judicij Umbraculum ab æstu, & contra æstum illum, de quo dicitur 2. Petri ultim. *Elementa calorum solventur.*

Expertus hoc re ipsâ quidam anno 1604. ut retulit P. *Alphonsus Andrada Soc. Jesu supremi consilij & inquisitionis Qualificator.* Et P. F. *Richardus* Flandrensis tragœdiæ testis oculatus, qui etiam permotus illâ habitum S. Francisci assumpsit, & vitam optimam glorioſissimo igne, quo lentè in Japonia pro fide exustus illustravit.

Contigit res in Flandria. Duo Adolescentes inhonestam ingressi domum in noctem profundam hæserunt; eorum jam alter fatigatus, ad propriam ædem redijt: alter mansit. Ille qui redierat dum se ad somnum parat, advertit nondum se Marianum pensum exsoluisse, ac inter gravem luctam cum somno exsolvit. Dum hæc agit pulsatur ædium porta, clamorque tollitur repetiturque, ut ostium statim pateat; procedit Adolescens finita jam fortè oratione, ac negat se portam reseraturum, ni importunus pulsator causam sui priùs edixerit accessus. Et ecce illi reponitur, aperire te jubeo licet tuâ nequaquam operâ indigeam. Reponit adolescens. Si meâ non eges operâ, itaque clausâ januâ ingredere. Dixerat; & ecce conspicit socium quem paulò antea in prostibulo reliquerat, penetratâ adesse sibi portâ. Siletur utrinque aliquamdiu, tum hospes, agnoscisnè me, inquit, sodalis? cui alter agnosco: sed non capio quomodo clauso ostio intraveris. Tum ille plorans, scias, inquit amice, eodem illo tempore, quo in lupanari libidini serviebamus, Dei nostræque salutis immemores; dæmonem coram Dei tribunali nos accusâsse, exe-

gisseque, ut nos illius vindex justitia æternis statim flammis manciparet. Annuit actori dæmoni Judex, jamque prolatâ sententia executio erat in proximo; at quia tu B. Virginis pensum persolvebas, ipsa pro te apud Judicem stetit, ad cujus preces tuum exitium distulit; meum verò statim fieri jussit, quare me egredientem exilia domo infelicissima, dæmon invasit, & interemit: animam in profundum abyssi mox avecturus: me verò nè tibi verba dare arbitreris, ecce tormenta quæ patior, simul togam diducit, vermes igneos, serpentesque ostendit, & fætore horribili relicto, disparuit. Tum alter provolutus in genua, gratias SS. Virgini reddidit, primoque manè Guardianum PP. Franciscanorum adijt, remque omnem enarravit, atque ut fides haberetur, ad cadaver socij teterrimi plenum odoris deduxit.

11. Quia multum auxiliatur detentis in purgatorio.

Optimè *S. Vincentius Ferrerius serm. 2. de Nativit. B. Virginis.* Maria bona existentibus in purgatorio, quia per eam habent suffragium. Quod ipsum pluribus *S. Bernardin. serm. 3. de glorioso nomine Mariæ art. 2. cap. 3.* B. Virgo in regno purgatorij dominium tenet. Propterea inquit Eccles. 24. *Et in fluctibus maris ambulavi.* Pœnæ siquidem purgatorij dicitur fluctus, quia transitoria est, sed additur maris quia amara. Ab his tormentis liberat B. Virgo maximè devotos suos, & hoc est quod ait, in fluctibus maris ambulavi, scilicet visitans & subveniens necessitatibus, & tormentis devotorum meorum; imò & omnium qui ibi existunt, quia Filij sunt, cum sint filij gratiæ. Sed major testis *Christus Dominus*, qui apud *S. Brigitt. lib. 1. Revel. cap. 16.* vocat Virginem Consolationem eorum, qui sunt in purgatorio. Et ipsa *S. Virgo ibid.* ut Divus *Carthus. refert lib. 3. de laud. B. Virg.* ita loquitur. Qui in purgatorio sunt, gaudent meo nomine audito, quemadmodum æger jacens in lecto, cùm audit verbum solatij. *Blosius lib. 13. Monilis ex S. Brigitt. Revel.* hæc narrat. Audivit S. Brigitta ipsam B. Virginem Dei Genitricem dicentem. Ego sum Mater Dei, & Mater omnium qui sunt in purgatorio, quia omnes pœnæ, quæ debentur peccatis eorum, per preces meas quâlibet horâ quomodocunque mitigantur.

Et eadem *S. Brigitta* refert, cùm Christus D. Matri proposuisset ut peteret quidquid vellet, quòd Mater oraverit in hunc modum. Qui in purgatorio sunt, indigent triplici misericordiâ, quia tripliciter affliguntur. Visu, quia nihil vident, nisi miseriam suam. Turbantur quoque auditu, quia nihil audiunt, nisi dolores, pœnas, & miserias. Affliguntur tactu, quia sentiunt calorem ignis intolerabilis, & gravis pœnæ. Da eis Domine mi & Fili misericordiam tuam propter preces meas. Respondit Filius. Libenter propter te dabo illis triplicem misericordiam. Primò auditus eorum allevabitur, visus mitigabitur, pœna remissior & mitior erit. Insuper qui-

quicunque ab ista hora sunt in summa pœna purgatorij, venient ad mediam, & qui sunt in media venient ad levissimam, qui autem in levissima pœna, transibunt in requiem.

Eadem S. Mater ibidem lib. 4. cap. 13. sic locuta. Mater sum omnium qui sunt in purgatorio, quia omnes pœnæ quæ debentur purgandis, pro peccatis suis, in qualibet hora propter preces meas quodammodò mitigantur, ita placet Deo, ut aliqua ex his quæ debentur eis de rigore Divinæ justitiæ minuantur. *Et lib. 6. cap. 10.* Nulla pœna est in igne purgatorij, quæ propter me non remissior erit, & levior ad ferendum, quàm aliàs esset. Plenum solatij *Petrus Damian. lib. 3. epist. 1072.* narrat. Recurrente festo Assumptionis B. Virginem solere ad purgatorium descendere, & multos pœnis eximere, quod ipsum *ibidem 10. sequenti exemplo ostendit.*

Die Assumptionis B. Virginis Romæ contigit, ut quædam mulier viderit in templo suam commatrem jam ante annum mortuam, interrogavitque, an illa verè esset? eâ verò annuente, ulterius quæsivit, quid esset de illa factum? dixit mortua se fuisse in purgatorio detentam usque ad illam diem, quâ per interventum D. Virginis, & ipsa, & tanta multitudo quæ superet multitudinem plebis Romanæ liberata est. Cùm verò viva dubitaret de narratione mortuæ, mortua in confirmationem rei dixit viventem illâ ipsâ die post annum morituram. Tempore prædicto advenit mors, sed non imparatæ.

Hanc miserationem S. Virgo adhuc cùm in terris esset exercuit erga hujusmodi animas. Nam ut *in umbra Virginea docet Navarin.* ex bonæ notæ Authoribus *lib. 4.* Virginem moram petijsse à Filio ut ipsa in cælum itura omnes animas secum ex purgatorio educeret. Et asserit *prædictus Scriptor* idem quotannis festo Assumptionis evenire. Quod etiam idem contingit & die, quâ Deum genuit. Et ut scribit *Dion: Carthus: serm. 2. de Assumpt.* patet ex historia sequenti. E duobus caris amicis decessit unus circa festum omnium Sanctorum, superstes verò dolori totus non auxilio vacabat erga defunctum. Apparuit illi defunctus post festum nati Christi, inutiles exprobravit lachrymas: & adjecit. B. Virgo singulis annis in festo Nativitatis Christi ad purgatorium descendit, & multas animas inde educit. Sperabam & me ab illa tuis precibus exorata liberandum, sed non orâsti: verum etiam solet nocte Resurrectionis descendere, rogo nè cesses pro me illius clementiam exorare.

12. Quia illius cultus nota est electionis ad gloriam.

Id testatur *Græca Ecclesia verbis Joseph Confessoris in Menæis Jan. 3. ode 5.* Omnibus in laudem tuam ô Virgo effusis, animæ salutem largiris præmij loco. Et *4. Jan. ode 9. ex eodem.* O Genitrix Dei, illorum omnium salus, quotquot assiduis tibi vocibus

cibus gratulantur ac plaudunt. Et 7. *Martij.* Libro viventium suos ingerit pugiles, quicunque leges sibi præscriptas omnibus numeris servant. Idem adstruit è Latinis *S. Anselm. lib. de excell. Virg. cap.* 4. Cui datum est dulci studio sæpe posse cogitare de B. Virgine, magnum is promerendæ salutis habet indicium. Et S. *Antonin. p.* 4. *tit.* 25. *cap.* 14. Necessarium est ut ij ad quos convertit oculos B. Virgo, pro eis advocata justificentur, & glorificentur.

Expertus id ille *de quo in Revel. S. Brigittæ lib.* 6. *cap.* 97. Is per sexaginta annos sine ullo sacramentorum remedio scelera continuavit, etiam in morte ad pœnitendum difficillimus; tamen Christus Dominus revelavit de illo S. Brigittæ eum ad purgatorium iviſſe, quia contritus decesit, contritionem verò accepit ex sua benignitate, & propter meritum S. Virginis: nam licet homo iste non dilexit eam corde, tamen quia cõsuetudo (*verba sunt Christi* D.) sua fuit compati ejus dolori, quoties eam considerabat, & audiebat nominari, ideo compendium salutis suæ invenit, & salvatus est. Virginis fuit figura arca vetus. Contingit peccatori quod Sacerdoti Abiathar 3. Reg. Obnoxius hic fuit proditioni omninoquè perijsset; sed dixit illi Salomon. *Equidem, Vir mortis es, sed hodiè non te interficiam, quia portâsti arcam* Domini.

Sed rem jam oculis accipiamus in eo de quo *Bonfin. lib.* 3. *Ungaric: verum deinde anno* 1415. Post prælium commissum contra Turcas biennium decurrerat, dum quidam viatores pugnæ locum prætereunt, & audiunt proferri voces Iesus, Maria, hærent & inquirunt fontem vocum, inveniuntque caput quoddam, quod admirantibus hæc protulit. Ante biennium sine sacra confessione, in conflictu occubui, Maria Mater Dei cui devotus in vita fui, linguam mihi servavit, quâ confiteri possim, ideo circo accersite sacerdotem, factum juxta desiderium & confessus, illicò contacui. *S. Anselm. verba adducit S. Antonin.* 4. *p. tit.* 15. *cap.* 14. *n.* 67. Impossibile est quod illi à quibus Virgo Maria oculos suæ misericordiæ avertit, salventur: ita necessarium quod hi ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans justificentur, & glorificentur. *S. Germ. Patriarcha orat. de zona.* Quomodo corpus vitalis signum operationis habet respirationem, ita & sanctissimum tuum nomen Virgo Beatissima quod in ore servorum tuorum versatur assidue, in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij non solùm est signum, sed hoc etiam procurat, & conciliat.

Absolutè *S. Bonav. tom.* 2. *opusc. de spas:* B. V. Qui dignè coluerit eam, justificabitur, qui autem neglexerit illam, in peccatis suis morietur. *Et in psalt.* Qui acquirit gratiam Mariæ, agnoscetur à Civibus paradisi, & qui habuerit charitatem ejus, annotabitur in libro vitæ. Et *Richard. à S. Laur. lib. cap.* 3. Per Mariam tanquam per mare transeunt veri Israelitæ ad portum felicitatis æternæ, submersis Ægyptijs. *Et lib.* 2. Turris fortissima nomen Dominæ, ad ipsam fugiat peccator, & liberabitur, hæc defendit quoslibet, & quantumlibet peccatores. *B. Hermanus in hymn. ad Virg.*

Gaude

Gaude (Virgo) Fons qui non ficcaris, ô quàm suavis dum gustaris, te qui bibit non peribit, te qui quærit nunquam perit. Idque adeò ut dixerit *Petrus Damian: lib. 2. epist. 14.* Nec ad æterni Judicis poterit perire conspectum, qui Genitricis ejus sibi providerit auxilium. *Alb. M. in bibl. Mar. in Isaac.* Gens & Regnum quod non servierit tibi, ô Mater mea peribit. *Glossa.* In die judicij. Quasi dicat. Ergo qui servierint ei non peribunt. *Bonav. in Psalt. B.V.* Pax multa diligentibus te Domina, anima eorum non videbit mortem in æternum.

In quam rem ipsam dixit *Rich. à S. Laur. lib. 2. de laud. B.V.* Servire Dei Genitrici debes dum vivis, post mortem vivere si vis. Et *Ludov. Blos. in canone vitæ Spirit. cap. 18.* Fieri non potest ut pereat, qui Mariæ sedulus & humilis cultor fuerit. Apud eundem dicit *Anonymus inter dicta Patrum cap. 5.* Enimverò in æternum perire non potest, quisquis Mariam devotè & perseveranter colit.

Sed audi quid dicat *Petrus Damian. serm. in Epiph.* Reliquit nobis Maria exemplum, ut sequamur vestigia ejus, ut tales simus qualis ipsa fuit, sic ergo Fratres ad verum solem pervenire poterimus, si Virginis & Stellæ nostræ vestigia fuerimus imitati. *Hugo Vict. serm. in quolibet festo B. Virginis.* B. Mariam pro viribus imitari studeamus, ut ejus meritis & precibus cum ipsa glorificari valeamus, imitemur B. Mariam sub brevitate temporis, ut cum ipsa gloriari mereamur in diuturnitate æternitatis. *Amedæus Lausanen. hom. 5.* Effecti morum similitudine similes Genitricis Dei, post eam adducemur in templum Regis & Filij sui. *Absalon Abbas serm. 1. exeundi. in Annunc.* In virga furoris flagellabit Dominus eos qui Virginem S. contempserint. Et *S. Ildef. lib. 2. de Virg. cap. 4. invitat.* Veni mecum ad hanc Virginem, nè sine hac properes ad gehennam. Veni abscondamur sub velamento virtutis ejus, nè induaris confusione sicut diploide.

Et certè *S. Bonav. in Psalt.* Qui dignè coluerit Mariam justificabitur, qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis suis. Virgo enim rosa est in Jericho, quam Sarabæi fugiunt. Hinc meritò illi *Ecclesia* appropriat illud. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

Simile quid à Deo didicit *S. Catharina Senensis Dial. 14.* Mariæ Unigeniti Filij mei glorioſæ Genitrici concessum est à bonitate mea propter incarnati Verbi reverentiam, ut quicunque justus vel peccator recurrerit ad eam cum debita reverentia, nullo modo decipiatur vel devoretur ab infernali dæmonio.

Hoc ipsum ferè dictum S. Matri à Christo D. Audivit. *S. Brigitta lib. 1. cap. 50.* cùm Mater illi proposuisset, quòd mundus tribus rebus indigeret. Primò contritione de peccatis. Secundò satisfactione. Tertiò fortitudine ad facienda bona. Respondit Filius Matri. Omnis qui invocaverit nomen tuum & spem habuerit in te cum proposito emendandi commissa, ista tria dabuntur ei, & insuper Regnum cœ-

lorum. Et *ipsa Virgo lib.6. cap.*10. dixit. Nullus ita alienatus est à Deo nisi omnino fuerit maledictus, qui si me invocaverit non revertatur ad Deum & habebit misericordiam.

Quod ipsum *Pelbartus Stella lib.*12. *prosecutus part.*2. *art.*1. Servire B. Mariæ, devoteque & debitè eam venerari, est certissimum, & securum signum salutis æternæ. Idem docet *Joannes Rusbrochius lib.*2. *Spir. nupt. cap.*77. Hanc Sacratissimam Virginem quisquis imitatur; quidquid virtutibus contrarium est, superat, & ad illud pertingit regnum, ubi cum Filio suo in omnem regnat æternitatem. Verùm & totius *Græcæ Ecclesiæ in Menæis* 16. *Mart.* idem fuit sensus. Illuc jure unusquisque contendit, ubi securam salutis suæ fiduciam habet: ac certè ubi simile nobis refugium petet, seu apud te Domina, quæ es Protectrix animarum nostrarum? Quia ut *ibidem* 22. *Martij*, carnem Filij tui, & virgam virtutis adepti, per eam inimicorum nostrorum fastum prosternimus, quotquot te seriò amantes contentione indesinenti laudamus, & te Inventrice dignâ sese ac rerum omnium Administrâ utitur Deus, esque pia voce omnium te laudantium Salus æterna.

Illam ergo precemur cum *Joseph Confess.* 22. *Martij ibid.* Honore venerando dignum est puerperium tuum, ex quo ipse prodijt Deus, quem intercessione tuâ permove, ut omnes indubitatâ fide te colentes, ab inferorum horrendo supplicio præstet immunes. Necesse tamen est esse memorem moniti dati à *S. Bonav. tom.*7. *Epist. quæ continet* 25. *memorabilia memor.*3. Ut tua devotio sit illi accepta, & reverentia grata; ipsius puritatem & munditiam omni virtute, mente & corpore illibatè in te ipso servando, toto conatu nitaris, humilitatis & mansuetudinis ejus vestigia imitari.

CAPUT V.

Beatam dicit Mariam mundus universus.

1. Quia cadentem mundum sustinet.

CAdentis mundi Erectricem, vocavit *S. Joseph. Confess. in Menæis* 2. *Jan:* ode 5. Quia ut *Idiota* dixit. Per ipsam, in ipsa, & cum ipsa, & ab ipsa habet mundus & habiturus est omne bonum.

Neque

Neque sine gravi ratione afferuit *Novarinus in Umbra Virginis num:* 553. Quòd non corruat mundo Virgini debet, quæ nunquam corruit. Et *Menæa* 15. *Martij.* Tu es sola totius mundi notela. *Galatinus lib.*2. *c.*4. *de arcanis.* Mundus ipse ob nostras pravas actiones nullo pacto consistere posset, nisi ipsa glorioſa Virgo eum suâ misericordiâ & clementiâ pro nobis orando sustineret. *Mauritius de Villa probata serm.*27. Sicut pisces non possunt vivere sine aqua, ita nos malè haberemus sine Bmæ Virginis gratia. *S. Antoninus p.* 1. *tit.* 14. *cap.*4. *parag.*4. Ut hæc inferiora variantur secundùm motum lunæ, ita suis Maria meritis & precibus sustentat mundum, & quasi regit, undè mundi Regina dicitur. *Leo Imp: orat.*2. *de Assumpt.* Illa est Anchora quæ totum mundum continet & servat. Et rursus *Joseph Conf. ibid.*13. *Junij.* Salve omnium omninò mortalium Conservatio, atque Tutela, Illustrissimorum item Martyrum Coronamentum planè Divinum. *Et adhuc ibid.* Tu Adami Tabernaculum humi procumbens restituisti in integrum. *S. Ephrem orat: de B.V.* Per te reconciliati sumus Christo Deo meo, Filio tuo, Tu captivorum Redemptio, tu omnium Salus, ave Pax, Gaudium & Salus totius mundi: ave Mediatrix glorioſissima; ave universi terrarum orbis Auxiliatrix.

Sed jam per tot testimonia fatigatis auribus data quiete oculos animosquè illâ visione recreemus, quæ olim *Sancto Ordinis Prædicatorum Fundatori* exhibita. Videbatur jam in exitium mundus ruere, atque ad ultimam omninò ruinam disponi, cùm Fridericus 2dus Imp. nihil non ageret, ut sedem Pontificis Romani protereret, à qua se jam Orientalis Ecclesia alienaverat, Saladinus in Syria exercitus Christianos profligaverat. Tum vidit iratum humano generi Christum *S. Dominicus* fulmina veluti intentantem, sed SSmæ Virginis eundem mitigatum precibus, & effectus placationis fuit. Albigensium hæresis cum alijs pluribus protrita, Prussia, Lithvania, Livonia cum alijs finitimis Provincijs lumine fidei illustratæ: Mahometani ex Hispania ejecti, plurimæ in Africa urbes, & Insulæ ab Europæ Principibus occupatæ.

Potest huc afferri, quod de Virgine dixit *Petrus Damianus serm.* 1. *in Nativ. Virg.* Hæc est quam decet Matrem & Regeneratricem cognominari. Quod quasi explicari potest verbis *S. Anselmi lib. de Orat.* Per illam elementa renovantur, homines salvantur, & Angeli redintegrantur. Et siquidem juxta S. *Richard. à S. Laur. lib.* 10. data est Angelis in restaurationem, sed non solis. *Anton. de Padua expos. myst. in Eccles. cap.*24. Nota quod dicitur Maria Columna, quia nostram fragilitatem sustentat. *Bed. tom.*7. *sermone de S. Maria.* Mundus deletus esset, nisi per preces S. Mariæ sustineretur.

Scribit *Frater Theodoricus de Apoldia in vita S. Dominici lib.* 1. *cap.*12. Fuisse duodecim Abbates Cistercienſium ad prædicandum contra Albigenses missos, ex his unus interrogavit mortuum quem resuscitaverat, quid vidisset in altera vita. Respondit.

ſpondit. Vidi Dominam noſtram Mariam tribus diebus continuis flexis genibus corã Filio ſuo pro populo ſuo deprecantem. Exprobrabat Filius beneficia, quæ contulit in mundum, accuſabat maleficia quæ recepit. Tum Mater Bone Fili non pro illorum malitia, ſed pro manſuetudine tua agas, & tandem victus Maternis precibus Chriſtus dixit. Ut vis ita faciam adhuc clementer cum hominibus, mittam eis Prædicatores qui eos ad agendam pœnitentiam hortentur: & tum excitatus eſt ordo S. Dominici.

Ita certè eſt ut dixit *Zach. Chriſtop. ſerm. de Aſſumpt. B. V.* Virgo Securitas, & Abſconſio à turbine iræ Dei fulgurantis, & à pluvia, & à grandine juſtarum Dei indignationum. *Bernardus* adductus à *S. Bona V. Spec. cap.* 3. Tolle corpus hoc ſolare quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris ſtellam, quid niſi caligo involuens, umbra mortis, ac denſiſsimæ tenebræ relinquuntur, & omnia merum nihil. Sed ad hoc ipſum facit quod legitur *Vitæ Beatæ Veronicæ de Binaſco Virginis Libri* 3*tij cap.* 3. De cognitis ab ea peccatis hominum ac præcipuè Sacerdotum.

Virgini Veronicæ raptu potitæ ſæpe numero Chriſtus oſtendit, quæ impij mortales admitterent crimina, quibus Divina bonitas ad iram concitatur. Ajebat verò Chriſtus Veronicæ: Attendito Filia mea, quantis ſceleribus in me peccent Sacerdotes mei, qui deinde omni veneratione poſthabita, infrunita fronte ad altare meum accedunt, Divinam oblaturi Hoſtiam. Conſiderato quoque Filia mea, quantâ erga illos utor patientiâ. Ego ipſe Chriſtianos meos patientiſsimè ſuffero, qui polluto corde, & immundis labijs, & manibus me ſub Sacramento contingunt; talibus profectò impij ſceleribus apertâ terrâ deglutiri promererentur. Expecto autem illos patienter, apertisque miſericordiæ viſceribus, ut emendati ad me redeant: quod ſi eos non pœnituerit, fiet illis judicium ſine miſericordia. Quamobrem te atque eos, qui mihi puro corde famulantur ad lachrimas excito, utq; aſsiduas coram me preces effundant, pro quibusvis à via veritatis errantibus, ac præſertim pro ſceleratis Chriſtianis meis, ſpiritu meo ſuadente, perhortor. *Cap.* 4. *De oſtenſis pœnis damnatorum.*

Superûm Regna tenens Veronica, à Chriſto Deo immortali quem tunc Angelorum circumdabat chorus ad tetros inferorum carceres ducitur. Vidit autem Chriſto duce damnatorum loca plurima. Primus quidem profunda nimis voragine horrendus erat. Dixit verò Dominus Virginem allocutus. Hic eſt Principum & Dominorum, qui æternis addicti fuerunt ſupplicijs locus infelix: quod ſequitur antrũ eſt nobilium, eorumvè, qui ſuperbiâ tumentes, æterna bona contempſerunt. Tertius quem conſpicis locus eſt, ubi Fæneratorum animæ cruciantur, quorum tam magnus ibi numerus videbatur, quot eſſe homines in univerſa terra minimè Veronica arbitra-

arbitrabatur. His proximior erat pauperum carcer, erantque cœteris pauciores. Tum antrum immane vidit, ubi Religiosorum animæ durioribus affligebantur tormentis. Dixit autem Christus. Hi sunt, Filia mea, qui Religionum Divinos mores professi, propriæ salutis deinceps immemores mihi plurimùm adversati fuêre. Isthæc memorans Salvator, tristes vultus præseferebat ac terrificos, Angeli quoque tristes admodùm facies ostendebant. Multa itidem tormentorum loca perlustravit Veronica inexcogitatæ turpitudinis, variaque pœnarum genera pro varijs inflicta sceleribus. Eorum miseriæ & infelicitati accedebat, quòd crudelissimorum dæmonum operâ sæva tormenta subirent. Enimverò cùm animam quampiam fuisset intuita quæ veluti vase bullientis aquæ occlusa torquebatur, dixit Dominus: Hæc anima fuit Sanctimonialis illius infelicis, quam aliquando dignovisti, talia tantavè patitur pro murmuris crimine, proquè positis ejus maleficio inter Sorores litibus, ac præcipuè quòd in Superiores linguam laxaverit, noluit verò miserabilis fœmina ea scelera Confessionis Sacramento delere, quocirca impœnitens obijt. *Cap. 5. De Offensa horribili facie Christi flagella mundo comminantis.*

Quo die festa D. Thomæ Apostoli celebrantur spiritum ad superos relaxans Veronica, vidit Christum alto sedentem solio, cujus iratis vultibus quæque contremiscere videbantur: audivit quoque Dominum Majestatis dira nimis flagella mundo comminantem propter innumera scelera undique ab impijs perpetrata mortalibus; at pia Mater Mundi Regina Filium Deum in hæc verba precabatur. Noli quæso, Fili mi tantis humanum genus atterere supplicijs, parce peccantibus, miserere delinquentibus, tu qui misereri eligis potiùs quàm irasci. Cui Filius. Satis superquè ô Genitrix pientissima præstolatus sum si fortè scelera desererent homines: jam amplius eos sustinere nequeo, quoniam in deteriora crimina quotidie dilabuntur, nullo timore, nullovè rubore à vijs suis pessimis divertunt, inspice Mater quantis me ad iracundiam provocant, dimitte jam me ut irascatur furor meus & deleam eos de terra. Tum Mater pleraque signa pietatis dabat Deum Filium rogitans ut humano generi misereretur. Stabat immota mente Deus, neque iratus Matris precibus flectebatur. Denique pia Mater talia obsecrans peroravit. Volo, Fili mi isthæc flagella te continere ad usque anni tempus dilapsum, quo Mortales impietates suas missas facere queant, & ad te Deum converti. Annuit Filius Genitrici, cujus votis satis semper facere consuevit, dixitque. Ego per anni decursum nedum multos per annos humani generis compatiar sceleribus, tuis precibus tuâve pietate flagellis parcens. Et placatus factus est Dominus à malignitate quam dixit facere mortalibus. Post hæc Veronica tremebunda ad corporeos usus regressa est, asserens Christi & Matris ultrò citroque loquentiũ sermones duarum horarum spatium superavisse. Quas vero lachrymas, quos singultus, quævè suspiria Virgo Veronica dederit, &

super

ſuper errantes pia geſtans viſcera & facie viſa Salvatoris ſupra quàm dici queat tremenda, haud facile explicaverim. At inter lachrymas Sororibus advenientibus dixit. Cavete, ô Sorores dilectiſsimæ à criminibus nè fortè horrenda nimiùm Salvatoris irati facies vos apprehendat. Heu! quantum terroris mortalibus pariet irati Dei immortalis Chriſti maximi aſpectus! Quid quæſo acturi ſunt criminoſi in die tremenda judicij? Ah Domine Deus cuſtodi nos ac dirige ut in noviſsimo magni judicij die audire mereamur: Venite benedicti Patris mei. Noli rogaverim noſtrorũ ſcelerum impietatem attendere. *Hæc Veronica.* Paria vidiſſe ſe aſſerit Virgo ſolènnijs Purificationis B. Virginis.

2. Quia eſt Advocata apud Deum pro mundo.

S. Bernard. ſerm. de Nativit. Virg. hominem alloquitur. Ad Patrem verebaris accedere ſolo auditu territus, ad Filium fugiebas, Jeſum tibi dedit Mediatorem. Quid non apud Patrem talis Filius obtinebit? exaudietur utique pro reverentia ſua, Pater enim diligit Filium. At verò trepidas & ipſum? Frater tuus, & caro tua eſt, tentatus per omnia absque peccato, ut miſericors fieret. Hunc tibi Fratrem Maria dedit, ſed forſitan & in ipſo majeſtatem vereare Divinam, quod licet factus ſit homo, manſerit tamen Deus. Advocatum habere vis apud ipſum? Ad Mariam recurre. Et *ſerm. 1. de Aſſumpt.* Advocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam Judicis Mater, & Mater miſericors, ſimpliciter, & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractaret.

In quo autem conſiſtat officium Advocati, explicat *S. Anton. p. 4. tit. 15. cap. 19.* Undè etiam illam ſapientem probat Advocatam. Sapientia Advocati, & eloquentia manifeſtatur ex tribus; ſcilicet quòd obtineat apud juſtum & ſapientem Judicem. 2do. Contra adverſarium ſagacem & aſtutum protegat. 3tio. Quòd in cauſa deſperata vincat. Sed Virgo Advocata noſtra obtinuit apud ſapientiſsimum, & juſtum Judicem Deum, contra aſtutiſsimum adverſarium diabolum in cauſa deſperatiſsima inter Deum, & hominem, in qua nullus hominum qui eam præceſſerat loqui audebat. Hanc etiam prudentiam Advocatæ noſtræ prædicat *Richard. à S. Laur. lib. 2. p.* Tam prudens & diſcreta eſt Advocata Maria, quòd non poteſt Filius vindicare eos pro quibus ipſa allegat.

Quod ſignificatur in facto Abigail, Reg. 25. quæ avertit iram à *Nabal* ſtulto ſubtilitate verborum ſuorum, qui *Nabal* ſignificat peccatorem, tamen poſtea interfectus eſt *Nabal*, quia noluit emendari. *Jdiota contempl. de B. Virg.* potentiam ejus probat. Ipſa eſt Theſauraria gratiarum ipſarum. Cæteri Sancti jure quodam Patrocinij pro quibusdam ſibi ſpecialiter commiſsis plus poſſunt prodeſſe in Curia cæleſti, quàm pro alienis; B. Virgo Maria ſicut eſt omnium Regina, ſic etiam omnium

um Advocata est, & Patrona, & cura illi est de omnibus, & sic nemo est qui se abscondat à calore ejus: id est à charitate, & dilectione ipsius.

Et huc fortè respexit *Dionys. Carthus. enarrat: de Concept. Virg.* Virgo est generis humani Advocata, pietatis Regina, cui Deus Regnum misericordiæ commisisse dicitur. Ex titulo verò Advocatæ videtur *S. Bonav. in 3. distinct. part. 7. art. 1. q. 1.* deducere ejus exemptionem à macula originali. Congruebat Advocatæ humani generis, ut nullum haberet peccatum.

Sed redeamus ad Advocationem. *S. Thom. de Villa nova serm. 3. de Nativitate Virginis.* Filius ostendit Patri latus, & vulnera, Mater ostendit Filio pectus & ubera, unde facta est idonea Advocata, idonea quia purissima.

Recurrit ad hanc communem Advocatam *S. August. serm. 2. de Annunc:* Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fæmineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam commemorationem.

Fusiùs hanc Virginis advocaturam describit *Arnoldus Carnot.* Abbas Bonæ Vallis B. Bernardi discipulus *tract. de laudibus B. V.* Securum accessum habet jam homo ad Deum ubi Mediatorem causæ suæ habet Filium ante Patrem, & Matrem ante Filium. Christus nudato latere Patri ostendit vulnera, Mater pectus & ubera. *Sapientissimus Idiota in Prologo contempl.* Inventâ Virgine Mariâ, invenitur omne bonum; ipsa namque diligit diligentes se, imò sibi servientibus servit, ipsa super benedicto Filio suo irato potentissimè reconciliat servos suos & amatores suos. Tanta quoque est ejus benignitas, quòd nulli formidandum est ad eam accedere, tantaq; misericordia, quòd ab ea nemo repellatur, imò donis & charismatibus ædificat servos suos, ut superbenedicti Filij sui fiat digna habitatio, ipsa preces, & sacrificia servorum suorum, & maximè quæ sibi exhibentur repræsentat in aspectu Divinæ Majestatis, quia est Advocata nostra apud Filium, Filius apud Patrem, imò apud Patrem, & Filium procurat negotia, & petitiones nostras, & sæpe quos justitia Filij potest damnare, misericordia Matris liberat, quia Thesaurus Domini est, & Thesauraria gratiarum ipsius, donis spiritualibus ditat copiosissimè servientes sibi, & potentissimè protegit illos à triplici adversario, mundo, carne, & diabolo, quia salus nostra in illius manu est.

Hinc fortè *S. Bonav. in laudib.* vocat illam Columbam paciferam. *Et diurn. Græc. cap. 7.* Altrix vitæ nostræ, & Excusatrix culparum dicitur. Et *Bonav. in Ave,* & rursus *in psalt. min.* Finis iræ Dei. *In psalt. maj.* Auxiliatrix salutis nostræ. *Euthymius orat. de zona B. V.* Patrocinium Christianorum. *Hymnus Græc. apud Buteonem p. 138.* Patronam mundi puram, & inculpatam. *Gregorius Nicomediensis orat. de oblat.* B. V. Patrona vitæ nostræ & auxilij nobis necessarij. *Irenæus lib. 5. cap. 19.* Advocatam Evæ.

Evæ. Profitebatur Advocatam Franciscus Seraphicus de quo scribit *S. Bonav. in ejus vita cap. 9.* In Matre Domini post Christum præcipuè fidens, eam sui, ac omnium Advocatam constituit. Profiteatur & nostrum unusquisque & cum *Idiota cap. 1.* affectu tenero illam precetur. Trahe me post te, ô Benedicta Virgo, ut perveniendi mihi ad te augeatur celeritas. Sicut enim nemo venit ad tuum Filium superbenedictum nisi Pater traxerit eum, sic etiam quodam modo ausim dicere, quòd nemo venit ad Filium tuum glorioſissimum, nisi tu tuis sanctissimis precibus traxeris eum.

3. Quia mediat inter Deum & mundum.

Fidelis planè & potens Mediatrix Dei, & hominum Christus, inquit *Bernard. serm. 1. de verbis Apoc.* Sed Divinam in eo reverentur homines potestatem: DEus noster ignis consumens est, quidni vereatur peccator accedere, nè quemadmodùm fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? opus est Mediatrice ad Mediatorem Deum, nec alia nobis utilior quàm Maria, quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est. *Bonavent. in Spec. cap. 5.* Maria fidelissima Mediatrix salutis veluti fidelissima columba inter fidissimum Noe, & mundum diluvio submersum. Eva autem velut corvus in diluvio infidelissima fuit mediatrix perditionis. *Antipater Bostrensis* sic Angelicum Ave gratiâ plena *serm. de S. Joan. Bapt.* Ave quæ tuo primo Parenti exhibes defensorem, ave quæ fers sine dolore naturæ creatæ fundamentum, ave quæ citra laborem intercedis inter mortalitatem & Divinitatem. Indè *S. Anastas. Sinaita. lib. 6. hexam.* Adhortor Judæum & Græcum, seu gentilem ut quærat, & posideat Mariam Adjutricem, quam Deus fecit ad ferendam opem toti generi hominum. Et *paulò post.* Adjutricem quæ parit filios vitæ & hæredes vitæ æternæ: Adjutricem quæ Magos fecit Apostolos, & facit Publicanos Evangelistas, redditque meretrices Virgine honestiores. *S. Ephrem tom. 3. de laudib. Virg.* ita Virginem salutat. Ave mundi Mediatrix glorioſissima, ave mundi salus, ave universi terrarum orbis Conciliatrix.

Ad hanc nos ducit *S. Damasc. orat. Hippat.* Mariam in Patronam ac Mediatricem assumamus, & certæ Adjutricis loco habeamus. Jam dicamus cum *Basilio Seleuc.* Ave inter Deum & hominem Mediatrix intercedens. Quia ut *Arnoldus Carnotensis* Abbas Bonæ Vallis Discipulus S. Bern. *in tract. de laud. B. V.* Securum accessum jam habet homo ad Deum, ut Mediatorem causæ suæ, Filium habet ante Patrem, & Matrem ante Filium, Christus nudato latere ostendit Patri latus & vulnera, Maria pectus & ubera, nec potest ullo modo esse repulsa, ubi occurrunt & perorant omnia linguâ disertiùs hæc clementiæ monumenta & charitatis insignia.

Hæc

Hæc est ut loquitur *Richard. à S. Victore cap. 39. in Cant.* Mediatrix, & media inter Divina & humana. Ut *Epiphan. orat. de laudib. B. Virginis.* Mediatrix cæli, & terræ, quæ naturaliter unionem peregit. Ut *S. German. orat. de Præsent. B. Virginis.* Ablatio lachrymarum nostrarum. Ut *Andreas Cret. serm. 2. de Assumpt.* Fidejussio pigneritia Divinarum reconciliationum, Currus Dei decies mille millibus multiplicatus, quia millia locupletum adduxit ad Deum carne tectum. Ut *Buteo in hymno.* Pons homines à terra in cœlum traducens. Ut *Ephrem in laud: B. V.* Salus firma omnium Christianorum ad eam recurrentium. Ut *Gregorius VII. lib. 8. Epist. 21.* Salus omnium electorum.

Proinde salutemus eam cum *Andr. Cretens. orat. de Annunc.* Gaude Maria lætitiæ instrumentum, per quod gaudium iudicij commutatur. Gaude Divinum inter Deum & homines conciliationis Perfugium.

4. Quia finem mundi differt.

Dixit alicubi *S. August.* Mutat Deus tempora, sed non mutat consilia, permittit se exorari in nostrum bonum, minatur vulnera, & facit clementiam, ostendit se mundum velle perdere, & Mariæ precibus ejus interitum differt. *Thomas de Kempis de disciplina Claust. cap. 14.* Nisi Maria quotidie cum Sanctis in cœlo pro mundo oraret, quomodo mundus stare posset, qui tam multis peccatis Deum offendit, & tam parum se emendat? certè jam ad exitum disponebatur, & Mariæ precibus conservatus.

Rem fusiùs prosequar, quam *Cartagena Spinellus, & alij* ad laudem Virginis prosequuntur, & *Spinellus* quidem *in edit. Neapol. fol. 208.* seu *cap. 16. n. 20.* Aõ 1112. terræ motu inaudito multæ Ecclesiæ & Civitates subversæ sunt. Leodium vim aquarum passum. Sanguineæ nubes conspectæ. Anno 113. 9. Kalend. Maij tanta nix circa Tornacum cecidit ut etiam silvas fregerit. Anno 1117. apud Ravennam & Parmam Junio mense 3. Idus in agris & intra mœnia sanguine pluit ad mediam noctem cœlo sereno, & stellis lucentibus, decimâ 4tâ lunæ facta eclipsis, sed contracto orbe multis coloribus, sed maximè sanguineo pænè totâ horâ suffusa. 13. Kal. Jan. 1. noctis horâ igneæ acies in acie à septemtrione in ortum procurrentes apparuerunt, per totum deinde sunt dispersæ cœlum. *Hæc ex Nauclero.* Illa verò eclipsis contra naturam fuit, nam una die citiùs, quàm per naturam fieri posset. *Ex Baronio tom. 12.* Apud Longobardiam per 40. dies duravit terræ motus. Aõ 1117. Villa una grandis de suo loco, in alienum transijt. Mediolani Viri Patritij cùm sub quadam turri consultarent, omnes audierunt unum è sui medio evocari ignotâ

voce, rogarique ut festinè exiret & cùm tardaret persona quædam apparuit, quæ ab eo prece obtinuit, ut exiret; illo egresso mox turris omnes obruit. *Hæc ex Rogerio Dodechinus Germanus* qui eo tempore vixit, addit quæ sequuntur.

Anno 1117. in Octava S. Joannis Evang. terræ motus terribilis inter diem & noctem bis per totum orbem excitatus, qui ædificia obruit, & vix homines evadere potuerunt, qui tamen motus magis in Italia sævijt, ut homines omninò crederent diem ultimum adesse; nam villæ & civitates cum incolis hauriebantur terrâ, montes cum fragore intolerabili scindebantur, flumina subitò evanescebant, siccosque alveos exhibebant, sed fluvius Padus de suo cubili in modum fornicis se extulit ut inter terram & aquam visui pateret iter, deindè tanto impetu in alveum recidit, ut sonitus relabentis ab aliquot milliaribus exaudiretur. Cùm hæc fiunt indicitur triduana oratio cum jejunio per totam Italiam, quæ dum finiretur infantulus jacens in cunis Cremonæ anticipante naturam voce matrem locutus. Visum sibi Dei Genitricem Mariam ante tribunal Christi stantem & instanter orantem, ut Judicium differret quod decreverat propter peccata populi, & statim infans obmutuit, & non nisi debita ætate prolocutus.

Nihilominus mansit in ijsdem sceleribus mundus, nam inter alia mala Henricus IV. Imp. Anno 1118. Burdinum Antipapam, Gregorium Octavum vocatum contra Gelasium II. erexit, sed Deus plagas rursus aggravavit: Nam eo anno Mosa fluvius juxta Abbatiam, quæ dicitur Sustula, quasi in aëre pendens, fundum suum visus est deseruisse. *Hæc in appendice ad Sigebertum.* Tertio nonas Jan. Italia motu inaudito concussa adeò, ut turres & mænia procubuerint; lampades verò in templis nullo flante vento circumferebantur; arbores radicitùs evulsæ exiliebant, infans locutus, tristia & portentosa quædam dixit, 3. Kal. Febr. tremenda tonitrua, grandines, fulmina. *Hæc Sigonius.*

Cæsarius vero Cisters. scribit hoc suo tempore accidisse *lib. 7. cap. 2. apud Spinell. cap. 16. n. 20.* Cùm sacrum in quodam templo haberetur, vehementer imago Deiparæ sudare cæpit, usque ad defluxum guttarum. Aderat Energumenus, qui exclamavit. Quid statis admirantes? Filius Mariæ tetenderat manum ad feriendum, quam si illa non tenuisset mundus jam minimè subsisteret. *Idem lib. 7. cap. 2.* reliquit quem scribebat Anno 1222. *Idem lib. 12. cap. 58. hoc habet.* Quendam Monachum Cisterciensem nomine Wilhelmum in excessu mentis apud tribunal Christi stetisse, aderat ad dexteram Judicis Angelus cum tuba, quâ jussus à Christo clangere, ad quem clangorem non secus mundus, ac folium in arbore contremuit, cumque secundò clangere juberetur, Mater misericordiæ, sciens si secundò tubâ caneretur mundi affuturum finem, cæteris Sanctis tacentibus, ad pedes Christi se abjecit Deprecatricem.

Similem

Similem visionē refert *S. Anton. 3. parte historiæ tit. 23. cap. 5. parag. 6*3. Ubi Christus bona & mala mundi discrevit, ac multò plura advertit mala, subitò tanquam globum unum furiosè mundum projecit, adjecto horribili illo psalmi maledicto: *Cum judicatur exeat condemnatus.* Tum qui vidit exclamavit: Sancta Maria succurre miseris. Collegit mundum projectum S. Virgo, & dixit. Sine Fili mundum quem proprio sanguine redemisti, adhuc judicare. Et verò dum in eadem urbe hæc visio fieret, fuit sanè formidabilis terræ motus. *Idem p. 4. tit. 15. cap. 2. refert.* Anno 1399. decreverat Christus mundum in tres partes discerptum perdere, in cujus rei signum jusserat quendam agricolam tres panes quos habebat in fonte mergere. Accessit ergo fontem, facturus, quod erat imperatum; sed affuit ibidem specie matronæ Deipara, quæ inhibuit: ille rursus ac tertiò redit ad Christum non procul consistentem; ac omninò jubetur ut panes demergat; accedit, & Virgo Christum, & orat nè mersionem urgeat, tandemque impetrat, ut solùm pars tertia submergeretur, simul agricolæ visionem exponit, mandatque, ut pœnitentiam prædicet. Non vanam hanc visionem admiranda plurimorum conversio probavit. Anno tamen 1400. pestis adeo immanis supervenit, ut tertiam mortalium partem absumpserit.

Ad propositum *Galatinus de arc. lib. 7. cap. 2.* Non solùm totus mundus amore B. Virginis conditus est, sed sustentatur, mundus enim ipse ob nostras pravas actiones nullo pacto consistere posset, nisi eum ipsa gloriosa Virgo suâ misericordiâ & clementiâ pro nobis orando sustineret.

5. Quia mundi Regina tranquillat.

Rem admirandam recitat Florentinorum Archiepiscopus *S. Antonin. historiæ tit. 17. ad annum* 1190. quam ipsam referunt *Guil. Catel. consil. Tollos. lib. hist. Comitum Tollos. & Rigordus Chronographus Regius in Reg. Fran. Augusti. ad Annum* 1183. *& Vincent. Beluac. in spec. hist. lib.* 30. *Vet: edit:* Implacabiles discordiæ inter Regem Arragoniæ & Comitem S. Ægydij seu Tollossanum intervenerant, aderant multi qui partes componerent, nemini tamen cessit negotiū, comparet ergo Virgo nostra in Urbe Anitio seu Podiensi, quò causâ festi illius Assumptionis multi convenerant, humilis fortunæ viro, sed probo fabro lignario, seu carpentario, nomine Durando, eidemque imaginem sui tenentis Filiolum tradit depictam in charta, limbum rotundum ambigebat hæc scriptura: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona nobis pacem.* Adjecit Virgo mandatum, ut accederet prædictos Principes faber, eosque componeret, & tantum dedit successum, ut ad ejus verba pacem jurarent, & sigillis plumbeis imaginem impressam funiculis lineis assutam ex consilio fabri deportarent. Jussit præterea Virgo hanc imaginem Episcopo dari ut ille prædicaret, qui vellent pacem

Ecclesiæ, ejusmodi sigilla deferrent, & album parvum capiti imponerent caputium, ad ostentationem pacis, & innocentiæ. Qui paruerunt monitis admirandam sigilli virtutem experti, nam tales licet summis injurijs afficerentur, suos hostes odisse non poterant, imò & si quis fratrem alicui interemisset conspecta icone in amplexum homicidæ ruebat: *Hæc nos verbis Authorum.*

Non ex vano *S. Bernardinus tom. 3.* Virginem Arcam fœderis sempiterni appellavit; ut sicut Gen. 9. *Deus posuit arcam in signum fœderis inter se & hominem*, ita illa sit inter hominem, & hominem. Vel certè si Virginem notat arca Noë, in illa fuerunt omnia diversa licet animalia, sine lite est Virgo Oliva pacis. Vel ut verbis *Gregorij Taumaturgi serm. 2. de Annunc.* loquar. Hæc in domo Dei instar fructiferæ olivæ plantata.

Luctabatur Jacob cum Angelo, at ubi oriri cæpit aurora symbolum Virginis, non tantùm pax facta est, sed qui prævalere poterat, prior petijt pacem, Angelus, *dimitte me jam enim ascendit aurora*, imò emit pacem, nam dedit Jacobo munus grande, id est nomen Israel, quod est videns Deum. *Rupert. lib 6. in Cant.* Sicut aurora quotidiana finis præteritæ noctis est, & initium diei sequentis, sic Nativitas Virginis finis dolorum, & consolationis fuit initium, finis tristitiæ, & lætitiæ fuit initium.

Baronius ad annum 1030. hæc scribit: Conrado Imperatori intercesserant discordiæ cum S. Stephano Rege Ungariæ, quare S. Stephanum totis Germanorum viribus invadit Conradus. S. Stephanus antequam cum exercitu processisset obviam, ita oravit. Si placet tibi Domina mundi, tuæ partem hæreditatis ab inimicis devastari, & novellam Christianismi plantationem disipari, nè quæso sinas illud imputari diffidentiæ meæ, sed potiùs dispositioni voluntatis tuæ, si quid commerus culpa Pastoris, ipse luat, oves quæso insontes nè patiaris affligi. Die secuta orationem ad singulos Germanorum Duces Nuntij quidam venerunt cum literis Imperatorijs, quibus omninò, ac statim redire domum compellebantur. Quod & factum est. Quo cognito Rex Sanctus humi abjectus debitas Virgini retulit grates. Imperator verò vi Divina ab exercitu destitutus, primò territus, tum inposterum constituit ab invadendo S. Rege abstinere.

Gliscebant quidam Romæ tumultus, nec poterant componi, donec exorarent Sancta Virgo, quæ ut refert *Ambr. Novidius fator: 7.* audita est orantibus dixisse, Ego oro pro populo nocte dieque & mox consecuta pax. Tempore Sixti IV. Pontificis, Roma imo ferè tota Italia bellis ardebat, Calabriæ Duce infestante. Concepit Pontifex votum, se templum Virgini sub titulo Dei Genitricis erecturum, si bella extingueret, factum utrumque & Italia composita, & templum erectum. Quia ut *Proclus orat. 6. de Deip.* Est Oliva fructifera plantata in domo Domini, ex qua Spiri-

tus

tus S. Dominici corporis ramum accipiens tempestate jactato humano generi detulit faustè de cælo annuncians pacem.

Neque Mysterio caret id, ex pacis templo Romæ ad S. Mariæ Majoris una columna supereſt, quæ ante templum ſtatuam S. Virginis portat, eſtque ſtricta, & ſola ſupereſt ex illius templi tanto opere, integra. *Cancellatus Annal. Marian. an. 15. n. 7.* Inde *S. German. Conſtantinop. in pſal. 44.* Virginem appellat Cœlum quod in eo planetæ defixi, licet indolis ſint diverſiſsimæ amicam pacem gerant. Vocat *Div: Bonav: lib: de laud: Virg:* Paradiſum, quòd ubi illa intervenit, pax velut in paradiſo oriatur. *Richard. à S. Laur. lib. 12.* Incenſum, quòd dum furor Domini ſuper populum ſæviret, Moyſes juſsiſſet Aaronem offerre. *num. 16.* Eſt Virgo Oleum quia ut *S. Ambr. explicat. Cant. 1. lib. de inſtit. Virg. cap. 13.* Infuſo oleo fluctus maris miteſcunt.

Quarè *S. Thom. opuſc. 8. dixit.* In omni periculo potes ſalutem obtinere à Virgine glorioſa. Et *Dionys. Carthus. lib. 2. de laud. B. V. art. 23.* Ipſa eſt ſingulare & potentiſsimum Refugium perditorum, Spes miſerorum, Advocata & Reconciliatrix omnium iniquorum ad eam confugientium.

Sed hunc diſcurſum claudamus hiſtoriâ. Anno 1482. fervebat civilibus bellis Belgium. Quidam pacis ſtudioſus tres imagines titulo Matris doloroſæ populo colendas propoſuit locis tribus, & ecce intra paucos menſes totum reſtinctum eſt incendium. *Ita Adrianus Lyræus Tryſagij lib. 2. modo 45.* Ita Virgo S. populos ac regna componit.

6. Quia damna quæ mundo ſuo peccato intulit Eva, hæc Virgo reparavit.

Profitetur id clarè *Eccleſia in ſuo hymno.* Quod Eva triſtis abſtulit, tu reddis almo germine. Sed & *Græci in Menæis 3. Jan. ode. 8.* ita Virgini. Tu veteris Evæ maledictione ſublatâ benedictionem mundo peperiſti. In omnium perſona *S. Sabba 3. Jan. ode 9.* Maturas vitæ fruges ex te carpo, nihil damni à ligno ſcientiæ paſſus, tu enim es macularum omnium ſemper expers, ligno vitæ ſimillima, non alium nobis fructum germinâſti (loco pomi) quàm Chriſtum.

Et certè ut *Innocentius III. ſerm. 2. de Aſſumpt.* Oportebat ut ſicut per fœminam mors intravit in orbem, ita per fœminam vita rediret in orbem, & ideò quod damnavit Eva, ſalvavit Maria, ut unde mors oriebatur, indè vita reſurgeret. *Epiphan. contra Antidicomarianitas.* Vetus Eva fœtum ſuum priusquam pareret extinxit, noverca potiùs quàm mater appellanda, ſed nova hæc Eva non morientium, ſed reviviſcentium Mater extitit. *S. Chryſoſt. hom. de interdictione arboris.* Planè reſtauratur per Mariam, quod per Evam perierat.

Apud S.Hieron. de Assumpt. Quidquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariæ. *Damian: serm: de Nativit: Virg:* Maria benedictionis novæ influentiâ totum detersit maledictionis antiquæ contagium. *Ildefons, serm. de Assumpt.* Hæc est illa per quam omnis maledictio soluta est primorum Parentum & cœlestis benedictio venit in toto mũdo *Guerr: Abbas.* Quæ primæ Matris maledictionem dissolvit, ut per istam benedictionem hæreditate possideant, qui per illam sub præjudicio maledicti æterni fuerant nati. Antiquior illis *Iren. lib.3. cap.* Quod alligavit Eva per incredulitatem, hoc Maria solvit per fidem. *S.Thom. opusc.* Ideo benedicta in mulieribus, quia ipsa maledictionem sustulit, & benedictionem portavit, & januam paradisi aperuit. Et rursus *Iren. lib.5. cap.9.* Quemadmodum Eva per Angelicum sermonem seducta est ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus: ita & Maria per Angelicum sermonem evangelisata est, ut portaret Deum obediens ejus verbo, & sicut illa seducta est ut effugeret Deum, sic hæc suasa est obedire Deo, ut & Virginis Evæ Virgo Maria fieret Advocata, & quemadmodum morti adstrictum est genus hominum per Virginem, solvatur per Virginem; æquilance disposita Virginali inobedientiâ, per Virginalem obedientiam: adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogenitæ (Mariæ scilicet) emendationem accipiens, & serpentis prudentia devicta est in columbæ simplicitate. *S. Fulgentius de duplici Christi natura.* In primi hominis conjuge nequitia diaboli seductam depravavit mentem, in secundi autem hominis Matre gratia Dei & meritem servavit integram, & carnem.

S.Ildefons. lib.2. de parturitione Virginis. Constat Mariam ab omni peccato originali fuisse immunem, per quam non solum maledictio Matris Evæ soluta, verum etiam & benedictio omnibus condonetur. *S.Eucher. Lugdun: ad Evangelium Dom. 4. Adventûs tom.4.* Hæc sola inter omnes benedicitur, per quam mulieribus benedictio datur, & mundus à maledictionibus liberatur.

Hoc ponderat quando exclamat *Joan.Damasc. orat.1. de Nativit.* O Deo digna Filia, humanæ naturæ Venustas, primigeniæ Matris Evæ Correctio. Et *Eschius Jerus. orat. de laud. Deip.* O Virgo præclarum naturæ nostræ Ornamentum! Gloria humanæ nostri, quæ Adamum pudore, & Evam comminatione liberavit, quæ audaciam serpentis abscidit. Hinc *Leo Sapiens orat.1.* Nata est nobis Puella, formâ quidem æqua ut Eva, sed errati ejus ut sit correctio. Et *Anast. Antiochenus orat.1. in Annunciat.* Sicut per fœminam mors causata est, sic oportuit dispensari salutem per Fœminam. Per illam deceptam voluptate omnes mortui sumus, per hanc vivificati sumus, non ea tantùm excipientes à quibus exciderамus, sed longè majora ac pretiosiora, quæ neque humanus intellectus possit concipere.

Igitur ut ait *Fulbertus Carnoten. de ortu Virginis*; Felix talis partus & ortus, de cujus substantia assumpta est talis Virgo, quæ tolleret æternas Parentum offensas, & rele-

relevaret concussum orbem, qui sub sævo duri hostis erat dominio. Speciale autem aliquid supra Evæ justitiam originalem habuisse Divam Mariam *Gerson. tract. 4. in Magnificat deducit.* Nostra Beata Virgo semper habuit gratiam gratum facientem, quæ originali supereminet justitiæ, quâ primitùs ornata fuit Eva, sed eam perdidit. Et quod spectat ad nostri generis ornamentum. Gloria est luti nostri Virgo, quæ Evam pudore, Adamum comminatione liberavit, ut dixit *Hesichius Jeros. orat. Deip.* Pulchrè *S. August. lib. de 5. Hæres. cap. 6.* S. Mariam confert cum Eva. Ecce Mater generis pœnam intulit mundo: Genitrix Domini nostri salutem & fœminæ, & viro suggessit. Auctrix peccati maledicta, Auctrix meriti benedicta, illa occidendo obfuit, ista vivificando profuit, percussit illa, at ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia mutatur; & fides pro perfidia compensatur.

Albertus Mag. super Missus cap. 54. alludens ad illud hymni. Mutans Evæ nomen, ita hoc ipsum ponit. Maria nomen Evæ mutavit non voce quidem sed re, illa quidem omnes generavit in mundum, ista in cælos: illa Mater carnalis, ista Spiritualis, ista Mater misericordiæ, illa miseriæ, illa principium mortalitatis, ista principium regenerationis, illa gratiam perdidit, ista gratiam invenit, illa de latere viri dormientis facta, ista de corde Dei vigilantis, illa viro suo fuit occasio perditionis, hæc viro suo adjutorium redemptionis, illa desponsatur origo corruptarum, hæc desponsatur mensura virginum, illa prima virginitatem perdidit, ista prima virginitatem Deo consecravit, illa à diabolo decepta, ista ab Angelo edocta, illam diabolus vicit per superbiam, ista diabolum vicit per humilitatem. Et sic patet quare B. V. vocata est Maria, & non Eva; quia mutavit nomen Evæ non voce, sed re, id est damna quæ Eva intulit reparando.

7. Quia ad reparationem mundi concurrit.

Ad restaurationem humani generis sufficere poterat solus Christus, sicut omnis sufficientia nostra ex ipso est; sed bonum non erat nobis esse hominem solum, congruum magis erat, ut adesset reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Dixit *S. Bernar. serm. de Assumpt.* Et sicut ad ruinam nostram multum contulit Eva, decuit ut ad reparationem conferret Maria.

Quod ipsum expresit *S. Iren. lib. 1. contra Valentinum cap. 33.* Sicut Eva inobediens facta est & sibi & universo generi causa mortis: sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen Virgo obediens, & sibi & universo generi humano facta est causa salutis. Consonat *S. Anselm. lib. de laud. Virg. cap. 9.* Incomparabili sublimitate Virgo hoc promeruit, ut Reparatrix perditi orbis dignissimè fieret. Quod antea *S. August.* dixerat *serm. de Assumpt.* Hæc primæ matris damna resolvit, hæc homini perdito

perdito redemptionem adduxit: Mater enim generis noſtri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini noſtri ſalutem reddidit mundo. *Et rurſus.* Magna per te fecit Dominus Deus, ut mundum redimeret. *B. Amedæus hom. 7.* Sicut Evæ ſcelere mundo fit damnatio, ita fide Mariæ facta eſt orbis reparatio. Quod ipſa *S. Virgo* dixit *B. Brigittæ lib. Revel. cap. 35.* Sicut Adam & Eva vendiderunt mundum pro uno pomo: ſic Filius meus & Ego redemimus mundum quaſi uno corde.

Inter alios ſenſus juxta quos Virgo redemit mundum poteſt hic eſſe, qui arma porrigit alteri ad pugnandum & vincendum, ille cooperatur ad pugnam & victoriam. Virgo certè arma Chriſto, id eſt carnem & ſanguinem ſubminiſtravit, per quæ hoſtes vicit, & ſalutem operatus. Ita *Richard. à S. Laur. apud Navarinum elect. lib. 4. num. 642.* Chriſtus cum diabolo pugnaturus pro ſponſa ſua exhæredata, ſcilicet Eccleſia, in utero B. Virginis velut in tabernaculo armaturam humanæ carnis ſibi aptavit. Et *S. Leo ſerm. 1. de Nativit.* Omnipotens Dominus cum ſæviſſimo hoſte; non in ſua majeſtate, ſed in noſtra congreditur humilitate; imò Virgo ad hoc eſt à Deo facta, ut hæc arma ſubminiſtraret. Ait *Idiota cap. 4.* Inter omnia opera æterni Opificis poſt operationem illam, quâ naturæ noſtræ unitus eſt Filius tuus, ſpeciale opus fuiſti, ô Beatiſsima Virgo Maria, qui ad hoc te fecit, ut quod de primo opificio erat deformatum, per te reformaretur. Velut *Eccleſia Græca in Menæis cap. 4. Jan. ode 4.* Chriſtus à cunctis generationibus te elegit, ô Deipara, quam non alteri ac domum ſuam incoleret: ut nos à peccato deſtructos per tuam ſecum unionem longè præſtantiùs repararet. *Andr. Cret.* Sola præter naturam electa fuit ad naturam renovandam.

Ad quod addo illud *Damian. ſerm. de Annunc.* Ut ſicut ſine illo id eſt Chriſto nihil eſt factum: ita ſine illa id eſt Maria nihil ſit refectũ. Hinc *S. Germ. Conſtantinop. Patriarcha orat. de luminib. ſanct.* ita illam veneratur. Huc ades Renovatio rerum antiquarum. Sicut nimirum in creatione mundi antequam *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas terra erat inanis*, & obſcura, ita antequam Spiritus S. obumbrâſſet Virgini fuerunt omnia una caligo. *B. Amed. hom. 3.* Spiritus S. ſuperveniet in te. Superveniet in ubertate & affluentia, in plenitudine & in effuſione carnis, & animæ; cumque repleverit te, adhuc erit ſuper te, & ſuper aquas tuas feretur, facturus in te quiddam meliùs, & mirabiliùs quàm cùm ferebatur ſuper aquas à principio.

Sed redeamus ad arma. *Zeno ſerm. 4.* Dei Filius ab æterna ſede profectus in prædeſtinatæ Virginis templum, ſibimet caſtra metatur. Inter opera *S. Augustini ſerm. de Incarnat.* Quantæ ſanctitatis putabimus animam tuam fuiſſe ô Maria! cum caro tua tantùm placuerit Creatori, ut de ea ſibi faceret pallium laudis & loricam victorioſi certaminis, atque ita concurreret ad certamen victorioſum.

3. Quia

8. Quia Filium suum dedit in mortem pro mundo, & ipsa certo modo redemptioni cooperata.

S. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 20. parag. 11. Quod dicitur de Patre æterno, ita de ejus temporali Matre dici potest, Rom. 8. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, scilicet passum voluntate, & affectu, & *quomodo cum illo non omnia nobis donavit?* Sed hoc ipsum uberiùs exponit *Arnoldus Carnotens*: super verba Christi: *Ecce Filius tuus.* Moriebatur Virgo & mori non poterat; nec poterat ex facie ejus colligi crux animæ, & patibulum spiritûs, in quo erat hostia viva, & beneplacens Deo, & medullatum holocaustum, quod cum ipsa incenderit, tantùm ministerio conscientiæ utebatur: ipsaque sine strepitu se ipsam mactans in altari interiori, & ligna, & flammas offerebat, nimirum in loco illo (*in monte Calvariæ*) in quo assistebat Virgo cruci, duo videres altaria, aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Christi: Christus carnem, Maria immolabat animam; optabat verò ipsa ad sanguinem animæ, & carnis suæ addere sanguinem, & elevatis cum Filio manibus celebrare sacrificium vespertinum, & cum Domino Jesu corporali morte redemptionis nostræ consummare mysterium: sed hoc solius summi Sacerdotis privilegium erat, ut de sanguine munus intra sancta inferret, nec poterat hæc ei esse dignitas cum aliquo communis; nam in reparatione hominis nulli Angelo, nulli homini cum illo fuit, aut esse potuit communis authoritas. Cooperabatur tamen plurimùm secundùm modum suum ad placandum Deum, tum cùm propria, quam Matris vota charitas perferret ad Patrem, tum cùm quod Mater peteret Filius approbaret, Pater donaret, Filius ad pectus Matris, & ubera, Pater ad Filij crucem, & vulnera respiciebat; & quid inter hæc tanta pignora non moverent.

Sed adjiciamus his quæ dicit *Richard. à S. Laur. lib. 1. de laudib. B.V.* Fuit Dominus cum Maria, & ipsa cum Domino, in eodem labore & eodem opere nostræ redemptionis, Mater misericordiæ, Pater misericordiarum adjuvit in opere nostræ salutis. Unde prædictum erat de primo homine. *Non est ei bonum esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Illa enim literalis Eva non fuit viro suo in adjutorium, sed in destructorium magis, hæc autem in adjutorium quia in manu fœminæ tradidit Deus Sisaram, & una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor. Et *lib. 2.* dum verba Micheæ 6. expendit. *Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, & fructum ventris mei pro peccato animæ meæ*, Maria charitate sua, qua vulnerabatur Unigenitum suum dedit pro sceleribus nostris, & fructum ventris sui pro peccatis animarum nostrarum. Tunc impletum est illud quod de prima muliere dixerat DEUS in figura Mariæ quasi loquens de secundo Adam. *Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Nolebat siquidem

Deus Pater, si liceat ita loqui, Filij sui morte salvari genus humanum, & diabolum condemnare, sed disposuerat in manu fœminæ tradere Sisaram. *Ibid.* Ipsa est causa salutis humani generis, & quædam ratio & complementum post Filium suum omnium quæ facta sunt.

Imò ampliùs quid dixit *Ernestus Pragensis in Mariali cap.* 87. Factus est Mariæ Deus suus in adjutorium spei suæ, quæ utique erat de hominis redemptione & mundi renovatione. *Arnold. Carnot. tract. de laudib. Mariæ.* Dividunt coram Patre inter se Mater, & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt Redemptionis humanæ negotium, & condunt inter se reconciliationis nostræ inviolabile testamentum, Maria Christo se spiritu immolat, & pro mundi salute obsecrat, Filius impetrat, Pater condonat.

Quærit *S. Iren. lib. 3. contra Valentin. cap.* 53. Quid est quod sine Mariæ consensu non perficitur mysterium Incarnationis? *Respondet ipse.* Quia nempe vult illam Deus omnium bonorum esse principium. Respondet & *S. Damasc. orat. de Assumpt.* sic Virginem affatur. Neque tui ipsius causâ progenita es, quocirca à Deo vitam habebis, ob quem in vitam prodijsti, ut orbis universi saluti te Administram præberes.

In quem sensum illa recidunt *Romanæ Ecclesiæ.* Benedicta Filia tu à Domino quia per te Fructum vitæ communicavimus. *Et rursus.* Per te paradisi portæ nobis apertæ sunt, quæ hodiè gloriosa cum Angelis triumphas. Et *Damian. serm. 1. de Nativ. B. V.* Meritò Speculum justitiæ appellatur, quia quidquid justitia circa Christum agebat, in Virgine, totum repræsentabatur. Audiamus quomodo in hoc puncto *S. Bonav. Stimuli amoris p. 1. cap.* 3. Virginem alloquatur. O Domina mea ubi stabas? nunquid tantùm juxtà crucem, imò certè in cruce cũ Filio ibi crucifixa eras secum. Sed hoc distat quia ipse corpore, tu autem in corde, nec non ut ejus vulnera per corpus ejus dispersa, sunt in corde tuo unita. Ibi Domina lanceatum est cor tuum, ibi spinis coronatum, ibi illusum, exprobratum & contumelijs plenum, aceto, & felle potatum. O Domina cur voluisti immolari pro nobis? nunquid non sufficiebat Filij passio nobis nisi crucifigeretur, & Mater? Imò. Sed ut *Richard. à S. Laur. docet lib. 2. p.* 104. Debuit esse Coadjutrix Christi in passione & redemptione. Et ut *Ephrem orat. de laudib. B. V.* Captivorum redemptio & omniũ salus. Ut *Anselmus alleg. cœlesti* 27. Causa reconciliationis generalis. *S. Sabbas in Menæis* 17. *Febr.* ubi sic Virginem alloquitur. Tu Crucifixum Filium tuũ pro nobis in lytrũ dedisti. Et tantâ alacritate dedit Virgo, ut *Richard. à S. Laur. lib.* 4. *de laudib. Virginis* dixerit, Nec passionem Filij impedivit, nec crucifixoribus maledixit, sed exemplo Filij, ut verè creditur pro eis intercessit. Imò ut *Novarin. lib.* 4. *elect. num.* 493. ex sensu plurium Patrum ita dedit. Ut si carnifices defuissent, ipsamet æterni Patris voluntatem perficiens suis manibus Filium pro humani generis salute immolâsset.

In

In quam rem adduxit exemplum Abrahæ, qui ex obedientia paratus fuit filium immolare. Certè *Ecclesia Græca in Menæis 1. April.* docet, Quòd Virgo sub cruce consistendo, hymnum laudis concinebat tibi ô Amator gentis humanæ, quia animirum ob homines, & amore eorum moriebaris, ideo te laudabat.

Ampliùs est quod eadem *Ecclesia 6. Jun.* ubi inducit quòd Christum alloquatur Mater, ostendit, quòd Filium ad ferendam mortem confortabat in hunc modum: O lumen oculorum meorum! nihilominus propter nos homines cruciatum istum lubens, ac volens accepta, sustine crucem, clavos, spongiam, hastam, per quæ passionis tuæ instrumenta talem hominibus vitam largiaris, quam nullus unquam attinget cruciatus, aut dolor. Obtulit verò pro nobis non semel Filium, sic enim *s. Brigitta* habet. Meliùs quàm aliquis Propheta præscivit Filij sui passionẽ, ideò lactando eum, cogitabat quod felle & aceto potandus esset in cruce, quando eum in manibus gestabat, videbatur illi quod crucis brachio esset confixus: quando dormiebat cogitabat mortuum ex cruce depositum: quando osculabatur, Judæ osculum cogitabat: quando fascijs involvebat, funes cogitabat quibus ligandus ab impijs carnificibus. &c.

Miratur hæc *S. Bernardinus tom. 1. serm. 54. cap. 4.* O mira circa nos utriusque Parentis Jesu Christi pietatis dignatio! ô inæstimabilis Dei, & Virginis dilectio charitatis! qui ut servum redimerent, communem Filium tradiderunt propter nimiam charitatem, quâ Deus & Virgo nos miseros peccatores dilexerunt. Quod confirmat *S. Bonav. in 1. dist. 48. 92.* Nullo modo dubitandum est, quin virilis Mariæ animus, & ratio illius constantissima, voluit etiam tradere Filium suum pro salute generis humani, ut Mater per omnia conformis esset Patri & Filio.

Quod ipsum in modum prophetantis *serm. 3. de Purif.* expressit *S. Bern.* Veniet tempus quando non in templo offeret Mater, (uti fecit in Purificatione) nec in brachijs Simeonis, sed extra civitatem, inter brachia crucis. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum, cujus utinam omnes experiamur fructum per opem SSmæ Matris. *Damasc. hymn. Eccles.* Natura hominum serviens peccato, Domina castissima per te libertatis cõpos facta est, Nato tuo pro cunctis ut agno immolato. *Honorius Augustod. in sigillo B. V. cap. 1.* Sicut Populus Dei à Pharaone per virgam Moysis, ita Ecclesia à diabolo per Virgam Jesse Mariam & Florem suum, id est Christum liberata est. Rursus *Damasc. orat. 1. de Annunc.* Hæc Virgo omni profuit creaturæ, quam veluti coëmptam à servitute in libertatem asseruit. *Dionys. Carthus. lib. 1. de laud. Virg. art. 7.* Per Virginem universum genus humanum à servitute peccati, à jugo & subjectione diaboli, à corruptionibus & peccato originali secutis, & ab obligatione æternæ damnationis liberatum.

Propter quod *Leo Imp: orat. de Assumpt.* sic Virginem allocutus. Ave Volumen commodissimum, in quo Verbum Dei scriptis mandatum est, per quod gravi servitutis jugo oppressi in perpetuam libertatem vindicati sumus. Hinc eam *Idiota contempl. de B.V. cap.4.* vocat Libertatem à Deo ædificatam Creaturæ inferiori. *S. Ildefons lib. de B.V. cap. ult.* Libertatis nostræ nobilissimum titulum.

CAPUT VI.

Beatam dicit Virginem omnis generatio Sanctorum in particulari.

1. Sancti universim Beatam dicunt, Quia illis omnibus excelsior.

Quia ut docet *S. Athanas. serm. in Evangel.* Spiritus S. in Virginem descēdit cū omnibus virtutibus essentialibus, induēs eam gratiâ, ut in omnibus gratiosa esset. Juxta *Gregor. in 1. Reg.* Altitudo Mariæ super omnes Sanctos refulsit. Ex *Ildefonso* concluditur *serm. 2. de Assumpt. B.V.* Sicut est incomparabile quod gessit & ineffabile quod peperit, ita est incomprehensibile præmium gloriæ, quod meruit. Unde *Andr. Cret.* affirmat *orat. de Assumpt.* Excepto Deo solo est omnibus altior. Eadem ferè verba habet *Epiphan. orat. de laud. B.V.* Solo Deo excepto cunctis superior existit. Quæ explicare videtur *Laur. Justinian. serm. 2. de Nativit. Virg.* Nullus mortalium quamvis donorum cœlestium numerositate sit præditus Virgini valet coæquari. Patriarcharum utique Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, omniumque Sanctorum merita B. Virgo transcendit. Nam juxta *Damasc. serm. de Nativ. B.V.* Totius Divinæ gratiæ charismate plena fuit.

Demonstrativè id deducit *S. Bernardinus Art. 2. cap. 8. tom. 1. serm. 61.* Secundum *Dionysium* in Regno cælorum omnium inferiorum dona in superioribus in tanta excellentia sunt, quòd quasi multa est comparatio, nisi sicut est circumferentia ad suum centrum: cùm ergo B.V. super omnem ordinem sit, in tantum quòd per se faciat ordinem incommunicabilem, Sequitur quòd super omnes inferiores ordines tam Angelorum, quàm hominum simul sumptorum, ipsa improportionaliter (quod nota verbum improportionaliter) id est *quasi sine ulla proportione & comparatione* superi-

sioris

finiti ad infinitum nulla proportio,) & quidquid est gloriæ in omni inferiori glorificata natura tam Angelica quàm humana, multò excellentius est in Virgine Matre Dei, nec dubium hoc reddat omnium beatorum aliorum multitudo numerosa, & magna, quia hic nihil facit ad rem majoritas gloriæ essentialis, seu substantialis, nam in spiritualibus idest majus, quod melius reputatur, unde plus de substantiali gloria est in Seraphino unico, quàm in reliquis omnibus eò inferioribus.

Hanc improportionalitatem planè eodem sensu ac superiùs notavimus *S. Damasc. orat. de dormit. Virg.* innuit. Dei Matris & Servorum Dei est infinitum discrimen. Et *orat. 2. de Assumpt.* Solo Deo excepto cunctis superior existis. *Damian. serm. de Nativit. B. V.* Quidquid majus est, minus Virgine, solumque Opificem istud opus supergreditur. *Et rursus.* Inter animas Sanctorum, & Angelorum choros supereminens, & evecta, merita singulorum & omnium titulos antecedit. Et ibidem docet Virginem ita cæteros Sanctos superare gratiâ, ut sol cætera astra splendore, imò plus in illa inaccesibili luce perlucens, (Virgo in Deo) sic utrorumque spirituum hebetat dignitatem, ut sint quasi non sint, & comparatione illius, nec possint, nec debeant apparere. *Bonav. opusc. de laud. Virg. cap. 6.* Tanta inundatio gratiæ, tanta profunditas & magnitudo fuit in Maria, ut ipsa benè mare plenum dici posit, juxta illud 1. Paralip. 16. *Tonet mare & plenitudo ejus.* Sicut in mari aquarum; sic in Maria sunt congregationes gratiarum. Unde Scriptum est Gen. 1. *Congregationes aquarum appellavit Maria.* Dicitur quoque Eccles. 1. *Omnia flumina intrant in mare,* omnia flumina sunt omnia gratiarum dona, quæ intraverunt in Mariam, juxta illud Sapientis Eccles. 24. *In me omnis gratia Viæ & veritatis.*

Quàm plenum sit hoc mare, quàm illud gratiæ plenitudine redundet *Presbyter & Doctor Ecclesiæ* docebit nos *S. Hieron.* explicans illud Eccles. 14. *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Ubi ait. Ideo in plenitudine sanctorum detentio Mariæ fuit, quia in mirifica perfectione sua plenitudo perfectionis omnium Sanctorum illi non defuit. Et *Andr. Cret. orat. de dormit. B. V.* ubi sic eam invocat. O Sancta & Sanctis Sanctior! & omnis Sanctitatis Sanctissime Thesaure. Et *Dionys. Carthus. lib. de laud. Virg.* Sanctitate Virginis major esse non potest, non quia Deus absolutâ suâ potentiâ ampliorem nedum Virgini, sed alijs quoque præstare possit: sed nec decet nec utiq; fiet ulterius. Mariæ sanctitas quodammodò infinita est. *Guillelm: Paris: alius ab Episc. in Rosario.* Si gratiæ omnium Sanctorum Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium Electorum, etiam comprehensis novem Ordinibus Angelorum ponerentur in una statera, & sola gratia hujus Virginis in alia, multò gravior appareret. Et *S. Thomas Cantuar: ex revel: accepta* loquitur apud *Maurit. de vita Deip:* Majorem gloriam habet ipsa sola, quàm omnes simul Angeli, & Sancti. Et *Ecclesia Romana* id illi appropriat ex Proverb. 31. *Multæ filiæ congregaverunt divitias,*

divitias, tu supergressa es universas. Quia ut *Chrysip. Jeros. serm. de S. Maria.* Græcè plena es, quia tecum est universus gratiæ thesaurus.

Albert. Magnus in Biblia Mar. ex cantic. quasi dictis rationem subjungit. Ex parte dantis est diversitas doni, quia cùm dans det secundùm rationem, & ratio respiciat finem, majus donum dat, quod dat ad majorem finem, ut Imperator majus dat donum ad essendum senatorem, quàm cui dat ad essendum simplicem servitorem, sed dabatur Mariæ gratia ad essendum Matrem Dei, & omnibus alijs dabatur ad essendum servos & ancillas Dei: sicut ergò improportionabiliter majus est esse Matrem Dei, quàm esse servum Dei, ita improportionabiliter erit majus donum ad essendum Matrem Dei, quàm ad essendum servum Dei, & ex hoc patet quòd major gratia intelligi non potest, nec puræ creaturæ participari, quàm esse Matrem Dei per naturam. Idem *lib. de laudib. V. cap. 69. 71. & 76.* tradit hanc regulam pro formandis de Virginis celsitudine discursibus. Dubium non est quin Mariæ tribui conveniat quidquid boni pura quævis creatura vel fecerit vel receperit. *S. Ephrem serm. 1. de laudib. B. Virg.* Inviolata, integra, planeque pura ac casta Virgo Dei Genitrix Maria, Regina omnium, Spes desperantium, Domina nostra gloriosissima, eademque optima, ac præcellentissima, sublimior Cælitibus, candidior solis radijs, atque fulgoribus, honoratior Cherubim, & multis oculis claris spiritibus perspicacior, sanctior Seraphim, & incomparabiliter omnibus supernis exercitibus glorioſior.

Enumerat septem præcellentias *Ambros. Spiera Tarvisinus in suo Quadrag. serm. 4. sabbato post feriam 4. Cinerum,* quibus B.V. cæteros anteceſsit, scilicet: pretiosa naturali conditione, summâ luciditate, summa illuminatione, singulari directione, stupenda unione, firma duratione & supremâ collocatione. *Pelbartus verò in Stellario lib. 1. p. 1.* Supra verba. Fecit mihi &c. ait. In his Mariam celsiorem Sanctis esse. 1. In æternali præelectione. 2. In singulari sanctificatione. 3. In naturali perfectione. 4. In incontaminabili purificatione. 5. In Virginali fœcunditate. 6. In Divinali inhabitatione. 7. In mentali illustratione. 8. In Maternali dignificatione. 9. In hujus mundi salvatione. 10. In omnis doni exuberatione. 11. In supereminenti exaltatione. 12. In universali veneratione.

Thom. de Kemp. ad Novit. 12. ita stellas explicat. 12. stellæ sunt 12. prærogativæ regnantis ejus claritatis, quas habet respectu omnium aliorum Civium supernorum. Respectu enim Ecclesiæ militantis, habet 4. specialia superlucentia dona misericordiæ operibus plena, quia præ cæteris omnibus exaudit benignius, condescendit humilius, agit virtuosius, succurrit frequentius, sicut experientia docet in arduis Ecclesiæ causis. Item respectu Ecclesiæ triumphantis, habet istas 4. eminen-

4. eminentes prærogativas, quia cæteris omnibus collocatur in cœlis altiùs, resplendet lucidiùs, amatur ferventiùs, honoratur ampliùs, sicut dignum est sentire de ejus glorioſis meritis. Item reſpectu Summæ Trinitatis beatificantis habet 4. similiter prærogativas sivè stellas cunctis sideribus clariores, quia præ cæteris omnibus æternæ Trinitatis gloriam contemplantibus ipsam Sanctam Trinitatem intuetur limpidiùs, afficitur erga illam lucidiùs, contemplatur intimiùs; & fruitur illa super omnes in cœlo feliciùs, de quibus nemo dubitare debet ampliùs.

Petrus Ceſpecius in Triumpho B.V. die 8. hæc privilegia ſpecialia ponit. 1. Quòd ſit Mater Dei. 2. Quòd nullam unquam malam inclinationem ſenſerit. 3. Toto vitæ tempore nunquam peccavit. 4. Concepit è Spiritu S. 5. Peperit absq; dolore, & læſione Virginitatis. 6. In cælum cum corpore aſſumpta. 7. Ad dexteram Filij ſedet. *Alexius de Salo lib. Methodi admirabilis amandi*, has numerat excellentias. 1. Eſt æterna prædeſtinatio. 2. Sinè macula conceptio, 3. Puritas Virginalis. 4. Maternitas Dei. 5. Obumbratio Spiritus S. 6. Plenitudo gratiæ 7. Secretariatus Summi Monarchæ. 8. Contemplatio continua. 9. Exaltatio ſuper omnes creaturas. 10. Imperium in totum univerſum. 11. Mediatricis officium. 12. Omnibus veneratio.

2. Angeli Beatam dicunt.

Quia Virgo illorum eſt venerationis objectum.

Richard. à S. Laur. lib. 1. cap. 2. Ter ad minùs in Canticis in perſona Angelorum quæritur: Quæ eſt iſta? non tantùm quia perſonæ mirantur excellentiam, ſed forſitan quia dulce ſibi nomen deſiderant reſponderi: ſicut enim antiquis Patribus, Iſaiæ, & cæteris nomen Domini in deſiderio erat, ut ſcilicet inter homines nominaretur Chriſtus, ut qui totus erat in cælo, effunderetur in terram, ſic Angeli nomen Mariæ deſiderabant nominari, & in notitiam effundi, ut non intra terræ terminos clauderetur, ſed etiam celebre haberetur in cælis. Cant. 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Quod etiam ex eo procedere poteſt. Quia ut S. *Anſelm. ſerm. de Concept.* In æternitate conſilij ſui ſtatuit Deus Mariam Dominatricem & Reginam fore Angelorum. *B. Laur. Juſtin. ſer. de Annunc.* Gabrielem nunciantem deſcribens ait. Gratiæ plenitudinem in Maria Cœleſtis Nuntius cognoſcens, ſalutat illam tanquam ſibi Dominam, honoreque digniſsimam. *S. Bonav. in 3. diſtinct. 9. art. 1. q. 3. in cap.* Quoniam excellentiſsimum habet nomen, ita quòd excellentius puræ creaturæ convenire non poteſt, non ſolùm viatores, ſed etiam comprehenſores, non ſolùm homines verùm etiam Angeli eam quadam prærogativa ſpeciali reverentur. Imò juxta *Damian. ſerm. de Aſſumpt.* Sicut ſol ſolus orbem illuminat, ſic hæc ſola ſolidiori lumine Angelos illuſtrat. *Bernardin. tom. 1. conc. 5. cap. 6.* Electa eſt ut ſol ad irradiandam totam multitudinem Spirituum Beatorum.

Præ-

Præterea *Bernardus hom. 1. super Missus.* Honorate SS. Angeli, vestri Regis Matrem, qui nostræ adoratis Virginis Prolem, ipsum utique nostrum pariter ac vestrum Regem, nostri generis Reparatorem, vestræ civitatis Restauratorem. Et certè colunt eam, ut exaltatam supra omnes suos choros. *S. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 20. par. 15.* Plus distat Virgo à Seraphim in dignitate, & gloriâ, quàm Seraphim à Cherubim, sed Seraphim per excellentiam dignitatis ordinem habet superiorem ad Cherubim, ergo Virgo est super Hierarchiam Angelorum. *S. Thomas opusc. 8.* Et dixit Angelus, *Dominus tecum.* Quasi dicat; deò exhibeo tibi reverentiam, quia tu familiarior es Deo, quàm ego: nam Dominus est tecum, Dominus inquit Pater cum eodem Filio, quod nullus Angelus nec aliqua creatura habuit. Luc. 1. *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei,* Deus Filius in utero. Isai. 12. *Exulta & lauda habitatio Syon, quia magnus in medio tui sanctus Israel.*

Aliter ergo Dominus cum B. Virgine, quàm cum Angelo quia cum ea ut Filius, in Angelo ut Dominus; In ea Spiritus S. fuit ut in templo. Undè dicitur *Templum Domini, Sacrarium Spiritus S.* Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te,* sic ergo familiarior est cum Deo quàm Angelus, quia cum ipsa D. Pater. D. Filius, Deus Spiritus S. scilicet tota Trinitas. Undè cantatur de ea: Totius Trinitatis nobile Triclinium. S. Chrysost. *serm. de B. V.* Vis cognoscere quantò hæc Virgo sit præstantior cœlestibus potentijs? illæ cum timore & tremore assistunt faciem velantes suam; hæc humanum genus illi offert, quem genuit.

S. *Epiphan. serm. de Deip.* sic eam probat Sanctiorem Cherubim & Seraphim. Illi enim avertuntur cum nequeant spiritualem ignem Divinitatis fixis oculis intueri; Hæc autem apertis oculis fixè intuens incomprehensibilem & formæ expertem oculum illius cum desiderio, & osculo salutabat. Exercitus Angelorum qui sunt scabellum pedum Christi procedentes nec videre possunt nec contingere, Hæc verò labra labris conjungens incomprehensum salutabat.

Alium adhuc titulum propter quem Angeli SS. maximâ veneratione prosequuntur Virginem, advertit S. *Anton. 4. part. tit. 15. cap. 14. parag. 3.* Angeli recipiunt illuminationem, perfectionem, & beatificationem à Jesu per quem omnia restaurantur in cœlo & in terra, ergo B. V. cùm sit Mater Jesu, causa est aliqua gloriæ Angelorum, ut aptè dicatur Mater eorum.

Undè juxta *Damasc. orat. 2. de dormit.* Hodierno die (festo Virgini) choreas agunt Angeli, plaudunt Archangeli, Virtutes concelebrant, Principatus exultant, Potestates lætantur, Dominationes gaudent, Throni diem festum agunt, Cherubim laudibus efferunt, Seraphim gloriâ afficiunt, nec minùs ipsi gloriâ afficiuntur, cum gloriæ Parenti gloriam tribuunt. Breviter S. *Athanas. serm. de Deip.* Beatam te prædicant omnes Angelorum & terrestrium hierarchiæ, à quibus & in cælis benedicere, & in terra beata prædicaris.

3 Be-

3. Beatam dicunt Virginem Patriarchæ & Prophetæ. Quia Virgo illorum solatium.

Principium sumamus ab Adamo, qui dedit generi humano principium. De illo sic habet Servus Dei *Petrus Geremias serm. 1. de Annunc.* cùm in hunc modum de S. Virgine loquitur. Ecce Virgo quæ lætificavit Patrem suum Adam, tristem de peccato suo, & fuit sibi revelatio facta de Virgine illis verbis, dictis à Deo serpenti, *Inimicitias ponam inter te & mulierem.*

Sed ampliùs aliquid docet S. *Bernardinus tom. 1. serm. 61. art. 1. cap. 2.* cùm ait. Adam & Eva ex propria transgressione non solùm mortis sed & annihilationis exterminium meruerunt; sed propter reverentiam & singularissimam dilectionem, quam habebat ad Virginem, Deus eos præservavit, quia eam ab æterno super omnes creaturas Deo non uniendas, quo creandæ sunt, superexcessivè dilexit; propterea præservati sunt Protoplasti nec ut merebantur in nihilum redacti. Ratio hujus est, quia hæc benedicta Puella erat in lumbis Adæ secundum seminalem rationem. Addit *Lyræus in Tryfagio.* Revelatum fuisse statim in paradiso nomen Virginis ad plenum primorum Parentum solatium. Et certè *Bernardus serm. super signum magnum ait.* Longè ante Patribus (Hæc S. Virgo) est repromissa, mysticis prænunciata miraculis, & oraculis Propheticis. Progredimur ad Sethum Filium Adami, sed in varietate opinionum, & ipsi opinamur.

Narratio sic habet ex *zonara lib. 5. Annal.* Constantinopoli inventum est sepulchrum in quo aureæ tabulæ inscripta hæc legebantur: Christus nascetur ex Virgine & ego credo in eum. *Alij vero ita habent.* Propè Constantinopolim inventa est aurea lamina in sepulchro, quod alij Hermetis Sapientis Ægyptij, alij Platonis crediderunt. Lamina ejusmodi inscriptionem habuit: Christus nascetur ex Maria Virgine, credo in eum. Sub Constantino & Irene Imperatoribus, iterum me sol videbis. Referunt hanc historiam *Paulus Diacon. histor. miscell. lib. 23. Anno 774. Sigibertus An. 782. S. Antonin. summæ p. 4. tit. 15. c. 31. parag. 2.* Hoc cadaver ut fortasse alicujus edocti à Prophetis aut Patriarchis fidem veram, finerem mihi persuaderi; ita non assentior ijs qui volunt esse Sethi: cùm aliam pro ipsa asserant cadaveris repertionem *Genebrardus Chronici lib. 31. cap. 26.* vel *Geerbrandus à Leydis Ord. Carmelit. in Chronico Comitum Holandiæ & Episcoporum Ultrajectensium.* Res sic habet: Anno 1374. jussu Sybillæ Hungarorum Reginæ cum facultate Babylonierum Soldani vallem Josaphat ingressi fossores invenerunt sepulchrum lateritium, & in eo cadaver integrum miræ magnitudinis, barbâ promissâ, & capillis maximis, ovinis pellibus integris obvolutum, & quidem capiti subjecta erat integra pellis ovilla longa triginta pedes, ad caput cadaveris tabella reperta, quæ literas hebraicas incisas

hoc sensu referebat. Ego Seth tertius Filius Adæ credo in IEsum Christum Filium Dei, & in Mariam Matrem ejus de lumbis meis venturos. Hæc oculatus testis *Joan. Villarius* transcripsit *Joanni de Solertia Socio Genebrardi.* Item testatur *Martinus Polonus Episcopus Cosentinus*, & ex eo *Rodericus Sanctius Episcopus Palentinus p. 3. hist. Hisp. cap. 40.* ac tandem *Bzovius Anno 1231. num. 9. Angelus in sermone de Virginis excellentia quem dictavit S. Brigittæ cap. 8.* Describit solatium quod accepit Abraham cùm illi fuit revelata S. Virgo. Creditur quoque Abraham de hac futura Filia (Maria) magis quàm de Isaac filio suo exultâsse, atque majori charitate quàm Isaac filium suum dilexisse. *Et postea.* Præscius itaq; Abraham hanc Virginem quæ Deum pareret de generatione sua debere procedere, plus de ipsa sola consolatus est, quàm de omnibus filijs & filiabus suæ stirpis.

De Moyse narrat quod sequitur *S. Methodius hom. de Purific.* dum explicat illud Exodi 34. *Ignorabat quod cornuta esset ejus facies ex consortio Dei*, sic commentatur. Nonnè Moyses ille magnus propter figuras intellectu difficiles, quæ te Virgo (S. Virginem alloquitur) tangebant, diutiùs in monte commoratus; ut ignota de te (ô Casta) Sacramenta edoceretur, sed non tam facilè hunc Propheram mittamus, ille ut habet *orat. 2. de Assumpt. Damasc.* per simulachrum quoddam & umbram Mariæ tantus Legislator & Princeps creatus est. Hoc est apud rubum & ardentem, & incombustum. Ubi cùm ipse solatium accepisset, sivè per se sivè per suos solatium de Virgine S. posteris transcripsit, uti est apud *P. Kircherum in prodr.* ubi exiguæ rupi hæc verba incidit. Deus concipere faciet Virginem, & ipsa pariet Filium, Davidis solatium. Colligamus ex *Brunone Astensi lib. 5. senten. cap. 1.* ubi hæc habet. De hac Civitate (id est Maria) verè gloriosa & magna dicuntur non solùm ab hodiernis, sed & ab antiquis Patribus & Angelis. Nonnè enim valdè gloriosum est, quod de ea ipse David Pater ejus in hoc eodem psalmo dicit: *Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.* Quantum solatium laudes suæ Filiæ tantas & tam veras prædicare! Davidi est dictum Psalmo 131. *De fructu ventris tui ponam super sidem tuam.* De quo *Tertull.* Venter iste non est ipsius Davidis qui pariturus non erat, sed nec uxoris ejus, aliquem ergo de genere ejus ostendit, cujus ventris futurus esset fructus, Caro Christi, quæ ex utero Mariæ floruit. *Aug. in psal.* 131. De fructu ventris, quia de fœmina natus est Christus, quo Vir non accessit. *Salomon in Cantic.* totus est in describenda Virgine. *Isaias* ita describit futuram Virginem acsi jam natam conspexisset, ac præcipuè *cap. 7.* De illa Jeremias cap. 31. *Novum creavit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* De illa *Daniel. 2.* sub imagine montis de quo abscissus lapis. De illa Ezechiel. 44. *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & Vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.*

Quod

Quod in hunc modum exponit *S. Hieron. in Ezech.* Hæc est Porta orientalis semper clausa & lucida, operiens in se vel ex se proferens Sancta Sanctorum, per quam Sol justitiæ & Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur & egreditur, quatenus enim clausa erat, ejus perpetuam Virginitatem indicabat.

Sequatur *Elias* 3. Reg. 18. Contemplatus è mari ascendentem nubeculam, Dominæ hujus nomen intellexit, & ei sacellum præ gaudio ac veneratione, quod usque ad Annum Dni. 83. perduravit, erexit, uti docet *Joan. Patriar. Thom. à JEsu Olivarius. Marc. Alegrius in paradiso Carmeli decoris,* & insinuare videtur *Gregor.* 13. De Elia certè habet *S. Method. hom. in Purif.* ubi S. Virginē in hunc modū affatur. Puritatis tuæ ô Virgo Elias præscius Propheta atque Imitator in spiritu, cùm esset vitæ illius igniferæ, coronam sibi colligavit in hunc usque diem Divino suffragio morte superior declaratus. *De Eliseo idem ibid.* Te quoque ejusdem Eliæ Successor Elisæus à Sapiente Magistro his sacris initiatus, tanquam jam existentem quæ tamen nondum existebas, præfigurans, supra naturam signis quibusdam esse asseruit.

Verùm tantisper è Judæa genteque fideli in Ægyptum & ad Idololatras ad visendum captivum Ieremiam Prophetam digrediamur. De illo hæc habentur: Descenderat in Ægyptum cum reliquijs Iudæ Ieremias, popularibus æquè suis ac gentilibus multo commodo Propheta, sed non multus illius labori respondit fructus. Videbant Ægyptij Deos suos ligneos, & lapideos, sensu omni destitutos, & solo artificio, quod ipsimet impenderant cæteris saxis potiores: sed prævaluerunt apud eos veritate doctæ majorum fabulæ; prædixit itaque Propheta (uti *Author Epiphan. & Comestor*) fanorum & idolorum ruinam postquam Virgo peperisset Filium, ac nè simul cum verbis oblivio prædictionem sepeliret, statuam è ligno, quæ Virginem cum Filio referret Ægyptijs reliquit, religiosè in adyta, ac templa recepere monumentum, postea ad musæa Regum Ptolomæorum transtulerunt, è lignis Sethim facta creditur; ideoque non canosa, hæc Anicium in Galliam per S. Ludovicum Regem delata. Refert hæc *Divus Dorotheus* M. & quædam addit in sinopsi, ut sequitur.

Ieremias signum dedit Sacerdotibus Ægyptiacis, quòd oporteat eorum idola concuti, & decidere per Servatorem Puerum ex Virgine nasciturum, & in præsepio jaciturum. Propterea nunc etiam Virginem in lecto, Infantem in præsepio collocant, & adorant. Et cùm causam olim Ptolomæus percontaretur, responderunt mysterium esse ipsis à majoribus traditum, quod illi à S. Propheta acceperunt, quorum fides quomodò impleta indigitare potiùs quàm dicere decet.

Reliquos Patriarcharum ac Prophetarum breviter complectimur cum *S. Ephrem init. de laud B.V.* ubi hoc elogio S. Virginem exornat. Spes unica Patrum, Gloria Prophetarum, Lætitia Sanctorum, & Lumen probatissimorum, Abraham, Isaac, & Iacob, Decus Aaron, Splendor Moysis, & Vellus Gedeonis, Cœtus Hierarchiarum, omniumque Sanctorum ac Virginum Corona, ob immensum fulgorem ac splendorem inaccessa. Quod extendit ad detentos in limbo *Rutilius Episcopus Recanatensis in Magnificat lib. 2. cap. 22. dub. 7.* Qui erant in limbo ad Mariam ut eorum Liberatricem & Advocatam suspirabant. Quia ut docuit *S. Bernardinus tom. 2. serm. 61. cap. 2.* Omnes liberationes & indulgentias factas in veteri testamento non ambigo Deum fecisse solùm propter hujus benedictæ Puellæ reverentiam & amorem, quibus eam Deus in sua prædestinatione præhonorandam cunctis operibus suis ab æterno ordinavit.

Sed jam Viris illustribus Veteris testamenti missis Sanctas illas Heroinas producamus. De Eva quòd Mariæ fuerit typus loquuntur passim *Sacri Scriptores.* De Sara idem asserit *Hieron. in Matth.* De Rebecca *juxta ejusdem interpretationem in nomin. hebr.* Nomen ipsum testabitur, quod vel significat *Ovem*, & sic optimè Virginem depingit, quæ agnum genuit, vel significat *Videntem principia*; certè Virgo Sacra vidit singulari modo Principium per quod facta sunt omnia, vel idem dicat quod *Sceleris visum*, vidit & illa summum scelus Judæorum dum cruci Filium affigerent, vel *Arcana Numinis ineuntem*, quis magis intuitus quàm ea, in quam Spiritus S. supervenit, qui solitus Prophetas sermone arcanorum implere?

Cum Maria Sorore Moysis confert *S. Ambr. exhort. ad Virg.* nostram Virginem, dum ait. Terrâ ac mari clausum Hebræorum populum Virgo per maria pedes duxit. In Evangelio Authorem mundi & Redemptorem Virgo generavit. Quid Juditham, Estherem commemorem? Quid alia minora nominem?

4. Beatam dicit Antiquior Synagoga Judæorum. Quia ejus magnas excellentias agnovit.

Synagogæ nomine, hîc potissimùm Rabbinos, antiquioris verò, eos qui circa tempora Christi nati floruerunt, accipimus. Omitto nihilominus illud quod narrat *Egesippus libr. supplementi. Evang. verit:* de Simeone illo qui Christum in ulnis accepit, de quo hæc habet. Cũ esset Rabbi & in Synagoga interpretaretur Isaiæ 7. *Ecce Virgo* (Hebraicè, Halma) *concipiet*, delevit H. ut esset sensus. Ecce Juvencula quæ vox indifferens ad Virginem & Juvenem nuptam. Sed Divinitùs litera restituta. Idem fecit secundò, & tertiò, sed litera secundò & tertiò redijt; ideo ad orationem recurrit, & in ea responsum Spiritus S. accepit: Eum non visurum mortem,

mortem, nisi conspecto Christo Domini. Pulchrum testimonium pro S. Matris Virginitate, nisi *Caspar Sanctius comment. in Isaiam* illud vanum probaret. Ad Rabbinum quem Hebræi magistrum suum seu Rabbenu, & Haccados, seu Sanctum appellant venio, qui tempore Antonini Consulis ante Christum natum vixit. Hic sentit propter Virginem Sanctam mundum conditum, ita enim apud *Galatinum de arcanis lib. 7. cap. 2. loquitur in Galereccia 1. ad sextam Antonini Consulis quæstionem.* Videns Deus ex Israel exscindendam esse petram sine manibus & hæc est Petra primaria ex qua Messias futurus est, qui misericordias suas extendet super orbem totum, hujus Petræ dilectione, & Messiæ Filij David Regis eorum creavit Deus hunc mundum. Quod verò nomine Petræ intelligat S. Virginem, paulò post patebit. Est in maxima veneratione apud Hebræos *Rabbinus*, quem appellant Haboclesh id est Sanctum. Idem cum Trinitatem indicari professus *Gen.* 1. v. 1. & Domini Jesu 38. etiam SSmæ Mariæ nomen ex *Isai:* 9. elicuit, nam locus dictus *Geneseos* sic habet. בְּרָא אֱלֹהִים Hoc est, *Bara elohim.* Deus creavit, per literam א prioris vocis vult Patrem innui, nam Pater *heb* אָב id est per alteram, id est per ב Filium, qui dicitur *heb* בֵּן *ben.* per tertiam ד Spiritum qui *heb.* דרת *Ruach.* JESU verò nomen sic extrahit ex 49. *Gen.* ע. 10. ubi sic habetur יָבֹא שִׁלֹו וְלֹו יִקְּהַת עַמִּים. Id est *iabo scilo velo ghumim.* Venerit scilo ad eum gentes ex his quatuor vocibus decerpit, quatuor initiales literas, ex primo *iod*, י ex secundo ש *schin.* s. ex tertio ו *vau.* v. ex quarto ע *ain. aeb.* quibus simul junctis resultat יהושע *Jesuah.* id est Jesus. Jam tandem nomen Maria ex *Isai:* 9. ע. 7. sic deducit. לְמַרְבֵּה הַמִּשְׂרָה וּלְשָׁלוֹם Hoc est *Lamistra learbes*, amplificabitur Regnum. Ex hoc duo prædictus *Rabbinus* infert. Primò Virginitatem illibatam Mariæ, quia in priori voce scilicet à dextris procedendo, 2da litera id est *Mem*, quæ solet semper poni in medio vocis aperta, hic ponitur clausa. Præterea nomen Virginis extrahit prima litera m. *Mem.* clausa, secunda R. *Resich*, tertia conflatur ex duabus *He* quarum una claudit primum vocabulum, altera sequens inchoat. *unde vult a.* vigere, seu *jodi.* 4ta litera m. *Mem* ultima vocabuli aperta & componitur nomen מִרְיָם *Miriam* hoc est Mariam.

Agnovit & maximam quandam excellentiam, nam cum ab eo ibid. *Antonin. Consl. ex Psal. 81. Hebr. lect.* Abacum quam plantavit dextera tua, petijs explicari, respondit ibid. *cap. 4. apud Gal.* Similis facta est Abaco Mater Dei, quandoquidem sicut Abacus est armarium quod Principes conficiunt ad collocanda vascula auri & argenti, ut gloriam suam atque opes omnibus ostendant; ita Mater Regis Messiæ erit armarium, quod Deus construxit, ut in eo sedeat ipse Messias ad ostendendam gloriam suæ Majestatis cunctis mortalibus, per id autem quod ait plantatum, ostendit eam esse primam creaturarū Dei, (id est dignissimam) in genere humano.

Agnovit verò Immaculatam Conceptionem *Rabbi simeon ibidem*, cujus summa verborum hæc est. Cùm peccatores in die ultimi Iudicij ad diversos confugient Sanctos, ut pro eis orent, omnes se excusabunt, eò quòd & ipsi aliquam maculam receperint. Tandem peccatores recurrent ad primum hominem (id est dignissimum) immaculatum de quo dicitur. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Primum autem hominem hic *Rabbi* vocat Matrem Messiæ. *Rabbi Haccados* asseruit propter illam Israelem appellatum populum Dei. *Ibid. cap.* 11. ad sextum petitum Antonini Consulis, ubi hæc sunt verba hujus Rabbini. Dicam tibi quod scriptum reperi à *Rabbi Simeone Filio Joadæ.* Videns Deus ex Israel exscindêdam esse petram sine manibus, quæ est Petra primaria ex qua Messias futurus est, qui extendet misericordias suas super universum orbem, propterea voluit vocari Israel Patrem universi orbis ac populum suum peculiarem. Quæ verba *Rabbi Nehunias Filius Haccanæ in epist. arcan.* exponens, sic ait. Hæc Petra primaria est Mater Messiæ. Idem docet *Rabbi Jonathas Uzielis Filius in zach.* 4. Ibi est juxta lect. Hebr. Et educet petram primariam quæ ita exponitur. Et ex ipsa Petra procedet Messias Virginis S. Nomen. Dum oraret in spelunca *Rabbi Haccados*, se ab Elia divinitùs misso dicit accepisse. Et *ad quæst. Antonin. Cons.* sic habet. Quod autem interrogâsti, quo nomine Prophetissa vocetur, Maria est Nomen ejus. Hujus Prophetissæ mentem ac cogitationem omnem esse, ut Virginitatem suam conservet, erit enim Virgo mente & actu.

Agnovit *idem R. Haccados*, quòd Virgo nostra esset Prophetissa, nam cum ei eo quæsivisset *Antonin. Consul*, quid sibi vellet Isai: 8. *Et accessi ad Prophetissam &c.* sic illi respondit. Sæpe numero in hac quæstione suspensus, & anxius fui, & die quadam ingressus Patrum speluncam, ubi sepulti sunt Adam & Eva, Isaac & Rebecca, & Iacob, & Lia ut ibi orarem, inveni Eliam quem percunctatus sum. Quare notum tibi facio quòd ab ipso accepi. Hæc Prophetissa est Mater Regis Messiæ, quem Deus Sanctus & Benedictus se missurum ad Israel pollicitus. Ideo autem Prophetissa, quia tuo vaticinio scit omnia à primordio ad finem usque, quod nemo Prophetarum cognoscere potuit, ipsa enim est omnium Prophetarum Domina & Magistra, & hæc est Halma illa, de qua dixit Salomon *Prov.* 30. Et via viri in Halma, id est via Dei in Virgine. De qua & Mich: cap. 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvula es.* Et post pauca. *Propter hoc dabit eos usq; ad tempus, quo parturiens pariet.* Præterea de Rege Messia etiam quem Prophetissa ista paritura est, dixit Isaias 9. *Infans natus est nobis, Filius datus est nobis, & erit Principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater sempiternus, Princeps, Pax.* Hæc ille longè ante quàm Prophetissa nata esset. Ita apud *Galat. loc. cit. cap.* 17.

Sed

Sed ut Iudæos simul expediamus, apponemus hic de quo *Canisius lib. 2. de B.V. cap. 7.* Et ait contigisse circa annum Christi 1220. Honorio III. Pontifice & Friderico 2. Imper: Ferdinando Rege Castella apud Toletum, quod licet nesciat cujus sit Authoris, venit tamen in manus Iudæi, qui vineam dilatando rupem perfregit, in cujus medio librum invenit, Græcâ, Latinâ, atque Hebræâ scriptum linguâ, qui de triplici mundo ab Adamo procedente ad Christum disserebat, & de initio tertij mundi hoc habebat. In tertio mundo Filius Dei nascetur ex Virgine Maria, patieturque pro hominum salute.

Speciale quoddam *Ernestus Archiep. Pragensis* advertit, quòd scilicet DEus adhuc in veteri lege Virginis natalem mandaverit observari, sed rem totam verbis ejus proponamus. Ita ille *cap. 6. Marialis*: Maria dicitur nova Luna, id est mirabilis, dissimilis & multùm dispar & distans ab ista, quam videmus, in claritate, in stabilitate, in quantitate, in sublimitate. Buccinate in Næomenia tuba, dicit Dominus, id est in novilunio. Nunquid Mathematicus est Dominus, ut jubeat adorare solem, aut lunam, aut stellas? absit. Sed qui digito suo scripsit in tabula: Honora Matrem tuam, fecit quod docuit, & qui dedit, & quando dedit legem hanc honoravit Matrem, præcipiens ut singulis mensibus fieret festum suæ venturæ Nativitatis, maximè in næomenia mensis Septembris, significans illo mense illam fore nasciturum. Si ergo Iudæi rebelles & increduli, etiam adhuc toties in anno Nativitatem Dominæ nostræ devotissimè celebrant, licet quid faciant ignorantes, manifestè patet quomodo ipse Legislator velit, quòd nos qui eam accepimus in Matrem & Dominam, non verbo & linguâ, sed corde & animo, & toto affectu mentis Christo canamus gloriam in solennitate excelsæ Genitricis, & ideò tubis corneis in næomenia buccinari præcepit.

5. Apostoli & Evangelistæ Beatam dicunt, quia facta est illis Magistra & Exemplar prædicandi.

Testis hujus rei *Eusebius Emiss. hom. de Purif.* Nisi ipsa verba Filij conservâsset, non ea haberemus, de ejus namque thesauris nos ista accepimus, quæ enim de Christi pueritia leguntur, à SS. Virgine accepta leguntur, quæ non modò verba ista, sed & Pastorum, Magorum, Simeonis & Annæ condidisse in corde dicitur; nimirum quæ aliquando revelaret. *Et serm. 2. de Nativitate Dom.* hanc acclamationem facit ad Virginem. O Mater Sapientissima, ô sola talis Filij dignissima! quæ omnia verba hæc ideo in corde suo conferebat, nobisq; conservabat, & memoriæ commendabat, ut postea ipsa docente, ipsa narrante, & nunciante scriberentur, cunctisque nationibus nuntiarentur. Ut enim *6. revel. 58. tradit S. Brigitta*, Christus

Christus Dominus adhuc puer cum Matre habitans, multa illi arcana aperiebat, quod non solùm putandum est, ut eam magis illuminaret, sed ut & alios per illam. Inde ut *S. Vincent: Ferrer: serm: de Nativ. Domini* dicit. Virgo Maria melius sciebat Biblia. Ideo *Leo Imper. hom. 6.* eam vocat Elegantissimum scripturæ Divini Verbi Volumen. *Novarinus autem lib. 4. elect. num*: 314. docet. Quòd S. Ioannes illa sublimia à Virgine didicerit. Sed & reliqui omnes Apostoli ab ore Virginis pependerunt, ab ea quæ docerent accipiendo. *Lucius Dexter in Chronico Anno Christi* 34. Sacra Virgo consilio, luce doctrinæ, & mirabili vitæ exemplo præsidet Collegio Apostolico, nihilque grave gerunt illi, quod non ejus consilio ductuque gerant.

Quod confirmat *Arnold. Carnot. tract. de 7. verbis* ad illud. Mulier ecce Filius tuus, Matrem adhuc volens hic ad consolationem Apostolorum reservare superstitem, ut ex his quæ ipsa ab initio & audierat, & viderat, & contulerat in corde suo, Senatus Apostolicus doceretur.

Unde illi acclamat *Rupert. lib.* 1. *Comm. in cant.* O Beata Maria & Magistra Magistrorum! id est Apostolorum, juxta illud: *Fons hortorum, Puteus aquarum viventium* (Cant. 4.) *quæ fluunt impetu de Libano.* An quia Spiritus S. illos docuit idcirco tuæ vocis ministerio illis opus non fuit? imò vox tua vox illis fuit Spiritus Sancti; quidquid supplementi opus erat ijsdem mortalibus, vel testimonij ad confirmandos singulorum sensus, quos acceperant, ab eodem Spiritu dividente singulis prout vult, ex religioso ore tuo perceperunt.

Idem docet ibidem quod illa in primo illo Concilio Ieroſolymitano Apostolorum quæstiones concluserit. *Nam sic ille:* Tu Princeps Virgo omnem solvisti quæstionem, ita tamen ut non clamares, neque contenderes. *Et lib. 3. in Cantic.* hanc Virginis dignitatem in hunc modum exclamando extollit. Tanquam malum punicum in medio tintinabulorum, tu præcipuè fuisti Virgo Virginum in adjutorio vel etiam in regimine prædicantium Apostolorum, cujus etsi verba non audiuntur ubi prædicaverunt, opera tamen vel merita non ignorabantur, non minora imò majora tinitu prædicantium.

De docendi munere ejus, & quòd Evangelia scribenda dictaverit, clarè *S. Bernardus hom. 4. super missus.* Decuit ut ab Angelo Virgo potiùs quàm ab homine mysterium disceret, nè Mater à consilijs Filij aliena videretur, & ut ipsa rerum tempus, & ordinem melius tenens Scriptoribus & Prædicatoribus Evangelij referaret veritatem, quæ planè de omnibus à principio cælitùs fuerat instructa mysterijs. *S. Theophan: Episc: Nicænus in Men:* monet hoc ipsum de Virgine fuisse Prophetis revelatum, cùm ait 25. *Jan: ode 6.* Te ô Virgo Mater præviderunt Prophetæ tanquam librum quendam planè intaminatum, in quo conscriptus esset cibus Dei. Quin etiã *Jan. 20. ode 3.* Divinorum Vatum asserta, tu ô sola inter omnes benedicta,

nedicta, velut sigillo authoritatis tuæ firmâsti, cùm pareres Verbum, quod loquebatur per illos.

S. Bernardus in hanc rem sic habet alicubi. De hac,& ob hanc & propter hanc, omnis Scriptura facta est,imò totus mundus; quia ex ea Verbum Dei caro factum est. Et *Basilius Seleucus orat.* 39. ita de Virgine nostra loquitur. Paradisus florentissimus Virginitatis,in quo lignum vitæ satum produxit fructus omnibus salutares,& ex quo Evangeliorum fons, in quatuor ora factus,miserationũ flumina credentibus diduxit. Idcirco *Greg. Neocæs. de Annunc.* Cunctas quidem festorum solennitates,atq; hymnodias decet nos sacrificiorum instar offerre Deo, primam autem omniũ Annunciationem SSmæ Dei Genitricis,verbis illis comprehensam,*Ave gratiâ plena*, quæ ab Angelo ad eam facta est,quoniam est prima sapientiæ & salutaris doctrinæ in novo testamento,illa nobis salutatio à Patre luminum emissa est. Neque solùm docuit, sed etiam conservat scripturam, ita *Richard. à S. Laur. lib.* 12. *de laud. Virg.* Resina cedri quæ de intus erũpens exteriùs apparet in cortice,& significat munditiam virginitatis, libros conservat à vetustate & tineis, si indè perungantur, quia Sacram Scripturã conservat B. Virgo à tineis, id est hæreticis, & vetustate, quia gratiam largitur maximè diligentibus se, quâ Scriptura Sacra de die in diem melius intelligatur,ipsa enim relevat profunda de tenebris, & cùm sit Doctrix disciplinæ Dei, amicos Dei & Prophetas, id est Sapientes constituit,& ita non permittit veterascere Sacram Scripturam. Hinc *Cyrillus Alex. hom.* 6. *contra Nestor.* Salve inquit per nos Deipara, Sceptrum rectæ doctrinæ.

Hactenus ostendimus quòd S. Virgo fuerit Magistra Apostolorum &Evangelistarum,eos doctrinam Evangelij edocendo, jam incipiamus declarare quomodo exemplum prædicandi illis,gentesque ad fidem adducendi dederit. Atque in hanc rem facit locus Isaiæ 40. *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelisas Sion. Paulus Burgensis* legit. Tu quæ evangelisas, per hoc intelligendo Mariam, nam juxta *Richelium in* 1. *sent. dist.* 16. *q.* 2. Ipsa Divinissima Virgo non solùm habuit Sapientiam & Scientiam prout sunt dona gratiæ gratis datæ secundùm habitum, sed etiam secundùm actum earum; ipsaque docuit multas utriusque sexûs personas per verba & scripta, id est epistolas, sicut & S. Ignatium, imò & B. Lucam Evangelistam, de multis secretis & Incarnationis mysterijs,quæ ipse præ cæteris descripsit Evangelistis, creditur instruxisse. Quotidie quoq;, seu tempore opportuno edocuit felicissimum illud Collegium centum viginti Virginum, ejus obsequio atque regimini deputatum.

Hoc ipsum *B. Brigitta* Virgini attribuit *orat.* 1. In hoc mundo Filius tuus

multis annis te permanere permiſit,& tunc per tua prudentiſsima verba, geſtus honeſtiſsimos, & opera virtuoſa innumerabiles Judæos & Infideles Paganos, ad Catholicam fidem convertit. Unde à *S. Ignatio epiſt. ad Joannem* vocatur noſtræ Religionis Magiſtra. *A Ruperto lib. 1. in Cantic.* Magiſtra Magiſtrorum. *A S. Ephrem de laud. V.* Spes Apoſtolorum unica. *Andr. Cret. orat. 2. de Aſſumpt.* Summa Divinorum oraculorum Idea. *Orat. in ſalut. Ang.* Præconium verſiſsimum inæſtimabilium Dei oraculorum. Idem *orat. 2. de Aſſumpt.* Declaratio occultorum & profundorum Divinæ incomprehenſibilitatis. *Rupert. lib. 4. in Cantic.* Sacrarium Scripturarum Sanctarum. *Bonav. in laud. B. Virginis.* Verus Liber legis. *Gregorius.* Receptaculum ſupercæleſtis lætitiæ & myſteriorum omnium. Rurſus ab *Andr. Cret. orat. 2. de Aſſumpt.* Volumen novi teſtamenti à Deo ſcriptum. Ab *Auguſt. ſerm. 2. de tempore.* Magiſtra gentium. Iterum à *Ruperto lib. 1. in cantic.* Magiſtra Religionis ac fidei. *A Buteo: in hymno.* Os diſertiſsimum Apoſtolorum. Ab *Hugone de S. Victor. ſerm. 47.* Balſamum mundum univerſum opinionis optimæ redolentiâ inæſtimabiliter adimplens. Ab *Anſelm. alloq. cæl. 23.* Candelabrum in medio mundi. Et adhuc ab *Andr. Cret. orat. 2. de Aſſumpt.* Propugnaculum fidei Chriſtianorum. *A S. Germ. orat. de zona B. V.* Spiritus & Vita Chriſtianorum. *Ambros. de Inſtit. Virg. cap. 7.* Aula cæleſtium Sacramentorum. *S. Germ. orat. de Nativit. B. Virg.* Sigillum novi & veteris teſtamenti. *Ibidem.* Supplementum clariſsimum totius Prophetiæ.

Concludat *Bernardinus tom. 2. ſerm. de B. Virgine.* Ioannes in Apocalip. *De Throno* ait, ſcilicet de Maria *procedebant fulgura, & voces, & tonitrua*, quia Mater Filij Ieſu Chriſti; parabolas, ænigmata, legalia, mirifica geſta, dicta, opera, avidiùs ebibit, fideliùs credidit, ſinceriùs, luculentiùsque alijs edidit.

6. Beatam item dicunt Mariam Apoſtoli & Evangeliſtæ. Quia maximo poſt Deum cultu dignam cenſuerunt.

Quanto affectu in Sacram Virginem ferebantur Apoſtoli, cæteriquè Domini Diſcipuli verbis exprimere admodùm difficile eſt. Habebant enim hunc ſingularem erga S. Virginem affectûs ſtimulum Apoſtoli, quia ut docet *Ubertinus relatus à Cartagena lib. 4. de laud. Virg. art. 16.* Per tantæ Matris ſuſpiria & orationes (Spiritu S.) cælitùs afflari atque impleri meruerunt.

Clarius

Clariùs idipsum *Baptista Novatus de eminent. Deip. cap.* 19. *q.* 11. Quòd B. Virginis preces gratiam Apostolis obtinuerint, per quam ad dignè recipiendum Spiritum S. se disponerent, nemini dubium esse debet. Unde etiam teste *Idiota contempl. cap.* 5. In prædicatione Apostolorum in omnem terram exivit sonus SSmi Nominis Mariæ, & manifestum toti mundo factum est. Inde à *S. Ephrem serm. de laud. Virg.* vocatur Apostolorum Præconium. *A S. Bonav. super salve.* Jucundissima Apostolorum Laus. Hinc ut *Petrus Galesinius in suo Martyrolog.* Assumptionis celebritas ab Apostolis instituta putatur, ut facilè è latinis & græcis concionibus cognosci potest. Sabbatum etiam ab ijsdem honori Virgineo consecratum docet *Augustinus Wichmans cap.* 2.

Ab ijsdem recitatam Salutationem Angelicam in honorem Virginis B. *Alanus Rupensis Apolog. cap.* 15. *docet.* *S. Hieron. serm. de Assumpt.* Mariam omnes venerati sunt Apostoli, ejus dilectionis affectu famulati. Hinc eos *Richard. lib.* 10. *de laudib. Virg.* confert leunculis duodecim stantibus ante thronum Salomonis, & addit. Quòd in gradibus stabant, & scabellis, significat quòd licet essent sanctissimi, tamen non attingebant tantam sanctitatem. Assistebant verò ut Discipuli Magistræ. Sic enim *Ildefons: serm.* 5. *de Assumpt.* Ut ab ea discerent qualiter arcanum tanti Mysterij & ipsi crederent lucidiùs, & alijs enarrarent, & cùm oportunum fuerit, sine omni ambiguitate scriptis mundo relinquerent.

Amedæus Lausanensis hom. 7. *de laud. Virg.* Voluit enim Dominus IESUS, ut ipso ad Patrem revertente, Apostoli Materno solatio & eruditione fruerentur. Quia ut *S. Thomas de Villanova conc.* 3. *de Assumpt.* Mariæ propter singularem eruditionem Cælestis Magister ad Patrem undè venerat rediturus, scholam & cathedram suam reliquit, non quidem ut oves suas regeret, sicut Petrus, sed ut Discipulos suos cælesti sapientia quam ab initio didicerat, erudiret, quoniam & propter ingenij vivacitatem, & diuturnioris scholæ assiduitatem, cæteris omnibus Condiscipulis sapientior & doctior habebatur, quam quidem scholam duodecim annis, ut fertur rexit ac tenuit. Nam ut *in cantic. Rupertus.* Vox Virginis, vox Spiritus Sancti fuit, & ejus dona ex ore Virginis perveniebant. Exclamat hic *Idiota contempl. cap.* 3. O Beatissima Virgo Maria Doctrix fuisti Doctorum, & Magistra Apostolorum. Unde & *Beatus Lucas*, cui inter cæteros Evangelistas descriptio Dominicæ Incarnationis attribuitur, Evangelij seriem à te Virgine didicisse traditur.

Certè *Jacobus de Vitriaco* de S. Petro, ut ab eo incipiamus, hoc quod sequitur, narrat *hist. orient. cap.* 44. Anderadi quæ hodie Fortosa dicitur, Civitas, cùm Jerosolymâ transiret Antiochiam Phænicem circumiens S. Petrus, honori B. Virginis fundavit

Ecclesiam adhuc viventi, & in ea celebravit sacra mysteria, non solùm autem à Christianis, sed & à Saracenis in magna habetur reverentia. *Colvenerius in Calendario 1. Aug.* hæc habet: Romæ dedicatio primæ Ecclesiæ à Beato Petro constructæ, illa fuit in fonte olei trans tyberim in honorem B. Virginis. Idem S. Petrus Apostolus in Syria templum B. Virgini erexit, quod teste *Jacobo Vitriacensi* apud Spinellum *edit. Neapol. fol.* 400. non solùm à Christianis, sed etiam à Saracenis magna habetur in reverentia.

Jam à Petro ad dilectum ejus Coapostolum transeamus, scilicet Paulum, ita ille inter cætera in *Menæis* 15. *Aug. ex S. Sabba* Virgini morienti valedicit. Vale ô Genitrix vitæ, vale primaria prædicationis meæ materia, licet enim Christum in hac vita degentem non viderim, tamen tuus aspectus eum mihi repræsentabat. Hic Paulus eò usque apud Messanenses in Sicilia cultum Virginis S. provexit, ut adhuc ad viventem legationem splendidam instituerint. Uti fusè deducit P. *Inchopher*. Idem S. Paulus Corynthum profectus apud Aquilam Ponticum & Uxorem ejus Priscillam per sesquiannum hospes scripsit epistolas duas ad Thessalonicenses, in quarum altera commendavit illis traditiones Patrum servandas, inter quas teste *Baron. an. 53. num. 14.* fuerunt festa ab Apostolis in honorem B. Virginis instituta. De S. Barnaba ejus Socio narrat *Joan. Castellionus in antiq. Mediol.* Quòd cùm primo in agro Ticinensi constitisset templum Jovis, ibi expiaverit, & S. Virgini consecraverit, idemque ab eo factum postea Mediolani testantur ejus Ecclesiæ monumenta. S. Thomas Apostolus ut scribit *Barthol. Pisanus lib. 5. de laud. Virg. fructu 8.* in orientalem Indiam secum imaginem S. Virginis detulit, ut annunciato ijs populis vero Deo, Matrem etiam ejus indicaret. Et ut *Maravius in S. Thoma.* Ut faciliùs ad Christum populos duceret, creditur ejusdem Virginis templa apud Indos fundâsse, & quidem in templi fabrica, quod est Meliapore, & à *Cancellato* Anno Virg. 87. S. Thomæ adscribitur id miraculi accidisse.

Memorant Indorum historiæ *Austore Maffæo lib. 2.* Ingenti mole trabem in littus ejecerat mare, quæ neque vi hominum, neque Elephantum moveri poterat, nedum deduci ad eum locum, ad quem Princeps Indus destinaverat; suscipit negotium Divus Thomas trabis deducendæ, dum templo Virgineo cedat. Concessum est. Apostolus zonâ suâ alligatam traxit per milliaria decem & in loco templi Virginei collocavit erectam addito vaticinio, cùm eo mare pervenisse, venturos de novo, qui eos fidem docerent, quod demùm accidit, cum *S. Franc. Xaverius* fidem illic restaurâsset. Idem Apostolus cùm hastis, quibus occubuit configeretur, à Deipara inter manus exceptus, glorioſum reddidit Spiritum, id-

que

que in complexu crucis lapideæ, quam idem erexerat, & omnes ejus terminos fortè in honorem Virginis in lilia fecerat desinere, quæ sanguine ejusdem respersa. (*Ribad. in vita S. Thomæ.*) Quæ decimo quinto Calendas Decemb: quoties Evangelium legitur, sanguine illo guttatim perfunditur, festum eo tempore apud Hispanos est Expectationis Virginei partûs.

S. Jerosol. primus Episcopus Jacobus, Frater Dni, & Apostolus, ita Matrem Dei in sua lyturgia decantat. Commemoremus SSmam gloriosissimam, immaculatam, benedictam Dominam nostram Dei Matrem, & sempiterna Virginitate præditam Mariam. Et paulò post chorum Sacerdotum sic respondere docet. Dignum est ut te verè Beatam dicamus Deiparam, culpæ prorsus expertem, in quam reprehensio non cadit, Dei nostri Matrem honorabiliorem Cherubim, gloriosiorem Seraphim, quæ Deum Verbum incorrupta peperisti, te proinde verisimè collaudamus, & magnificis verbis extollimus, tibi ô plena gratia rerum universitas gratulatur, Angelorum cætus & hominum genus applaudit, Templum Sanctitatis, Paradisus mundissimæ voluptatis, quâ Spiritus ipse reficitur, & animus recreatur, Gloria Virginum, ex qua Deus corpus assumpsit, & puer factus est, qui ab omni æternitate suâ vi, & potestate cohærens, idem & semper est unus, tuum ille uterum thronum suum fecit, cælisque ipsis reddidit ampliorem. Tibi ô gratiâ plena, mundus acclamat gloria tibi.

A Jacobi prædicatione (ait *Dexter in Chronico ad annũ* 308. *adductus à Maravio in Apostolis fol.* 138.) Celebratur in Hispania festum Immaculatæ & Illibatæ Conceptionis Dei Genitricis Mariæ. Quod tamen de festo Incarnationis intelligi vult idem *Maravius*. Neq; hunc Sancti Apostoli erga Virginem affectum miraberis, si verba *S. Anselmi* de illa expenderis *lib.* 4. *de Virt. Virg. B. cap.* 3. Apostolorum Apostola Virgo dicitur, per quam principalis ipsis fidei Principibus illuxit doctrina, quam scilicet deinde prædicârunt, & per quam orbem illustrârunt.

Petrus Anton. Beuterus hæc habet in Chronicis Hispanicis *cap.* 23. In fluvij Iberis ripa prope Cæsarauguſtam Arragonum urbem B. V. apparuit S. Iacobo, qui eodem loco Angelico jussu sacellum exstruxit Virgini, quod contigit circa annum Tiberij Imperat. xx. Multi alij de hoc templo scribunt, nam & miraculis claret, appellatur à Columna. De Ioanne satis est dixisse, quod scripsit *S. Ildefonsus serm. 6. de Assumpt.* Quòd scilicet præ cæteris Mariam coleret, ac veneraretur eidemque commendatione magistri sui ad finem vitæ usque quasi Filius Matri assisteret. *S. Hieron. serm. de Assumpt.* Sanè B. Virginem etsi omnes venerarentur Discipuli, eique famulabantur affectu dilectionis, Ioannes tamen amplius ac specia-

ac specialiùs. Idem sensus est verborum S. *Ildefonsi serm. 6. de Assumpt.* Quia ac *Thomas de Villanova serm. de S. Joan. Evangelista.* Cùm Christus dixit in cruce: Ecce Filius tuus &c. impressit statim cordi Virgineo amorem quendam Maternum in Joannem, fortiorem & ardentiorem, quàm soleat natura matribus tribuere. Visceribus etiam Apostoli reverentiam filialem in Virginem inseruit, qualem nullus filius naturâ habet in matrem: Unde S. *Joannes* ipsemet in visione dixit S. *Mechtildi.* Ego ex verbis Matris Domini mei tantam consolationem habebam, quòd nunquam verbum ex illa audivi, quin speciale gaudium perciperem. Idem tamen (*ut est ibidem*) nunquam S. Virginis faciem aspexit, ob magnam reverentiam. Idem sæpe coram S. Virgine missam dixit, & communionem voluti proprius Parochus impertivit.

Maraccius in S. Joan. Certè S. Joannis & Pauli enituit erga Virginem veneratio, ad quam etiam cæteros ducebat. Colligi potest ex epistola *Dionysij Areop.* ad D. Paulum data; quam veram esse probat, & refert *Ferreolus in Maria Augusta lib. 5. cap. 6.* Titulus hic est. Servus, & novissimus vinctus Dionysius electissimo vasi cælico Paulo Præceptori, & Principi salutem. Ipsa epistola sic habet. Confiteor coram Deo, Princeps mi, ab hominibus non posse percipi, quàm ego oculis non tantùm mentis, sed corporis vidi, perspexi, atque proprijs oculis intuitus sum, Deiformem, atque supra omnes Cælicos Spiritûs Sanctissimam Matrem Christi Jesu Domini nostri, quam mihi benignitas Dei & clementia Salvatoris, & gloria majestatis Deiformis Virginis Matris ejus ostendere dignata est; quoniam cùm à Joanne vertice Evangelij, & Prophetarum qui corpore habitans in terra, quasi sol fulget in cælo, ductus fui ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis, tantus me immensus Divinus splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiavit interius: tanta enim in me omnium odoramentorum superabundavit flagrantia, ut nec corpus infelix, nec spiritus posset totius, ac tantæ felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit spiritus meus tantæ gloriæ majestate oppressus. Testor qui adorat in Virgine Deum, si tua doctrina non me docuisset, hanc verum Deum esse credidissem, quoniam nulla major gloria videri posset beatorum, quàm felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc verò felicissimus degustavi. Gratias ago summo, atque optimo Deo, Divinæque Virgini, atque eminentissimo Apostolo Ioanni, & tibi Ecclesiæ Vertici, ac Principi, qui triumphanti mihi talia clarissimè atque clementissimè præstitistis.

De

De S. Andrea in epistola Presbyterorum Achaiæ hoc habemus. Quòd eximius Virginis ejusdem inprimis conceptûs immaculati Assertor fuerit. Sic enim ibi docet. Sicut primus Adam formatus est ex terra antequam esset maledicta: ita secundus formatus est ex terra Virginis nunquam maledicta. S. *Matthæus in liturgia* quã Æthiopibus reliquit teste *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 60. sect. 1.* hæc scripsit. Lætare immaculata verè Regina, lætare Gloria nostrorum Parentum, quia peperisti nobis Emmanuelem. O verè Mediatrix ante Dominum nostrum Iesum Christum, te supplices exoramus, ut memor sis nostri, ora pro nobis ut deleantur iniquitates nostræ. Remunerata affectum Virgo, rem ex *Cancellato* accipiamus. Anno Virgin. 104. Mercator quidam surripuerat in Creta Insula Virginis S. imaginem, ac cum ea Romam pervenit, & templo imaginem alicui destinavit, sed ab uxore nè id faceret, detentus, ter per visum à S. Virgine prioris consilij admonitus neglexit, atque est ita mortuus. Præbet se Virgo S. filiolæ mortui quinquenni videndam, ac monet, ut imago sua in templum S. Matthiæ deferatur, quod & factum est.

Quòd Concilium Apostolorum constituit festum D. Virginis, & quidem sub titulo Immaculatæ Conceptionis, testatur *Julianus in Chronico num. 607.* Ita & *Oieda de Concept. fund. 1. cap. 2.* Ostendit quòd Conceptionem Divæ hujus prædicaverit S. *Andreas*, S. *Matthæus*, S. *Thomas*, S. *Matthias*, S. *Jacobus minor*. S. *Bartholomæum* pro Virginitate SSæ concionantem audiamus. Ita ille apud *Abdiam Babylonicum lib. 8.* Hæc Virgo cùm execraretur omnẽ virum, prima omnipotenti Deo vovit. Primam autem dixi, quia ex quo homo factus est ab initio sæculi, nulla hoc votum Deo obtulit. Hæc ergo inter fœminas prima constituit in corde suo, ut diceret: Domine offero tibi Virginitatem meam, cum hoc à nullo homine verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem videlicet invita constituisset, ut Virgo pro amore Dei specialiter permaneret. Et licet hic Scriptor ab aliquibus rejiciatur, admittitur tamen ab alijs pijs ac doctis Scriptoribus, ut deducit *Inchopher in epist. B. Virg. fol. 7.* Idem *Oieda* qui supra ostendit quòd ex Evangelistis *Marcus* & *S. Lucas* qui etiam tot imaginibus Virginis depictis suam erga illam devotionem testatam reliquit.

Eadem procul dubio fuit aliorum ejus Collegarum pietas, & quidem de *Joanne* ac *Matthæo* iam dictum est. De *Marco* aliquid attingamus. S. *Marcus Evangelista in sua lyturgia.* Imprimis SSæ nostræ Intemeratæ & Benedictæ Dnæ Dei Genitricis & semper Virginis Mariæ. Si tamen quis quærat cur tam modica de Virgine relicta sint in libris sacris? Respondet *B. Ludovicus Bertran: in serm. de B. Virgine.*

Immacul:

Immacul. Concept. verbis S. Ambrosij. Solùm dicere quod Maria Mater Dei est, supra totum est, quod sub Deo dici potest. Et addit *B. Ludovicus.* Nam universa encomium, laus, & applausus, quæ de Maria prædicari possent, in unico Matris Dei elogio, ac prærogativa clauduntur, seu quod perinde est, in eo quòd nos eam dicamus fuisse Dei Genitricem, sicut illa verba Evangelij testantur: De qua natus est Iesus. Sed in particulari ad devotionem Apostolicam erga B. Virginem descendamus. *B. Alanus de Rupe in Apol. cap.* 10. scribit revelatum fuisse à B. Virgine cuidam Personæ, quòd Apostoli utebantur hac oratione. *Ave Maria* etiam B. Virgine vivente. *Et paulò post.* Quòd D. Iesus frequentissimè in mundo hoc eam orabat, non necessitate, sed exemplaritate, & signanter ad Mariam Divinalem, prout est in Divina intelligentia. Et certè *S. Jacobus in lyturgia.* Ave Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quia Salvatorem peperisti animarum nostrarum. *Syri, qui uti Discipuli Apostolorum fuerunt, ita lyturgiam probabilissimè ab Apostolis acceperunt, in qua hæc habent:* Pax tibi Maria, gratiâ plena, Dominus noster tecum, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus qui est in utero tuo Iesus Christus. Sancta Maria Mater Dei dulcissima, ora pro nobis peccatoribus amen. Affectus hic Apostolicus erga Virginem mansit in Discipulis, & certè Romæ adhuc illis tempestuosissimis temporibus cùm persecutio Tyrannorum Romæ desæviebat Mariano nomini quadraginta fuisse templa erecta testatur *Andreas Fulvius.* In Æthiopia à Francisco Alvarez, qui hæc literis mandavit, quemque *Thomas Boius lib. 9. de signis Ecclesiæ cap. 9.* vocat Scriptorem integerrimæ fidei, visum est templum à Candace Æthyopum Regina in Auxumo magnificentissimè constructum, Deiparæ consecratum, & miraculis olim nobilitatum, & tametsi omnes Æthyopum Reginæ teste *Strabone* Candaces nominarentur, asserunt tamen Æthyopes eam quæ templum istud posuit, illam fuisse cujus Eunuchus baptismo lustratus à Philippo Diacono *act. 8.* Ita *Spinellus in edit Neapolit: anni* 1613. *pag.* 400.

Hic jam aliquot Apostolorum Discipulos adnumeremus. *S. Hierotheus* S. Dionys. Areopagitæ Magister, ut idem de illo *lib. de div. nom. cap.* 3. hymnos in laudem S. Virginis composuit. *S. Ignatius M.* ut *Socrat. hist. lib. 6. cap.* 8. hymnos omnes ac cantum, tum specialiter de B. Virg. in Ecclesiam induxit. *S. Romulus Fesulas* à S. Petro missus Episcopus D. Virginis imaginem, Apostolorum donum templo extructo honoravit, quæ quòd eò loci prima fuisset, dicta S. Mariæ Primeranæ. *Ugellus in Italia sacra tom.* 3. *S. Trophimus* in Gallias missus postquàm Arelathe in palatio locum divino cultui obtinuisset, Sacellum Virgini S. erexit. *Martyrol. Gall.* 29. *Dec.* S. *Paulinus* è Divi Petri disciplina Lucæ in Etruria accepit Episcopatum, & statim Divæ templum erexit. *Franciotus in ejus vita.*

Aliqua

Aliqua horum similia adducimus, ubi ope Virginis gentes ad fidem conversas demonstramus. Studium in reliquis Apostolorum Discipulis par erga Virginem credere licet, quoniam suorum Magistrorum spiritum referebant.

7. Beatam dicunt Martyres, quia & ipsa est plùs quàm Martyr, & Martyrum Corona.

Teste enim *Damasc. lib. 4. de fide cap.* 1. Quos in partu dolores effugerat, passionis tempore sustinuit, utque pro Materno suo affectu viscera sibi lacerari senserit. Undè *Daniel Mallonius ex S. Germano lib. de Christi stigm. cap. 5. num. 16.* docet: quod sanguineas Virgo fuderit lachrymas. Causa videtur dari apud *S. Hieron. serm. de Assumpt.* Quia spiritualiter, & atrociùs passa est gladio passionis Christi, ideo plùs quàm Martyr fuit. Et *B. Ildef. serm. 2. de Assumpt.* Quod si *gladius* alludit ad *Luc. 2.*) usque ad *animam* pervenit, quando ad crucem stetit fugientibus Apostolis, cùm videret Dominum pendentem, etiam plùs quàm Martyr fuit, quia in animo, non minùs amoris, quàm mœroris, & intus gladio vulnerata.

Hinc S. *Bernardus in verba signum magnum ex 2. Apocal.* Verè tuam ô B. Mater animam gladius pertransivit, quando crudelis lancea Filio jam mortuo latus aperuit, ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua planè avelli nequibat, ut plusquam Martyrem te meritò prædicemus, in qua sensum corporeæ passionis excesit affectus compassionis. Sicut igitur dies illi quibus S. Martyres mortem pro Christo oppetiêrunt, (sunt *in* veneratione;) sic quia B. Virgo die sabbati, quo mortuum corpus in sepulchro jacuit, & ipsa continuato dolore procedentis diei, in magna animi afflictione perseveravit, rectè in ejus honorem sabbatum scilicet universalis Ecclesia consecravit. *S. Anselm. lib. de Excellentia Virg. cap. 5.* Verè pertransivit animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus rei cujusvis corporeæ. Quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil comparatione tuæ passionis, quæ nimirum suâ immensitate transfixit cuncta penetralia, tuique benignissimi cordis intima. *Sophron. serm. de Assumpt. B. Virg.* Virgo Dei Genitrix, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur, ideò (ut ita fatear) quia spiritualiter, & atrociùs passa est gladio passionis Christi, plùs quàm Martyr fuit. Undè constat, quia plus omnibus dilexit, propterea & plùs doluit, in tantum, ut animam ejus totam pertransiret & possideret vis doloris, ad testimonium eximiæ dilectionis, quæ quia mente passa est, plùs quàm Martyr fuit, nimirum & ejus dilectio ampliùs fortis, quàm mors fuit, quia mortem Christi suam fecit.

Inter hæc tamen ut *Idem in dialogo de passione.* Stabat juxta crucem inter tot pressuras Filij sui, constanter ipsa sola stabat in fide Jesu firma, & pulchrè stabat ut decet pudicitiam Virginalem. Non se laniabat in tanta amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, non vindictam hostium à Deo petebat, sed stabat disciplinata, verecunda, Virgo patientissima, lachrymis plena, doloribus immersa. Et *Guiardus Cameracen. Episcopus serm. 2. de passione Dni.* Has mæroris angustias mæsta quidem, sed salva sui honestate sustinet, nec crines dilanians, nec lachrymis ora deformans, illæsam in omnibus patientiam conservavit.

In Breviario Annunciatarum Antiph. ad laudes de doloribus Virg. Gladius doloris, & lancea amoris pertransiêrunt animam Virginis, ut plùs quàm Martyri in cælo aureolâ excellentissimâ decorata sit. *S. Paulinus epist. ad S. Augustinum.* Is idem dolor qui Christi corpus in cruce transfodit, cor adstantis Virginis animumque transfixit. Fuit autem tantus ut teste *Damasc. lib. 4. de fide cap.* 15 Cor, viscera, lacerari sibi senserit, intimeque discerpi: Ut teste *Bernardo de laudes Virg.* Quem olim pariendo non habuit, geminatum Filio moriente sustinuit. Tantus ut teste *Alb. M. super missus.* Vitam ei ademisset, nisi fuisset corroborata Divinitùs. Inde juxta *Ildef. serm. 2. de Assumpt.* Plùs quàm Martyr effecta est. Tantus fuit dolor Virginis juxta *Bernardinum tom. 1. serm. 61.* artic. 3. cap. 2. ut si in omnes creaturas quæ pati possunt divideretur, subitò interirent. Procedebat hic dolor ut docet *Antonin. p. 4. tit. 15. cap. 21.* ex amore naturali erga Filium, ex amicitia acquisita cum Filio, ex amore supernaturali in Filium, ex magnitudine acerbitatum Filij.

Hinc *Theophilus Historicus* ait. Planxerat tantùm Maria Virgo afflictans se, ut oculi ejus ruberent sanguine, palpebræ tumerent; jam corrosæ erant genæ illius roseæ, etiam lachrymæ sanguineæ de ejus oculis emanârunt propter fletum tam amarum. Et quia juxta *August. lib. 21. de Civit. cap. 26.* Tantùm necesse est, ut urat dolor, quantùm hæserat amor. Hinc apud S. *Amedæum hom. 5. de Virg.* Vicit omnem sexum, vicit hominem, & passa est ultra humanitatem, torquebatur enim magis, quàm si torqueretur in se, quia supra se incomparabiliter diligebat id, unde dolebat.

Hinc *Bonav. serm. 1. infra Epiphan.* Attendamus Mariæ vehementem dolorem, & videbimus quòd non est dolor, sicut dolor suus, excepto dolore Filij, ad cujus exemplar dolor suus assimilabatur, mirâ enim & incredibili compassione tenebatur, atque inexplicabili sermone; dolores namque & opprobria Filij in se retorquens, in suam propriam personam recipiebat, sentiens hoc quod & in Christo Jesu, in animo enim illi Martyri Commartyr adstabat, vulnerato con-

vulnerata,

vulnerata, Crucifixo concrucifixa, gladiato congladiata: pallebat decor munditiæ, & ipsa tabescebat, quia talis in ipsa relucebat effigies, qualis ab objecto corpore scilicet Filij resultabat, sordebat sputis facies glorioſa, sordebat & ipsa luctu mæstitiæ, non enim alium habitum prætendebat amans, nisi qualem virtus amoris expresserat ab amato. Quia ut addit *Laur. Justinianus lib. de Christi agone.* Cor Virginis clarissimum fuit speculum passionis Christi, & perfecta ejus mortis imago. *Bonav.* rursus *in Stim. Div. Amor.* Mater & fons dolorum, Mater dolentium, Virgo vulnerata incomparabilis amoris vulneribus.

Ex hoc *Epiphanius orat. de laud. Deip.* vocat. Thronum cruciformem. *Basilius Seleucus orat. de Annunc.* Universos Martyres suo splendore tantùm excedentem, quantùm sol astra. *S. Ambros.* affectum patiendi attingit *de instit. Virg. cap.7.* Stabat ante crucem Mater, & se persequentibus offerebat. *S. Paulin. Epist. ad S. August.* 58. Nunquid Simeonem de passione Mariæ, quæ nunquam scripta est hæc prophetâsse credendum Luc. 2. Et tuam &c. An verò de Materno ejus affectu, quo postea in tempore passionis assistens cruci, quia hoc erat fixum, quod ipsa pepererat, Maternorum viscerum dolore confixa est, & animam illius, illa quæ ejus secundùm carnem Filium, ipsa spectante confoderat, crucis romphæa penetrabat, video enim in psalmis ita de Iosepho dictum esse psalmo 104. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransijt animam ejus.* Sicut in Evangelio dicit Simeon: *Et tuam ipsius pertransibit animam gladius.* Non ait carnem, sed animam; in qua pietatis affectio continetur, & doloris aculeus quasi gladius operatur, cùm aut aliquâ carnis suæ injuriâ afficitur, ut Ioseph qui non mortis, sed injuriarum pertulit passiones, in servum venditus, & in reum vinculatus, aut cùm affectionis internæ tristitiâ, vel dolore cruciatur, ut in Maria.

Apud *Bernardum in lament. Virginis.* Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia Mariæ viscera. Nunc solvis Virgo cum usura, quod in partu non habuisti à natura, dolorem Filium pariendo non sensisti quem mulieres, replicatum Filio moriente passa fuisti. *Rupertus in cantic. cap.2.* Maria fuit Lilium inter spinas, quia quæcunque spinæ Filium, eædem Matrem confixerunt, & lacerârunt vulneribus condolentiæ & passionis, & sicut Filius spinas pertulit, & confregit: sic de Matre veraciter semper prædicabitur: Cunctas hæreses interemisti. Ex quo sequitur, quòd infert *S. Anton. 4. pag. tit. 15. cap. 24. parag. 1.* Quando quis dat animam suam dationi animæ debetur aureola Martyrij, ergo dationi pretiosissimæ animæ debetur pretiosissima aureola Martyrij; sed Bma Virgo dedit pretiosissimam, & dilectissimam animam, id est vitam Filij, & pretiosiorem quàm B. Petrus animam, id est vitam sui ipsius:

fuit enim pretiosissima vita Filij, cùm pretium fuerit totius mundi, ergo & habet pretiosissimam aureolam Martyrij.

Alia ratio. Dolor causatur ex amore, ut quantò quis plùs amat, tantò plùs doleat de amissione ejus; dolor autem Sanctorum in martyrijs eorum causabatur à natura, propter separationem animæ à corpore: dolor autem B. Mariæ à natura ex gratia, sed major etiam à gratia, imò fortior & perfectior est causatus à gratia, quam à natura: ergo improportionabiliter fuit major dolor ejus in passione Filij, quàm Martyris cujusquam in sua passione. *Bernardin. tom. 3. serm. 2. art. 2. cap. 4.* Iste ex *August: 4. confessionum*, modus est amantium velle pro invicem mori, nec dubium hoc erat amoris in Virgine Benedicta, ut infinities si potuisset, se morti pro Filio tradidisset, sic enim David voluit mori pro filio suo 2. *Reg.* 18. Fuit itaque etiam in Filio Martyr, & plùs quàm Martyr, sed etiam Corona Martyrum. *S. Joseph Confess. in Menæis 6. Martij.* Divini Martyres cùm te esse Virginem Matrem pernovissent, tuæ gloriæ magnitudinem celebrantes, immortalium in altissimis præmiorum hæreditatem adiêrunt. En Reginam Martyrum, quâ jure canat *Ecclesia Romana*, & quàm consonat *Græcæ*! Undè ex *S. Joseph Conf.* seu magis *totius Ecclesiæ Orientalis mente 23. Martij* canitur. Absque ullo Virginitatis tuæ dispendio, Verbum in te Patris habitavit, atque huc tanquam ad domum suam attraxit illum præcellentẽ Martyrum chorum, qui te ceu Virgineam Numinis Matrem clara voce prædicaret. *Idem ibid. 9. April.* Athletarum seu Martyrum chorus concinit tibi, animi quàm gratissimi hymnum, velut auspicijs tuis & ductu ô Virgo veneranda ad victoriam ex tyrannis reportandam adjutus. *Ibid. 28. April. Græci canunt.* Uterus tuus sicut acervus frumenti exsplenduit, qui alimento immortalitatis, cunctorum fidelium animas nutrit, ac præcipuè Martyres lætitiâ singulari confirmat. *Philippus Abbas Bonæspei lib: 3. in Cant. cap. 7.* Quisquis amans Christum, passioni, & Martyrio se addicit, ipsa illi auxilium, & curam impendere gratulatur, & quidquid ille proficit totum proprium arbitratur. Scribit *Cornelius à Lapide in act. 7.*

Ut à testimonijs ad exempla res deducatur, & in primo Martyre Christiano, instar omnium quomodo Virgo Corona sit Martyrum explicetur, mihi Romæ affeveravit R. P. *Melchior ab Helmont Antverpiensis Franciscanus*, qui quater Jerosolymam est peregrinatus, ibique diu habitavit, ibidem lapidem ostendi, in quo B. Virgo cum S. Joanne pro Stephano toto lapidationis tempore preces fuderit. Ergo S. Stephanus suam Martyrij coronam (*idem ait*) debet B. Virgini. Ecce undè primus Martyr accepit coronam.

8. Doctores

8. Doctores Beatam dicunt.
Quia est Liber sapientiæ.

Virgini ita canit *Orientalis Ecclesia, desumpto à S. Joseph. Confess. cant. Men. 6. Martij.* Tibi intaminato recentissimi nitoris Volumini Sapientia Divina inscripta est. *S. Sabbas Men: 23. Aprilis.* Tu ô Genitrix Dei, Sapientiam cælestē in utero tuo comprehendens planè sapiens quoddam cœlum effecta es, per quam cœli sapientiam; facta sunt cœlum, & terra, ac denique omnia, quæ continentur in illis. *Et ibid. Græca Ecclesia 2. Julij.* Tu Fons existis sapientiæ, undè Divina sapientia omnibus tui cultoribus perfruenda procedit.

Benè *Bernard. serm. Signum Magnum.* Maria jure sole perhibetur amicta, quæ profundissimā Divinæ Sapientiæ ultrà quàm credi potest penetravit abyssū, ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Undè illam sapientiam *Moyses* nactus, quâ *Pharaonem* confutavit? populum rexit? nonnè Doctor ad *Rubum ardentem* inauguratus? qui erat Virginis symbolum. Ubi *Salomon* in Regem constitutus, nisi ad *Arcam?* quæ Virginem designabat. *Georgius Metropol. 24. Martij ode 5. in Men.* Esto paratus ô Divinæ munditiæ Liber! quippe tibi Spiritus S. digito inscribetur, Sapientia Divina, sed incarnata, quæ insipientiæ meæ prævaricationem tollat è medio! ô aureum item Candelabrum ignem recipe Divinitatis, ut per te illuceat in mundo, unáque iniquitatum nostrarum tenebras dissipet.

De Scoto illo Principe Theologorum Doctore Subtili *Hugo Cavellus* in vita ejus, quam præfixit ejus quæstionibus in libro sententiarū editis Antverpiæ apud Joannem Keerbergium anno 1620. sic loquitur *cap. 1.* Noster D. Subtilis cognominatus Scotus, dum humanioribus studet literis stupidum se, & planè hebetem (sicut revera fuit) animadvertens, quodam die sub arbore solitaria, Deimisericordiam pro hebetudine expellenda, & intellectu illustrando lachrymis & singultibus implorat, cui somno jam correpto, Regina cœli Mater Dei & hominis, Maria, præsciens juvenem futurum sui honoris, & immunitatis ab omni peccato actûs, & originis, propugnatorem acerrimum; apparet, animos addit, pergere in studijs suadet, se ei scientiam ab infinita quam genuit Sapientia impetraturam pollicetur, modò sibi vicissim fideliter inservire promittat. Gratias ille gaudens agit, obsequium vovet. Expergefactus Virginea apparitione, totus lætabundus sua studia prosequitur, Dei Matris beneficio sibi illustratum experitur intellectum, promissi memor, suum semper B. Virgini vovet obsequium, crescentibus in eo ad mensuram doctrinæ Sanctissimæ Doctricis devotione & cultu.

De *Ruperto Abbate Tuitien:* simile narrat *Trithemius lib. de Monasterio Hirsaugiensi.* Adeò ille fuit tardi ingenij, ut nullo labore aptum ad studia se red-

dere posset. Cùm ecce mærenti noctu se Virgo ostendit, & quæ erant à Rupert postulata dedit. Undè statim factus Princeps Theologorum Germaniæ. De *Hermanno Contracto* haud dispar narratur. Hic de Comitum sanguine in Suevia oriundus, sed omnibus captus membris, factus monachus orabat, ut eo morbo liberaretur. Comparuit illi B. Virgo, deditque optionem, mallétne sanus fieri, & rudis ut erat permanere, an morbidus omnibus scientijs insigniri? elegit hoc, & statim linguas, Græcam, Latinam, Hebræam ita percepit, ut si natus in ijs esset. Hic composuit illud Salve Regina. Huic non absimile de altero *Hermanno* Ordinis Prædicatorum Religioso, narrat *Ferdinandus à Castello lib. 2. cap. 22.* de rebus S. Dominici.

Notissima est de *Alberto Magno* historia, quem inhabilitas ad studia usque ad deserendum monasterium sollicitabat, quomodo in visu obtulit illi Virgo Philosophiam, & Theologiam, quarum priorem prælegit. *Illius tantùm orationem quam studiis solitus præmittere juvat apponere.* S. Maria secundum nomen tuum Illuminatrix cæli, & terræ, quæ in multis de secretis Filij tui & verbis Dei Patris à sæculis in Deo absconditis, etiam Angelica lumina illuminâsti, da mihi intellectum luminosum, conceptum stabilem, mentem tenacem, scientiam certam, fidem firmam, sermonem convenientem, qui me audientibus det gratiam, sermonem scilicet, qui sit ad fidei confirmationem, ad Ecclesiæ ædificationem, & ad gloriam nominis tui Filij Domini nostri Iesu Christi, ad perpetuam laudem & prædicationem tuæ misericordiæ, quæ in tam indignum peccatorem misericordiæ tuæ dona conferre non cessas, & proferendo per linguam potentiæ tuæ non cessas miracula operari. S. *Thomas Doctor Angelicus* quantùm dicatus Virgini fuerit testimonio esse potest, quòd infans Salutationem Angelicam chartulæ inscriptam, è terra sublatam avidissimè deglutiverit.

Quid *Udonem* è stupido trunco ingeniosum dono Virginis, sed ingratitudine sua infelicem memorem? Quàm meritò itaque *Guerricus Abbas serm. 1. de Annunc.* In ipsa Virgine, & ex ipsa Sapientia ædificavit sibi domum, in ipsa & ex ipsa paravit sibi thronum, cùm in ea, & ex ea corpus aptavit sibi, ita ad omnia perfectum & congruum, ut & domus sit ei ad quiescendum, & thronus ad iudicandum, quòd primò tabernaculum ei fuit ad pugnandum, & cathedra ad docendum. Et *S. Anselm. hom. supra illud.* Intravit Iesus in quoddam castellum, *sic adnotat.* Christus teste Apostolo, Dei Virtus, & Sapientia est, in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Christus autem in Maria; ergo Dei Virtus & Sapientia, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in Maria. Cantic. 4. Ubi legit vulgata. *Sicut Turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propug-*

nacu-

mis. Pagninus vertit. Quæ ædificata est ad docendum. *Author sermonis primi super Salve Regina, apud S. Bernard.* Origo fontium & fluminum mare, virtutū Auctrix, & scientiarum Scientia Sanctorum Maria, quam & olim superstes communicavit sine invidia, & postea varijs occasionibus, ut Divinitùs communicaretur exoravit: ita ut quemadmodum in plerisque virtutum Auctrix, & in alijs Scientia scientiarum sanctarum methonimicè, atque efficienter sit deprehensa. Quod paucis comprehendit *Andreas Cret. in Salut. Angel.* Speculum intellectuale contemplativæ agnitionis, Virginem appellando.

Scribit quod sequitur *Stanislaus Lubienius Episcopus* in serie Episc. Plocensiū, inter quos ille unus fuit, de *Jacobo* primo hujus nominis in ea Cathedra Episcopo. Hic dum adhuc Parochus esset Albæ Ecclesiæ prope Cracoviam, videretque se valde idiotam, nec curæ animarum sufficere, & ad literas quidem prosequendas deesse omninò impensas, S. Virgini rem seriò commendat, & dum pro more circa meridiem causâ orationis templum proprium, quod erat clausum ingreditur, in majori altari saccum pecuniæ invenit, quo adjutus, studia cæpit prosequi, & in doctissimum virum evasit: pro beneficio deindè Plocensi Ecclesiæ statuas justæ magnitudinis Salvatoris ac duodecim Apostolorum ex auro intulit. Obdormivit in Domino Anno 1423. Maij 27. Ita Mater S. non solùm scientias, sed & scientiarum adjumenta confert.

Sed undè putamus maximo illi Oratori, *Joanni* inquam *Aureoris*, illam eloquentiam affluxisse? Hic ab infantia S. Virgini impensè devotus. Virgo ipsa apud *Henricum Susonem vitæ cap.* 20. Cùm puer scholasticus esset, & ante aram se demitteret in genua, ibi ego ipsa in lignea imagine Filium suum in sinu meo lactavi, per eandem imaginem dixi Filio, ut paulisper cessaret, sineretque puerum antè dictum mea ubera sugere. Amat sapientiam sapientiæ, eamque fovet.

Audiamus quid scribat in ejus vita *Lucas Vadingus de S. Petro Thoma Patriarcha Constantinopolitano Ord. B. Mariæ de Monte Carmelo.* Hic dum Theologiæ studeret, in ea fuit egestate, ut nec vestitum, nec alia corpori necessaria undè comparare et haberet; cùm semel suas angustias S. Virgini proponit, & orat nè ob egestatem cogeretur studia abrumpere, Virgo Sancta se dat ejus conspectui, ac dicit: Fili mi nè te solicitum paupertatis cura detineat, aut mæstum, quoniam te nunquam deseram, studeas alacriter, Filioque meo debitè semper inservias, ac mihi, his dictis disparuit. Postera die missam de S. Virgine dicit Petrus, ac ubi finivit, accessit ad eum vir quidam nobilis, apud eum peccata per confessionem depositurus, & facta confessione, sex Regia auri numismata impertitus est, & ab eo tempore Petrus nunquam sensit penuriam.

Sed

Sed & ipsa Virgo S. aliquando egit Magistram. Certè de S. *Catharina Senensi* in ejus vita scribitur. Quòd cùm rudis omnia legendi prima elementa literarum magno conatu ediscceret, nec multùm proficeret, invocatâ SS. Virgine, subitò non tantùm legendi peritiam accepit, sed etiam ad arduas difficilesq; Theologiæ quæstiones, quas ei interdum objecerunt eruditissimi, promptissimè respondebat, & difficillima S. Scripturæ loca interpretabatur. Eadem Dei Mater *S. Orig. gam. Ord. Erem. S. Augustini, & Socias illius* edocuit legere. *Poll. in Jan.* Eadem sine dubio mellifluum os Bernardi effecit, cùm ei tres guttas lactis instillavit; quo susceptо laudes quàm plurimas cælorum Reginæ composuit. Ita *Chrysost. Henriquez in suo Menologio die 13. Maij.*

9. Virgines Beatam dicunt, quia est Thesaurus Castitatis.

Chrysost. apud Metaphr. Quæcunque estis Virgines ad Matrem Domini confugite, illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem professionem patrocinio suo vobis conservabit. Venite etiam non Virgines, & et hoc Thesauro accipite castitatem. Ut *Richard. lib. 1. ejus vitæ.* Ex hoc & ali Nam ut *Concilio Ephes. cap. 7.* Maria impollutus, & purus impollutæ Virginitatis Thesaurus, Decusque & Ornamentum. Ipsa enim ut ait *S. Joseph Confessor Men. 4 Jan. ode 3.* Cùm ante partum, tùm in partu semper illæsâ Virginitate fulsit Mater, & Virgo. Ipsa ut *S. Theophil. Men. 7. Jan. ode 1.* Virginitatis sacratissimum Templum. Ut S. *Damasc. 27. Jan. ode 5.* Super omnem castitatis perfectionem evecta, rubicunda & cocco tincta Virginitatis Rosa. Quia ut *idem ibidem ode 7.* Est Fons integritatis, munditiarum omnium Promptuarium. Ipsa teste Sponso Cantic. 2. *Lilium inter spinas.* Hoc est ut interpretatur ibi *Dionys. Carthus.* Illius respectu reliquorum Virginitas quasi spinæ videntur. Adeò ut *S. Sabbas 30. Jan.* dicat. Equidem tibi fulgens Angelus adstitit, sed Virginitatis tuæ fulgoribus adeò repercussus, ut tui splendoris admiratione, gloriosæ lucis suæ obliviscerentur, undè cum tremore salutationem peregit. Itaque docet *S. Romanus Diacon. in Men. 10. Febr.* Quòd Angelorum puritatem transcendat. Quidni & nobis eam impertiatur. *S. Ambrosius* siquidem docet *lib. de instit. Virg. cap. 7.* Quòd viventis tanta erat ejus gratia, ut non solùm in se Virginitatis gratiam servaret, sed etiam his quos viseret integritatis insigne conferret.

Quod undè processerit, & quomodò factum facilè intelliget, qui attendit quid dicat *Novarinus lib. 4. elect. num. 419.* Impura ipsa Angelorum puritas eth Virginea

puritati comparata. *Stellæ non sunt mundæ in ejus conspectu.* Job 25. Angeli enim qui stellarum nomine significantur Virgineæ puritati comparati, immundi quodammodò apparent.

Undè cum *Eccles. Græca in Men. 4. Martij* oremus. Tu ô Virgo tanquam firmamentum fidelibus datum à Christo, qui ad tantam te gloriam evexit, continentiæ nos robore maturè accinge. Accinxit illum Fratrem Regis Hungariæ, de quo *S. Anselm. epist. ad Coepisc. Angliæ.* Qui dum graviter infirmus D. Virgini pro vita vovit castitatem, statim luce cubiculum refulsit, & lucem secuta sanitas. Sed & quod evenit multis eidem accidit, hic electus in Regem, cum sponsa deducitur ad templum, habebat autem constantissimum usum, quotidiè ante cibum horas (ut vocant) Virginis orare, commemorat nondum se fecisse satis, incipit, & ad verba devenit. Quàm pulchra est, & quàm decora. Clarissima Virgo ante altare comparet Angelis adstantibus, & ait Juveni: Si pulchra sum, & decora, ut dicis, cur me dimittens aliam sponsam elegisti? Juvenis subjecit. O Domina quid me jubes facere? at illa, si sponsam carnalem amore meo dimittis, me in Sponsam cælesti in regno habebis. His auditis juvenis clam regnum deseruit, Aquilejam venit, super rupem vitam eremiticam duxit, ac demùm sanctitate suâ proditus, in Patriarcham loci electus, gratitudinis ergo & obedientiæ (nam hoc Virgo imperaverat) festum Conceptionis devotè obeundum constituit.

Quàm meritò *Ephrem orat. de Deip.* appellat. Coronam Virginum. *Cyrillus Alex. hom. 6. contra Nestorium.* Virginitatis Coronâ. *Ildefons. serm. 1. de Assumpt.* Fastigium omnium Virg. Et *serm. 3.* Exemplũ perfectæ Virginitatis. Et *sermone 4.* Caput Virginum. *Damasc. orat. 1. de Nativ. B. M. V.* Thesaurum Virginitatis. *Chrysolog. serm. 23.* Reginam totius castitatis. *Anselm. de excell. Virg. cap. ult.* Matrem Virginitatis. *Gerson serm. de Concept. Virg.* Dico quod Physiognomia Virginis movebat aspicientes ad omnem castitatem, & luxuriosas extinguebat, mortificabatque cogitationes, hac donante Justina vicit dæmonem à Cypriano immissum, vicit, & Cyprianum ad castitatem reduxit, & lucrata est socium martyrij. Ut *Daurolt. cap. 2. exempl. tit. 39. Ugo Carensis in cap. 8. cant.* B. Virgo Murus est stabilis & firmus, nobis ad defensionem & munitionem datus, in cujus persona subditur. *Ego Murus.* Cantic. 8. Per exemplum scilicet pudicitiæ habet etiam pudicitiæ curam, cujus ipsa prima Deo votum fecit. Benè *S. Cyrill. hom. 6. contra Nestorium* vocat illam Lampadem inextinguibilem, illam nimirũ, cum qua Gedeon hostes vicit. *Ambros. de Instit. Virg. cap. 5.* Egregia Maria, quæ signum sanctæ Virginitatis extulit, &

intemeratæ Virginitatis pium Christo vexillum levavit. Nimirum & pugna, & castra debent esse, ubi Virginitas. Cantic. 6. Quæ est ita *terribilis, ut castrorum acies ordinata. S. Paschas. in Psalmo* 44. Ut sciatis Virginitatem semper debere esse armatam, acsi in acie. *S. Thomas de Villanova concione. 2. de Annunc.* Sacra, pura, & immaculata Virgo, cui etiã præ alijs hoc erat Virginitatis nsigne, ut in spectores suos, ut ita dixerim Virgines faceret, erat enim in ea, ut Prophetæ utar eloquio, Virgines germinans Virginitas. Consonat *Alexander Alensis* 3. *p. q. 9. n. 2. a. 5.* Tanta fuit in Virgine sanctificatio, ut etiam extenderetur ad alios, undè etiam dicunt infideles, cùm Maria pulcherrima fuerit, à nullo tamen unquam potuit concupisci, & hoc erat, quia virtus suæ castitatis & sanctitatis extinguebat omnem motum carnalem in alijs aspicientibus ipsam. Undè meritò Joseph eundo in Ægyptum cum illa, non timuit sibi ut quondam Abraham propter Saram.

Idem *Gerson serm. de Nativit. Virg. consid.* 3. Nullus aspectu Virginis quamvis esset pulcherrima nimis, urebatur, aut inflammabatur ad carnis fædam concupiscentiam, sed eam potiùs extinguebat Divinus ille aspectus quasi frigidus quidam ros per oculos Virgineos exspiraret, vel effluere à mente sua castissima. *Damasc. in Men. 27. Jan. strophâ* 4. sic Virginem salutat. Salve munditiarum omnium Promptuarium. *Albert. M. super Missus cap.* 82. B. Virgo est Mater omnium in Virginitate, quæ prima sine præcepto, consilio, vel exemplo Virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes Virgines per imitationem Virginitatis genuit.

Hinc credo dicitur ab *Epiphan. hæres.* 78. Princeps Virginitatis. Ab *Ambros: de instit: Virg: cap: 6.* Magistra Virginitatis. A *Chrysol. serm.* 143. Virginitatis Decus, integritatis Corona, Decus totius castitatis. A *Leandro Hispalensi in instit: Virg:* Mater & Dux Virginum. A *Damasceno orat. de Nativ. ejusdē.* Virginitatis Thesaurus. Ab *Idiota in contemp. de B. Virgine cap. 6.* Virginitatis Primipila. Ab *Ansel. lib. de excell. Virg. capite ultimo.* Mater Virginitatis. A *Bernardo serm. super Missus.* Regina Virginum. Et *serm. super Signum Magnum.* Virginitatis Primiceria. A *Richardo, à S. Laur. de laud. Virg. lib.* 3. & *Alex. Alens. in Psal.* 18. Signifera & Exemplar Virginitatis. Ab *Alano Insulensi in cap. 1. cantic.* Sigillum Virginitatis. Ab *Alberto Magno in Mariali cap:* 182. Mater Virginum, A *Bonavent. in Litan. B.V.* Virginum Signifera, Flos Virginitatis, & Decus, nova Virginum Exultatio. *In speculo verò lect.* 2. Primitiva Virginum.

Hic jam exclamemus cum *Cyrillo Alexandr. hom. 6. contra Nestor.* Salve Sancta Deipara, pretiosus totius orbis Thesaurus, Lampas inextinguibilis, Corona Virgi-

Virginitatis, Sceptrum rectæ Doctrinæ, Templum insolubile. Nam ut *Proclus Archiep. Constantinop. hom. in Nativ.* Hæc illibatæ Virginitatis purus ille Thesaurus, Decusque & Ornamentum. *Albertus M. in S. Lucam.* Maria interpretatur amarum Mare, quia noxias delectationes nostras, ut amarum mare amaricat abundanter, terrenas voluptates carnisque illecebras, ac delectationes ita amaras reddit, ut omnes ab illis abhorreamus.

Hinc dixit *Damasc. orat. 1. de Nativ. Deip.* Tu Virginitatis feracissima Planta: per te enim Virginitatis pulchritudo latè se diffundit. Et consilium suggessit *Alb. M. in Luc.* Si illecebræ carnis te trahant, & superantes jam ad illicitas delectationes te propellant, baptisa te in amaritudine maris, & nomina Mariam, & sic pro certo in te ipso experieris, quòd justè vocatum est nomen Virginis Maria. *Buteo in hymno.* Corona Virginitatis. *Ambros. lib. 2. de Virg.* Disciplina omnium Virginum. *Ildefons. cap. 10. de Virg. B. V.* Æternitas Virginitatis. *Giselb. Altercat. cap. 19.* Princeps Virginum prævia. *Bonav. in Psalt. min.* Flos Regalis. *Sergius Hierapol. orat. de Nativit. B. Virginis.* Decus singulare & Ornamentum Virginitatis. *S. Ephrem de laud. B. V.* Corona Virginum ob immensum fulgorem, & splendorem inaccessa. *Richard. à S. Laur. lib. 4. pag. 234.* Signifera & Exemplar Virginitatis. *Eucherius Presbyter.* Complementum puritatis, & virtutis.

Audiamus jam *Chrysostomum* qui *serm. de B. Virgine* adhortatur. Quæcunque estis Virgines ad Matrem Domini confugite, illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem possessionem vobis patrocinio suo conservabit. Causam etiam supradictorum dat. *S. Thomas in 3. p. dist. 3. q. 1. art. 2. q. 1. ode 4.* Gratia sanctificationis in B. Virgine non tãtùm repressit in ea motus illicitos, sed etiam in alijs efficaciam habuit, ita ut quamvis esset pulchra, à nullo unquam potuit concupisci. Et ut citatus *Alensis 3. p. q. 9. n. 2. art. 5.* Beata Virgo suo aspectu concupiscentiæ motus extinxit.

10. Confessores Beatam dicunt. Quia preces illorum Deo offert.

Venite invitat S. *Sabbas 3. Jan. ode 9. Men.* atque omnes mentibus puris intaminatisque labijs gloriosè laudemus illam Emmanuelis intemeratam ac super omnes Virgines purissimam Matrem; sacrificia Deo ex illa nato per eandem offerentes. *Andr. Cret. orat. 2. de dormit. B. Virg.* Precibus nostris misericorditer annuens (Deus) respondet, & per illam tanquam per Advocatricem orationes

noſtras exaudit. S. Virgo eſt Templum illud Salomonicum, ut *Richard. à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg. partic. 5. ait.* Maria deſignata eſt per templum Salomonis, de quo dicit Dominus 2. Paralip. 7. *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erunt erectæ, ad orationem ejus qui in loco iſto oraverit, elegi enim & ſanctificavi locum iſtum.* Iſaiæ 60. *Offeretur ſuper placabili altari meo. Richard. à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg. partic. 5.* Maria dicitur Altare placationis, cùm ſuper hoc altare offerunt dona & ſacrificia ſua. *Guerricus Abbas ſerm. 2. de Aſſumpt. V.* inducit Deum ſic loquentem. Veni Electa mea, ponam in te thronum meum, in te quandam mihi ſedem regni conſtituam, de te judicia decernam, per te preces exaudiam.

Bernard. de Nativ. B. Virginis in fine. Non impotens erat Deus, & ſine hac aquæ ductu, id eſt ſine Maria infundere gratiam prout vellet, ſed tibi vehiculum voluit providere; fortè enim manus tuæ aut ſanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quòd non eas ab omni munere excuſsiſti, ideoque modicũ iſtud quod offerre deſideras, gratiſsimis illis, & omni acceptione digniſsimis Mariæ manibus offerendum cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam. Nimirum candidiſsima quædam lilia ſunt, nec cauſabitur ille liliorum amator, inter lilia non inventũ quidquid illud ſit, quod inter Mariæ manus invenerit. Sic *Levitici. 16.* Summus Sacerdos deprecaturus pro populo, prius Fumum incenſi præmittebat, qui notabat Deiparã juxta *Richard. lib. 12.* Sic Daniel oraturus *Dan. 6.* Feneſtram aperiebat, quæ erat imago Divæ noſtræ juxta *Auguſt. ſerm. 15. de tempor.* Imò ipſe Chriſtus exemplum nobis orandi daturus in monte Oliveti orat, qui *Richardo lib. 8.* ſignificat Sanctiſſimam, & dum in cruce pro genere humano ſacrificaret Mariam ſibi, nobis in exemplum adeſſe voluit.

Iſaias quondam *cap. 6.* querebatur ſua labia polluta, expurgavit Angelus calculo, quem de Altari tulit. Altare eſt Virgo Sancta. *Methodio orat. de Hypap.* flores ſunt noſtræ preces, ſed meliores evadunt, ubi in Horto plantati fuerint, qui eſt teſte *Ruperto in cant: 4.* Deipara. Etiam pavimentum ipſum 3. *Reg. 6.* templi auro tectum erat; ita qui in Deipara manet, eſto pedibus ſit calcandus inſtar pavimenti, inauratus fiet. *Albertus Magnus in Bibl: Mar: ad Levit:* Regina mundi dicitur Officium præſentationis, ad quod omnis peccator præſentari debet. Levit. *Homo qui obtulerit hoſtiam Deo, ad placandum ſibi Deum, offeret primò ad oſtium tabernaculi*, id eſt ad Mariam.

Et ita faciebat *Henricus Suſo* ut ipſe fatetur. Cùm ſurgo manè, ad te primam reſpicit anima mea, & cum ſerò dormitum abeo, te poſtremam contemplatur, certa videlicet, quidquid puriſsimis manibus tuis oblatum fuerit, & commendatum,

mendatum, etiamsi in se ipso vile & exiguum sit, gratum & acceptum reddi apud Deum, idque ob tuam Deo id exhibentis dignitatem; Neque enim rejici ullo modo potest, aut respui, quidquid ipsa utpotè purissima, charissimo Filio præsentaverit. Sed hic monet *Guilielmus parvus in cap. 3. Canticor: apud Delr:* Fœdas petitiones Mater Filio non offert, nec suscipit offerendas.

CAPUT VII.

Beatam dicit Virginem omnis hominum generatio in particulari.

1. Beatam dicunt Sacerdotes.

Quia Mater Sacramentorum.

MAter est; omnes enim per baptisma nascimur filij Ecclesiæ. In hac aqua nos Petrus illius Præses piscatur. Atqui *Guilel. in cantic. 4.* Virginem sic alloquitur. De te fluxit fons hortorum, per te venit baptisma fidelium. Illa est Puteus aquarum viventium, id est largientium vitam, & salientium in vitam æternam. Illa est Mater Eucharistiæ, seu panis illius. S. *Maximus Taurinensis homil. de Dominica in Ramis.* Legimus in libro Moysi de manna vermiculos procreatos, digna sanè, & justa comparatio; siquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus JEsus de Virgine procreatur, quin potiùs ipsam Mariam Manna dixerim, quia est subtilis, splendida, suavis, & Virgo: quæ cælitùs veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit. Illa juxta *Epiphan. orat. de laud. Deip.* Mensa fidei intellectualis, panem vitæ mundo suppeditans. De Sacramento Confirmationis videtur idem locutus *S. Epiphan. de laud. Virg.* B. Virgo Nubes est lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxit Christum. Nubes cœlestis quæ tonitruum Spiritus S. in se ipsa reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritûs S. in universam terram ad producendum fidei fructum cum impetu dimisit.

De reliquis Sacramentis per quæ adoptamur in filios Dei, vel gloriam augemus, dictum supra *tit. 1. c. 4. Alb. M. super missus cap. 74.* Licet Beatissima Virgo Sacramentum Ordinis non receperit, quidquid tamen dignitatis vel gratiæ in ipso confertur, de hoc plena fuit: in ipso enim confertur septiformis gratia, hæc autem omnifariam gratiâ plena fuit. Item tria sunt in Sacramento Ordinis, Dignitas ministerialis, Potestas spiritualis, Administratio executionis. Hæc autem tria Beatissima Virgo habuit in se æquipollenter, & excellenter, Ministri Ecclesiæ habent dignitatem beneficialem per characterem excellentiæ, Beatissima Virgo habet coronam Ecclesiæ militantis, & Ecclesiæ triumphantis. Undè Summus ministrorum Papa scilicet appellatur, & est Servorum Dei Servus; hæc autem est Regina & Domina Angelorum, ille Servus Servorum Dei, ista Imperatrix totius mundi.

Item in ministris est potestas spiritualis delegata à Deo, vel subdelegata & vicaria, in ipsa autem est plenitudo potestatis cœlestis perpetua, ex authoritate ordinaria. Item in ministris est executio ligandi & solvendi per usum clavium, in ipsa autem est dominandi potestas legitima ad ligandum & solvendum per imperium, & sic quidquid est dignitatis & gratiæ in ordinibus in genere, constat B. Virgini minimè defuisse.

Pergit *cap. 75.* Sed nè videatur virtutes aut dignitates generales habuisse, & specialibus caruisse, dicimus ipsam singulorum ordinum dignitates per æquipollentiam possedisse. Habuit cum Exorcistis expulsionem dæmonũ. Undè Gen. *Ipsa conteret caput tuum.* Et Iudith Holofernem interfecit. Et Hester vicit Aman. Cum Ostiarijs habuit introductionẽ mundorum, & exclusionem immundorum. Ezech. 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur. Princeps ingredietur per eam.* Quasi diceret: Porta hæc principem & imitatores suos introducet, & indigna clausa erit. Habet etiam cum Acolythis illuminationem. Cant: 3. *Quæ est ista quæ ascendit quasi aurora consurgens?* Num: 24. *Orietur stella ex Jacob.* Habuit cum Lectoribus omnium Prophetiarum expositionem ad literam in se ipsa, undè Isai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium:* doctrina est disciplinæ Dei. Habet cum Subdiaconis doctrinæ Apostolicæ ostensionem, undè significatur per arcam, in qua fuerunt Deutonoromius, & Manna, id est Divina Sapientia. Habet cum Diaconis Verbi Domini conservationem, alijs ad scribendum narrationem, consiliorum Domini perfectam imitationem. Undè Luc. 2. *Maria conservabat omnia verba hæc.* Habet cum Sacerdotibus Dominici Corporis per se ipsam formationem, tractationem, communicationem, hoc est quòd corpus Dominicum mediante ejus verbo

verbo & consensu, de carnibus & sanguinibus eius formatũ fuerit, & ipsum familiarissimè & diutissimè tractavit, & in cibum, & potum communicavit, & per hoc nos omnes ad jugum suum suave, & onus leve, charitatem scilicet, ligavit, & ab omnibus pœnis ac culpis, non solùm solutos ostendit, sed etiam absolvit juxta illud Ioan. 6. *Qui manducat carnem meam &c.*

Habet cum Episcopis non solùm Clericorum ordinationem, præbendarum collationem, templorum consecrationem, Sacrarum Virginum velationem: Ordinat enim Episcopus Sacerdotes per Sacramenti collationem, B. Virgo per continentiæ obligationem, juxta illud Isai: 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini &c.* Habet autem cum Papa omnium Ecclesiarum sollicitudinem, potestatis spiritualis plenitudinem, privilegiatorum actuum universitatem. *Alberto* totidem ferè verbis subscribit *S. Antoninus p. 4. tit. 15. c. 16. parag. 2.*

2. Beatam dicunt Reges. Quia Regnorum est Præsidium.

Nos enim Christiani te solâ, seu præsidio inexpugnabili fruimur dixit 9. *Ian. ode* 9. *S. Theoph. in Men.* Cui accedit S. *Sabbas* 17. *Jan. in Vesp.* Prosequimur te laudibus ô Deipara tanquam Civitatem inconcussam, tanquam Murum nullis arietibus rumpendum, tanquam infractum Tutamen & Refugium nostrarum animarum. Et *rursus idem qui supra* S. *Theoph.* 1. *Jan. ode* 5. Nos qui te tanquam muro abundè munimur, præsidio tuo circumvallati. Et S. *Joan. Damasc.* 22. *Ian. ode* 3. Salve potentissimum Christianorum Munimen. At cum S. *Sabba in Men.* 24. *Febr.* Tu quæ miserum oppressorum statum emendas, quæquè de manibus hostium eripis debiles, custodi ô Deipara civitatem, ac populum tanquam Pax eorum, qui oppugnantur, & in belli tempestate Tranquillitas vera, & unica, denique Præsidium Christianorum.

Canamus huic Virgini cum *S. Ioseph Confess. in Men. 26. April.* O Virginea Civitas Dei, de quo dicta sunt gloriosa! hanc addictam tibi Civitatem, & omnem ditionem illi connexam, cùm ab omnibus periculis, tùm à fame præsertim ac barbarorum furore custodi, tanquam unica, & adeò certa Tutela fidelium, quæ confundi neminem sinat. Alludit ad Constantinopolim quam teste *Zonara lib.* 3. Imperatores Græci Virgini dedicârunt: uti Stephanus Rex suam Hungariam, Emanuel Rex Lusitanorum recenter repertas Indias teste *Maff. lib.* 2. *initio hist.* Eduardus Rex Angliam, Carolus Magnus primum quod erexit templum Aquisgrani

grani in terris acquisitis Virginis fecit, Jacobus primus Rex Arragoniæ expugnato Valentino regno, Virgini consecravit, clavesque ad Virginem tam regni misit, quàm urbis Valentiæ, Bononiam dedicavit Ludovicus XI. obligando Successores, ut annuatim darent Virgini bis mille aureos, Neapolis huic Virgini facta. Similia sunt de Regno Galliæ, Poloniæ, Belgio. *Maracc. in Cæs. Marian.* 19. Ludovicus IV. Imp. angebatur valdè, quòd coronam Imperialem à Joanne XII. obtinere non posset, dum petit à S. Virgine solatium, comparuit illi quidam Benedictinus monachus cum imagine B. Virginis, & monito ut templum in honorem S. Virginis Assumptæ ædificaret loco certo, & benè speraret, & tum se aperuit fuisse Angelum, progressus Romam Imperator, coronam obtinuit, & postea promissum implevit. Aliud *idem ibidem fol.* 40. de Constantino monacho Orientis Imp. scribit, hic ejectus imperio exulabat in Chio Insula, accesserunt eum quidam Eremitæ causâ solatij, promittendo ei reditum cum honore, pro gratitudine autem exigendo, ut templum B. Virgini ædificaret, vix acquievit, quia nulla spes reditûs apparebat, dum tamen acquievit & in signũ promissi dedit annulum, haud ita multò post Zoe Imperatrix defuncto viro suo acceptura Constantinum in maritum, honorificentissimam legationem misit, & Constantinopolim reduxit. *S. Germ. Constantinop. orat. 1. de Præsentat. Virg.* Orthodoxorum Imperatorum sceptra, qui te ô Deipara supra omnem purpureum colorem, & omne aurum, & margaritas, & pretiosos lapides, coronam & indumentum, & inamissibile imperij sui ornamentum habent, in pace & quiete regito, malefidas nationes barbaras, quæ te, Deumque ex te natum blasphemijs lacerant, pedibus eorum substernito, ac subjicito, exercitui qui semper tuis innititur patrociniis horâ congressûs esto Adjutrix. Ipsa Roma 63. templis Virgini dicatis ei tutelam suam commisit.

De Italia *Bozius lib. 9. cap.* 10. habet. Quòd è tyrannide Gothorum erepta fuerit Italia, quòd Ariani hæretici ex illa expulsi, Deiparæ debetur. Hispania octoginta millia templorum ut Præsidi Virgini consecravit. *Georg. Nicomed: vide Præsent: cap.* 12. Christianorum multitudo murum habemus firmissimum, per te fideles Reges arma habent valida, per te consequuntur trophæa victoriæ. *Hieron. Blanca in Comment. rerum Arragoniæ ad annum* 1134. id refert. Recuperaverant à Mauris Christiani Cæsaraugustam, sed Mauri adverterunt eos victoria factos negligẽtiores, nec custodias per muros dispositisse, tẽtârunt itaq; per muros effractos noctu invadere civitatem; tum SSmã Genitricem MARIAM Cœlestis Angelorum agmine coacervato ipsis infidelibus restitisse, ac nè urbe sibi charissima

rissimâ potirentur illis se præbuisse Propugnatricem ac Murum, ibi deinde grati cives, erexerunt templum Virgini dictum, B. Mariæ del Portillo.

Anno 938. Arabes produxerunt exercitum 150. millia peditum, & equitum 30. millia contra Ramirum 2. Regẽ Legionis, sed Regi Virgo submisit duos Angelos specie militum, quibus pugnantibus Abenain Regulus captus, & 80. millia hostium cecidêre. Testis hujus rei *Sampyrus*, & *Tudensis*, & *Moralez Chron. Hisp. lib. 14.* Legitur apud *Maraccium in Antistit. Marianis, pag.* 359. Quod cùm Poloniam cum innumero exercitu oppressurus Turca advolaret, Laurentius Gembicki Archiep. Gneznensis pro patria sua feruenter exorabat, vidit una nocte S. Virginem è cubiculo suo prospiciens in aream lunæ decrescentibus cornibus insistentem, quæ illum hunc in modum allocuta. Bono sis animo Laurenti, verè mihi est devota, nominique meo Polonia, Filius meus ea quæ metuis amoliturus est à vobis mala, nè tuo eveniant sæculo. Exstat in Ecclesia Cathedrali Vladislavensi monumentum hujus rei: & Præsul mortuus anno 1624. Febr. 10.

9. Beatam dicunt milites, quia illorum est Robur, & Auxilium.

Habet *Baron.* de Joann. Zemisce Imper: Orientis, qui conspectis viribus Bulgarorum lachrymas non tenuit, nec vincendo, nec fugiendo par, obtulit se tandem Divæ Virgini supplicem. Et ecce eques Divinitùs comparet (*creditus fuisse S. Theodorus à B. Virgine submissus*) in Bulgaros ruit, & Joanni victoriã parat. Refert *Strada*, *referunt & alij recentiores*, in Flandria superiore sæculo, Catholicum militem in elementorum, hostiumque insidijs deprehensum, apud Bomeliam clausum fames consumebat, rigor hyemis exstinguebat, eluviorum incrementa submergebant, ubique mors & hostis, quid spei? miseris ipsa Mater & spem auxilij, & auxilium affert, miles dum aggerem ante contubernium Emplensi templo adsitum fodit, inter primos ictus tabulam ejicit, videt in ea coloribus expressam Dei Genitricem, accurritur à commilitonibus, & ipse Tribunus advolat Bobadilla, instabat Marianæ Conceptionis pervigilium, illam igitur iconem supplicantium ritu in templum inferunt, atque inter legionum signa collocatam proni adorant, precantur salutem, & impetrant: ventus enim nocte sequenti adeò vehemens, ac præter modum gelidus invaluit, ut aquas quæ circum campos obruerant, solidaverit, undè hostes qui venerant in navigijs ad expugnandos Hispanos, nè & ipsorum navigia à glacie in campis caperentur, flectere in Mosam cursum

coacti, soluta postero die glacie, Hispani magno cymbarum numero cum sua re-
telari Buscoducum deportati, originem Societati Immaculatè Conceptæ Virgini
dederunt. Fremuit Holandus Hollachius ereptam sibi è manibus victoriam nullâ
Hispanorum virtute, sed sola Dei: nimis eo quidem (ita hæreticus crepabat,)
die se Hispanis profuisse beneficio. *Aliud este.* Deprehensi erant Lusitani pauculi
ab Angolitanis, quorum erant duodecies centena millia, confugerunt ad Virgi-
nem, hæc in aëre conspiciendam se hostibus dedit, & exterruit, & victos Lusi-
tanis subjecit. Ita *Benz. anno 1587. in resid. Angolitana.* Sed veluti littus radimus,
dum hæc recentiora prosequimur, jam ad antiquiora in altum cum exigua nostra
cymbula provehamur, reversuri ad littora quoties videbitur.

Quæ sequuntur referunt plurimi, sed potissimùm *Tudensis*, & *Mariana*,
& adnotant annum fuisse 718. Pelagius 1. occupata à Mauris Hispaniâ, creatus
Rex ab Hispanis, qui apud Astures confugerunt. Rex novus ad Ausenæ montis
speluncam munitam cum mille suorum se recepit: confluxerunt mox innumeri
Mauri, miserunt ad eum Oppam Archiepiscopum Toletanum, vel ut vult *Mariana*
Hispalensem, qui deditionem suaderet. Respondit Rex, confidimus per in-
tercessionem gloriosæ Virginis Genitricis Domini nostri IEsu CHristi salvari, &
ipsa adjuvante, quæ Mater misericordiarum est, gentem Gothorum de paucis
qui sunt in ista speluuca instaurari, sicut ex paucis granis infinitæ segetes germi-
nant. Tum Pelagius, & qui cum illo erant ardentius Virginis opem postulavere:
Mauris autem fundibularijs & sagittarijs portam speluncæ ferire conantibus, eo-
rum lapidibus & sagittis maximâ clade redeuntibus feriebantur, & turbabantur.
Excurrens invasit eos Pelagius, Oppam cepit, Maurorum viginti millia cum Al-
man eorum Duce interfecit, sexaginta millia quæ remanserunt ex Ausenæ
montis fastigio in Libanensem agrum delata, ad Deue fluminis ripam parte montis
vicini sponte convulsa ab imò, in subjecti fluminis aquas præcipitata sunt.

Sed rursus ad recentia *Maff.* quod sequitur narrat contigisse *anno* 1507.
Obsessi erant Lusitani in Cananora urbe Orientalis Indiæ à barbaris: fame cogebantur ad extrema, confugiunt ad B. Virginem, & ecce die ejus Assumptæ, mare
in tantum intumuit, ut portam templi attigerit, & ibi tantam vim locustarum
effudit, ut ad quatuor mensium cibum sufficerint, & earum usu ægri convaluerint. Perierat ferè Joan. Commenus Imper. anno 1123. uti *Baron.* ita enim
arctè hostes obsederant phalangas Romanas, tum Imperator Dei Genitricis ima-
ginem cum gemitu & miserabilibus gestibus intuens, lachrymas bellicis sudori-
bus calidiores fundebat, & statim cælesti robore armatus Scythicam aciem

(i)

(ij fuerunt hostes) profligat: & hæc origo festi Patzinacharum apud Græcos, isto enim nomine Scythas appellant.

Alphonsus Lusitaniæ Rex, invocata S. Virginis ope, urbem Machometanorum munitissimam cum 250. suorum obsedit, cepit nemine suorum desiderato. *Laurent. Chrysog. in mundo Mariano. disc. 18. n. 34.* Anno 1328. Augusti 23. in Flandria apud Casletum subitò circumfusus erat à Flandris Gallorum exercitus, Rex Galliæ Philippus Valesius in his angustijs Virgini se Divæ commendat, & subitò ab ea tantum robur accepit, ut 20. millia Flandrorum ceciderit. Parisijs deinde Divæ equum cui insidebat, & arma dedicavit. *Auth. Rovillard. in Parthenia cap. 6. num. 20. Idem cap. 7. n. 5. testatur:* Londinum arctè fuisse à Danis obsessum, per Divam liberatum. Sed *Meyerus in Annal. Flandriæ* memorat angustias Philippi Pulchri Gallorum Regis in conflictu ad Duacum anno 1304. Tam vehementer invecti erant Flandri in Gallos, ut ad Regem qui erat in ultima acie pervenerint, equum sub eo confoderint, saluti fuit illi, quia non agnitus à Flandris, substitutus illi alter equus; sed ita Rex fuit attonitus, ut nec equum regere potuerit, & hic quoque equus à Flandris vulneratus. Denique Rex coactus fugere ad castra, sed & eò, usque ad tentorium Regis Flandri pervenerunt, & cœnam diripuerunt. Tandem liberatus Rex ope Virginis & insuper victor evasit 36. millibus hostium cæsis, cui deinde gratias Carnoti egit, & varia dona obtulit.

Harum rerum imago quondam erat *Exod.* 14. dum Pharao Israelem insequeretur, Moyses *Virgam* extendendo, quæ *D. Ambrosio* ad Siric. Papam *S. Virginem* designat, submersit hostem. Apoc. 4. *Procedebant fulgura & tonitrua de throno*, nemini nocuerunt: quia propè erat mare vitreum Deipara scilicet, ut vult *Bonav. in spec. B. Virginis.* Refert *Hadr. Lyræus in trisagio Mariano lib. 1. Sono 31.* historiam hanc. Imminebat Mauritio Imperatori Chayanus Avarum Rex cum 200. millibus Scytharum, tam vincere doctus, quàm vinci insuetus. Trepidatum fuit totis castris Romanorum, cùm ecce in aëre comparet nomen Mariæ aureis stellarum notis expressum, quo barbari perculsi, victi, fugatique.

Anno 1429. Carolus VII. Rex Gallorum nondum coronatus in eas ab Anglis angustias conjectus, ut ei ferè omnes munitiones ereptæ fuerint, ipse bis acie fusus, ecce puella pastoritia annorum 18. nomine Joanna Darcia Lotharinga dicit se Francis missam à Deo in subsidium, & examinata à Theologis vexillo sub quo erat ductura exercitum nomen Mariæ inscripsit, notum esse omnibus desiderans, cujus ope victoriam speraret, misit Kalend. Jun. ad Anglos Aureliam obsidentes ut abscederent, nolentes parere, aggressa, in ipso ardore pugnæ sagittâ

vulnerata, neque pedem retulit, neque vulnus religari passa, quin acerrimè prælians, hastâ gladioque multos hostes prostravit, multas urbes recepit, Remos ad inaugurationem per medios hostes Regem deduxit, & res Gallorum restituit. Ita *Francorum hist. in Carolo VII.* Proindè meritò tota *Romana Ecclesia* veneratur illam ut Auxilium Christianorum.

Sed nolens volens hoc ipsum fatetur & ipse *Hennebergerus Prædicans Lutheranus pag.* 45. Teutonici urgebant ad veritatem Dei Pruthenos, relapsi illi ab accepta fide, uno sæculo sexies, sub secunda ergo defectione anno 1257. Theodoricus Christburgensis Præfectus centum solùm suorũ assumpsit, fines idololatrarum perfidorum in Hoccherlandia ingreditur, cujus nunc caput est Elbinga, terrorem spargit, vastitatem majorem pro numero infert, sed dum præda ubere onustus regreditur, in grandem barbarorum exercitum incurrit: certandum erat, non jam de prædâ, sed de salute, necessitatem vertit in virtutem, animosè in hostem invectus, omnes in fugam vertit, plures demisit orco. Captivi ingenuè fassi non tam se ab exercitu, quàm à Cœlesti Bellatrice prostratos, ipsius initio conflictûs visam à se inclitam formâ Virginem, quæ Christianorum vexillum in aëre explicuisset, & suos ita consternâsset, ut non nisi fugâ elabi sibi posse viderentur.

Breviter perstrinxit in una icone *Carolus Quirinus in Atlantis Mariani idea pag.* 102. aliqua veterum victoriarum hac Duce trophæa. Nicopæa imago, id est victoriosa, quæ Venetijs in Ducali templo servatur, ea est per quam Iustinianus Vandalos, Iustinus Persas, Zemisces Bulgaros, Comenus Scythas, Narses omnes hostes domuit. Et quidem de Iustiniano *Evagrius lib.* 4. scribit, quòd Virginis auspicijs, indomitas Gothorum, & Vandalorum vires domuit, flammamq; quam per Africam, & Italiam accenderant, extinxit. *Baron:* de Iustino 2. & Tiberio, quòd hujus auxilio immanes Persarum phalanges superârunt. *Idem tom.* 8. quòd Heraclius Cosroen ejus ductu debellârit.

Audivi à dignis fide Ducem illum fortissimum Polonorum Chodkievvicz contra Osmanum ad Chotimum à B. Virgine obtinuisse victoriam, certum verò est ab eo imaginem ejus semper gestatam, sicuti certum quòd Carolus M. vix unquam visus in prælio vel in publico, quin aurei velleris loco iconculam Deiparæ ex collo deferret. *Maraccius in Car. Mar. fol.* 24. Accidit quod sequitur anno 1363. Turcarum Duce Amurathe 80. millia Hungariam vastabant, & præ alijs ipsum Regem Ludovicum petebant, tanta celeritate, ut spatium non relinquerent justo exercitui cogendo: stetêre tamen tumultuariè Hungarorum viginti millia

millia in armis, sed numerus adeò hosti impar, ut etiam Duces in lanienam, non in pugnam prodire assererent, ideoque cedendum hosti suaderent. Rex Divæ Virginis Cellensis implorat opem, & ejus iconem in mensa deponit, leni interim somno corripitur, in quo ei se Deipara visendam præbet, pugnam ineat imperat. Evigilat & in testimonium non futilis somni iconculam in pectore reperit: mox itum in hostem, & intra pauculas horas victoria parta est. Ita *Atlas Marianus lib. 3. fol.* 180. Horridum illud accidit. Gainas Dux barbarus hæretica lue infectus, non oppugnaverat, sed intraverat cum exercitu Constantinopolim. Quid consilij captâ urbe? commendant se cives ad imaginem B. Virginis, quæ nunc in Italia dicta in Monte Virginis colitur, succedit negotium, hostis non tenet, sed tenetur, arma sumunt cives, ad internecionem cædunt. *Atlas idem lib. 2. fol.* 80.

Alterum *idem* contigisse *ibidem* refert. Barbari nescio qui sexcentarum navium classe urbi Constantinopolitanæ, non dubium minabantur excidium, sanctissimi Patriarchæ consilio solemni pompa imago, de qua proximè dictum circumducta, & flevit ad civium solatium, post hæc grando ignea in naves delapsa, omnes decem relictis absumpsit, odore piceo relicto. Iam è mari ad terram Penetraverant multas regiones Christianas, & cædibus & vinculis involuerant quinquaginta millia Tartarorum, nullus erat qui tantum torrentem stitisset, factum id anno 1341. pervenerunt tandem ad Divam VVartensem in Silesia, ibi occultâ quâdam vi illorum impetus venit ad metam, & in se redire ac regredi cepit, ut scribit *Balbinus in Diva Wartensi.* Imago quæ nunc in Claro monte, seu Czestochoviæ in Polonia colitur ab Helena Augusta Jerosolymis Constantinopolim translata, quam Nicephorus Imperator Carolo Magno, is autem Leoni Russiæ Principi dedit, tandem Russiâ in Provinciam Poloniæ redactâ, Vladislaus Opoliensis Dux anno 1382. in Montem clarum dictum transtulit, hæc Constantinopoli dum esset, quia duos illustravit, viamque monstravit dicta Odigitria, ut habet *Canisius lib. 5. cap. 24. citatus in Atlante Mariano.* Hæc eadem imago jam in Russiam translata, in Castro Belz collocata, dum Scythæ Russiam inundant, atq; Belzium perveniunt, à Vladislao Duce Opolienſi justo præsidio infessum, contigit ut Scytharum quispiam ictu incerto sagittam torqueret, in ipsum illud cubiculum, in quo ante S. Imaginem prostratus orabat Vladislaus, & sagitta quidem illæso supplice transijt, guttur tamen Virginis transfixit, Vladislaus dolore animi in hæc verba prorupit. Ecquid Diva tuam injuriam vindicas? dicit, & continuò Spississima nebula aram operit, ex qua visi sunt contra Scythas, staturâ, viribus, fulgore armorum, longè præstantissimi prodire heroes, indeque in hostes

erumperè, quo ostento barbari in fugam acti, quos tamen omnes insecutus cum suis Vladislaus vel trucidavit, vel captivos abduxit. Ita *hist: Claromontana.*

Nec illud multùm dissimile, quod de imagine Divæ quæ Czereæ in Lithuania colitur, ex Moschovia adducta *annales Moschovitici* referunt. Aliquot sæculis ante (cùm nimirum adhuc in unione cum Ecclesia Romana erant Moschi ante Schisma Græcum) Scythæ Russiam vastabant, & Novogrodiam magnam, Moschoviæ ea est urbs, obsederant, re desperatâ Episcopus Græci ritûs curavit per Diaconum hanc imaginem (jam dudum miraculis claram) afferri ad urbis muros; sedem loco movere Diaconus cum universo Clero nequivit: Episcopus nullo negotio exemptam loco hostibus pro muris opposuit, jam jam hostes ingressum per muros parabant, sed conspecta icone visum perdidêre, quos cives erumpentes gravissimâ clade affecerunt. Uti habet *Atlas Marianus lib. 2. fol. 202.* Jure verbis *S. Damasc. Græca Eccles. orat in Men:* 18. *Jun:* Contra hostes gravi nos bello prementes, Virgo in aciem quæso descende, ferociter quippè tuam hæreditatem invadunt, ô inviolatissima omnium Domina, barbarorum audacissimos spiritus manu tuâ profunda, ut agnoscant potentiam tuam bellandi cupidæ gentes. Denique omnes omninò adversarios nostros solo nutu tuo in nihilum redige.

In idem recidit quod cecinit S. Virgini *S. Sabbas ibid. 2. Jul:* Per te ô Deipara tanquam Virtutem ex alto Reges Christiani accinguntur ad bellum. Sed ad historias Gothi. Arriani ad barbaros referri possunt, ex eorum servitute Italiam eripuit Narses, sed consilio B. Virginis. Uti *Nicephorus testatur lib. 17. cap. 13.* Ignava Phocæ, Persæ Asiaticas Provincias usque ad Chalcedonem ceperant, Heraclius accepta imagine Virginis de manu Stephani Metropolitæ Cyceni movit bellum in Cosroem Regem Persarum, vicit & Syriam, Ægyptum, Lybiam, Carthaginem recepit. Rei hujus *Paulus Diaconus testis.*

Cedrenus in compendio quod sequitur narrat, & ex eo *Baronius.* Cùm adversùs Cosroem Regem Persarum Heraclius Imperator cum exercitu processisset anno 626. Hunni occidentales quos Avares vocant, à Cosroe submissi, vacuam Cæsare Constantinopolim, terrâ marique aggrediuntur, & nil certiùs quàm urbis spolia expectant. Et ecce summo manè porta Blachernarum (templum id erat B. Virg.) Matronam insignem grandi comitatu urbe vident egredi, Heraclij uxorem barbari, petitum pacem prodeuntem crediderant, & transitum concesserant, invasuri multitudinem quæ sequeretur. Egressa Matrona urbis fossas, alò inverterat, insecuti barbari, & propè assecuti, sed illa ab oculis eorum evanuit, statim tanta eos inter confusio & strages orta, ut usque ad vesperam perseverarit.

Sequens

sequenti die barbarorum Sabarus majori suorum parte per cædes mutuas obijsse cognitâ, & ipse cum reliquis regressus in naves, sed classem in Euxino mari tempestas oborta, ita afflixit, ut pauci ad suos rediêrint. *Baron: anno* 738. Constantinopolis trienni Saracenorum obsidione cincta, per Divam Virginem liberata, & duplex classis alia, ex Ægypto, alia ex Africa in prædam cessit. *Idem Scriptor* putat imaginem D. Virginis per muros urbis circumlatam. In residuos Saracenorum dum per Ægeum mare regrediuntur, grando ignea de cælo cecidit, & partim combusit, partim liquata pice naves hiantes mersit: ut ex omni numero Saracenorum decem solũ redierint, quæ fortè est eadem historia, quam superiùs attulimus. *Curopalates refert anno* 867. Saracenorum Principem literas plenas superbiæ & convitij in D. Virginem ad Andream Basilij Imperatoris Ducem dedisse, hic eas Virginis imagini appendit, & hosti obviam progressus profligavit, Ducemque ipsum occidit.

At *S. Antonin. 2. p. tit. 16. cap. 2. sect. 5. refert.* Obsederant subitò Carnotum Galliæ urbem Pyratæ, non erat in humanis subsidium: tota spes in D. Virgine; igitur Camisiam Virginis, quæ ibi devotè asservabatur pro muris exposuêre, eam hostes ridere, & sagittis impetere, sed subitò omnes cœcati, ac à civibus ad satietatem cæsi. *Anno* 878. *Tempore S. Dominici* adjuvans Virgo Comitem Montis fortis contra Albingenses 150. lapidibus jactis eorum exercitum fugavit. *Anno 626. ut Baron: refert,* Heraclius duos ingentes exercitus hostiles in Persia delevit, D. Virgini arma Ducis appendit ut trophæum Auxiliatrici: quocirca Emanuel post devictam à se Pannoniam currui triumphali aureo imaginem Virginis imposuit, quam Cæsar & nobilissimi quique sequebantur. Similiter venerabatur Constantinus Palæologus recuperata Constantinopoli imaginem B. Virginis, qui coram ea primò procidit, deindè currui triumphali impositam pedes secutus. De Persis triumphavit pari modo Joannes Comenus.

Sed jam ab oriente ad occasum respiciamus, & legamus quod *Benecius in annal. anno* 1585. *refert.* Erant Lusitani ferè ducenti, habebant fœderatorũ Æthiopum sub signis decem millia, contraria acies sexcenta millia numerabat, hæc tota quanta quanta incruentâ victoriâ est deleta. Prætor hujus expeditionis Lusitanus imaginem Virginis secum deferebat, & flexo genu venerabatur, ab eaque in pugna victoriam precabatur. Carolus Magnus, & Ludovicus Pius Filius, semper in pectore iconem B. Virg. deferebant, & huic illas imminensas victorias attribuebant. Nimirũ hæc est illa Arca quæ Hierichonticos muros diruit, Azotios occidit, sed ut Arcæ victoriolæ opus victoriosissimum statim subjungamus, de quo scribit

Balth.

Balth. Tellez in chron: Lusit: lib: 6. Paulus Diaz Novaes Lusitanus, cum trecentis suorum adversus duodecies centena millia Angolitarum die Purificationis B. Virginis progressus anno 1583. effuderunt imprimis ingentem vim sagittarum barbari: sed omnes in eos rediêrunt, à quibus sunt missæ. Extracta est pugna in noctem, in qua dum nihil proficere advertunt, fugiunt, sed ita infeliciter, ut unam altissimam voraginem se mutuò impellendo impleverint.

Processerat Alphonsus Rex Hispaniæ adversus plus quàm ducenta millia Maurorum, sed cujus ope illa vicit indicat *Rodericus* XI. *Men. lib. 7. de rebus Hisp.* Erat inquit in vexillo Regum imago B. Mariæ Virginis, in cujus adventu acies illa mirabilis, & turba innumerabilis, quæ hactenus satis immobilis permanebat, & rebellis nostris obstiterat, cæsa gladijs, fugata lanceis, victa ictibus, terga dedit. Cæsa manserunt in acie hostium millia 200. ex Hispanis viginti quinque desiderati tantùm: tanta autem apud hostes inventa hastarum, sagittarumque copia, ut per biduum ad ignem castrorum eæ tantùm adhiberentur. Dux erat hostium Miramolinus Mechometes, cognomento Viridis, qui in Hispania Beticam occupaverat. Confictus hic accidit anno 1212. 16. Kal. Augusti in loco quem Navas Tolosæ vocant, ut *Tolosana Ecclesia.* Ferdinandus tertius Hisp. Rex, qui quatuor regna Mauris eripuit, quatuor Christo dedit, de Betica planè triumphavit, semper imaginem B. Virginis secum detulit, ut scribit *Pineda in relat. de S. Ferdin: parag.* 8. In multis bellis quæ gessit Ferdin: Cortesius contra Indos, captivi Indi fatebantur se non potuisse defendere, propter quandam fœminam, quæ pulverem in illorum oculos spargebat, & propter quendam equitem, qui albo equo insidebat: id ab Hispanis creditum de B. Virgine, erga quam mirificè afficiebatur Cortesius. Et de S. Jacobo Patrono Hispanorum *ex Sandoval. parag. 23. & Gomara hist. Mexic: cap:* 103. Idem evenit Ferdinando Pizano, qui cum 200. militibus Hispanis, à ducentis millibus Peruanorum circumventus, per septemdecim dies continuavit aciem ingenti strage hostium, apparebat Deipara Peruanis protegens Hispanos, nè ab ijs læderentur, & Indos obcæcans, quasi injecto pulvere in oculos, visus quoque S. Jacobus equo candido invectus in barbaros, uti scripsit *Garcillassus in ea hist: Perua: tom: 2. lib. 6. cap:* 24. Simile quid evenit cùm Hispani arcem Acomam in Mexico oppugnarent, quæ ob altitudinem inexpugnabilis erat, adeoque ridebant Indi Hispanorum tam paucorum conatus adeò audaces: sed capta est arx ope Virginis, quam viderunt Indi protegentem Hispanos, & S. Paulum cujus die Conversionis res agebatur certantem, ideo Indi capti diligenter requirebant de illa formosa fœmina, & illo milite fortissimo. *Ex Villagra in hist. novi Mexici.*

Aliud

Aliud consimile refert *Spinell. de Deip. n.* 58. Anno 1546. in orientali India arcem Ducum Lusitanorum 40. mille Indi obsederant, tandē erumpentibus Lusitanis Dux hostium cæsus, cum non paucis suorum, & soluta obsidio. Hostium fatebantur captivi, quòd tormenta sua bellica non potuerint succendere in pugna, & in arce apparuerit sedens mulier cælesti lumine radians, eorumque oculos excæcans, ut nec possent in ordine ire, nec se conglobare. Cùm pugnaret contra Mahometanos Pelagius Correa magister, uti scribit *Pater Nieremberg. in triumpho Mariano S. Jacobi*, die quodam Deiparæ, & victoriæ dies deficeret; exclamavit ad Virginem. Sancta Maria detine tuum diem, stetit sol, donec plena victoria constitisset. Erexit gratus Pelagius Divæ templum sub titulo: *De S. Maria detentu Dia*, & per contractionem: *De tu Dia*. Quod *Pineda memor. Ferd. 3. p. parag. 8. fol. 155. apud Nieremb.* cùm in recuperatione terræ sanctæ Ptolomaidam biennio Richardus Rex Angliæ oppugnando non posset capere, apparuit B. Virgo militibus palàm, dixitque nè ampliùs se fatigarent, venturam intra quatriduum in manus civitatem: interea tanto terrore à B. Virgine hostes percussi, ut spontè civitatem tradiderint. Hujus rei testis *Roger. de Hoveden in ann. Angliæ tom. 1. anno* 1100.

Simile quid accidit ad civitatem Truxillo seu Turrim Juliam in Hispania, dum esset in potestate Maurorum, & multis assultibus conati essent eam recuperare Hispani, sed labore irrito apparuit illis B. Virgo cum suo infantulo, ut tandem ascenderent muros, & civitatem quam tradebat acciperent. Cives grati in ipsis muris altare Virgini erexerunt, & in stemma Virginem Divam inter duas turres stantem assumpserunt. *Mariana hist. Hisp. lib. 12. cap. 16.* Quod sequitur *in hist. Lerenæ cap. 6. parag. 1. refertur.* Dum à Mahometanis qui eam occupaverant hæc urbs recuperaretur, nec succedebat expugnatio: B. Virgo apparuit Sacerdoti, qui tum erat in Christianis castris, promittendo victoriam, & in signum deditilli malum granatum. Visionem retulit sacerdos, & milites animavit: qui perrupēre statim muros, sed adhuc pugna anceps intra captos muros durabat, donec quidam miles Christianus sagittam emisisset in nomine Virginis de mala granato, hæc cor Mahometani Gubernatoris penetravit, & ex eo victoria plena Christianis evenit: erectum ibidem sacellum, hoc titulo. *Dominæ nostræ de granito.* Ad Virginem referri debet anni 1571. victoria de Turcis, ad Echianadas, in qua hostium cæsa triginta millia, decem millia capta, triremes 180. abductæ, 90. mersæ, 15. millia Christianorum è servitute liberata, 116. majora tormenta, 256. minora erepta: hanc enim victoriam B. Virgini attribuit *Greg. XIII.* Huc referri

& Ferdinandi 2. ad Pragam de hæreticis anno 1620. in Boemia, ad Norlingam in Germania 1634. in quarum utraque imago B. Virginis præferebatur, cui antea illi ipsi hæretici oculos effoderant.

Sed rursus ad Lusitanos. Anno 1588. ut refert *Bencius* 400. Lusitani arcem barbarorum oppugnârunt, in qua erant decem millia hominum, tormenta bellica 900. & auxilio Virginis intra paucas horas ceperunt. Misit olim adversus Julianum Apostatam B. V. mota orationibus S. Basilij, S. Mercurium Martyrem, S. Theodorum Zemiscæ Imperatori adversus barbaros; S. Lambertum in subsidium Leodij; & alios alijs. Sed affuit cum S. Joan. Baptista Rhodijs, ut scribit *Philippus Bergomas ad ann.* 1368. dum Turcæ anno 1480. Rhodiorum mœnia jam conscendissent, quæ juxta Scheurlum 1300. bombardis quatiebant. Vexilla protulerunt Christiani B. Virginis, ac S. Joannis Bapt. cum ardenti oratione: statim Virgo cum hasta & clypeo Turcis apparuit, adfuit & S. Joann. Bapt. & Turcæ excurrentes ita teruerunt, ut fuerint coacti recedere.

Hinc Romani Pontifices ad Divam in periculo à Turca imminente confugere soliti. Sic *Leo X.* ingruente Selimo circumtulit imaginem Divæ templi præsepis anno 1518. & Selimus subitò pestilenti cancro consumptus. Sic *Paulus III. anno 1537. die 7. Julij, & anno* 1543. supplicando Divæ, eundem hostem à cervicibus Christianorum avertit. Quod hoc modo insinuâsse videtur Scriptura *Exod.* 14. Persequebatur Israelis populum Pharao, sed ubi adfuit Vigilia matutina castra Ægyptiorum Dominus interfecit; quia scilicet tum Aurora oriebatur, quæ *S. Bernardo serm.* 33. *in cantic.* Deiparam significat. Exhorruit Puer Elisæi 4. *Reg.* 6. hostes; oravit Propheta, ut Dominus ostenderet quos in auxilium suum paravit: ostendit currus igneos, & equites, sed in *Monte*, qui *D. Gregor. in* 1. *Reg.* 1. exprimit Deiparam. Josue insecutus quinque Reges *Josue* 10. misit Dominus illi lapides in auxilium, sed de *Cælo*, quod *S. Germano Constantinop. in Psal.* 44. est Deipara. David 1. *Reg.* 17. accepit quinque lapides quibus superavit Goliathum, sed illos ex *Torrente* tulit, qui figurat Virginem juxta *Richard. lib.* 9. Idem David dum fugit Saulem *Reg.* 21. venit ad Abimelech, & accepit gladium ab illo, sed ex *Tabernaculo* quod est Deiparæ umbra *teste eodem Richardo lib.* 10.

Huc etiam referri potest quod scribit *Desiderius Jullet Canonicus Eccles. Nancejanæ cap.* 3. *& Edmundus de Boulay, & alij* circa annum 1525. accidisse. Exarserat Germania hæresi; & jam Duce Thoma Muntzero millia armatorum 80. volitabant, Clero, Ecclesijs, ac omnibus bonis excidium, & vastitatem spargentia. Hauserat jam Sueviam calamitas, involuerat Alsatiam, Lotharingiæ imminebat:

nebat: cùm Dux ejus Antonius, elegit Deo propitio fortunam experiri, quàm incruentam hosti prædam relinquere, ac collecto raptim exercitu occurrit; interea Nancæi omnia personabant orationibus, ac contigit quampiam pauperculam mulierculam, ac mutam templo pro nocte casu concludi; tum & ipsa orans ab imagine Deiparæ clarissimam excipit vocem, quâ jubetur Ducissam accedere, & suo nomine denunciare, penes Ducem futuram victoriam, stupet paupercula, & modum obsequendi cogitat, & ecce etiam loquelâ donatur, accedit aulam, totum negotium exponit, fidem facilè impetrat, quæ nunquam antea loquebatur; non multò post eventus B. Virginis beneficium approbavit, nam Lotharingicus exercitus hostiles copias fudit, triginta sex millibus in ipso loco deletis, cæteris magno numero captis, aut fugatis.

Sed ingratus fuero, si gratias S. Matris præteriêro, quas patriæ meæ Poloniæ illa exhibuit, præcipuè cùm bellis tam domesticis, quàm externis, tam servilibus, quam barbaris, tam hæreticorum, quàm schismaticorum ab anno 1646. ad 1672. arderet, eas collegit *in suis lyricis P. Michael Krasuski nostræ societatis*. Leopolis Russiæ urbs ac Metropolis, quòd superaverit obsidionem, quâ illam Chmielnicius rebellium caput cum Regulo Tartarorum Tocaybejo presit Divæ Virgini attribuit, coram cujus imagine ibidem in templo Armenorum unitorum cum votis suam salutem oravit. Eidem debet quòd Moschos rejecerit, cujus imaginem in cæmeterio Ecclesiæ cathedralis coluit. Jo Casimirus ad Beresteckum suam victoriam de Tartaris, ac Cosacis S. Virgini tribuit. Cùm Suecorum Rex Gustavus Adolph. Prussiam Regni Polonici Provinciam bello premeret, dum imago S. Virginis Cracoviæ in solemni supplicatione circumferretur, pax stetit. Invocata Virgine S. quæ Lezaysci in imagine colitur Stephanus Czarnecius præcipuum robur militiæ Sueticæ ad villam Makovviska delet. Dum in civitate Premislienſi cives coram imagine Divæ orant, & Sueci ad eos invadendos per Sanum fluvium glacie concretum currunt, subitò glacies rumpitur, & fluvius hostes absumit. Postquam Casimirus Rex concepit votum se Virgini consecrando, Forgell, Colonellus Sueticus absque nuncio cladis cum duobus suorum millibus à Polonis cæditur, alia pars Suecorum ad oppidum Varcam cæditur. Naves quæ Suecis in Poloniam ferebant suppetias, mari Balthico absorptæ. Arfuidus Vitembergus Suecus campi Mareschalcus à lixis Polonici exercitus Varsaviæ capitur, Comes Kenigsmarck, item Suecus, in Gedanensi littore captus. Israel Sueticæ militiæ Præfectus in Prussia post deformatum exercitum venit in vincula. Prænotavit autem hæc S. Virgo dum fax extincta coram Casimiro sponte esset

accensa, inter gratias post victoriam Varensem, dum obsiderent Clarum montem seu Czenstochoviam Sueci cum suo Duce Millero, Præfectus ejus militaris, dum tractat cum Duce per latera jaculo ferreo manu ignotâ missо transverberatur, & ipsi Millero Virgo per somnium se dat conspicuam, ac terret, deinde militibus 40. se ex muris Clari montis ostendit, ac illos exanimat, ab ipsis hostibus, in ipsis turrium pinaculis conspicitur, telorum, globorumque tempestatem in eosdem retorquet & ut eorum fallat conatus, mœnia loci jam in altissimas elevat nubes, jam in imas valles deprimit, alijs sclopos suos explodentibus manus arefacit, alijs ad manus facit accrescere.

Dum Cracovia esset à Suecis obsidione cincta anno 1649. Octob. 10. bellicum tormentum igne rubeum contra castra Suecorum directum in aëre comparuit, dies is erat sacer Virgini ob victoriam Chotimensem. Quicunque in prælio Berestecensi imaginem B. Virginis Tuchovienſis gestârunt, omnes incolumes rediêrunt. Cùm ad eandem imaginem spoliandam Sueci noctu properarent, prodigiosa caligine abacti. Cùm Crosnam oppugnarent Transylvani mixti Russis rebellibus, civesque deprecarentur Virginem, hasta cruenta in ipso oppugnationis fervore apparuit, ac hostes terrefecit. Miles Sueticus cùm impiè imaginem Virgineam Ravæ spoliat, vi occulta ab altari dejicitur, atque animam exhalat. Cùm Beccam quæ est civitas Poloniæ in subimontanis imago Jaslensis B.V. esset delata, eodem momento quatuor millia Transylvanorum ac Cosacorum ab oppugnatione loci quam parabant absterruit. Nobilitas Lancicienſis in prælio Berestecensi se Divæ Virgini Luscensi commendavit, & nemo eorum desideratus. Ope invocata Virginis Boguscensis Stephanus Czarnecius Transylvanicum exercitum partim cecidit, partim fugavit. Ductu & invocatione Beatæ Bilscensis Chovvanski Dux Moschorum profligatus.

4. Beatam dicunt angustiati.
Quia est immensæ misericordiæ.

Picardia Galliæ Provincia id in Virgine deprædicat, dum eam *Exhilaratricem* seu *Dominam nostram gaudiorum* appellat. Tituli hujus origo talis, ut apud *Vernerum Bosius lib. 5. recenset cap. 22.* Anno 1131. capti tres Rhodij equites S. Joannis fratres Galli à Soltano Ægypti, solicitati ab ipso astu, carcere, minis; & ab ejus filia Ismeria blanditijs; ut à Christo ad Mahometem desciscerent, sed potiùs Ismeria

ab

ab ijs ad Christi, ejusque Matris cultum conversa est, simulque desideravit saltem in imagine S. Virginem intueri. Itaque dum in carcere cum illis aliquantulum moratur, ecce imago Deiparæ ad carcem cælitùs miro cum splendore descendit, quid ibi lætitiæ captum? sed majus est, quod sequitur sopiti illi, Heroes cum Ismeria in momento in Gallias cum data cælitùs imagine Virginea transferuntur, ita solatium in vita, libertate, patria, religione, securitate reportant. Imago mansit in Picardia & titulos quos memoravimus obtinuit.

Jam cum *Josepho Confess. in Men. 2. Jan. ode 4.* dicamus & nos. Medere cordis mei vulneribus Virgo, motusque meos internos ad voluntatem Numinis dirige, tentationes demitiga & miserandæ animæ meæ fluctus compone, cor denique meum angustijs pressum tuo solatio refice. Hæc enim est ut ait *Sabbas 28. Jan.* Spes desperatorum, omnium afflictorum Lætitia, iniquè oppressorum Patrona, Sustentatio pauperum, exulantium Consolatio, in fluctibus laborantium Portus, imbecillium Robur, laboris æstu confectorum Umbraculum, Auxilium, Baculusq; cœcorum. *Ut cum eodem quisq; dicere ibidem possit.* Te nactus sum unicum animæ meæ Solatium, & illud planè Divinum. Et securè cum *Ecclesia Græca ibidem in Men. 29. Martij.* In (quæ nos premunt) angustijs, intercessionem tuam, ô Virgo ut laxamentum habemus, & omnes indè tui cultores periculis involuentibus, evoluimur. *Et ibid.* Amplissimam lucem hilaritatis internæ omnibus illis expandis, qui te velut Deiparam magnis omninò laudibus tollunt. Quocirca *Joan. Archiep. in Men. 10. Julij orat.* Nè despicias me tuum indignum domesticum servum, tu quæ es paratum omnium tribulatorum Auxilium.

Turfell. hist. Laur. lib. 5. c. 15. Cùm Edmundus Hybernus Ardajacensis Episcopus fugeret persecutione Elisabethæ Reginæ Angliæ clam conscensâ navi, in Dracum Anglum Archipyratam incidit pridie Natalis B.V. nocte verò præteritâ unus ex ejus socijs videbatur sibi cum hæreticis nudus disputare, ac impetravisse à B. Virgine pallam, quâ tegeretur. Explicuerunt somnium de protectione Virginis, & ita evenit, invocatâ ejus ope: nam præses navis etsi hæreticus conspectâ Draci nave, suspicatus ad necem quæri Episcopum, eum in sentina cum socijs abscondit, semel in diem victum submittendo, capta navis à Draco, ducebatur in Angliam, jam dies octo pyratæ scrutati etiam cum facibus nec repererunt, tum etiam navem abire siverunt, quæ rursus in alios pejores incidit, qui scrutando tandem ad Episcopum pervenerũt, sed dum eum capere incipiunt, oculis ac mente capiuntur.

Habetur in Summario processûs pro canonisat. *Ferdinandi Regis* III. *Castellæ, & Legionis edito Romæ anno* 1629. Vigente inter Hispanos, ac Lusitanos bello, captus navis Hispanicæ ductor in obscurissimum conjectus carcerem, interea uxor captivi accessit statuam S. Virginis, coram qua solebat orare Ferdinandus, petendo Mariti liberationem, & præterea offerendo per dies 30. panem, vinum, & candelam ad illam statuam; his meritis miraculosè in carcere reficiebatur, ac eâ candelâ illustrabatur, mirati custodes rem detulerunt, quæ ubi innotuit Regi Lusitaniæ, liberum abire jussit, quem jam paulò ante ad mortem damnaverat. Itaque tum illi cum *Græca Ecclesia in Euchologio Græcorum: pag.* 865. canamus. Annue famulorum tuorum precibus, calamitatum insultus reprime, & ab omni nos afflictione libera, te namque solam securam firmamq; Anchoram habemus. *In Chrozol. Episc. Benevent.* anno 663. Imminebat exitio Beneventi civitatis Constantius Imp., tum S. Barbatus ejus loci Episcopus suorum lachrymis commotus, jussit eos benè sperare, dum vitam emendarent, cujus illa facto promisso, oravit Sanctus, ut B. Virgo Duci eorum Romualdo pro mœnibus pugnanti compareret, & verè comparuit, quo viso ita animati, ut hostem fortiter rejecerint.

In Chronico Franciscanorum 4. *p. lib.* 3. *cap.* 57. scribitur de Franciscæ *à S. Antonio Ordinis Minoris.* Hæc rudi valdè ingenio cùm nihil edisceret posset, à magistra minas accepit, quòd nisi edisceret cingulum illi esse ab eadem ex pelle detrahendum: territa his ad S. Virginem recurrit, ficto terrore verè afflicta, S. Virgo continuò annuit, quòd illam esset edoctura, & in imagine ut etiam nunc est caput inclinavit. Plenum illud solatij quod *Lipsius scripsit de Virgine Hallensi cap.* 33. Mortua erat cuidam proles sine baptismo, quid facit mater? cogitur humo prolem tradere, sed spes bonas sibi retinet, solicitat precibus Virginem; adest post multos dies Virgo, & vitam sepulto puero donat, effoditur vivens, sanus, rubeus, & coram septuaginta hominibus baptizatur. *S. Amed: hom:* 8. *de laud: Virg:* aptè dixit. Omnium de quacunque tribulatione clamantium preces illa libens suscipit, & Nato supplicans, omne malum ab eis Miseratrix avertit: enimverò sicut ignis attactu cera liquescit, & velut ardore solis defluit glacies; sic ab ejus inimicorum facie deperit facies, eâque jubente nihil [illegible]rsi subsistit.

Dum adhuc viveret Virgo, de ea [illegible] *S. Ignatius* M. testatur. Maria, miseris, & afflictis condolebat coafflicta, [illegible]gniter subveniebat. Sed & modò juxta *Bonav: opusc:* 25. Tutissimum afflicto [illegible] omnium Perfugium. Et *Damasc: orat: de dormit:* Unicum molestiarum Levamen, omnium dolorum cordium Medicamentum. *Richard. à S. Laur. lib.* 12. Maria est Virga consolationis, de qua psal. 22.

Virga

Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga Maria, baculus lignum crucis? Hæc in specie Scalæ Jacobum solata Patriarcham peregrinum, hæc afflictum populum in Rubo ardenti ostensa Moysi, imò facit exultare in tribulatione, sicut Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt contumeliam pati. *Guilelm: in Cant: 7.* Plerique non inebriantur omni tempore, sed tantùm in prosperis, sicut nec luctantur omni tempore, sed tantùm in adversis: porrò nonnulli per uberiorem gratiam etiam in adversis exultant, & B. Matris intercedentibus meritis, in ipso fervore malorum, secundum Apostolum mente excedunt Deo, usque ad oblivionem eorum. Undè illam salutat *Andr. Jerosol.* hoc modo. Salve lætitiæ nostræ Organum, per quod delicti nostri delectatio expiata, ac pleni gaudij facta est compensatio. Et *Chrysippus Presbyter: Jeros:* Ave Radix omnium bonorum. *Rupert. lib. 1. in Cantic.* O Beata Maria Inundatio gaudij, Vis amoris, Torrens voluptatis. *S. Ephrem orat. de B. Virgine.* Fontem vocat totius consolationis.

Refert *Hier. Gudielius in Hist. Hisp.* Quòd Ferdinand: 3. Rex Hispanorum, cùm Hispalim ab hostibus recuperaret, nec statim expugnare posset, accessit imaginê Virginis cum luctu, quòd ob sua peccata moras traherent Mahometani in tradenda Hispali. Solata illum B. Virgo, promisit brevi civitatem expugnandam ab illo, atque ita accidit. Circa annum 745. adeò mœstus & sine spe victoriæ Gracia Ramirus Hispanus contra Mauros pugnaturus discessit, ut omninò & se moriturum in bello, & domum suam, ac filias in hostium potestatem venturas putaret: quod ut averteret, ductis ad templum volentibus filiabus, capita ante altare Virginis amputat, & sic discedit, vincit Mauros, regreditur impiæ pietatis in filias commissæ pœnitens: ecce Consolatrix Virgo, filias illi vivas stitit. Factum hoc Madriti, & locus appellatus B. Virginis de Atocha. Ita *Pereda lib. de Patrona Madriti, & alij passim de rebus Madritens:* Videndum etiam *cap. 4. n. 2. de Petrane quod huic titulo servire potest.*

Cùm Angli ad sacrum bellum navigarent, disjecti sunt tempestate, apparuit illis S. Thomas Cantuariensis, eosque salvos dixit perventuros: velle tamen B. Virginem, ut priùs irent in Lusitaniam, & assisterent Regi Sanctio contra Saracenos auctores victoriæ. Venêre missi afflicto Regi, sed nondum ille par immensis Barbarorum copijs, quæ invaserant civitatem S. Irenæ in Lusitania: & ecce ipso die superbus Rex hostium Bojac moritur, exercitus dilabitur, victoria fit incruenta, quam refert *Tamajus* ad Annũ 1188. *Spondanus* verò ad annũ 169. aliud narrat. Utzij Scythiæ populi ad sexcenta millia collecti, debellaverant exercitum

Roma-

Romanorum, & feroces victoriâ, nec muneribus, nec legationibus flecti poterant: in oriente etiam Turcæ fatigabant imperium, Imperator Constantinus Duca, homo imbellis præerat, sed pius; coactus tandem à civibus Constantinopolitanis exire hosti obviam, nec reperit qui eum sequerentur ultra 150. milites, rebus sic desperatis ad Divam Virginem confugit. Illâ ipsâ die quâ orabat Imperator, Utzij viderunt acies supra se in aëre dimicantes & tantum in se jacientes telorum, ut nullus illæsus manserit, mox tota gens & peste, & fame correpta, coacta est redire, & aliqui ad Constantinũ militaturi sub ejus signis transire. *Sigebertus in chron: ad annũ* 1098. describit factam obsidionem Antiochiæ à Barbaris, & ex eâ tam fœdam famem ortam, ut nè carnibus humanis abstinuerint obsessi, tum ut scribit *Colvener. Jun.* 78. Bertholdus ductor Christianorum votum fecit B. Virgini, comparuit illi B. Virgo, & promisit victoriam, & præter spem hostes rejecti ab obsessis.

Asservatur etiam num in Hispania in Monasterio dicto de Pinto imago D. Virginis, quam sustinebat Diva Mater Anna. Monialis quædã afflicta ad hanc recurrit, ut suam innocentiam testaretur prodigio aliquo: exaudivit S. Virgo, & de ulnis maternis Annæ descendit, & ad latus altaris stetit cum omniũ admiratione: hæc vocatur Domina nostræ misericordiæ. Ut *Quintana lib. 3. cap. 98.* scripsit. Illud notabile in Hispania de imagine B. Mariæ de Ceica dictæ. Narratur à *Bernardo de Britto 2. p. Monarch: & chron: Cisterc. lib: 6. c. 27.* Lorvanense Cœnobium D. Benedicti, munitum contra Mauros, obsedit Apostata quidam ad Mauros transfugus cum copijs Abderamenis Regis Cordubensis, & ad extremam famem ac sitim redegit. Abbas Joannes cum suis consilium desperatum iniit, ut vulgus imbelle in propugnaculo trucidarent, nè in hostium libidinem veniret, quod etiam fecerunt, ac ipsi demùm ferro viam sibi, aut mortem quærerent: sed inventa ab illis præter spem vita & victoria, & subijt pœnitudo de crudelitate in suos perpetrata: nam & ipse Abbas manu suâ duas proprias sorores jugulaverat, sed S. Virgo omnes illi incolumes reddidit, relicto in collo vestigio vulnerum lethalium. O quàm verum quod *Chrysippus Jerosol. orat. de laud. Virg.* dicit. Tuum est verissimè audire istud gratiâ plena, quia tecum est universus thesaurus totius gratiæ, & lætitiæ Rex. *Homo*, dixit Job, *quasi flos egreditur & conteritur*, æstus adurit, & sol vehementior: nubes est illi Deipara, sic enim *Hieron.* eam vocat *in Jsai. 19.* Accendentur tonitrua, terra concutietur, grandine æther miscebitur. Apoc. 12. Ecce tunc *signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole*, quæ teste *August. in psal. 142.* Deiparam adumbrat. Daniel in captivitate positus oravit faciè versus *Jerusalem*, quæ

quæ juxta *Rupert. de Div. off. 7. cap. 25.* erat typus Virginis: & non tantùm hostium evasit insolentiam, sed & Princeps in Regno factus. Quoniam se Noe *Gen. 6.* in amicorum & omnium rerum ruina per diluvium illata solabatur, Dominus præcepit fieri *Arcam*; sed expressit cum *Fenestra* ut fieret, Arca Ecclesia est, Maria Fenestra explicante *S. August. serm. 15. de tempore.* Defunctâ matre mœstus erat Isaac *Gen:* 24., & dum ita mæstus inambulat, affertur ei *Rebecca*, typus Mariæ. Anno 1636. videbantur aquæ in Ravennam conjurâsse, ita fluvij vicini intumuêre, & torrentes aggesti, ut videretur aqua perennem stationem sibi destinâsse ubi stabat Ravenna. Sola ulmus obstitit, in qua imago Deiparæ fuit, & ex ea decerptos arbore surculos, in crucem formatos aliqui rudes fixerunt, ultra quos aqua non progressa. In magno olim periculo versabatur Asverus, ab eo ereptus per Mardochæum, quod accidit ut exaltaretur *Esther*, quæ ipsa figura Virginis nostræ fuit.

Tria de uno Britone homine, alioquin non optimo, solito tamen orare Virginis rosarium, narrat *Alanus de rupe Psalt. p. 5. cap. 36.* Inciderat semel in latrones, ille appendit capulo gladij rosarium, & ubi gladium strinxit, cæpêre fugere latrones: ijdem latrones rursus conglobati eum invadunt, sed pari fortunâ repelluntur, & ferè omnes vulnerantur, tum unus fassus est, quòd gladius ejus latronibus visus esset ignitus, quo tantoperè territi, cùm autem secundò irruissent, viderunt scutum habentem in brachio, in quo depictus erat Crucifixus, & B. Virgo, & SS. multi, tùm verò Brito Rosarium à capulo transtulerat ad brachium. *Alterum est quod eidem contigit.* Unico illi triginta hostes insidiati: sed ubi ille prodijt, statim fugere cæperunt, & quidam illorum vulnerati, tum tres eorum se narraverunt vidisse, illum armis igneis indutum, & Christum vulneratum eum protegentem, & è vulneribus jacula in hostes jacientem, & alterâ parte D. Virginem terribili fulgure hostes fugantem, & Angelos custodientes. Hoc viso qui prius erant hæretici ad fidem conversi. *Tertium de eodem.* Quod dum militaret suis in signis rosarium appendit, hostium erant 20. millia, sed omnes ferè cæsi, & eorum Dux deditionem faciens narravit, quòd viderit cum suis hunc militem armis igneis indutum, & in parte dextra ejus exercitûs D. Virginem gladium in hostes stringentem, ante exercitum Christum, è vulneribus suis vibrantem spiculaque item plurimos viros armis igneis indutos, qui adversos mirificè terrebant. Dux ille erat hæreticus, hoc itaque prodigio veræ fidei accessit.

Idem Author cap. 41. de quodam milite (quæ uti & priora ferè Authoris verbis referimus) nomine Alano de valle Coloram, devoto Virgini, militante

contra Albigenſes ſcribit. Is à plurimis hoſtibus circumfuſus, fatigatis viribus deficiebat, unam ſpem in Diva reponebat. Affuit Diva, & 150. lapides viſibiliter in hoſtes vibravit, & ſic clientem ſolitum totidem Salutationibus Angelicis Virginem venerari, liberavit. Idem alio tempore naufragatus in mari, ſed Virgo illi 150. colliculos excitavit ſubitò, per quos usque ad littus pervenit. Anno 1512. contigit mirabile quiddam Michaeli Colonna Hiſpano à Turcis concluſo undiquaque hic ſe Virgini commendavit, & unicus octingentorum Turcarum manus evaſit, & vulnera ſua ope Virginis ſanavit. Teſtis rei *Balinus Hem: in calend:*.

Eſt in Luſitania imago dicta Divæ Virginis à Nazareth, juxta oppidum Pederneira, hujus origo, & à periculis liberatio, à *Bernardo Brit.* refertur in hunc modum: Fuaſius Roupinius venationis impetu actus, nubilo die in locum cucurrit, qui immani altitudine præruptus mari impendit, ut nemo præ horrore deſpicere audeat: tum advertit periculum, ubi equus quo ferebatur, ferè extra ſaxum pedes protulit, inclamat opem Virginis, & ſubitò equus in gyrum actus tutiori loco dominum reddit, qui eodem loci imaginem prædictam conſpicit, ac deindè gratus ſacellum erigit. Certè olim 1. *Reg.* 14. hoſtiliter perſequebatur Saul Davidem, at ubi venit ad ſpeluncam Engaddi, totus eſt emollitus, & benignè Davidem allocutus. Engaddi Vineæ erant umbra Deiparæ, ex illa enim Cantic. 1. prodijt *Botrus ille Cypri in vineis Engaddi.* Magi Chriſtum quærentes, ſummum periculum ſubiêrunt in aula Herodis, ſed ſecuri tranſiêrunt, quia eos *Stella* duxit ſymbolum Virginis. Ideo dixit *Giſelb. in altercat. cap.* 19. Quòd hæc Virgo ſit Conſolatio infirmorum, Redemptio captivorum, Liberatio damnatorum, Salus univerſorum. *In florilegio Buteonum: ex orat: Græc:* Domina Dei Genitrix, validum Auxilium oppugnatorum, ſtabilis Anchora, ijs qui tempeſtate jactantur, Præſidium vexatorum, Exhortatio laborantium, Spes deſolatorum, Conſolatio lugentium. *S. Ephrem in laud. B. V.* Hæc Virgo Portus tranquilliſsimus, & à fluctibus procelliſq; agitatorum Liberatrix deſideratiſsima.

Sed nè teſtimonijs immorati, exempla omittamus; ſit quod *Auguſtinus Tuſura in hiſt. ſui fundat.* narrat. Anno 1508. cum tribus centurijs militum, Hieron. Æmilianus Fundator congregationis Somaſchæ in bello Veneto caſtrum novum contra Ducem Cæſarianorum Paliſiam defendebat, & jam dejectis aliquotiès muris, hoſtem cum clade rejecerat: cùm tandem vi capto caſtro, ipſe etiam in poteſtatem Paliſiæ venit, ab eo in tetrum in fundo turris effoſſum carcerem dejectus, ferro manus pedesque ac collum adſtrictus, ſolo in victum pane, ac frigidâ permiſsâ, continuis mortis nuntijs ac expectatione torquebatur. Tum conver-

ſus

versus ad Sacram Virginem vovet se nudis pedibus ad ejus sacram ædem, si juvaret, iturum. Ecce comparet Virgo, & claves porrigit, vincula portasque carceris aperit, ac liberum dimittit, atque disparet. Sed neque periculi neque gratiarum finis. In itinere Tarvisiensi Hieron. in Cæsarianos incidit: rursus ergò Virginem invocat, exauditur: nam eum manu apprehensum invisibilem per medios hostes deduxit, imò itineris comitem se præbuit, donec mœnia Tarvisij se conspectui darent.

Non minùs pulchrum quod narrat *Vincent. Beluacens. lib. 7. cap:* 88. Quidam de navigio quod rimis fatiscens aquas admittebat, in lembum descendere nitebatur opem laturus actuariæ laboranti, sed lapsus inter utramque, fundum maris petebat, cùm ecce multo post tempore, qui mersus fuerat, ad oppositum littus omnibus spectantibus evadit incolumis. Stupuêre sodales nautæ, ille verò cadens: Sacrum Mariæ nomen invocavi assiduè, donec aquæ permitterent, sed cùm ad fundum pertigissem, adfuit Diva pallio me suo involuens, deducensque per aquas ad littus.

Recentiora affert, & quæ anno 1503. contigerant *Horat: Tursellin: lib:* 3. *cap:* 15. Duo Capucini Anconâ in Dalmatiam solverant, & cùm exortâ sævissimâ tempestate imperturbati orarent, nautæ mercibus in mare abjectis, in eos versâ rabie, veluti calamitatis reos deturbant in mare, in maris ipso furore, ope ejus Virginis quam invocabant feruntur solum cingulo tenùs aquis immersi, & laudes Virginis decantantes, itaque brevi Anconæ portum tenuerunt, atque sic madidis vestibus, Lauretum se gratias acturi obtulerunt. De similibus dixit S. *Anselmus cap. 6. de excell. Virg.* Sæpe vidimus & audivimus plurimos homines in suis periculis nominis recordari Mariæ, & illicò omnis periculi malum evasisse.

Quàm meritò dixit *Bonav. super Salve.* Protectrix desolatorum potentissima, post Deum singularissima. *Theosterictus in canone conciliatorio.* Munimentum in anxietatibus (*Virgo ait*) Murus refugij, Salus animarum omnibus modis. *Bernard.* verò asserit Mariæ viscera in misericordiam transisse, in quibus novem mensibus ipsa misericordia corporaliter requievit. Mari misericordiarum comparat *Dionys. Carthus.* Virginem, *lib. 3. de laud. Virg.* Maria interpretatur mare, quia sicut nullus valet guttas maris dinumerare, sic misericordiam, gratiæ excellentiam, gloriamque Mariæ nullus valet exprimere. *Richard. à S. Laur.* eadem similitudine utitur *lib. 4. c. 6. de laud. Virg.* Sicut nec maris profunditas, sic nec Mariæ liberalitas potest exhiuriri: indefessè enim & sufficienter dat gratiam universis (nisi per eos steterit) quam facillimè invenit apud Deum. Undè meritò

Ecclesia Græca in Men. 11. April. sic eam affatur: O apud Deum unicè gratiosa, tu multiplici erga homines miserationis abysso circumfluis, per istam igitur sine fundo misericordiam tuam, peccata mea absorbe, unaque omnes illic maculas elue, à me non attendente contractas, ut sic ab omnibus negligentiæ meæ damnis ereptus, Divinæ existimationis tuæ magnitudinem perenniter celebrem. Consonat Latinus *Rerum. serm. 4. de Assumpt.* Quis misericordiæ tuæ ô Virgo Benedicta longitudinem, latitudinem, sublimitatem & profunditatem queat investigare? nam longitudo ejus usque in diem novissimum, invocantibus eam subveniet universis. Latitudo ejus replet universum orbem terrarum, ut tuâ misericordiâ plena sit omnis terra, sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem. & profunditas ejus sedentibus in umbra mortis, obtinuit redemptionem. Rom. 16. Salutate Mariam quæ multum laboravit in vobis. *Lyranus* explicat. Si illa Maria salutanda erat, quia multum laboraverat, quantò magis Benedicta Virgo Maria, quæ super omnes viros, & mulieres pro nostra salute laboravit. *Richard. à S. Laur. lib. 4.* Cùm Maria misericordiam genuerit, quid aliud est ejus uterus, quàm ipse misericordiarum thesaurus, & ideò dicitur Mater misericordiæ. *Dionys. Carthus.* enarrat *de Concept. Virg.* Virgo est cui Deus regnum misericordiæ dicitur commisisse. *Bonav. cap. 8. speculi.* Magna fuit erga miseros misericordia ejus, adhuc exulantis, sed multò major misericordia ejus jam regnantis in cœlo; undè pro splendore prioris misericordiæ fuit Maria pulchra ut luna, præ splendore verò posterioris misericordiæ, est electa ut sol, nam quemadmodum sol lunam magnitudine; sic priorem Mariæ misericordiam superat magnitudo posterioris.

Testatur (ut hic simus in exemplis) hanc misericordiam ille de quo *S. Petrus Cælestinus opusc. 6. cap. 13.* Hic ad summam egestatem per luxum devenit, dein suasu pessimi famuli dæmoni se devovit, & Christum abnegavit; sed dum Virginem nollet abnegare, dæmon subsidium negavit. Sic ille & Deo amisso, & spe maledicti subsidij ad Virginem Divam, quæ illi unica supererat, recurrit, adit templum, & coram ejus imagine deplorat suum scelus, & calamitatem: intercedit Virgo ad Filium pro homine perdito, personant voces ab imagine procedentes. Filius reponit: Mater mea quomodo possum hoc facere, si iste non timuit me negare? descendit Virgo ex imagine cum Puero Jesu, & eum in altari deponit, & coram eo iterat preces, tum Puer annuit. Spectavit hanc rei seriem homo dives, qui fortuitò ad templum venerat, & cui viderat à cælo gratiam collatam, & ipse conferre constituit, & statim illum fecit hæredem bonorum, ac Filiam quam habuit unicam, dedit in uxorem. Sed sanctiora meditatus ille induxit ad simile pro-

positum statim primâ nocte conjugem, ac cum illa profugit ad monasterium Cisterciense, ubi ille reliquum vitæ inter viros, hæc inter fœminas exegit. Tibi cecinit *Joannes Geometra hymno secundo.* Ave Virgo in qua sunt hyacinthi purpurei gratiæ, in cujus foliis sunt libertatis literæ, nec verbum est mortis. *S. Bernard. in verba Apoc.* Præterea Maria velut alterum solem induit sibi, quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter, super justos & peccatores: sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, clementissimam præbet, omnium denique necessitates Materno miseretur affectu.

Hanc Virginis misericordiam tantoperè consideravit *Bonav. spec.* ut dixerit. Non solùm in te peccant ô Domina, qui tibi injuriam irrogant, sed etiam qui te non rogant. *S. Germanus Archiep. Constantinop. in encom: zonæ cap.* 10. Tu ô castissima, & optima, & summè misericors Domina, Christianorum Solatium, eorum qui affliguntur potentissima Recreatio, paratissimum Refugium peccatorum. *Cap.* 12. Non est revera finis tuæ magnitudinis, non est ulla satietas tuæ defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. *Richard. à S. Victorino p.* 2. *in cant. cap.* 23. In te Virgo concrevit lac misericordiæ; quia cibus ille, quo Christus in plenitudinem ætatis alitus est, non erat aliud, quàm misericordiæ lac, ad faciendam misericordiam nobiscum: adeò Virgo pietate replentur ubera tua, ut alicujus notitiâ miseriæ tacta lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, & non subvenire. Et quid mirum si misericordiâ affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? carnalia in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluerent: cùm enim misericordiam lactâsti, ab eadem misericordiæ ubera accepisti. *Hugo Victor. Inst. monast. serm.* 65. Quid misericordiùs B. Mariâ, quæ â cunctis fidelibus misericordiæ Mater esse comprobatur. *S. Bernardinus tom.* 3. *serm.* 11. *art.* 1. *cap.* 3. Aliquando (Nubes quæ deducebat populum in deserto) præcedebat, aliquando superferebatur, ut mysticè patrocinia B. Virginis in populum electorum, & omnium Christianorum designaret. *Bonavent. spec. cap.* 5. Quis Matiæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solùm in gratia, & gloria, sed etiam in misericordia altissimam, tam profundam operatus est.

5. Beatam dicunt tentati.
Quia est eorum Protectio.

Raymundus Tullus Eremita lib. de laud. Virg. cap. 30. dixit: Neminem timere oportet malitiam dæmonum, cùm teneat Dei Genitricem sibi propitiam, & po-

ſtulat ab ea auxilium, & ſuccurſum. Imò *ipſa Virgo apud Brigittam lib. 1. rev. cap.* Omnes dæmones verentur hoc nomen (MARIA) & timent, qui audientes hoc nomen Maria, ſtatim relinquunt animam de unguibus, quibus eam tenebant: ſicut enim avis quæ in prædam ungues & roſtrum habet, ſi audierit ſonum alquem, relinquit prædam, ſed cum nihil operis ſequi videt, revertitur ſtatim ad eandem; ſic dæmones audito nomine meo ſtatim relinquunt animam quaſi territi, ſed iterum advolant, & revertuntur ad eandem, quaſi ſagitta velociſſima, niſi aliqua emendatio ſubſequatur. Nullus etiam tam frigidus ab amore Dei eſt, niſi ſit damnatus, ſi invocaverit hoc nomen, hac intentione, ut nunquam reverti velit ad opus ſolitum, quòd non diſcedat ab eo ſtatim diabolus, & nunquam ampliùs revertitur, niſi reſumpſerit voluntatem peccandi mortaliter.

Deſcribit fusè hoc ipſum *Amedeus hom. 8. de laud. B. V.* Dici non poteſt quoties hi aſperrimis ſcopulis naufragaturi offenderent, illi in ſyrtes peſsimas non reverſuri inciderent, hos ſcyllæa virago hiatu horribili mergeret, illos ſirenarum cantus in exitium dulce retinerent: niſi Stella maris perpetua Virgo Maria, quæ validiſsimâ obſtitiſſet, ſuosque fracto jam gubernaculo, & rate conquaſſatâ, omni humano conſilio deſtitutos, cæleſti ducatu ad portum æternæ pacis applicandos eveheret. Experta eſt id ipſum Monialis, de qua *S. Petrus Cæleſtinus opuſc. 6. cap. 2.* Hæc ſeducta à quopiam fugam è monaſterio meditabatur, ad idque clavim portæ monaſterij furata, uſura eâ noctu, dum ergo nocte prima vadit verſus portam, pro conſuetudine ibi imaginem locatam Divæ Virginis tranſiens ſalutat: laborat deindè tota nocte circa portam, ſed nullatenùs aperire poteſt: idem ſecundâ nocte evenit eodem modo ſalutata Virgine ad imaginem: tandem tertiâ nocte eodem modo factâ ſalutatione ejusdem, portam aperire laborat, & ecce advertit manum quandam obtegentem foramen ſeræ, quâ clavis erat inſerenda: & dum ampliùs reſpicit, ipſam Divam Virginem advertit: & ab ea talia audit. Quid facis ô filia? nunquid tu vis manum meam clavi tuâ perforare? nonnè paulo ante me ſalutans corpus tuum & animam meæ cuſtodiæ commiſiſti? & ecce nunc ad ſcelus vis pergere? eſtnè ullus pulchrior, vel ditior, vel ſapientior, ſponſo tuo Filio meo? compuncta Monialis retractavit ſcelus. Hæc eſt altera Rebecca teſte *Bernardo ſerm. de B. Virg.* quæ *Gen. 17.* Jacobum præmonet, & nè in inſidias Eſau incidat, præcavet. Cum *Eccleſia hîc Græca Men. 4. Jan. ode 3.* ſuſpiremus: Multi me adverſarij ſublimes impugnant; deficit in dolore vita mea in profundum peccatorum; ſalva me Domina, neque deſpicias me: nam te velut inſuperabilem acquiſivi tutelam. Et *ode 4.* Ad te dies noctesque ô præ omnibus re-

culpâ

culpatam clamabo, & hac ratione salvabor, murum etiam voluptatum transcendam, atque patrocinio tuo à dæmonum insultibus liber evadam. *Richard. à S. Laur. lib. 12. de laud. Virg.* Obumbrat præcipuè Maria super capita bellatorum, qui contra vitia pugnant, ut dicere valeant, qui sic pugnant: Obumbrâsti Maria super caput meum in die belli. *Idem ibid.* In Maria velut in horto condenso, & umbroso invenitur umbra propitiationis: ad hoc enim obumbravit eam virtus Altissimi in Filij Conceptione, & ut ipsa precibus suis, meritis, & exemplis, obumbraret peccatoribus contra ostium cujuslibet pravæ concupiscentiæ.

S. German. Patriarcha in encom. Deiparæ. O Domina mea sola mihi es ex Deo solatium, sola æstûs in me existentis Divinus ros, cordis mei exarescentis guttæ Divinitùs fluentes, tenebricosæ animæ meæ splendidissima lampas, itineris mei directio, debilitatis meæ potentia, nuditatis meæ vestimentum, mendicitatis meæ divitiæ, insanabilium meorum vulnerum medicina. *S. Fulbertus Episc. serm. de Nativit. B. V.* Quid est fratres in hoc loco serpentis caput conterere? nisi principalem diaboli suggestionem, id est concupiscentiam resistendo superare? si ergo quæratur quænam mulier ejusmodi victoriam operata sit? profectò non reperitur in linea generationis humanæ, donec perveniamus ad illam, de qua agimus, Sancta Sanctorum. Facite ergò quod monet *Innoc. III. serm. 2. de Assumpt.* explicans cantic. 6. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Quicunque ergo sentit impugnationem ab hostibus, vel à mundo, vel à carne, vel à dæmone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam; ut ipsa per Filium immittat auxilium de Sancto, & de Sion tueatur. Nam ut *Bonav. Spec. B V. cap. 7.* Ipsa non solùm in plenitudine Sanctorum detinetur, sed etiam in plenitudine Sanctos detinet, nè eorum plenitudo minuatur, detinet nimirum virtutes nè fugiant, detinet merita nè pereant, detinet dæmones nè noceant; detinet Filium nè peccatores percutiat. Hortatur proindè *Laur. Justin. serm. de Nativit. Virg.* Deum veneremur in Matre, Matremque honoremus in Filio: quatenùs Filiu[illegible]itrice interpellante pro nobis; vincamus mundum, diabolum superemus, renitamur tentationibus, adipiscamur coronam, atque in Regnum introëamus æternum.

Et *S. Bernard. hom. 2. super missus* sic quemlibet nostrûm alloquitur. Nè avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis, si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam, si jactaris superbiæ undis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam, si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice Mariam, Mariam invoca, non recedat de ore, de corde, & ut impetres

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

petres orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum, ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ Duce non fatigaris, ipsâ propitiâ pervenis, & sic in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit: Et nomen Virginis Maria. Legimus victoriam *Danielis* de gula *cap. 6.* cùm captivus Regios cibos sperneret: animo ni fallor hoc faciebat, quia orabat versus urbem Jerosolymitanam, at hæc urbs teste *Ruperto 7. de Div. off.* 25. erat imago Deiparæ. Imminebat Jacobo Esau *Gen.* 32. Ille modestè fert minas, non convitus saltem, & verbis iram ostentat. Unde tanta mansuetudo? viderat *Scalam* in itinere, quæ juxta *Bernard. serm. de Nativit. B.V.* Figura fuit Virginea, indè tanta viro inter pericula animi firmitas. Passiones animæ nostræ sunt quædam bellua feroces; sed ubi in *Arcam Noe* quæ est Dei Mater inducuntur, omnes in quiete convivunt. *Eccles.* 24. Cinamomo Deus Virginem comparat, fortè quia præservat à corruptione, hinc avium in Arabia quæ cinamomo vescuntur carnes incorruptibiles esse dicuntur. Mare quoddam inquietum affectus nostri, sed Virgo pulchra ut luna, ipsum etiam mare cœlum versus elevat: imò ubi diluvium aquarum & pericula desævierant, arca in montibus Armeniæ quievit. Veniet ad montes sanctos qui manet in Arca, id est sub tutela Virginis, esto totus orbis periret fluctibus, & ita ad montes veniet, ut ipse nec advertat se venisse, quia velut in navi sine suo labore.

Idiota cap. 5. Ipsum nomen Maria super omnia nomina Sanctorum ungit agonistas, & jugum diaboli extrudit. *S. Brigitta in serm. Angelico cap.* 20. Super omnes malignos spiritus Virginem sic Deus potentem effecit, ut quotiescunque illi alequem hominem Mariæ auxilium ex charitate implorantem impugnaverint, ad ipsius Virginis nutum illicò pavidi procul effugiant, volentes potiùs pœnas suas & miserias multiplicari, quàm Mariæ potentiam taliter super se dominari. *S. German. orat. de Zona.* Tu ô Virgo nequissimi hostis invasiones solâ tui nominis invocatione repellens, tutos nos, atque incolumes conservas. *Bernardin. tom. 3 serm. 1. art. 3. cap. 2.* Nec inconvenienter situs stellæ maris cum sit in Aquilone, convenit Mariæ, quoniam per Aquilonem persecutio vel tribulatio designari solet, propter ventorum & procellarum vehementiam; ideo locus Mariæ in Aquilone est, ut per eam austeritas persecutionis inflictæ hominibus temperetur. Solet etiam per Aquilonem peccatum significari, undè Hierem. 1. *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Ideò consequenter locus Aquilonis ei appropriatur, eo quòd ipsa media inter peccatores, & Filium statuatur, ut ex illa parte iram ejus mitiget.

6. Be-

6. Beatam dicunt in necessitatibus positi. Quia est illorum Procuratrix.

Josephi Confessoris in Menæa Græca relata hæc confessio 20. *Jun.* Per tuæ Virgo benignitatis exuperantiam, res nostras ita moderaris, ut propriè tuas. Item *S. Damasc. ibid.* 15. *Augusti.* Deiparam suâ pro nobis intercessione pervigilem, & in patrocinijs nostris Spem plane immotam, neque somnus mortis ab illa vigilantia, neque sepulchrum ab illa stabilitate dimovit. Et *Bernard. serm.* 1. *de Assumpt.* Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis Mater, & Mater misericordiæ simpliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractavit. *Rich. à S. Laur. lib.* 6. Maria est mulier Chananea (videte quàm opportunè importunè efflagitanti mulieri confert?) Quæ clamat ad Deum pro filia, id est pro peccatrice anima, cujus etiam personam in se misericorditer transformat dicens: Miserere mei Fili David; & cui misericorditer respondet Filius: O mulier magna est fides tua.

Breviter, sed optimè *August. serm.* 3. *de Nativit. Virg.* Virgo hæc sicut apud Deum est potior, ita omnibus Sanctis est sollicitior. Non immeritò itaque eam *S. Ephrem orat. ad Deip.* vocavit Polyommaton, hoc est multis oculis videntem, veluti custodem quendam Argum. *S. Epiph. de laud Virg.* eam dixit Polyophtalmon, id est multoculam. Siquidem ut *idem serm. de Assumpt.* omnia observat, & intuetur, & inspectio ejus ad omnes se extendit. *Bonavent. in spec.* Ruth interpretatur videns, & festinans, & signat B. Virginem, quæ verè videns in contemplatione, & bene festinans fuit in actione, videns enim nostram miseriam, est & festinans ad impendendam suam misericordiam.

Sed & *Ecclesia Romana in festo omnium* SS. canit. Placare Christe servulis, quibus Patris clementiam, tuæ ad tribunal dexteræ, Patrona Virgo postulat. Cùm Christus Matri dixisset apud *S. Brigittam lib.* 1. *cap.* 50. Pete quodcunq; vis, & dabitur tibi. Respondit Mater, Misericordiam, & auxilium peto miseris. Virgo enim nostra illa est Sanamitis 4. *Reg.* Quæ de Elisæo ita sollicita est, ut & minimas res curet, & lectulum, & sellam, & mensam, & candelabrum. &c. *Ita Richard. à S. Laur. lib.* 5.

7. Beatam dicunt ægri, quia est omnium morborum Medica.

S. Antonin. 1. p. tit. 8. cap. 3. Sicut Rex dum mittit ad prælium milites suos (quia ut sapiens cognoscit quòd multi ibi vulnerentur) mittit etiam medicum ad curandum, ita Deus sapientissimus, præsciens nos habituros continuum certamen cum dæmonibus, sæpè ab ijs peccatorum vulneribus damnificari, concepit in mente sua, & disposuit mundo mittere medicum, scilicet Virginem Beatissimam. Quod *Alb. M. super missus cap. 141.* sic probat. Nullus morbus fuit ita incurabilis, quin Virgo sciret & posset eum curare, ergo habuit in summo scientiam medicinæ. Item scivit curare solo verbo, ergò scivit medicinam in summo, item ipsa scivit curare corpus & animam, ergò ipsa scivit perfectè medicinam. Item ipsa scivit sanare ad immortalitatem, ergò in summo habuit medicinæ cognitionem. *S. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 19. parag. 2.* Nullus morbus quantumcunque incurabilis est, quem non valeat Maria curare, ut cæcitas & mors. Undè illi canitur: Cæcos tu illumina, mortuos suscita, da mœstis lætitiam.

Pro hac ipsa re argumentatur *S. Basilius Seleucus orat. de Annunc.* Si Christus servis suis tantam gratiam contulit, ut solo tactu, imò verò solâ corporis umbrâ, ægris præsidium afferre possent, qualem vim adversus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuisse putandum est. *Amedæus Lausonens: hom: 8. de laud. Virg.* Non solùm animarum saluti, verùm etiam humanorum corporum sanitati, atque necessitati piâ diligentiâ B. Virgo providet, & medetur. *Ideæ Atlantis Mariani Author pag. 55.* breviter ejus medicinæ extensionem comprehendit de imaginibus ejus loquens, misericordia ejus redundat in Episcopos, & Pontifices, in Canonicos, Religiosos, Eremitas, & Imperatores, Principes & Nobiles, in architectos, rusticos, & pastores, in ethnicos, judæos, hæreticos, in fœminas Principes, Virgines, & uxores afflictas, in infantes, tribulatos, captivos, energumenos, desperatos, blasphemos, ignorantes peccata, pœnitentes, peccatores, in eligentes statum vitæ, in milites fame afflictos, prœliantes, obsessos in urbe, in mari, in speluncis, in podagricos, cæcos, claudos, mutos, surdos, paralyticos, in animas purgatorij, in tempestate, ruinis montium, domorum, in incendio, in naufragio, eluvione, in aquæ penuria, pro felici & veloci reditu, rebus amissis. Jure potest comparari fluvio Jordanis, in quo Naaman abluit lepram. 4. *Reg. 5. Richard. à S. Laur. lib. 9.* Maria Fluvius Jordanis, in quo ad præceptum Elisæi restituitur caro Naaman leprosi, sicut caro parvuli pueri.

Et

Et *Damasc. serm. de dormit.* loquentem sic Virginem habet. Ego evasi Officina medicinæ ægrotantibus, ego Fons perennis curationum. *Petrus Blesen. serm.1. in Advent.Dom.* Probatica piscina B. Virginem significavit. Et *Richard. lib.9.* Maria est Probatica Piscina, in quam Angelus secundum tempus descendebat, & movebatur aqua, & sanabatur unus. Tempore enim Incarnationis descendit magni consilij Angelus in Mariam, & mota est aqua, quando ad novam salutationem turbata est Maria, & sanatus est unus, id est quotquot crediderunt in Deum trinum, & unum. Christus carnis suæ tactu sanabat ægros, hanc carnem à Virgine accepit. *Guerricus Abbas serm. 1. de Annunc.* Quotquot tangebant eum sanabantur à languoribus suis, nam virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Beatus igitur venter qui te ô Domine JEsu portavit, felix castitas uteri Virginalis, quæ huic operi materiam ministravit.

Aliud paradigma *Andr. Mediolanen.* Virginis habet cùm ait: Tu Columna cui ad sanandum populum serpens est impositus in eremo. Aliud *Richard. à S. Laur. lib. 1. cap. 2.* Maria illud Oleum misericordiæ est, quod verus Samaritanus, id est Christus, infudit vulneribus sauciati generis humani. *Basilius Seleuc. orat. de Verbo Incarnato.* Si Christus tantam gratiam servis suis contulit, ut solo contactu, imò verò solâ corporis umbrâ ægris præsidium afferre possent, nam (ut *Actorum exponit liber*) infirmi in plateis ejecti, umbrâ tamen Petri contacti, liberati à morbis evadebant, non deerant quoque, qui linteo quo Apost. Paulus corporis sudorem exterserat accepto, infestos dæmones profligarent. Qualem vim adversus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuisse putandum est, an non multò majorem, quàm cæteris Christi imperio subjectis? Res clara est. Nominatim de periculo parientium, *Paulus Crosius epist. ad Heliod.* Coram Deo novi, & in veritate comperi, quòd nulla mulier in partu periclitatur, supra quam devotè Mariæ gratia imploratur, & dies Conceptionis ejus celebratur. Depascebatur Ægyptum multitudo locustarum *Exod.* 10. sed omnes mersit Moyses in mari. Maria est Mare teste *Bonavent. in spec. B. Virginis*, in illo merguntur nostra mala. 2. *Reg.*23. Banaias miles Davidis leonem occidit, sed in *Cisterna*, per quam Richard. intelligit nostram Virginem.

Hæc est Vitis sub qua quisq; securiùs habitat, quàm Israel, & Juda. 3. *Reg.* 4. Asservatur Romæ cum omni cultu imago B. Virginis, hauriebat Romam & exhauriebat contagio, & malum omnẽ artem vicerat, cum S. Greg. Magnus, gnarus quantus hæc Virgo thesaurus esset sanitatum, imaginem per urbem deportat, approbárunt & Angeli cantu ab omnibus audito, accinentes *Regina coeli lætare Alleluja &c.* cui S. Pontifex adjecit versiculum: *Ora pro nobis Deum Alleluja*, & in

ipso cacumine Adrianæ molis à S. Pontifice conspectus, qui repositò in vaginam gladio pestiferæ lui finem faceret Angelus. In cujus rei memoriam castellum accepit nomen ab Angelo, & suprà imposita Angeli effigies.

Baronius anno 534. *ex Evagrio* refert, eo tempore tam ferocem pestem fuisse, ut nec 50. annorum morâ conquiescceret, ex urbe ipsa Constantinopoli ab initio quidem pauca, deindè in singulos dies 5, sæpe etiam 10. millia funerum efferebantur, remedio fuit Virgo, statuitur festum Hypopantes seu Purificationis, quod remedium ex revelatione, ut ait *Martinus Polonus* anno 529. cuidam viro pio facta innotuerat, (festum hoc jam erat in cultu in occidente) & confestim pestis extincta. Pestis, aut pesti simile fuit venenum volatile basiliscì, qui Romæ tempore Leonis 4. anno 843. ebullierat, deportata imago B. Virginis, appellata Majoris, & confestim bestia tot mortium ferax emortua; quod adnotat *Baron.* die Virginis B. Assumptæ contigisse. Efficaciam hymni illius *Conimbricenses S. Claræ Moniales* expertæ, quem etiam Divinitùs edoctæ, postquàm seipsas à peste tutatæ, omnibus communem fecerunt: *Stella cæli extirpavit &c.* Sæpe urbs Roma peste afflicta, ad imaginem Virginis confugit, ita S. Greg. illam circumtulit, & cessavit ira Dei. Calixtus 3. simili necessitate & fructu eam circumgessit. Adrian. 6. simili occasione, & eventu.

Cùm Atrebatum peste ardentissimâ flagraret anno 1105. quâ cælestis ira ignes impuros urebat, nec ullus remedio locus erat, nam aura ipsa inflammabat, apparuit D. Virgo duobus inimicis, ac utrumque eodem modo allocuta, eorum alter in Brabantia, alter in Tarnesio morabatur. Historiam refert *Maracius in Antistit. Marian. pag.* 350. Surge inquit & Atrebatum proficiscere, magnam ibi præ templi foribus ægrorum comperies turbam, semianimes, ac ferè flagrantè tabe consumptos, inde Lambertum loci Episcopum adibis, monebisque, ut sabbati proximi nocte, vigil excubet, ægros juxta templum decumbentes visitando: sub primum galli cantum conspicietur in simili quam gero veste mulier à choro templi delabi cum cereo in manibus, quem vobis tradet, de quo ceræ modicum instillabitis in vasa aquæ plena, quam ægris deindè quibuscunque potandam præbebitis, eâdemque inflammatas pestilentiales partes irrigabitis, quotquot autem hoc salutari remedio viva credentes fide uti voluerint, invadent incolumes, quotquot autem despexerint, morte corripientur; sed cùm neuter dictorum visioni obediret, utrique rursus comparuit Virgo, ac monuit, ut exequerentur jussa, sed Episcopus metuens illusionem, neutri credidit: tandem ferìò affirmantibus, ac iras quas habuerant, deponentibus, assensus, ac omnia uti dixerant deinde experius,

ctis. Benè itaque à *Geometra hymno* 4. Virgo appellatur Medicina ægritudinum noſtrarum. Tanquam receptam Medicam reliquit *Richard. à S. Laur. lib.* 1. *cap.* 2. Triſtatur aliquis, continuò ad nomen Mariæ recedit nubilum, ſerenum redit. Et rationem dat *lib.* 1. *cap.* 2. Nomen Mariæ duritiem apoſtematis, quod deſignat ſuperbiam, emollit, & ſedat tumorem cordis. Felix itaque qui hoc nomen Mariæ in corde, & ore frequenter habet: quidquid ibi ſuperbiæ indurat, de tanti vocabuli virtute emollietur.

Concludat *S. German. dicendo orat. de Præſent. B. V.* Medicina inſanabilium vulnerum noſtrorum, S. Virgo eſt. S. Theod. Siceotes Anachoreta factus Epiſcopus Anaſtaſiopolitanus, cùm à quibusdam porrectum in potu venenum neſcius accepiſſet, triduoque velut mortuus jacuiſſet, apparuit illi SSma Virgo, & ſceleris authores aperuit, & tres illi porrexit pilulas medicas dicendo: Comede, & nihil mali reſidebit in venis quod te magnopere turbare queat. Apud *Maracc. Antiſt. Marian. fol.* 525.

8. Beatam dicunt pauperes.
Quia eſt illorum Ditatio.

Non ſolùm æterna noſtra curæ ſibi fecit Virgo S. ſed etiam temporalia. Pateat id ex hiſt. quam *Auguſtinus Mannus in hiſt. rerum memor. in Eccleſia Dei cap.* 79. recenſet. In Hiſpaniæ Regno Cantabria, eſt imago B. Virginis Anaglyptica, præter gemmas quibus eam copiosè exornavit pietas clientum, erant crepidæ argenteæ. Vir erat quidam probus, ſed egenus, Virgini certè devotiſsimus, dum hic ſuas neceſsitates, filias indotatas jam nubiles, familiam eſurientem, ſe ipſum in lacera veſte Virgini in oratione ſiſtit, projicit illi Virgo crepidam, annuens ut acciperet; accepit, ſed dum argentum in pecuniam apud aurifabrum mutat; ſacra crepida agnoſcitur, miſer rapitur, damnatur ad reſtim. Hic verò ingemiſcere beneficio, & dum jam ad fatalem deducitur trabem, orat, impetratque ut Virgini ſiſteretur, ob cujus beneficium damnabatur. Orat palàm, quæ ultima hora, & calamitas monebant, populus aderat frequens: & ecce pientiſsima Virgo alteram crepidam jacit ante pedes miſeri, & ſimili nutu monet, ut recipiat munus, cohorruit ſpectaculo populus, & innocentem abſolvit.

Aliud refert *Gregor. Turonen. lib. de gloria M.M.* Hieroſolymis in Monaſterio tantus erat rerum defectus, ut agitaretur de ſolutione, idque urgebant ipſi maximè, qui patiebantur. Detinet Abbas fixa ſpe in B. Matrem, orationemque no-

cturnam indicit, & ecce manè ita horrea tritico repleta, ut vix ostium granarij aperiri posset. Rediêrat per longum tempus similis calamitas, rursùs Abbas ad Divam & ad preces reduxit monachos, dum manè Abbas celebraturus sacrum altare accedit, vim auri ingentem in eo reperit, quod nemo inferre poterat, ostio oppessulato, & custodiâ certâ. De Theodoro Archimandrita in ejus vita simile quid refert *Gregorius Presbyter.* Ad extremam inopiam cœnobium devenerat, insuper ramorum feriæ imminebant, in quam diem multitudo hospitum confluere solebat: jubet plenus fiduciæ Theodorus reliquias farinæ in altari D. Virginis deponi: & ecce postridiè triginta naves Cypriæ onustæ frumento ad monasterium appulerunt. Visitabat S. Petrus Thomas Carmelita quoddam Ordinis sui monasterium, uti est apud *Maraccium in Antistit. Marianis fol.* 446; sed illud egestate fuit oppressum, sed dum orat S. Virginem, ab illa audivit: Nè timeas Petre, omnia necessaria tibi adjicientur. Posterâ die venit Angelus in specie mercatoris, qui tantum auri attulit, quantum ad sublevandas necessitates monasterij sufficit, atque auro dato disparuit. Itaq; facit huc titulus, quē dat illi *Divus Bonav. in litan.* Mamilla est orphanorum, & Consolatio afflictorum. Vel quod monet *Richel. à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg. part. 1.* Serviendum Mariæ, quia pastum subministrat famelicis, & potum sitientibus, undè de illa dici potest, sicut de Filio *psalm.* 54. Jacta cogitatum tuum in Dominam, & ipsa te enutriet, ipsa enim esurientes implet bonis, & dat escam esurientibus. Et quod *idem lib. 1. cap. 2.* Dignitatem & efficaciam Nominis Mariæ videtur Salomon innuere dicens: *Melius nomen bonum, quàm divitiæ multæ* Prov. 22. Mariæ siquidem nomen longè melius, quàm divitiæ corporales, quia melius angustiam relevat paupertatis.

Testimonia fulciat *historia.* Obsederat Hali Arabs Madritum ingentibus copijs, urbs fame pressa, nè deditionem faceret, cui proxima erat, ad templum, & Virginis auxilium confugit; interim puer quidam perfodit aliquantùm murum Ecclesiæ, & ecce triticum tantâ copiâ fluxit, ut non solùm ad multorum dierum alimoniam toti populo sufficeret, verùm etiam ut in hostes possent plenis saccis effundere in signum suæ abundantiæ, quo hostis perculsus, statim recessit. Hoc desumptum *ex actis ejusdem Ecclesiæ & picturis.* Undè Mardochæus tam subito (*Esther* 2.) ad fastigium tam sublime evasit? ad *Januam*, inquit scriptura Regis morabatur. Nostra Sacra Virgo teste Ecclesia est Regis alti Janua. Ultima tribus erat Benjamin, tamen dum terra dividitur *Josue* 18. prima sorte exit. An quia scilicet matrem habuit *Rachelem*, quæ *Richardo lib. 4.* adumbrat Deiparam? *Oleo* Deus utebatur ad designandos Reges. Oleum est *Ambrosio cap. 3. institut. Virg.*

Virgo

Virgo Sacra. Famulabatur Moysi Josue, hic successit Domino in principatu. Dat causam Scriptura Exod.33. *Minister ejus Josue, Filius Nun, puer, non recedebat de Tabernaculo. Richardo, & alijs* Tabernaculum designabat Deiparam. Sic Salomoni Regnum 3. *Reg.1. Bersabea* impetrat, Jacob conspectâ *Aurorâ Geneseos* 32. nomen sublime Israelis accipit, quæ omnia figuræ Virginis, pauperes erigentis.

9. Beatam dicunt ejus cultores, quia velociter exaudit.

Asservatur Messanæ in Sicilia imago D. Virginis à S. Luca depicta, appellatur de Litera, eò quòd in eodem sacello literæ B. Virginis quas ad Messanenses dedit, sint repositæ. Huic *S. Lucas* græcè inscripsit: IGORGO EPICOOS. Velox Auscultatrix. Audacter, sed verè *Anselm. de Excellent. Virg. cap.6.* Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Mariæ, quàm invocato nomine JEsu unici Filij: & id quidem non ideo, quòd ipsa major, & potentior eo sit: nec enim ipse magnus & potens est per eam, sed illa per ipsum; sed quia Filius ejus Dominus est, & Judex discernens merita singulorum; dum igitur ipse à quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profectò id justè facit: invocato autem nomine Mariæ, etsi merita in vocatis non merentur ut exaudiatur, merita tamen Matris merentur ut exaudiatur, imò ipsa occurrit. (*B. Amedæus hom. 8. de laud. Virg.*) Motu celerrimo Seraphim alas excedens Virgo nunc in fonte vitæ fruitur amore Deitatis, nunc terras signis & virtutibus illustrans, ubique suis ut Mater jucundissima, & mirificentissima occurrit.

Richard. à S. Laur. lib. 5. Maria ad subveniendum promptior omnibus Sanctis, miseris subveniendo, ut dicere de ipsis miseris videatur cum Filio illud Isaiæ 65. *Antequam clament ad me exaudiam eos.* Et quidem occurrit cum celeritate. *Richard. à S. Novar. elect. lib. 4. n. 696.* Meritò misericordia Virginis cursui hinnulorum comparatur, cùm per mundum currat, velociùs occurrat, quàm invocetur, & causas miserorum anticipet. Et est universalis (*Idiota in prologo.*) tanta ejus benignitas, quòd nulli formidandum est ad eam accedere, tantaque misericordia, quòd ab ea nemo repellitur. *Bonav. in spec.* Gratia Mariæ colligit malos, impinguat bonos, liberat universos. *S. Bernardus, vel Author serm. in salve Regina.* Agnoscit Virgo certè, & diligentes diligit, & propè est in veritate invocantibus se, præsertim his quos sibi videt conformes in castitate, & humilitate. Viderat *Genes. 28.* Jacob *Scalam*, per quam Angeli sine cessatione ascendebant & descendebant. Hæc Scala est, inquit *Bonav. in laud. Virg.* per quam ut ascen-

dunt

dum nostræ orationes ad Deum, ita statim beneficia descendunt: idque etiam Iacob dormiente, & non cogitante se gratias percepturum. *S. Method. Martyr. audiatur orat. de Purif.* Sæpe quos Iustitia Filij potest damnare, Mater misericordiæ liberat, invocatus namque ille, dum ad justitiæ trutinam merita rogantium expendit, vel postulationibus non indulget, vel tardior, & lentior procedere consuevit: Deipara verò cùm Regnum acceperit, quod totum in mansuetudine positum est, non tam frequenter expendit, quid mereantur qui rogant, quàm quid suam deceat benignitatem, quare velox & festina est in audiendis afflictis.

Similibus hoc ipsum explicat *Gerson. tract. 4. super Magnificat.* Magnificat est hodie Virgo Beata, ut Regina cœli, imò & mundi jure vocetur, habens præeminentiam, & virtutem influxivam super omnes. Principatum habet dimidij Regni Dei, si sic dici potest, sub typo Esther, & Assveri: Regnum quippe Dei consistit in potestate, & misericordia. *Semel est locutus Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tua Domine misericordia.* Potestate Domino remanente, cessit quodammodò misericordiæ pars Matri Christi, Sponsæque regnanti: quemadmodum enim homines non nisi parcè & minutatim distribuunt illa, quæ per agones, & laborem consecuti sunt, ita hominum Salvator suo nomine invocatus, in dispertiendis gratijs, & cautior, & cunctatior invenitur: contrà verò illi liberales, & profusi in ijs communicandis, quæ absque sudore & periculo comparárunt: sic B. Virgo Maria Redemptionis pretium, quod atque perceptis in ligno vulneribus accepit, facilius suo nomine communicat, ac dispensat.

10. Beatam rei dicunt; quia in judicio Dei succurrit.

Id sibi ab illa *Ecclesia Græca in Menæis 1. Martij* promittit, cùm orat. Extremum judicium cogitans contremisco, admissorum à me scelerum memor, & infortunatus quomodò ego Judici respondebo, ut actiones meas excusem? verùm oculos ad tuam imaginem flectens, accipio planè solatium, ô Domina ærumnarum mearum. Id orat *Damascenus ibid. 9. Martij.* Propter ultimi judicij recordationem timore perfundor: & ad horribile quod imminet examen contremisco ancipitem quoque sententiam horreo, & supplicij magnitudinem pertimesco, tormentum scilicet ignis, inferorum tenebras, dentiumque stridorem, & conscientiæ vermem semper insomnem, heu mihi! quid faciam? quando postea fuerint throni, librique conscientiarum aperti, ac denique actiones hominum reprehendentur? tunc scilicet auxilio mihi assiste ô Domina, meique patrocinium,

nium, quàm ferventissimum susscipe: in te enim spem omnem repositam habeo, quanquã tuus sim inutilis servus. Narrat *Discipulus in prompt. miracul. Virg. num.* 50. de quodam Religioso vitæ malæ, qui unicum hoc habuit boni, quòd centies quotidie Virginem salutare fuerit solitus. Hic in morbum incidit, & in eo per visum ad Judicem deductus: ubi in bilancem à dæmonibus relata hujus scelera, B. Virgo etiam attulit Salutationes sibi ab eo dictas, sed deficiebant adhuc pondere cum tot peccatis appensæ: jam ruebat causâ miser: conversa Virgo ad Filium, oravit guttam sanguinis sui adjiceret, quod & fecit: sic miser redditus saluti: vixit deinde, sed in melius mutatis moribus.

Suppar est huic quod narrat de Benedicta Florentina muliere *B. Alanus de rupe in psalm. p.* 5. *cap.* 60. & jurat esse verum. Hæc ætatem publicè libidini consecraverat. Tandem compuncta concione S. Dominici, ad eum venit, ut confiteretur: interrogavit Sanctus utrum vellet in eum reponi statum, qui esset expediens pro ejus salute. Annuit. Tum occupata à dæmonibus, post annum rursus confessa eidem Sancto, & liberata ab infestoribus spiritibus, redijt illa ad scelera: advolat Dominicus, increpat, exprobrat, & sic eam deducit in templum, & confiteri persuadet. Tum interrogavit utrum se vellet committere misericordiæ B. Virginis? voluit illa: & statim à spiritibus malignis infesta, duravitq; hoc malum, solo eo tempore libero relicto, quo rosarium jussu Sancti orabat. Rapta tandem in extasi ad tribunal Dei: allatum grande scelerum illius volumen compar domunculæ cuipiam, coacta primum ejus folium legere, cœpit infernales querimonias emittere, corruere &c. Cui Judex: Surge, surge, fac quod dixi, & lege in tuo libro coram omnibus quæ fecisti, legere cœpit, sed non potuit præ confusione. Petebat misericordiam, sed Judex negabat, voluebatur, ejulabat. Miserti qui assistebant Judici pro ea exorabant, sed nihil impetrabant. Tum unus eam monuit, ut ad Matrem Dei recurreret, fecit. Misertus Iudex orante Matre locum dedit pœnitentiæ, (vidit interim S. Dominicus hoc totum quod raptu agebatur) & deindè instructa à Virgine, quomodò vivendum esset, obedivit, & sanctè vitam peregit. Nimirum Virgo est Rubus Moysis *Exod.* 3. ut *Greg. His. in vita Moysis* asserit: Alibi Deus noster est ignis consumens, sed quandò est in *Rubo*, nè metue vel nudis pedibus accedere. Idem Moyses alio tempore in periculo ad Virginẽ accurrit, figuratam *num.* 16. Insurrexerat populus in Moysem, & Aaron, & jam ambo in discrimine, quo se receperunt ut evaderent? confugerunt ad *Tabernaculum*, quod erat *teste Richardo à S. Laur. lib.* 10. Imago Virginis, & postquam se receperunt in illud descendit *Nubes*, quam *Ambros. exhort.* ad

viduas, Virginem Sacram intelligit. Homo velut putamen ovi abjectitium vacuum subindè sistitur: sed si rore impleatur, id est Sacrâ Virgine, ut loquitur *S. German. Constantinop. in encom.* sursum à Sole justitiæ abripietur, hoc enim de ovo rore impleto soli expositio experti asserunt. Illud certè Virgo de se dicere potest Oseæ 14. *Ego Ros, & Israel germinabit.* Arbor notat Sacram Virginem, quæ nobis fructum vitæ protulit, confugêre sub illam primi Parentes, & Deo in illorum crimen inquirente, mitiori pro merito pœnâ multati. Prodit Sol justitiæ ad judicium, sed ejus fervorem temperat, dum illo *Apoc.* 12. Sacra V. amicitur. Contraxerat debitum Israel apud Deum propter furtum Achan *Josue* 7. abjicit se Josue deprecabundus coram *Arca* Domini; gnarus scilicet coram arca debita aboleri. Quæ juxta *S. Bernard. serm. de B. Virgine* sanctam Deiparam designabat.

II. Beatam dicunt Virginem Religiosi; quia curam illorum specialem gerit.

Exemplis id atque Historijs confirmabimus. Ab *Ordine Carmelitano* utpotè antiquissimo, placet exordiri. Tempore Honorij IV. cùm de illius ageretur confirmando instituto, ajunt Virginem noctu apparuisse, quæ illum monuerit; ut illos homines benignè complecteretur & institutum approbaret.

Tempore Urbani II. cùm *Religio Carthusianorum* adhuc nova à multis impugnaretur, ac præcipuè in Diœcesi Gratianopolitana, ubi exorta fuit, multùm pateretur, constitit inter eos subitò vir quidam, Petrum Apostolum crederunt, qui etiam mox suo perfunctus officio disparuit. Hic eis Dei nomine pollicitus, Virginem S. illos conservaturam eisq; futuram Advocatam, si preces in honorem ipsius quotidiè persolverent.

Robertus Cistercienſium Fundator à Virgine multùm amatus: nam adhuc prægnanti ejus Matri Virgo S. apparuit cum aureo annulo, eamque allocuta: Engardis, id nomen mulieri fuit, Filium quem geris hoc mihi annulo desponsari volo. *Bernardus* auxit promovitque Religionem, quàm carus ille Virgini, superfluum est dicere.

Servitarum Ordo ipso suo nomine servitium Virginis profitetur. Origo verò hujus Religiosi Statûs ita habuit. Sodalitas Virgini fuit sacra, hæc die Assumptæ cùm laudes persolveret admonita cœlesti voce, ut sæculum relinqueret, atque tota ad cultum Dei atque Virginis se conferret, nomine Servorum retento. Post septennium verò eadem Virgo singulis eorum apparuit per quietem cum magno Angelo-

Angelorum comitatu, unaque manu veſtem nigram atque Regulam S. Auguſtini prætulit, jubens eos deinceps illâ veſte & lege uti.

Cùm S. *Dominicus* Romæ Ordinem ſuum meditaretur atque in Principis Apoſtolorum templo eo fine orando noctem conſumeret, vidit CHriſtum D. irato vultu tres lanceas proferentem, quas in mundum excuteret, hujus pedes Virgo S. accepit orans pro mundo: ſed & huic reſponſum eſt: Non poſſe Chriſtum ſalvâ ſuâ juſtitiâ amplius tolerare mundi peccata: præcipuè avaritiam, ſuperbiam, luxuriam. Virgo S. ſubintulit. Habere ſe duos fidos ac probos, qui eſſent navaturi ſedulò operam ad mundi converſionem, & producti ſunt *Franciſcus ac Dominicus*, nondum noverat de facie Franciſcum Dominicus, quem die ſequenti obvium habens, ſtatim ex viſu agnovit, atque complexus eſt.

Idem favor Virgineus apparuit erga *Ordinem Olivetanum:* Nam cum ejus primi Fratres novitatis alicujus, quòd ſcilicet novum Ordinem moliti fuiſſent, ad Pontificem delati eſſent, atque ab eo Avenionem acciti, & benignè ad Guidum Aretinum Epiſcopum remiſsi, apparuit Virgo Epiſcopo, virosque illi recommendavit, habitum ut eis candidum, ac Regulam S. Benedicti præſcriberet, ſeriò monuit.

Ordinis Hieronymiani initia cùm non admodùm ſe propagarent, conſtituerant Fratres illi ad alium tranſire Ordinem; ſed Virgo S. illis occurrit, monuitque ut in cœpto perſiſterent inſtituto, quod mox amplificatum eſſent conſpecturi, adjecitq; ſe illum totum Ordinem in ſuum recipere famulatum.

De favoribus S. Virginis erga *Ordinem Societatis JEſu* cùm ſcripſerit copiosè Nicolaus Lancicius vir pereruditus ac pius, potiùs ad illum remittendum cenſuimus Lectorem, quàm ejus ſcripta tranſumere. Certè Martino Guttieres ex eadem Societate conſpecta eſt S. Virgo totam illam Religionem ſuo pallio cooperire. Patriarchæ illius Religionis Ignatio conſtat ſæpè Virginem adſtitiſſe, cùm formaret ſui Ordinis inſtitutum, eique ſcribenda ſuggeſsiſſe. Multos etiam inſignes devotione ad hunc cœtum, & inter alios illam gemmulam Virtutis B. Stanislaum Koſtka confluxiſſe.

CAPUT VIII.

Beatam dicunt Virginem Christi D. Progenitores.

1. Beatam dicit Virginem Abraham. Quia illum in fide præcellit.

INter eos qui è Veteribus Beatam dixerunt nostram Virginem, Principem locum tenet Abraham. *Exultavit Abraham ut videret diem hunc vidit & gavisus est*: quo scilicet S. Virgo illi protulit Redemptorem. *Method: Orat: hypop:* Cum Maria etenim non desinens lætitia venit. Abraham propter obedientiam suam præcipuè Beatus; quia jussu Dei Filium immolare non recusavit, in eoque naturam vicit. Describit Factum *Chrysost: hom: 3. in 2. ad Cor:* Natura humi prostrata erat cum armis suis, cum universo exercitu, atque ille stabat porrectâ manu non coronam tenente sed ensem quâvis coronâ splendidiorem & Angelorum populus applaudebat & è cœlis victorem pronunciabat. Virgo autem longè cariorem Filium offerebat & longè morte horribiliori & affectu maximo ut descripsimus dum ostenderemus quomodo Redemptioni nostræ cooperata.

Quærit S. Ambrosius lib. 3. de Virgin. Cur Deus in offerendo Isaaco fuit contentus voluntate Patris *Gen. 22.* In immolanda Filia Jephtes factum ipsum *Judic.* admisit? & respondet. Misericordia largior, ubi fides promptior. Non flevit factū Patris Isaac, pro qua devotionis exultatione substituta est ovis, Iephtea vero Virgo dum in serum differt misericordiā, amovet. At quanta Virginis nostræ fides? quam itaque Dei misericordiam devincit? quos filios salvos fecit? Abraham ingressurus Ægyptum oravit Saram. *Dic obsecro quod soror mea sis ut bene mihi sit propterea, & vivat anima mea ob gratiam tui.* Quæ verba *S. Bonavent.* expendens orat Virginem. O Sara nostra dic obsecro quòd nostra sis soror, ut propter talem sororem Ægyptij id est dæmones nos revereantur, Angeli sancti nobis conjungantur, ut Pater, Filius & Spiritus S. nostri misereantur. Sed vide homo, inquit

Rabus

Raban in ult. Mat. Vera fraternitas fratrẽ veneratur devotũ, corripit dissolutũ, præsenti obsequitur, absentem non rodit, sano applaudit, infirmum non deserit. Non legimus Saram in lite Iudiciana adstitisse Abrahamo, adstat nobis Virgo, ubi legimus Psal. 44. *Adstitit Regina à dextris tuis. Adducentur Virgines post eam.* Chaldæus Paraphrastes. *Stabit Liber legis à latere dexteræ tuæ, & exarabitur in exemplari splendor tuus velut in auro obryzo.* Liber hic Virgo est ut docet *S. Epiph. de laud. Virg.* Ex hoc libro prodeunt virtutum exemplaria. Ius dirimens lites vocavit *Geometra* nostram Virginem. *Guerricus Abbas serm. 1. de Assumpt.* Nequaquam crediderim majoris esse felicitatis & gloriæ in sinu Abrahæ quàm in sinu Mariæ degere.

2. Beatam dicit Virginem Isaac cum Rebecca. Quia Virgo peperit.

Regnum Israelis fundaturus Deus *tres* elegit *mulieres steriles*, quarum unam *Abrahamo* Gen. 18. aliam *Isaaco* Gen. 25. tertiam *Jacobo* Gen. 30. dedit. Isaac 40. annis Virgo, 20. maritus, & tamen non nisi sexagenarius factus per Rachelem Pater. Hanc autem Providentiam ait *Chrysost. hom. 49. in Genes.* adeptum est genus illud quia Christus D. Unigenitus Dei Filius indè secundum carnem nasci debebat, cujus in hunc mundum regius fuit introitus. De hac sterilitate Rebeccæ *Rupertus in 25. Gen:* Quia Donum Dei erat, & non ex hominibus, ut in semine Abrahæ omnes gentes benedicerentur, decebat sic ad dandum extendi Dei manum, ut ad cognoscendum non dormitaret ingratitudo hominis. Sterilitatem orando vicit Isaac Gen. 25. *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudivit eum & dedit conceptum Rebeccæ.* Voluit Divina bonitas nasci Mariam, sed voluit veluti arcam 3. *Reg.* 6. esse inter duos Cherubim, quorũ uteráq; aureus & sterilis esset, unus maris alter fœminæ imagine arcæ assistentes, scilicet exaureis Ioachim & Anna prodire, sed sterilibus. Oravit Ioachim ut Deus sterilitatem Annæ auferret ut scribit *Hieron. lib. de ortu Virg.* Isaac in duobus filiis duos populos, & in duobus populis duo regna accepit, Ioachim in una Filia omnes populos & regna omnia.

3. Beatam dicit Virginem Jacob, quia illo ampliorem accepit benedictionem.

Describit Sacra historia *Gen.* 15. modum quo Iacob omit benedictionem

à Fratre suo Esau, & quo usus dolo, ut eam à Patre consequeretur, item, quòd Pater dolo intellecto non retractaverit. De quo *S. Aug. lib. 16. Civit. cap. 37.* Quis non hic potius maledictionẽ expectaret irati Patris, si hæc non supernâ inspiratione, sed terreno more gererentur? Benedictio in hunc modum fuit. *Genes. 27. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* In quæ verba *Ambr. lib. 2. de Jacob.* Erat, inquit Iacob perfectus in omni flore virtutum, & sacræ benedictionis, atq; cœlestis beatitudinis redolebat gratiam. In hac sua benedictione Beatam dixit Virginem. Modum audite. Tria in hac benedictione. Quòd sit ager odoratus, quòd plenus, quòd benedictus á Domino. Agrum odoratum Virginem S. appellat *Richard. à S. Laur.* Odoratus verò fuit, quia fuit non solum *bonus* sed optimus *odor Christi.* Cant. 4. *Odor unguentorum ejus super omnia aromata.* Ipsa de se dicit Eccles. 24. *Balsamum non mixtum odor meus.* De agro Iacobeo sic habet *Ambr. lib. 2. de Jacob &c.* In hoc agro est & reperitur illa uva quæ expressa fudit sanguinem, & mundum diluit. In hoc agro est ficus illa, sub qua Sancti requiescunt Spiritualis gratiæ suavitate recreati. In hoc agro est oliva illa fructifera dominicæ fluens pacis unguento. Et concludit. Dulcis & suavis est odor agri; quia est odor naturæ. In S. Virgine non jam natura sed gratia spirabat. Luc. 1. *Gratiâ plena.* Agrum plenum intelliges Virginem, ex illa Dei querela Hierem. 15. *Non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam.* LXX. legunt. *Non profui, nec profuit mihi quisquam.* In quæ verba *S. Hieron.* Nullus enim voluit tantum accipere, quantum ego tribuere desideravi, idcirco vix mihi quidquam videor profeciſſe. At verò Virgo tantum accepit quantum DEus tribuere desideravit, quantum dare potuit. Non potuit majus dare quàm Matris Dei dignitatem: itaq; Virgo est ager ille qui uvam tulit, quæ expressa sanguinem fudit, & mundum diluit. De illa dicit Deus Ps. 49. *Pulchritudo agri mecum est.* Nunquam cum Deo hic ager non fuit. Gen. 82. *Tetigit Deus femur Jacobi, & nervus ejus emarcuit.* Tetigit Deus femur Adæ in Ioachimo, & nervus ejus emarcuit, ut maculam Adæ per generationem non contraheret.

Pergit Iacobi Pater in benedictione Gen: 27. *Det tibi Deus de rore cœli & pinguedine terræ. Procopius in 27. Gen.* Rorem non intelligendum vulgarem sed cœlestem: terræ pinguedinis nomine significari ea dona, quæ corpus de terra sumptum concernunt. In quibus S. Virginis benedictionem explicuit, quæ tam animæ, quam corporis donis abundè ditata. Iacob ultimum quem genuerat filium, scilicet *Benjaminum* appellavit *Filium dexteræ* Gen. 39. Verùm hoc parùm dexter fuit Matri Racheli, quo accipiente vitam, ipsa profudit vitam. De Virgine nostra loquitur *Græca Ecclesia in Menæis ore Gregorij 24. Martij ode 8.* dum illam sic alloquit

alloquitur. Ille qui à dextris Patris nunquam digressus substantiâ omnem transcendit, in te sibi diversorium delecturus adventat, ut te à dextris suis constituat, tanquam Reginam dignitate sibi propinquam, utque te velut dexteram suam omnibus lapsis ad resurgendum extendat.

Promittit Deus Iacobo Oseæ 14. *Ego ei ero quasi ros, Israel germinabit quasi lilium, & erumpet radix ejus, ut libani ibunt rami ejus, & erit quasi oliva gloria ejus, & odor ejus ut libani.* Factus Iacobo ut ros, quando cæli rorârunt, & ut ros descendit in terras, ut docet *Lyra & Rupert.* Hæc autem fuit maxima Virginis benedictio, ut esset Roris istius Mater. De Iacobo dicitur Gen. 25. *Jacob erat Vir simplex.* De Virgine Cant. *Una est columba mea.* Iacob ibid: juxta Chald: *Jacob erat vir perfectus.* De Virgine ibid: *Una est perfecta mea.* Simplicitas â *Clim: gr:* 24. definitur. Habitus animæ varietate carens, totiusque perversæ intentionis ignarus. Virgo sine macula, *S. Ambr. lib.* 2. Virgo sine dolo sincerum servavit affectum ad omnes. *Gen.* 30. Iacob habitavit in tabernaculis peccatorum. Habuit oves alias albas, alias nigras, alias varias. Habet Virgo innocentes, peccatores, & varios ob venialia mixta cum nitore gratiæ, de omnibus tamen solicita. Iacob de sua circa oves diligentia loquitur Gen. 31. *Die noctuq; æstu urebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* Ex quo infert S. *Damasc: epist:* 41. Si ergo sic vigilat & laborat qui pascit oves Laban, quanto labori quantisque vigilijs debet intendere, qui pascit oves Dei? *Bonavent. in Psalt. min.* Non accipit palpebra tua pro nobis somnum. Iacob injuriam *Gen.* 30. non semel ab avunculo suo passus, propositis varij coloris virgis, varij coloris reddidit oves. *Ambr. lib.* 2. *de Jacob cap.* 46. Symbolo variegatarum virgarum, exempla indicantur variorum Sanctorum, quæ dum cælentibus animis intuemur, ad consimilem bonorum fœturam operum conformamur. Quot virtutum proponit Virgo exempla?

4. Beatam dicunt Virginem Judas, & Thamar, & Phares. Quia sine periculo Filium peperit.

Nurus Iudæ Patriarchæ Thamar in tribus habet laudem, in fulgore justitiæ, habilitate patrocinandi, & principatu maternitatis; utpote quæ uno partu *Gen.* 28. duas gentes edidit. Hæc Thamar genuit Phares. Hæc *Gen.* 38. cùm post Her & Onan suos vitâ functos maritos, Filios Patriarchæ Iudæ, tertio item ejus Filio Sella dicto fuisset desponsata, nondum tamen nupta, uterum ferre inventa, atque ob id à Iuda ad incendium condemnata, hic signa quædam ad socrum misit, quibus

quibus ille visis se reum, non illam agnovit. *Ambros. lib. 3. in Luc.* Si veris intendas animum, non hæc mulier tam famosa, quàm justa. Justa quoniam bis vidua & de domo Juda alienata, non tamen ullam edidit ægri animi vocem, imò socerum, quasi Patrem reverita, neque ab illo onus sustentandi vitam, ut potuit, exegit: imò virum tertium donec matureſceret expectavit sine murmure, neque dum ille maturuit, eum repetijt, nec tamen â data semel Sellæ fide recessit, etsi Sella fidem falleret. Justior Virgo, quia cæteris Justis altior, alij vel ex peccatoribus facti justi, vel jam in utero sanctificati, at Virgo â culpa præservata. Thamar sonat palmam: sed palmam dat Virgini Thamar, quæ feliciorem nacta prolem, & sanctior fuit. Dat etiam palmam Virgini Jeremias, dat Joan. Baptista. Exposita fuit morti Thamar, sed ab ea præservata. Et Virgo nostra â prima præservata morte. Patrocinata est sibi Thamar. Patrocinatur nobis Virgo. *Bern. in sign. Magn.* Eget Advocato gemino genus nostrum, uno ad Deum Patrem, altero ad Dei Filium, opus est nobis Mediatore ad Mediatorem istum, nec alter nobis utilior quàm Maria.

Thamar celebratur â partu. Seniores Bethleem novo Sponso Booz fausta omnia cum Ruth comprecantes, orant. *Fiat domus tua, sicut domus Phares quem Thamar peperit Judæ.* Thamar accepit pro dono antenuptiali baculum, & annulum, peperit Phares, qui suæ domûs labentis fuit baculus. *Ambr. lib. 3. in Luc.* Jacob dante sibi baculum Regiæ potestatis Thamare, â Dan usque Bersabee, â flumine usque ad mare ambulando, non passibus, sed possessionibus profecit. Nos in Baculo Virginis transimus Judicium, hoc enim sonat Jordanis *Hieronymus teste in Hebr. nom.* Thamar gemellos uno partu fudit *Gen.* 38. Zaram coccino signatum, & Phares absque filo natum, in quibus duæ Gentes significabantur, una divitum, altera pauperum. *Ruperto in Genes.* Zara significat gentem Judæorum circumcisionis coccino signatam: Phares alias gentes non circumcisas. Utrasque gentes Virgo nostra complectitur. *Hieron. in c. 47. Ezech.* Possessio Israelis incipit à Thamar, & pergit ad aquas contradictionis. Incipimus â Thamar, id est palmâ Baptismi, pergimus ad aquas contradictionis, id est ad Judicium, in quo gratiâ & advocatione nostræ Virginis protegimur.

De Juda Jacob dixit: Gen. 49. *Juda laudabunt te Fratres tui.* Moyses de eodem Deut. 33. *Audi Domine vocem Judæ, & ad populum tuum introduc eum.* Joan: Apoc. 5. *Vicit Leo de tribu Juda.* Hebr. 7. *Manifestum est quod ex Juda ortus sit Dominus noster.* Ipse Deus psalm. 59. *Juda Rex meus.* Tantus erat Judas, Sex sunt gloriæ Judæ. 1. Fama magna. Gen. 49. *Juda laudabunt te Fratres tui.* 2. Victoriæ. *Manus tua*

in

tervicibus inimicorum tuorum. 3. Spolia opulenta. *Catulus Leonis Juda, ad prædam Fili mi ascendisti.* 4. Primatus inter Fratres. *Te adorabunt Filij Matris tuæ.* 5. Throni Regij stabilitas. *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus.* 6. Opulentia glebæ divitis. *Lavabit in vino stolam suam.* Judam quando Mater peperit Gen: 29. dixit. *Modo confitebor Domino, & ob hoc vocavit illum Judam.* Impleta sunt hæc omnia feliciùs in Virgine. Vita ejus cunctas illustravit Ecclesias. Nativitas ejus gaudium universo attulit mundo. *Hesich: orat: 2. de Deip:* Maria, Gloria luti nostri, quæ Adamum pudore, Evam comminatione liberavit. *Hymn: Græc:* Gloria indubitata Fidelium. Judas ostendit Fratribus Iosephum Fratrem, nam oratione ejus is motus non se poterat ultra cohibere, unde præcepit ut egrederentur cuncti foràs, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. *Ecclesia verò Virgini cantat.* Fructum ventris tui nobis ostende. Et certè omnes Divinitatis monstratores superavit; quia de æterna Sapientia Salomon scripsit Sap. 7. *Speculum sine macula est Majestatis Dei, & imago bonitatis illius.* Quæ verba passim tribuuntur S. Virgini. Ut enim Filius Dei speculum est Patris, quia ejus perfectiones revelat, ita certo modo Filij sui Filij Dei splendores Virgo revelat. In Filio nulla macula. De Virgine dicitur Cant: 4. *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Lavabat Iudas in vino stolam suam; lavat Virgo nostram in vino illo, quod Virgines germinat.

5. Beatam dicit Virginem Aminadab. Quia Virgo est major Princeps.

In nomine suo Beatam prædicat Virginem Aminadab. Virginis nomen significat Dominam, seu Principem. Nomen Aminadab Dominum seu Principem populi voluntarij, spontanei: nam non solum caput tribûs Iudæ fuit, sed etiam aliarum tribuum, sive quòd fuisset in sua tribu nominatissimus, sive quòd suis factis præcelluit. Virginem *Jacobus & Marcus in Liturg:* vocant Dominam Sanctissimam. *Chrysost: in Liturg:* Dominam incontaminatam, super omnes benedictam & glorioſam. *Ansel: alloq: coel: 26.* Dominam magnam, Dominam bonam, Dominam mundi. *Bern: in Salve:* Dominam rerum. Domini est providere servis ad salutem. *Ioan: Geom: hymn: 3.* Est Virgo mundi visibilis Salus. *Ephrem serm: in laud: B.V.* Omnium Christianorum ad eam recurrentium est Virgo Salus. Abilla adhuc in utero Ioannes accepit salutem. Et quia non tam per naturam, quàm per gratiam est Domina, nobiliora verò sint gratiæ, quàm naturæ opera,

nobiliori modo est Domina, & nobiliùs providet. Aminadab populi spontanei seu liberi Dominus, populi ab Ægyptia servitute liberi, miraculis clari. *Arist. Polit.* 4. Potestas imperandi servis, nihil habet magni & præclari. Virgo ipsi DEo imperat. *Et erat subditus eis.* Luc. 2. Promeruit sibi Animadab, ut esset Princeps maris rubri, & hoc tali facinore ut tradit *Lyra in Cant. 6. Dion: Carthus: ibid: Com: in 4. Ezech:* Cùm Moyses rubrum mare aperuisset, cunctantibus cæteris, & montes aqueos hinc inde stantes metuentibus, ille primus post Moysen suas quadrigas impulit. Hinc dicit Sponsa Cant: 6. *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab:* cùm scilicet factum istud audax considero. Prima Virgo & principali modo rubrum mare transijt in quo spirituales Ægyptij sunt demersi. *Dion: Carthus: in 4. Cant: docet.* Quantò quis ad majorem beatitudinem est electus, tantò videtur ampliùs â Christo redemptus, & Christus pro eo passus: Virgo autem ad amplissimam beatitudinem electa, itaque juxta hunc Doctorem, ampliùs redempta: quia nimirum, ut piè credimus ab originali culpa præservata. *A Georg. Veneto in sua harmon: tom: 3. c. 2.* dicitur Primiceria Redemptionis. *Guillelm: Paris in 24. Eccl. v. 21.* dum illud expendit. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris* ita discurrit. Vitis dum floret hanc virtutem habet, quòd solo odore suo aut expellit, aut extinguit bufones & serpentes. Ita & hæc Virgo SS. in sua intemerata Conceptione tantam redolevit per animum charismatum abundantiam & sanctimoniam, quòd in ea penitus fuit extinctum venenum serpentis antiqui, quod in cæteros homines quodammodò transfudit.

Rabbi Salomon apud Genebrar: illa Cant: 7. explicans. *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis*, inducit Ecclesiam sic Sponsum suum alloquentem. Guttam sanguinis instar sinapis vidi, nec momordit eam serpens, neque scorpio pupugit illam. Quam eam? cujus uteri thalamum mundissimum Deus ingressus est, & lilijs vallatum invenio. Quadrigas Aminadab, quatuor virtutibus, quibus est subvecta Virgo imitatur, ut dixit *Geom: hymn: 1.* Prima est Patris omnipotentia, qua ut dixit *Alb. M. in Luc. 11.* fuit forma ad quam æterni Patris imago figuratur. Altera, Filij sapientia. *S. Anton: de Padua serm: Dom: 3. Quadr:* Ipsa est de palmitibus Iesu, primus & principalis Palmes, præ cæteris citiùs, & altiùs in Dei amore fuit radicata, & veræ Viti, id est Filio suo, inseparabiliter se innexuit. Tertia, Charitas Spiritûs S. Quarta, Potestas dominandi.

6. Beatam

6. Beatam dicit Virginem Nahaſſon.

Quia Virgo in antiquum ſerpentem habet imperium.

Num. 2. *Ad Orientem figet tentoria Judas per turmas exercitûs ſui, eritque Princeps filiorum ejus Nahaſſon Filius Aminadab.* Idem Num. 7. *Primo die ante alios obtulit munera in dedicationem altaris. Nahaſſon idem eſt quod ſerpens. Hier. in nomin. Hebr.* An quia fortè ſerpentem vicit. Serpens eſt hoſtis noſter, & quidem qualem deſcribit *Hilarius lib.* 30. *c.* 34. Non frangunt illum marſorum cantus, & conſopita viperarum ſibila, contumax illa atque inſolens antiqui ſerpentis inobedientia, cantus Sanctorum non audit. Iſtum ſerpentem Virgo contrivit, ut prædictum in Paradiſo. De quo *S. Cypr.* Non dixit Deus inimicitias pono, ſed ponam, nè ad Evam pertinere videretur, ſed ponam, id eſt, ſuſcitabo mulierem, quæ repudiatâ facilitate credendi, te non audiat. *S. Iren: adv: hæres: lib:* 5. *c.* 19. Ut quemadmodum adſtrictum eſt morte genus humanum per inobedientiam Virginis, ita ſolutum eſt per obedientiam alterius Virginis, & quia ſummè obediens fuit, in ſerpentes accepit imperium. Iſai 27. *In illa die viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi & forti, ſuper Leviathan ſerpentem vectem, & ſuper Leviathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cætum. LXX. legunt*, draconem, qui eſt in mari. Draco fuit tortuoſus, qui in primo Adami peccato, totum orbem ſpiris ingentibus involuit, vectis erat, in quantum SS. Patres in limbo tenuit, hunc in gladio vicit.

Lyran: In Filio ſuo explicat. Sed cur Nahaſſon principatum in donis tenet, cùm quartus eſſe deberet? Nam ex tribu Iuda eſt: Priores autem illo Ruben, Simeon, Levi. Reſpondet Abul: & Lyra. Ut prophetia Iacob de tribu Iuda impleretur, quem ille leunculum, leænam, & leonem nominârat: & altari nomen ſuum indidit. Iſai. 29. *Væ Ariel, Ariel civitas quam expugnavit David.* Ariel ut explicat *Euſeb: Cæſar: in Cat: Græc: ad c.* 43. *Ezech:* idem eſt, ac leo Dei, quoniàm ibi altare fuit Dei, & devorabat omnes, quæ in ipſo offerebantur animalium victimas. *Hieron: in cap:* 43. *Ezech:* Ariel nomen refertur ad altare, in quo vel illuminatio Dei eſt, vel leo & fortitudo ejus, dicente Iacob ad Iudam: Catulus leonis Iuda, ad prædam Fili mi aſcendiſti. Hinc primus ad altare venit, qui nomen ſuum altari indidit. Stabat altare Domini vacuum præcipuâ & principali victimâ, ab ipſo mundi initio, donec tandem Virgo S. Filia Nahaſſonis illam imponeret. Hoc eſt quod dixit S. *Germ: de Præſentat:* Virgo eſt donum Dei maximè novum, Donarium ſalutare omnis lætitiæ. *Idem ſerm: de Nativit:* Propterea Deus invitat *Ezech.* 39. *Concurrite undiq; ad victimam meam, quam ego immolo, victimam grandem:* Chriſtum in Cruce.

7. Beatam dicit Virginem Salmon & Rahab. Quia Virgo non egit pœnitentiâ.

Jerichuntis Filia, Patriâ Chananæa, Proselyta Israel fuit Rahab una inter Matres Virginis procreatrices, hæc Principi de tribu Juda Uxor accessit, quæ si quas in bulliente ætate contraxit sordes, in matura claritatem exhibuit vitæ. *Theodoret: in Iosue.* Rahab multitudine bonorum operum vulnera peccatorum contexit. In fide ita excelluit, ita ut ab Apostolo in exemplum fidei proponatur *Heb.* 11. Per fidem non perijt Rahab cum infidelibus. A spe laudat *Ambr: lib. 3. de fide c. 5.* Meretrix illa quæ in excidio civitatis remedia desperabat salutis, quia fide vicerat, signa fidei atque vexilla Dominicæ Passionis attollit, coccum ita in fenestra ligavit, ut species cruoris mystici, quæ foret mundum redempturi vernaret. Hospitalitas nota est. De illa *Idem lib. 3. epist. 25.* Rahab hospitalitatis munere invenit salutem. Puritatem disce ex *Procopio in 2. Josue.* Semel nupta Rahab immaculatum fidei conjugalis servavit thorum, margaritum olim in luto defossum. Opera bona, ac charitatem S. Iacob 2. sic testatur. *Similiter & Rahab meretrix nonnè ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, & aliâ viâ ejiciens?* Hæc non solùm sibi, sed & his qui ad se confugerant salutem obtinuit.

S. Chrysost. hom. 5. de poenit. Rahab Chananæa dum hospites exploratores domo cum pace suscipit, se morti cum Jerichuntinis civibus proscriptam, excepit. Quod considerando dictus Pater exclamat: Respice novam clementiam, qui in lege dicit: Non mœchaberis, &, si mœchaberis regnum Dei non possidebis, verbum transmutãs de clemẽtia, clamat per Iesum Nave. Rahab meretrix vivat. Quod magis explicat *Joseph lib. 1. antiq. c. 1.* Rahab cum suis, hoc est domesticis & familiaribus exploratores eripuerunt; quocirca illam Josue rebus maximis honoravit, ac omnes vitâ donavit. Quid putatis vitta est coccinea, vitta salutifera Rahab? Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua.* LXX. Sicut funiculus coccineus labia Virginis sunt, hæc conservant eos pro quibus panduntur. *Dionys. Alexandrin. contra Samosatenum* vocat Virginem Filiam vitæ. Una, inquiens, & sola Virgo Filia vitæ, genuit Verbum vivens, & per se subsistens, hoc Verbum est vita nostra. Sed & verbum Virginis est nostra vita, cum dixit. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Rahab, ut exponit *Orig. in 2. Josue* sonat latitudinem, nullus certè misericordiarum Virginis dimetiri potuit latitudinem. Labia coccinea.

Ambr.

Ambros. in Psalm. 118. Labia Sponsæ dicuntur coccinea, quia hæc tincta sunt Christi sanguine, sanguis Christi in illis loquitur. *Greg. M. in c.* 4. *Cant.* Labia Sponsæ purpurea, quia charitate colorantur, & inflammantur. E contrà Proverb. 10. *Stultus labiis cæditur. Theodotion legit.* Labijs fermentabitur. Fermentum gestat in labijs quod massam corrumpit dulcem, quod inflat, & auget, quod reddit acidum, commaculat. *Salmon* Princeps militiæ accepit in uxorem *Rahab*, ut per eam suam propaginē ad Messiam produceret, felix fine illius, atque meritò Matrem Messiæ cur prædicaret Beatam habuit. De Rahab ita *Rupert. in Cant.* Ecce Rahab meretrix dulcis eloquij tui Virgo vittā coccineam, sive funiculum coccineum in fenestra sua ligavit, signum suæ fidei, quòd nuncios Iosue sive Iesu susceperit atque salvaverit: dum Ecclesia quondam peccatrix & idololatriæ meretricio sordida, dulce eloquium tuum, quo magnificavit anima tuum Dominum, pignus suæ salutis jugiter personat, & omnem doctrinam Evangelicam, in qua ipsos Apostolos tua sine dubio labia confirmaverunt integrâ semper fide prædicat, & de omni quidem anima quæcunq; diversa sentientes ad unitatem suâ prædicatione constringit, ut id ipsum dicant omnes, & hoc in charitate & fide non ficta, verum est dicere labia ejus vitta coccinea, sed in ista gratia cæteris omnibus es incomparabilis post dilectum tuum, cui Spiritus Sanctus in Psalmo dicit. *Diffusa est gratia in labijs tuis.*

8. Beatam dicunt Virginem Booz, & Ruth, ac Noemi. Quia est Sponsa Spiritus Sancti.

Ruth quid fuerit primo nupta marito, latet omnino; postea reluxit fide quam est amplexa, reluxit charitate, quæ pauperem socrum exul & pauper secuta, reluxit populo Bethleemitico tanquam mulier virtutis *c.* 3. Reluxit senioribus *c.* 4. qui ei sortem Rachel, & Liæ ut Ierusalem ædificaret, comprecati. Reluxit Israeli, quia sicut frumenti modios *c.* 3. tulit; sic Sanctos sex illustriores progenuit, ut notat *Lyra* hoc loco. Davidem, Danielem, Asariam, Misaëlem, Ananiam, Messiam. Reluxit Ecclesiæ gentium. *Theodoret: in* 2. *cap.* Accepit Ruth plenam mercedem à Domino quando facta est progenitrix Gentium benedictionis. *Ambros. in Luc.* 3. Ruth intravit Ecclesiam, & facta est Israelitis, & meruit inter majores Dominici generis computari, propter cognitionem mentis electa non corporis. *Chrysost. in Matth.* Booz pro merito suæ fidei accepit uxorem, ut ex conjugio tali sanctificato, genus nasceretur regale. Reluxit Deo. *Idem ibid.*

Nam Booz Senior constitutus, non sibi uxorem accepit, sed DEo, priùs illam Deus accepit in Sponsam, posteriùs Booz in uxorem.

Lætatur DEus Psal. 59. Dixit Dominus in Sancto suo. *Hieron*, legit. In sanctuario suo: *Moab olla spei meæ. Lorinus in hunc Psal.* cum alijs intelligit per ollam Metropolim gentis Moabiticæ, undè Ruth creditur oriunda. Metropolis etiam Ieremiæ dicitur olla. *Ollam succensam ego video.* Quæ olla sit, & quid, DEus ipse explicat. *Ecce ego vocabo omnes cognationes Regnorum Aquilonis & venient, & ponent unusquisq; solium suum in introitu portarum Jerusalem.* Itaque Ierusalem est olla. Ezech. 11. de Ierusalem dicitur. *Hæc est lebes nos autem carnes:* quia in Metropolibus judicia, fraudes, ludi, peccata fervent, quæ maximos halitus in cœlum mittunt, & Regibus proventus ut cibos parant, & fuligine sunt plenæ, & ignem expectant, vel quia multi in pœnam peccati permittuntur in corruptis urbibus habitare, ut magis sordescant. *Orig. hom. 2. in Psal. 38.* Qui non corrigitur baculo mittitur in ollam. Moab autem olla spei Deo. Quia ut *Basil. in Psal. 59.* Perfectè subjectus erit voluntati Dei, ut olla subjecta voluntati hominis. De Moab Ruth oriundum asserit *Hieron. lib. 6. in cap. 16. Isai.* ubi Isaias dicit: *Emitte Domine Agnum Dominatorem terræ de petra deserti ad montem Filiæ Sion.* Sensum facit. Emitte Christum de petra Moabitarum Metropoli vicina deserto qui ex Ruth Moabitide processurus, qui tamen propè post triginta generationes prodijt. Quantò beatior Virgo nostra, quæ Mater hujus Agni extitit? Cùm Booz quærit de Ruth à Messoribus quænam illa esset. Respondent Ruth. 2. *Hæc est Moabitis quæ venit cum Noemi, & de manè usq; nunc stat in agro & nè ad momentum quidem reversa est.* Matth. 13. *Ager mundus est, messis consummatio sæculi, Angeli Messores.* Qui fasciculi? *Aug. enchir. 15.* Non colligent Messores Angeli in messe consummati sæculi & separabunt spicas à spicis, & fasciculos à fasciculis alios, nisi bonos homines à malis.

Hoc in agro semper stetit Virgo, nunquam per culpam corruit, & quidem à primo manè. *Bernardin. Sen. tom. 4. serm. 44.* Nullum gratiæ beneficium alicui creaturæ collatum Virgini negatum est. Colligit Virgo spicas quæ ab Angelis relinquerentur, nisi viderent eas à Virgine colligendas. Ruth dicit. *Inveni gratiam.* Angelus dicit Virgini: *Invenisti gratiam apud DEum.* Ad Ruth dicitur *c. 7. v. 12. juxta Chaldæum.* Venisti ad protegendum te sub umbra Majestatis ejus. Virgini dicitur. *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Ruth ad Booz dicit. *Ancilla tua.* Idem dicit Virgo Deo. Ruth dicit. *Extende pallium tuum super famulam tuam. Lyra in 3. Ruth.* Solebant viri uxores sibi despondentes orâ pallij caput mulieris velare. Virgini dicitur, *Concipies de Spiritu sancto,* illius Sponsa eris. *Moab olla spei meæ. Virgo* olla spei

nostræ.

nostræ. *Paulin. Epist.* 3. Non solùm de Iuda sed etiam de peccatorum origine Christus sumpsit carnem, & decoctâ quasi per ollam carnis nostræ cruditate, sanctificavit nobis carnem suam in æternum cibum. Idcirco *Ambr. de instit. Virg. c.* 12. *vocat Virginem*, Ollam ferventi Spiritu plenam. *ubi vulgata legit.* Moab olla spei meæ. *Symmachus.* Olla lavacri mei. *S. Basil.* Olla lotionis meæ. *Cyrill. Alex. orat. contra Nestorium.* Per Virginem Gentes ad Sanctum lavacrum pervenerunt, per Virginem peccatores à maculis abluti. Ruth in agro Booz non soli sibi, sed & suæ Noëmi gratiam invenit. Virgo nobis omnibus gratiam genuit. Ruth collegit spicas.

Olcot. lib. de imagin. c. 7. narrat, quòd scripserit *Albumasar Arabs Astrolog. lib.* 6. *introduct. de Constellatione Virginis*, hæc verba. Est puella decora facie, Virgo honesta, & munda, in manu habens spicas, per quod describitur Virgo Mater Christi. Ruth domum panis, Bethleem paschali ingressa tempore: *ubi enim Vulgata habet Ruth.* 1. Venit Noëmi cum Ruth Moabitide nuru sua de terra peregrinationis suæ, ac reversa est in Bethleem, quando primùm horrea metebantur. *Chaldæus legit.* Illæ ascenderunt in Bethleem, in ipsis Paschæ ascensionibus. Pascha significat transitum. Ascendit Virgo in mundum in ipso transitu quando Regnum Israelis à Iuda Leone, à Regibus ex tribu Iuda, transibat ad Agnum Christum, quando Deus faciebat transitum de invisibili ad carnem visibilem. *S. Antonin. part.* 4. *tit.* 15. *c.* 21. Tempore quod Virginem Matrem præcesserit, habuit Deus in signo Leonis sedem, postquam autem placuit illi fieri hominem, habuit sedem in Agno. Quid Ruth postea fecit? spicas collegit relictas. *Bonavent. spec. c.* 5. Ruth in oculis Booz, Maria in oculis Dei hanc gratiam invenit, ut ipsius spicas, id est, animas à messoribus derelictas colligere ad vesperam posset. Qui sunt Messores nostri nisi Rectores & Doctores? O verè magna MARIÆ gratia, quàm multi ex illis ad misericordiam colliguntur, qui à Doctoribus & Rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur! Illa grana, hæc animas colligit, illa in una parte, hæc in toto mundo: illa nocte cessavit à labore, hæc non dormitabit neque dormiet: illa egens, hæc nullius indigens. *Narrat Franc. Bentius in hist. Provin. Iusit.* Juvenem Divinæ Matri mirè deditum, cùm in grandem incidisset culpam, omnes Sacerdotes fugisse, & desperatione actum se in flumen voluisse abjicere, cùm audit vocem & inhibetur. Vox erat. Nè te perde Iuvenis, serve meus, me sequere, reducam te ad meliora, & statim illi Virgo apparet, ac flumen dividit, illumque ad civitatem reducit, ac imperat ut Sacerdoti confiteatur: quod & cum multis lachrimis fecit.

9. Beatam

9. Beatam dicit Virginem Obed; quia est mundi Gaudium.

Obed antequam nasceretur trium erat expectatio Sanctorum, *Patris Boaz*, ut maturæ arboris fructus, nam in diebus suis processerat. *Matris Ruth*, ut peregrinæ exulis geminique matrimonij solatium. *Noemi Aviæ*, veluti à mortuis resuscitatus filium ejus Mahalon. Horum Obed explevit desideria. Ita Virgo S. desiderium fuit Patris, quia per illam sterilitatis amovit notam. *Damasc. Orat. de B.V.* Quanquam autem de ortu Virginis singula certârint sæcula, non tamen illam natam, initia, aut media, sed fines vidêre & susscepêre sæculorum. Et tum poterat mundus concinere Psal. 91. *Senectus mea in misericordia uberi.* Desiderata mundo Virgo. Inde *S. Damasc. de dormit. B.V.* advertit idem sonare nomen Ioachim, quod susscitabit, seu, firmabit. Nomen autem Annæ esse gratiam, seu misericordiam. *Et subdit.* Quo indicatum est eos genituros esse Filiam per quam Deus misericordiam susscitaret, & gratiam confirmaret. Natus Obed non uni fuit exultatio Ruth 4. *Dedit Dominus Ruth ut conciperet & pareret filium, dixerunt{que} mulieres ad Noëmi. Benedictus Dominus qui non est passus ut deficeret Successor familiæ tuæ.* Et rursus. *Vicinæ autem mulieres congratulantes ei dixerunt. Natus est filius Noëmi.*

De B. V. canit *Geometra hymno 4. de B. V.* Utrumque: superum & inferum, sive terrestrem mundum, in cunis Virgo replet gaudijs. Vel ut *Ecclesia.* Profusis gaudijs terrarum mundus exultat. E contra verò desperant hostes sicuti adventu arcæ in castra Philistei desperabant 1. Reg. 4. dicentes: *Væ nobis, non enim tanta fuit exultatio heri, & nudius tertius, væ nobis.* Ruth mulier fuit virtutis Ruth 3. *Scit omnis populus qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis.* Fides Ruth ex eo patet. Quia ut *Lyra in c. 4. Ruth* docet: Certum est Ruth fuisse diviti marito copulatam, Elimelech enim Pater Mahalon Princeps inter cives suos censebatur, non dubitavit tamen illa omnibus relictis ad populum Dei transire, pauperi ac desolatæ servire, in campo spicas colligere. Talis Obedi Mater. Majores Virginis Parentes. *Hieron. serm. de B. V.* Vita Ioachim & Annæ simplex & recta apud Deum & homines irreprehensibilis erat, & pia. Ex virtute videtur natus Obed, quia ex Patre sexagenario, ut docet *Lyra.* Ex virtute Virgo. *Beda hom. in Vigil. Bapt.* Annæ partus non est ablatus, sed per sterilitatem dilatus, donec transiret tempus carnis, & cupiditatis, castissimusque uterus Virgini concipiendæ pararetur. *Damasc. orat. de Virg. Nativ.* Ecce immaculati, Immaculatam Virginem carne & spiritu, & Spem mundi generant.

Acciuc-

Accinuerunt ipsi Ruth Matronæ Bethleemiticæ 4. Ruth. *Benedictus Dominus quod habeas qui consoletur animam tuam, & enutriat senectutem.* Quid verò S. Virgo? Noëmi rogat mulieres Bethlehem: *Nolite me vocare pulchra, sed Mara, hoc est, Amara, quia me amaritudine replevit Omnipotens, egressa est manus Domini contra me.* At Virgo sub cruce nonnè amaroris Mare? sed de hoc aliàs egimus copiosè. Noëmi parvulum Obed Ruth 4. *posuit in sinu suo, & nutricis ac gerulæ fungebatur officio.* Nec aliter Virgo suos clientes, sulcipit manibus, excipit sinu, æterna charitate nutrit.

10. Beatam dicit Virginem Jesse. Quia est Entis Neptis.

Multùm eminet inter Patriarchas Isai, seu Jesse & Haus Abulensi. Nomen Jesse *Hieronymo lib. 11. in Isai. 40.* idem quod ens sive existens, & in beatum dicit conceptum Virginis. Isai. 40. *Omnes gentes sic sunt coram eo, quasi non sint, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Quæ verba *S. Hieron.* de superbia & Idololatris intelligit. Esther verò peccatorem cap. 14. vocat non ens, cùm ait. *Nè tradas sceptrum tuum his qui non sunt.* At Virgo S. Entis Neptis, nullo itaque modo peccatrix. Isai. 11. *Egredietur Virga de radice Jesse, & Flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini. Hieron. lib. 4. in Isai. 11.* per Virgam Jesseam S. Virginem, per Florem Messiam vult intelligi. Felix hâc Virgâ & Flore Jesse! Isai. ibid. *In die illa radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Lxx. legunt. Exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. De radice Jesse ait Propheta Isai. 11. *Erit sepulchrum ejus glorioſum.* Lxx. Erit requies ejus honor.

11. Beatam dicit Virginem Rex David. Quia ab originali culpa libera.

Et factis & verbis Beatam suam Filiam Mariam David ab antiquo prædicavit, & quidem adhuc ipse Juvenis Conceptum ejus maculæ expertem futurum in hunc modum depinxit. Prodierat gygas quidam 1. *Reg. 17.* cum singulis Israelitarum certaturus, hunc David lapillo è funda jacto in capite percussum ad terram dejecit. Gygantis speciem dæmon non semel assumit, sed præcipuè cùm teste *S. Athanas. in vita S. Anton. M.* Antonio se videndum præbuit, qui evolantes in cœlum animas detrudebat in imam terram. Vicit illum David, quia ut ait *S. Auguſt. in Genes. hom. 46.* Puero aliquid Divinitatis inerat. Vicit dæmonem

Virgo,& in capite percusit; in originali scilicet peccato vires ejus frangens,quia Virgini Colos.2. ille inerat, qui est *Plenitudo Divinitatis*, inerat scilicet per designationem,quia Matrem sibi futuram præfinivit. Si de quopiam de Virgine S. idem David dixit Psal.45. *Adjuvabit eam Deus mane diluculo, Deus in medio ejus non commovebitur.* Ait Sacra Historia 1.Reg.17. *Prævaluit David adversus Philistæum in funda & lapide, cum & gladium non haberet in manu David, cucurrit & stetit super Philistæum, & tulit gladium ejus, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum præcidit & caput ejus.* Lapis quem jecit Virgo erat Daniel: 2. *Lapis de monte sine manibus excisus*: Lapis inquam Petra Christus. *Deus in medio ejus.* Ut grande malum Apostolus memorat Ephesijs 2. *Eratis illo in tempore sine Deo.* Virgo semper erat cum Deo, proinde nunquam cum peccato. Prov. 8. *Nondum erant abyssi, ante omnes colles cum eo erat cuncta componens.* Eccles.47. Manus Domini erat cum David,& abstulit opprobrium ex Israel. Manus Domini erat cum Virgine Cant. 2. *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Dextera, inquam,amplexabitur. Dextera Domini fecit virtutem,in dextera delectationes usque in finem. Læva sub capite meo, non supra caput originis, sed infrà. *Cassian. Collat. lib.6. c.10.* In læva scribuntur & conduntur peccata. DEus promisit Davidi Psal.88. *Ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cæli. Semel juravi in Sancto meo si David mentiar.* Thronus Davidis terrestris hoc non est consecutus, consecutus autem Thronus Davidis cælestis,nimirum S. Virgo. *Gregor. Neocæs. serm. 1. de Annunt.* Virgo est Thronus Regalis Sancti Sanctorum, qui omnia sub Deo sanctitate superat. Isai.9. *Multiplicabitur ejus* Messiæ *imperium, & pacis non erit finis, super solio David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio ac justitia, à modo usq; in sempiternum,* Jerem. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra.* Si Messias Rex in Domo David, & Mater Messiæ Regina in Domo David, & beatior Davide, quia quæ dicta de Davide,completa in ejus Filio:Regnũ Messiæ habiturũ pacẽ æternã:quantò verius per Virginẽ fit pax inter Deum, & peccatores, & quidem ita statim inter Joannem firmat pacem & Deum; ut amplius abrumpi non possit. Nam *S. Th.3. p.q.27.a.6.* docet sanctificatis in utero eam dari gratiam, ut non peccent unquã mortaliter.

A justitia regnum Messiæ commendatur. *Ambr. lib.2. in Luc.1.* expendens cur apud Elizabetham Virgo manserit tribus mensibus, dicit. Quia Joannes urgebatur, & quasi bonus athleta exercebatur. De eodem Joanne *Chrysol. serm.90.* Antè pervenit ad cœlum quàm tangeret terram, quanta hæc justitia, hoc est sanctitas? Pulsavit cytharam coram Saule David, spiritus malus ab eo fugabatur, Salutavit

salutavit Virgo Elizabetham & Joannem eripuit de potestate mali Spiritus.

A judicio Thronus Messiæ commendatur. *S. Bonav.* Dominus judex noster in judicio, Dominus Rex noster nos coronans in cœlo, cum eodem Domina nostra est in judicio, cum eodem coronat in cœlo. David 2. *Reg.* 23. charum inprimis habuit Banajam, hunc Secretarium, hunc Principem lateris, seu custodiæ Regiæ fecit. Sed quare? Respondet *Abulen.* q. 18. Quia vir fortis erat & probus. Inter alia, hoc signum fortitudinis refertur; quia 2. *Reg.* 23. Virum Ægyptium dignum spectaculo hastâ instructum & armis invasit, virgam solam habens in manu, suâque illum hastâ interfecit. Quod Davidi Banajas, hoc Deo Patri ejus Filius, de quo Psal. 44. *Virga directionis virga regni tui. Psalterium Romanum.* Virga recta est Virga Regni tui. Quæ autem sit hæc Virga *Card. Petrum Damiani serm. de Assumpt.* audi. Virga est Mater Dei, recta in sublimitate conversationis, subtilis in contemplatione Deitatis, odorifera in virtutum opinione, angusta in temporalibus, dilatata sive longa in spiritualibus, per quam retunduntur impetus dæmoniorum, fiunt signa & mirabilia. Hæc Virga conterit carnales Ægyptios, dirigit spirituales Israelitas, hæc devorat serpentes. Videns *David* quòd complacuisset Domino ut arca fœderis in domum suam transferretur, & manu pulsavit organa musica, & vocem in cantum sustulit, & totis viribus coram Domino saltavit, & ut loquitur *Dion. Carthus. in* 2. *Reg. ar.* 10. Inebriatus lætitiâ spirituali nec coram populo saltare erubuit. Quid iste feciset si vivam Arcam Domini conspexisset? *Id: ibid.* Saltus iste ac ludus devotionis fuit. De Christo dicit *Archangelus.* Dabit illi Dominus sedem Patris ejus David. Sedes David plena clementiâ. Motus fuit justâ irâ contra Absolonem Patricidam, nec eum persecutus exulem, neque in exilio mori permisit, imò passus est se à muliere sapiente Thecuite in Advocatam Absolonis â Joabo subornatam superari. 2. *Reg.* 14. Ista figuram Virginis gesit Advocata.

Tribus autem in expugnando corde Davidis usa est Thecuitis argumentis. Primo, dum se tacitè matrem fingit filij in parabola & Davidi machinam Paterni amoris applicat, quem amoris similitudine exaggeravit, vocando se ignem, filium verò scintillam. *Quærit, inquit, cognatio extinguere scintillam meam.* Secundum telum accepit à morte omnium communi. *Omnes inquit morimur, & quasi aqua dilabimur, quæ non revertuntur.* Quod argumentum potens, & est hujus sensus. Satis superq; exilij omnem mortalem manet, dum per mortem ab omnibus charis exulat, cur igitur duo exilia filius tuus sustineat? Propera Pator filium restituere, nè mors illum opprimat. Aquæ nivis semel resolutæ ubi terram subiêre amplius

non comparent, tu morte quando non putas extinctum cupies revocare, & non poteris. Tertium argumentum idque fortissimum intorquet in cor Davidis. *Deus retractat & neminem vult perire*, neque tibi inglorium erit sententiam retractare, & si Deus neminem vult perire, quomodo tu pateris filium tuum in exilio contabescere? Eadem Virgo allegat Deo. Me Matrem peccatorum constituisti te Patrem. Quærunt multi extinguere scintillam meam & tuam. Hortatur insuper Deus Virginem ut loquatur Cant. 8. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant fac me audire vocem tuam.* Habitat Virgo in hortis, in quibus sunt arbores contra quas clamatur. Exscindite, ut quid etiam terram occupant? Abigail secunda nondum coronati Regis David uxor, in hunc modum contra Nabalem, nâ zstuantem Davidem composuit 1. Reg. 25. *Suscipe benedictionem hanc, & aufer iniquitatem famulæ tuæ, malitia in te non inveniatur omnibus diebus vitæ tuæ: si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum, porrò inimicorum tuorum anima votabitur quasi in impetu & circulo fundæ.*

Quid sit esse in fasce docebit nos Isaias c. 24. *Congregabuntur in congregatione unius fasciis in lacum, & claudentur ibi in carcere.* In fasce esse est esse in quadam congregatione impiorum; at bonorum est fasciculus. Hos duos fasces Virgo proponit peccatoribus ut eos à malo abducat. Surget contra te homo persequens, id est Christus Judex. Quanquàm plurimæ in Davide virtutes emicuerint, præcipuè tamen misericordia *Psal.* 77. David in intellectibus manuum suarum pavit & deduxit eos. Habent alij solum intellectum in capite, sed non in manibus, pulchra cogitant sed non exequuntur, pro Davidis manibus testabitur Miphiboseth mensæ Regalis assessor. De Virgine loquitur *Ambr. 2. lib. de Virg.* Quando ista festidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? eos solos cœtus vivorum solita invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Maxima est gloria Davidis, quòd Sauli pepercerit; sed quo motus? ipse dicet 1. Reg. 26. *Propitius sit mihi Dominus nè extendam manum in Christum Domini.* Lenticula olei effusa est in Saulem, quâ unctus est, seu factus Christus. *Oleum effusum Maria nomen tuum.* Parcet illi Christus in quo conspexerit guttam istius olei.

12. Beatam dicit Virginem Bethsabee,
Quia ipsa rebelles contrivit.

Nathan Propheta in hunc modum descripsit Bethsabeen. *Pauper* (2. Reg. 12.) *nihil*

nihil habebat omninò præter ovem unam parvulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creverat apud eum cum filijs ejus simul de pane illius comedens, & de calice illius bibens, & in sinu illius dormiens, eratq; illi sicut filia. Ubi ovem appellat Bethsabeen. Sed & Virgo ut ovis nata in stabulo. *Damasc. lib. 4. de fide 15. Ad Epiph. de laud. Deip.* vocat ovem immaculatam quæ Agnum peperit. *Damasc. Orat. 1. de Nativit. B. V.* Agnâ ex qua pastor ovem induit veteris mortalitatis tunicis laceratis. Parvula est: Ecce ancilla. Unica, quia in donis singularis, Filia, quia amabilis. Nonnisi de mensa Domini comedit, non aliundè nisi de calice Domini bibit, perpetuò in sinu Dei residet, jussa templo includi, voluit includi, jussa esse conjux, obedivit, jussa fugere in Ægyptum fugit: redire, rediit, in omnes Pastoris sui voluntates expedita. 3. Reg. 1. *Adonias elevabatur dicens: Ego regnabo. fecitq; sibi currus & equites &c.* Ingressa est itaque Bethsabee ad Regem in cubiculum, quæ ait. *Domine mi tu juràsti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo, & ecce nunc Adonias regnat.* Non unus videtur sibi certus de regno cœlesti, interim alter regnum invadit & præcludit. Accedit Virgo, Dei clementiam orat, impetrat. De hoc fuit sollicita cùm illi Luc. 1. responsum, *Ne timeas Maria invenisti gratiam apud Deum. Bernard. serm. 4. de Assumpt.* Hæc quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit, constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam cui dictum est. Nè timeas Maria invenisti enim gratiam, utique quam quærebas.

℣. Beatam dicit Mariam Salomon.
Quia est Canticum illius.

Doctor *Angelicus serm. de Assumpt:* dum considerat epistolam quæ ex Eccl. 24. legitur in die Virgineæ in cœlos Assumptionis, advertit quòd sex arboribus exaltatio comparetur. *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Jericho, quasi oliva speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum juxta aquas in in plateis.* Quarum arborum nomine vult intelligi sex ordines Beatorum, quibus S. Virgo est beatior. *Cedro* quidem Angelicam naturam designari propter sublimitatem & incorruptionem. *Cypresso* chorum Patriarchalem propter odoratam conversationem. *Palmâ* Apostolicum Collegium propter victoriam de mundi infidelitate. *Rosâ* purpuratos martyrum exercitus propter fortitudinem invictam effusumque sanguinem. *Oliva signo* Confessorum virentem multitudinem propter misericordiæ uberta-

tem. *Platano* globum Sanctarum Virginum propter gloriam castitatis. Idque non qualicunque cedro celsior, sed cedro Libani, non qualicunque cypresso sed de monte Sion, Palma in Cades. &c. ut in omnibus sanctorum classibus Princeps sit ac Regina. Imò toti horto omnium arborum S. Virginem comparat, dum Cant. 4. sic Sponsum illam inducit affatum. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus. Hebræus* legit. Paradisus concluſus, paradisus concluſus In quem locum *Rupertus.* Horto paradisi comparatur Virgo, eò quòd in ipsa varietas donorum & meritorum per ordines cæterorum sanctorum sparsa, continebatur unita & collecta. Hortus concluſus, quia ut ait *Bruno de laud. Eccl.* 11. non solùm Principi latronum, qui in Paradiso, Paradisos Dei Spirituales vastaverat, non patebat, undè nec poma nec aquam surripere potuit, sed etiam qua sanctitas ejus occlusa humilitate latebat.

Præterea *Rupert. in 4. Cant.* Et uterus tuus Virgo nulli viro carnali commercio accessibilis, & mens tua nulli vitio spiritualis nequitiæ fuit unquam penetrabilis. 3. *Reg.* 4. dicitur Salomon latitudinem cordis accepisse à Deo instar arenæ maris. Arena maris complectitur mare. Salomon ea fuit quæ plùs quàm unius Regio impensis, plùs quàm unius hominis ætate & scientiâ egebat, ut est templi extructio, palatiorum, pax cum omnibus stabilita. At Virginis uterus incomprehensum comprehendit. Singula membra Virginis in hunc modum prædicat Salomon, & omnem laudem ad comparationem reducit cum columba Cantic. 4. *Veni Columba mea.* Cant. 4. *Oculi tui columbarum.* Cant. 2. postquam de columba locutus, addit: *Vox tua dulcis.* De pedibus Cant. 2. *Veni columba mea.* Columba *Hebræis* gazal, à radice gazal, quod minimè alteri columbæ convenit, præter Virginem quæ rapuit cor Dei, Filium Patris. Inter alia magnifica opera memoratur Salomon fecisse palatia Heb. 11. *Abraham demoratus est in terra promissionis, tanquam in aliena in casulis habitando.* Casas hic habemus non domos. David Ps. 38. *Ne sileas (Deus) quoniam advena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes Patres mei.* Civitas nostra sursum est, in qua sunt lapides pretiosi; at vero sapientia ædificavit sibi domum, Virgo scilicet S. erexit Palatium sibi & nobis. *Ambr. epist.* 29. Aulam regis æterni appellat Virginem. *Greg. Neoc. orat. 3. de Assumpt. B. V.* Domicilium æquivalens cœlo & terræ. *Damasc. orat. 1. de Nativ.* Palatium animatum Regis Angelorũ. *Innocent: III. serm. de Annunc.* Castellum. Cant. 3. *Ferculum sibi fecit Salomon cujus ascensus erat purpureus, reclinatorium aureum, mediâ charitate constratum.* sed Virgo tota charitate est vestita. Et ferculum Salomonis erat intus lignum, tota Virgo aurum. *Bernardin. serm. de Assumpt.* Mens Virginis in ardore dilectio-

nis continuò tenebatur. *Anſelm. de excell. Virg. cap. 5.* Pura Virginis ſanctitas, & ſanctiſsima puritas pijſsimi pectoris ejus, omnem omnis creaturæ puritatem ſanctitatemque tranſcendit.

14. Beatam dicit Virginem Joſaphat. Quia cum illa Dominus.

Joſaphatum duæ res maximè reddunt illuſtrem; altera, quia probitatem Davidis non deſeruit; altera, quia Deum ſecum habuit. 2. Paral. 17. *Fuit Dominus cum Joſaphat, quia ambulavit in viis David Patris ſui primis. Joſaphat* nomine ſuo exprimit *Dominus Judex.* Et quoniam Deum ut Judicem & Retributorem attendebat, illo ipſo factus eſt Judex aliorum. In primis vijs David ambulavit. *Lyra.* Per hoc Scriptura indicat quòd Joſaphat imitatus ſit David in bonis & non in malis. Primæ hominis viæ ſunt bonæ, in juſtitia enim originali creatus homo. Primas vias Davidis Eccleſiaſticus deſcribit cap. 47. *Invocavit Dominum omnipotentem, & dedit in dextra illius tollere hominem, fortem in bello, & exaltare cornu gentis ſuæ: in omni opere dedit confeſſionem ſancto & excelſo, in verbo gloriæ: ſtare fecit cantores contra altare, & in ſono eorum dulces fecit modos.* Joſaphat non unum hominem ſuſtulit, ſed tres gentes validas 2. Paralip. 20. Stans in Domo Domini Joſaphat longam fecit invocationem Dei patris ſui David, ſeque inter Deum & populum accinctus fide & juſtitiâ, medium fecit & ſequeſtrum. *Lyra* in hunc locum addit Joſaphat orationi addidiſſe jejunium, & conſecutum eſſe finem optatum. Sicut nec miles eſt aliquid ſine armis, nec arma ſine milite; ſic nec oratio ſine jejunio, nec jejunium ſine oratione. Finis orationis fuit: quia hoſtes Joſaphati Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, acti ſpiritu vertiginis in ſeipſos converterunt arma, & ſe contrucidarunt, ex parte Joſaphat nullo ſtringente ferrum.

Sed nec de vijs David primis receſsit Virgo, quæ de ſe ipſa dicit Prov. 8. *In viis juſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum judicij.* Debellavit hoſtes Eccleſiæ Joſaphat, & Virgo debellavit. Canitur illi. *Cunctas hæreſes ſola interemiſti.* Pro Joſaphati honore Deus certavit, & pro Virgineo certat. Scribit *Rodericus ab Hoved,* quòd legio dæmonum immiſſa ſit à Deo in porcorum gregem, qui Urbem quandam invaſit, atque infeſtavit, idcirco, quòd contra candorem famæ Virgineæ maledicam ſtrinxiſſet linguam. Sed & Virgo ſuos protegit. *Annuæ ſocietatis literæ, 1621. anni referunt.* Zela Chriſtos Imperatoris Abaſsini frater de hoſtibus ſuis triumphavit, ſed priùs coram ſuo exercitu prælata Virginis imagine, & hiſce prolatis. Tua eſt,

terrarum

terrarum ac cœli Regina, quam ſuſcepimus defendendam cauſa, tuí quos propulſamus hoſtes, ac nos quidem hoc modicum noſtri ſanguinis tibi conſecramus, tu verò rege tuorum animos conſilijs, inflamma affectibus, & fac in communes hoſtes poſſe, noſtra victoria ſi ſequetur, nobis erit umbra, tibi ſolida gloria. His dictis arma in hoſtem movit, & in acie complura millia cecidit & omnes illos ſuſtuliſſet, niſi tanti ſanguinis fuſi horrorem non ferens receptui cecinisſet. De judicio Virginis ipſius verba tenemus. Prov. 8. *In medio ſemitarum judicij ego ambulo.* A leſt judicijs & tribunalibus, ut illa dirigat ad rectitudinem. Quàm ſollicita ſit, quod fecit Joſaphat, ut populus in lege Domini inſtituatur, patet ex alibi dictis. Dominus erat cum Ioſaphat. Cum Virgine autem modo ſpeciali eſt Dominus.

25. Beatam dicit Virginem Rex Ezechias; quia à malo culpæ non ſanata, ſed præſervata.

Cùm ita vicinus ſtetiſſet portæ mortis Rex Ezechias *Iſaiæ* 38. ut ingemiſceret generationem ſuam velut tabernaculum convolui, telam vitæ velut à texente præſcindi, oſſa velut à leone conteri, denique cardines ac portas moras ſibi aperiri & ſtridere, accepto de longiore vitâ promiſſo, cecinit inter alia coo geminans. *Vivens vivens ipſe confitebitur tibi ſicut & ego hodie.* Quod Rex iſte in dimidio dierum cecinit, hoc Virgo initio. Fui culpæ originali obnoxia, tu me Deus præſervâſti, ſum vivens, vivens, & in anima & in corpore. Duæ cauſæ interverunt ob quas prolongata Ezechiæ vita. Primò opera antecedentia, deinde futura. De præteritis ait. *Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate.* De futuro. *Domine vim patior, reſponde pro me. Aug. Rupert.* Sciebat ex fide poſteris naſciturum Meſſiam, & decedebat ſine poſteritate. *Rupertus in 1. Nahum.* Adjicit Dominus ſuper dies Ezechiæ quindecim annos, quia videlicet per hoc factum eſt illi, ut locum & nomen haberet in libro generationis Ieſu Chriſti, & tum factus Beatus cùm ex illo proceſſit Maria. Sanatur Ezechias per maſſam ficuum ulceri applicatam. *Lyran. in Iſai.* 38. Maſſa ficuum nequaquam leniendo ulceris aut vulneris mala, ſed exaſperando potiùs, ac dilatando ſervit; at ſanavit, cùm Deus applicari juſſit. Oſeæ 9. *Quaſi prima poma ficulneæ in cacumine vidi patres eorum.* De hac ficulnea maſſa carnis Chriſti aſſumpta, hæc Virginis applicata debito, quod habuit ad culpam contrahendam, ſanavit. *Hymn. de Aſcens. Dom.* Culpat caro, purgat caro, regnat Deus Dei caro: ſanat Deus Dei caro.

Cùm

Cùm Ezechias promissum accepisset vitæ 4. *Reg.* 20. solidecem gradibus retrò cesit. Eccles. 48. *In diebus ejus retrò redijt sol, & addidit Regi vitam.* Deus certè addidit, non sol. Sol addidit Christus. *Rabanus in* 4. *Reg.* 20. Siquidem Sol justorum Christus, priùs per novem Angelorum gradus transiens & ad apprehendendum semen Abrahæ descendens: deinde idem Sol super omnes choros Angelorum ad dexteram Patris ascendens, addidit Ezechiæ vitam, ut qui nondum erat, deinde additâ sibi vitâ esset ejusdem Solis Pater, idem Sol ut acciperet de Maria addidit illi vitam. *Aug. serm.* 15. Natus est de Patre Principium vitæ, de Matre autem finis mortis. Hic vitam Ezechiæ dedit, hic morti quâ moriebatur finem imposuit. Invaserat Sennacherib cum prægnanti exercitu 4. Reg. 19. Regnum Ezechiæ. Hunc Deus ita alloquitur. *Quæ deprecatus es me super Sennacherib Rege Assyriorum, audivi.* Deinde de Sennacheribo sic loquitur Sioni. *Sprevit te, & subsannavit te filia Sion, post tergum tuum movit caput filia Jerusalem. Non ingredietur urbem hanc nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus.* Et ita factum, nam nocte una Sennacherib amisit centum octuaginta quinque millia militum, & in fuga in fano Dei sui à filijs jugulatus est. Sed cur Deus audivit Ezechiam, ipse aperit. *Protegam urbem hanc propter me, & propter David servum meum.* Quia ex David Christus nasciturus erat per Virginem è cujus meritis habemus omnia. Inter primas laudes Ezechiæ tribuitur 4. *Reg.* 18. quòd ut omnem tolleret occasionem idololatriæ, serpentem æneum contrivit, neque hoc contentus, illum serpentem per contemptum appellavit Nohestan, seu, ut *Theodoretus* habet Nehustam. *Philastrius & interlinearis glossa* hanc vocem interpretatur. Æs eorum. *Lyra* Cuprum eorum. *Alij*, Cuprellum eorum. At vide qualem Virgo serpentem contrivit. Iob eum describens, ait. *Halitus ejus prunas ardere facit, ferrum illi stipula.* Tertiam (*addit alter*) partem de cœlo traxit. *Plura vide Job* 40. *&* 41.

16. Beatam dicit Virginem Josias; quia gloriosè magis nomen ejus prædictum.

Ecclesiasticus ait 49. *Memoria Josiæ est in compositionem odoris. Arabicus vertit.* Nomen Iosiæ velut Thuribulum in quo est de omni fumatione bona. *In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini.* Hoc est, ut naribus odor gratus, ut mel gustui, ut musica auditui, ita Iosias gratus est. Sed & hic beatam debet Virginem dicere. Quia ut scripsit *Ambr. lib.* 2. de Virginibus. In alijs ministeria, atque umbræ, in ipsa autem tanquam in exemplari magisteria ex-

presſa probitatis, quid effugere quid corrigere debeamus, oſtendunt. Ioſias 35. annis antequam natus, ſcribit *Tyrinus in* 3. *Reg.* 13. de nomine deſcriptus, de rerum gerendarum gloria publicatus. Cùm enim impius Ieroboam novos populo Deos propoſuiſſet, atque illis altare erexiſſet 3. *Reg.* 13. Propheta à Deo miſſus ſic contra altare fulminavit. *Altare, altare, hæc dicit Dominus, ecce filius naſcetur domui David, nomine Joſias, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum.* Quæ Prophetia decimo ſexto regni Ioſiæ anno eſt impleta, ut oſtendit *Salian: in hiſt:* S. Virgo multis annis ſæculis antequam naſceretur de nomine proclamata: nam 1100. anni juxta computationem *S. Aug.* 18. *Civit.* 15. Virginis ortum præceſſerunt, quibus id nomen revelatum, quo tempore & templum illi erectum. *Procopius M. apud Surium* 8. Julij id contra ethnicos proſecutus.

De Ioſia ſcripſit *Rabanus in* 4. *Reg.* Fama ejus ſuperabat omnem odorem, ſuavitas modeſtiæ omnem dulcedinem; ſtudium autem reſtaurandi cultum Dei, omnem muſicam. *Ubi nos legimus.* Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris. *Græcus legit.* Mnemoſynon Ioſiæ in compoſitionem thymiamatis. De quo Deus ſic præcepit Exod. 30. *Sanctum ſanctorum vobis erit thymiama, talem compoſitionem non facietis in uſus veſtros quia ſanctus eſt Domino.* At de Virgine dictum Cant. 4. *Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Illi accinunt Chori electorum: *Trahe nos poſt te, in odorem unguentorum tuorum curremus.* Ipſa de ſe *Eccl.* 24. *Balſamum non miſi odor meus.* Non admiſcuit illi quidquam fœtoris Adam, non culpæ actualis. De Ioſia ſcripſit *S. Ambr.* 2. *off.* 30. eum zelo ſuo omnes Reges ſuperiores viciſſe, ipſe namque templum refecit, excelſa abſtulit, currus ſolis in torrente Cedron cremavit, aram Ieroboam deſtruxit, magos & pythones ejecit, phaſe ſolenniſſimum fecit. De illo Eccl. 49. *Joſias directus eſt Divinitùs in pœnitentiam gentis, & gubernavit ad Dominum cor ipſius.* At Virgo *in Hymn. Græc.* vocatur Directrix pœnitentium. *In Lytaniis Lauret.* Refugium peccatorum. *S. Damaſc. in canon. ode* 9. ſic illam affatus. Tua puritas Virgo & morum integritas, ſordes & maculas univerſi orbis expurgavit, te armaturam infractam hoſtibus obtendimus, tu ſola mortalibus ſupernaturalium bonorum Procuratrix. Phaſe tranſivit Ioſiæ, Phaſe Virginis manebit ad mundi finem. Phaſe Ioſiæ non explevit hominem, Phaſe Virginum eſtvera ſatietas. Sic enim in perſona illius loquitur Eccl. 24. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me & à generationibus meis implemini.*

17. Beatam dicit Virginem Jechonias Quia est Fructus bonus.

Postquam Deus in captivitatem Babylonicam permisit abduci Judæos cum Jechonia, ostendit eos *Jerem.*24. sub imagine calathi pleni bonarum ficuum. Pergit Deus ibid. *Sicut ficus hæ bonæ, sic cognoscam transmigrationem Juda, quam emisi de loco illo in terram Chaldæorum in bonũ, & ponam oculos meos super eos ad placandum, & ædificabo eos & non destruam, & plantabo eos & non evellam.* Promissio facta Jechoniæ, sed in Virgine completa, in Christo Jechoniæ Successore: tunc siquidem DEus supra Judæos posuit oculos in bonum, manum ædificationi admovit, plantavit novum surculum.

Illud: *Cognoscam in bonum & ædificabo S.Th. in Jerem.*24. exponit. Cognoscam vos scientiâ approbationis. Illud vero, *ædificabo*, in altum elevabo vos sicut in ædificio. Virgo autem ædificata est in templum Deo. *S.Germ. Orat. de NatiV. B.V.* Commune totius mundi gaudium ex justis hominibus Ioachim & Anna exortum nobis est, laudatissima nimirum illa, omnisq; planè reprehensionis expers Virgo, quæ sola propter eximiæ dignitatis præstantiã, verè rectèq; animatum Dei Templum facta est. Malarum alioqui ficuum calathus Jechonias, per calathum bonarum ficuum explicatur. *Lyranus* ideò putat *in* 1. *Matth.* comparatum bono calatho: Quia fidem datam Nabuchodonosori servavit. At vero à tota *Ecclesia* cantatur, Virgo fidelis. *S. Hieron.* ob id factum putat *in* 24. *Jerem.* Quia Deo Jechonias obedivit. Audiens enim ille Ioremiam Dei nomine imperantem ut se Nabuchodonosori traderet; acquievit. At quid obedientius Virgine? Nata est in stabulo teste *Damasc. lib.*4. *de fide c.*15. ut ovis, quæ nata est pastoris præceptis & obedientiæ symbolum. Sunt ficus bonæ, sunt ficus malæ, & bonæ per malas perficiuntur. Narrat enim *Plin.lib.*15. *c.*19. Caprificum hoc est sylvestrẽ ficum proferre vermes, qui morsibus bonas ficus aperiunt, & lacteum illarum succum absumunt, ficus verò aperta solem intus recipit & sic dulcescit. Multi non dulcescerent nisi à malis præmorsi fuissent. Iechoniæ ficus duces erant, dulcior fructus Virginis. Fructus ejus Virginitas voto signata sine exemplo. *Bern. serm.* 3. *in Missus.* Virgo est Primiceria Virginitatis, numera fructus orationis, fidei &c. sed super omnes alios Benedictus Fructus ventris ejus. Sub ficu vidit Christus Nathanaëlem, sub his ficubus multi sunt, qui alias non viderentur. Iechoniæ nomen *B.Hieron.* interpretatur *in c.* 22. *Jerem.* Domini præparatio, seu dispositio, quia exemplo suo disposuit ac præparavit populum ad subeundam captivitatem:

Magis verò disposuit populum ad accipiendam legem Christi. Iechoniæ nomen componit *l. c. Hieron.* ex Jah & honias. Jah est nomen Dei contractum ex Jehovah, ut advertit *Lorinus in psal. 67.* Per Jechoniam enim nomen Dei Babilonijs innotuit: per ejus enim transmigrationem *Daniel c. 2.* inclaruit apud Nabuchodonosorem & filium ejus Balthasarem, per hanc apud Darium *Dan. 6.* tum Zorobabel 3. *Esdræ* 4. tum Hester *c.* 2. tum Mardochæus *c.* 10. tum Ezechiel 44 quasi ficus bonæ ex calatho prodeuntes.

18. Beatam dicit Virginem Salathiel Quia est Dulcior.

Salathiel Princeps populi Iuda multis alijs modis sed etiam loco nascendi Virginem nostram dicit Beatam, is natus est loco alieno, utpote in exilio, & Virgo in stabulo. Salathiel nocte conveniens Esdram Sacerdotem magnum quærit. *Quare vultus tuus tristis?* tristabatur verò Esdras ob captivitatem populi sui; non poterat enim siccis oculis videre suæ gentis mala. Ante natam Virginem totus mundus erat captivus. Psal. 41. seipsum David interrogat. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* tristitiæ causam præmisit. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? Chrysost.* Tria sunt quæ dilectionem & desiderium solent accendere, pulchritudo, beneficia & amor. Hæc omnia tria abundè sunt in Deo. Ipsè enim teste *Aug. in Confess.* Pulchritudo nova & antiqua. Beneficia & amor patent. Solatur se David: *Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi, Salutare meum, & Deus meus.* Virgo Deum seu Salutare, id est Iesum, hoc enim Iesus significat, pariet. *Damasc. Orat. 1. de Nativ.* Ioachim & Anna tanquam spirituales montes dulcedinem stillaverunt. *Ecbertus Abbas*, deprec. ad Virg. O pia, ô magna, ô amabilis Maria, tu nunquam sine dulcedine tibi insitæ memoriæ portas ingrederis. Excitans Esdram Salathiel, *an nescis*, inquit, *quia tibi creditus est Israel in regione transmigrationis eorum.* Virgini totus orbis est creditus. *Ephrem. de laud. Virg.* Vallum est fidelium mundique Salus Virgo. 4. Esdræ 5. Salathiel hortatur Esdram. *Exurge & gusta panem. Epiph. orat. de laud. Virg.* Virgo est Clibanus & Mensa, gusta Munde panem qui in Virgine paratur, in Virgine proponitur. *Gerson.* Hæc est Mater Eucharistiæ, hæc Clavigera cellariorum Regis pacifici: idcirco *Bernardus orat* Virginem *in salve.* Ciba hodie pauperes tuos Do-

prius,

rina, ipsi quoque catelli de micis tuis edunt. Hanc qui accipit micat, de catello migrat in leonem ignitum, ut docet *Chrysost. hom. 61. ad pop.* Hortatur S. *Gaudentius.* Contendite pulli generosi ad sacram offam, in qua est vita, & ex cœlesti illo cibo mica non cadat. *Petrus Damiani.* Eva cibum nobis tradidit per quem nos æterni convivij fame multavit. Orat Salathiel scribam magnum: *Non derelinquas nos in manibus luporum malignorum.* Ita ipse exul pro populo tamen sollicitus. Sustulit Virgo lupos Ecclesiæ hæreticos.

19. Beatam dicit Virginem Zorobabel. Quia omnibus prodest.

Zorobabel, idem est ac si dicas, Princeps cum Deo. Hic 3. *Esdræ* 4. cum Babilonijs congressus sapientibus, dum fortissimam inter omnia veritatem asserit victor evasit. Is captivitatem Israelis in patriam reduxit. *Aggæi* 1. Is templum dirutum restauravit. Is *Zach.* 4. Signaculum Divini digiti meruit appellari, ejus symbolum, oleam ad candelabrum aureum septem lucernis instructum Deus ipse fixit. *Aggei* 2. Quod candelabrum dum vidit Zacharias & oleas circa illud duas quæsivit ab Angelo. *Quid sunt duæ spicæ olivarum juxta duo rostra aurei candelabri.* At ille. *Isti sunt duo filij olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ,* hoc est sacerdos Josedech, & Princeps Zorobabel. Oleum fuit, quia Israelem ut lucerna illustravit, quia extinctum illud regnum reaccendit. Matris Virginis *oleum effusum nomen* quia est misericors. Virgines quæ in lampadibus oleum habere noluerunt *Matth.* 25. exclusæ sunt à sponso. Quia ut ait *Chrysost.* in hunc locum. Virginitati carnis oleum misericordiæ neglexerunt adjungere. Oleum ut docet *S. Bernard:* 5. *in Cant.* est cibus famelicis, lux in tenebris, medicina vulneratis. Hoc ipsum præstat Virgo, est enim Cibus. *Eccles.* 24. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me,* invitat, *& à generationibus meis implemini. Tigurina.* Accedite ad me omnes cupidi mei, & facite ut fructibus meis impleamini. *De Virgine S. dixit Deus S. Cath. Senen.* Mater mea tanquam Esca dulcissima trahit ad se atque ad me animas. Quod veluti explicaret *Bernard. serm. de Visit.* Omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus sinum suæ pietatis aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam. Est oleum lux in tenebris, quapropter illum locum: *Ego fevi ut oriatur in cœlo lumen indeficiens,* illi applicuit *Damiani serm. de Assumpt.*

de Assumpt. Sicut sol, addit, solus orbem illuminat, sic Virgo solidiori lumine Angelos & homines illustrat. Oleum medetur. *Bonav. Psalt. Min. quinqu.* 2. Virginem mundi Medicinam dixit. Habet medicinam pro superbis humilitatem, pro avaris misericordiam, pro fluxis continentiam. S. *Ildefonso* S. Virgo *serm. de Nat. B. V.* dicta est Magna misericordia, ut possimus orare per Virginem: Miserere mihi Deus secundum magnam misericordiam tuam.

20. Beatam Reliqui Progenitores Christi dicunt Virginem. Quia figuras & Prophetias illorum explevit.

Tertius inter filios Rubeni Primogeniti Israelis Esron 1. *Paral.* 5. & Esronis filius Aram dicunt Virginem Beatam. Num. 23. Baalam sic prophetare incipit coram Balac. *De Aram adduxit me Balac.*

Tandem ad illud devenit Num. 4. *Videbo eum sed non modo, intuebor illum sed non propè. Orietur stella ex Jacob & consurget Virga de Israel.* Sub Roboam ob ejus stultitiam penè finitum est regnum David 3. Reg. 12. Per Filium Virginis redditum est æternum Luc. 1. *Dabit ei Dominus Deus sedem David ejus, & regni ejus non erit finis.* Quod nomine suo prædixisse Roboam videtur. Idem enim ei, ac si dicas, dilatans populum. Abias similiter Pater Domini. Asa ex Matre impia Maacha filia vel nepte Absolonis oriundus, Rex pius & qui Matrem à sacerdotio idolorum amovit, *nè esset Princeps in sacris Priapi. Hebr. legit*, nè esset Domina quia fecit idolum horrendum. Quod explicat 2. *Paralip.* 15. Sed & Maacham Matrem Asa Regis de augusto deposuit imperio, eò quòd feciſſet in luco simulacrum Priapi, qui colebatur ritibus obscœnissimis. Si quod idolum adversum fuit Virginitati hoc certè. Itaque Virginitatem honoravit Asa cujus nostra Virgo est Princeps. Ioram sustulit statuas Baal, & fuit is, in quo Deus justitiam suam, talionem reddendo manifestaret: hic enim sex fratres suos occidit, ut solus regnaret, filij etiam ejus omnes occisi sunt. Ad hunc Elias jam à raptu suo post annos novem literas dedit ex paradiso 2. *Paral.* 21. quod legationem ad Matrem Virginem è paradiso institutam videtur significâsse.

Ozias ab initio Deum secutus 2. Paralip. 26. postea rerum successu inflatus, *elevatum est cor ejus in interitum suum, ingressusq; templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis, & leprâ percussus à Domino, & à sacerdotibus ejectus de templo.* Hic pœnam exhibet eorum qui altare thymiamatis, quod Virginem S. designabat linguis sacrilegis invadunt. Achaz cùm in angustias fuisset redactus à Syris Isai. 7. neq; crederet promissis Dei, dixit Propheta. *Audite ergo domus David, numquid parum*

parum vobis est molestos esse hominibus: quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus *ipse signum. Ecce Virgo concipiet & pariet filium: & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Manasses impius fuit, idola restituit, Prophetas occidit, qui & hic pœnitens sepultus est in horto suo, in horto Oza: ubi scilicet Oza occisus est eò quòd temerè tetigisset arcam. Arca erat figura Dominæ nostræ, vide & hic quàm beatam prædicet Virginem. Pro Manasse in Regnum successit Amon paternæ impietatis hæres, qui ut *Glycas* scripsit dicebat sibi. Pater meus à puero multa scelera fecit, ac in senectute pœnitentiam egit, quare & ego in hac ætate pro libidine animi mei agam, & deinceps ad Dominum me convertam. Sed hanc præsidentiam Deus in illo morte punivit, & à servis proprijs occisus. En pœna ejus quem memoria arcæ non flexit ad bonum.

Abiud 1. *Paralip.* 3. appellatur Anania quod est *Nubes Domini.* Nubem Domini plurimi Patrum vocant Virginem. Eliacim est *Dei resurrectio*, quando scilicet exsurrexit ex Virgine Deus, & per Christum dissipavit inimicos suos. Azor idem quod *adjutor*, nomen est Christi, ille est noster Adjutor, quia noster Advocatus. Sadoc *justus*, idem quod priores nomine suo præsagit, & justi Matrem Beatam innuit. Achim quid simile præsagit; uti & Eliud, qui est quasi *Deus Judæ* in suo nomine. Eleazar item *Dei adjutorium.* Virgo autem secunda Eva Adam secundi fuit adjutorium illi simile. Mathan *Donum Dei.* Datus est nobis Parvulus donum Patris maximum. Atq; ita breviter hos reliquos Progenitores Virginis & Domini nostri percurrimus uti & reliquos non pro copia materiæ tractavimus, quæ justum volumen, sed non pro instituto præsenti compleviſſet.

CAP.

CAPUT IX.

Beatam dicunt Virginem illustres in S. Scriptura Viri & mulieres.

1. Beatam dicit Virginem Adam ; quia illa meliori pane vescitur in labore suo.

ADamo dictum: *In labore vultûs tui vesceris pane tuo.* De Virgine *Ambr. lib. 2. de Virgin.* Ubi orandi & meditandi spatia transierit nere vermiculum de cocco, nunc torquere funiculum, nunc insigniter acu pingere, & si quando collaborandi & ministrandi alijs adfuisset occasio, ipsa accurrere comes ad ministerium. Hinc sicut Booz de Ruth. 2. ubi vidit in agro messores alacriter labori incumbentes, dixit *Dominus vobiscum.* Ita Angelus Virgini. *Dominus tecum.* Non vacat mysterio quod ad hortum quietis ergo invitaturus sponsam priùs promiserit: *messui myrrham meam cum aromatibus meis* Cant. 5. ut scilicet discamus in hac vita non venire quietem nisi post laborem. De Apostolis scriptum Psal. 126. *Sicut sagittæ in manu potentis ita Filij excussorum.* De quo *Aug.* Filij excussorum sunt filij Apostolorum. Excussi Apostoli ut tribula varijs afflictionibus. Filij eorum debent esse ut sagittæ, quæ quocunque impelluntur, procedunt, neque de labore queruntur. Exod. 24. Cùm apparuisset Dominus septuaginta viris in augusta Majestate. *Sub pedibus,* inquit *videbatur opus lapidis Saphirini.* Pavimentum vocatur opus. Operi nostro insistit Deus, ad ejus pedes non venitur nisi cum opere. In labore solatio egemus. Visa est semel B. V. Cistercienses monachos in messe sudantes, manu sudorem detergente solari. Adam in horto positus. Virgo est Hortus conclusus, quem falx corruptionis non attigerat dixit *Hesich. orat. de Deip.* melior paradiso, nam in ea peccatum non est natum neque serpens subijt. Adam vitæ arborem perdidit, nobis Virgo S. est Lignum vitæ quod vitam fructificavit. In monte Moria sepultus Adam. *s. August. civit. 30. Hieronymus Presbyter* scripsit se certissimè à senioribus Judæorum cognovisse,

visse, quod ibi immolatus sit Isaac, & Adam sepultus, ubi postea Christus est crucifixus. In monte Moria templum ædificatum, in Virgine Christi humanitas, in hac Deo holocaustum se obtulit. Moria, est terra excelsa. Nihil Virgine excelsius. Moria significat amarorem, Maria mare amarum. Adam primus hominum; Virgo creaturarum dignissima. Adam in paradiso positus, ut esset beatus; hæc Virgo Paradisus. *Rupert. 4. in Cant.* Hortus conclusus Soror mea Sponsa, Dei Genitrix. Ecce novus Paradisus, novæ plantationes, quas plantavit unus idemq; antiqui paradisi Plantator, Dominus Deus. Iste est paradisus antiquus, paradisus terrenus: iste est paradisus novus, paradisus cœlestis: utriusque Plantator est unus idemque Dominus Deus, in illo posuit hominem quem formaverat, in isto formavit hominem, qui apud ipsum in principio erat. De illa humo produxit omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio paradiso: istam humum istam terram suam benedixit, & ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarum exemplaria virtutum produxit, ipsum quoque lignum vitæ, Christum Deum, & hominem, Dominum paradisi cœlestis. De illo voluptatis loco egrediebatur fluvius, ad irrigandum paradisum, qui indè dividitur in quatuor capita, de isto Paradiso ille fluvius, seu istud flumen egressum est de quo Psalmista dicit. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, qui indè in quatuor Evangelia dividitur.

2. Beatam dicit Virginem Heva; quia ipsa contrivit caput seductoris.

Quia propter Virginem accepit ut sit Mater viventium. Non solùm enim virum primum vocavit Deus Adam, sed & primam mulierem *Gen.* 5. Masculum & fœminam creavit eos, & vocavit nomen eorum Adam. Quod significat: Homo, terrenus, rufus. At postquam revelatum est quòd ex illa esset S. Virgo nascitura, postquam serpenti maledictio inflicta, & dictum. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum &c.* Et vocavit, Dei sine dubio instinctu, nomen uxoris suæ Heva, eò quod mater cunctorum esset viventium. Per Virginem accepit ut esset adjutorium viro suo. Nam sine illa similitudinem Dei in viro obliteravit, & facta est illi in petram scandali. Virgo est ut docet *Hugo Cardin. in Psal.* 90. Adjutorium altissimi. *Vel ut alij.* Adjutorium simile Altissimo. Similis in conceptu immaculato, similis in vita, similis in resurrectione; quia & ipsa tertio die surrexit, *Tertulliano docente lib. de Resur.* Cùm

Adam de limo formabatur, Christus cogitabatur. Dum Eva formabatur, Maria cogitabatur. *Idem lib. 2. contra Marcion. c. 11.* Viro bonitas Divina adjutorium prospexit, nè quid non boni esset. Non est enim bonum homini esse solum. Sciebat illi sexum Mariæ profuturum. *Guerricus Abbas serm. de Assumpt.* Nunc habitamus in adjutorio Matris altissimi, postea in consortio gloriæ ipsius tanquam in sua ipsius confovebimur. Adam appellavit uxorem suam Hevam, hoc est viventem, seu vivam, at illa jam fuit mortua per peccatum. LXX. *legunt* Vitam. Sed quomodo Vita, quæ non solùm seipsam sed & posteros occidit. Christus est verè Vita. Coloss. 3. *Cùm Christus apparuit Vita nostra.* Vita est & Virgo. Nam Christus est mors mortis *Oseæ* 13. Virgo apud *Buteon: in hymn. Græc. pag.* 123. Mortalium inferni. *Epiph. hæres:* 78. Unde mors illata est, inde vita processit, ut vita pro morte fieret: & qui per mulierem Vita factus est, mortem ex muliere inductam excluderet.

Animadversione dignum quod *Gen.* 2. legitur. Primus homo à Deo factus & formatus. Prima autem mulier ædificata. Formatus Adam tanquam forma sæculi. Sed cur mulier ut domus ædificata? Respondet *Cajet. in cap.* 2. *Gen.* Mulier conceptæ & generandæ proli est quasi domus, eam continens, protegens & fovens. Sed hæc domus versa est in speluncam latronũ & furum, quisquis exiit prodijt fur est pomi paradisiaci, fur honoris Dei. Cur degeneravit hæc domus in speluncam? Quia facta quidem à Deo, sed non dedicata à Deo. Virgo nostra & facta & dedicata: ideò à *S. Ildef. serm.* 3. *de Assumpt.* dicitur Domus gloriosa Dei. *Ps.* 45. *Sanctificavit eam Altissimus.* Cant. 8. ipsa de se dicit. *Ego Murus & ubera mea sicut turris. Emman. ita legit.* Ego Dei gratiâ fortis sum. *Rupert. in Cant.* multa horum comprehendit. Veni Maria veni Sponsus clamat; nam Eva ad latebras confugit. Veni & credè Angelo evangelizanti, nam Eva credidit serpenti susurranti, veni & contere caput serpentis, nam Eva & capite illecta, & ventre delectata, & caudâ est obligata serpentis. Veni & dic. Ecce ancilla Domini. Nam Eva se abscondens pariter & defendens, serpens ait decepit me & comedi. *Epiph. hæres.* 78. Eva mortis causa facta est hominibus, per ipsam enim mors ingressa est in mundum. Maria verò causa vitæ, per quam genita est nobis Vita. Illa maledictionem in se induxit ut in dolore pareret. Hic ut ait *Bern. serm.* 1. *in Vigilia Nativit.* Partus sine dolore, solus nescius pudoris, corruptionis ignarus, non referans sed conservans Virginalis uteri templum. *Bern. serm. de B. V.* Eva spina fuit quæ & virum suum ad mortem pupugit, & posteritati suæ peccati aculeum infixit. Rosa Maria. Eva spina vulnerando, Maria Rosa omnium affectus mulcendo. Eva spina omnibus infigens mortem, Maria Rosa reddens salutiferam omnibus sortem.

Beata

Beatam dicit Job Virginem; quia est Mulier quæ non tentat sed salvat.

Questus est Job coronâ spoliatum se fuisse cap. 19. *Spoliavit me gloriâ meâ, & abstulit coronam de capite meo.* Tum aliam deinde desiderat. *Quis mihi tribuat Auditorem ut desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse qui judicat, ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi?* Quis iste liber? non peccabo, si intellexero illum: Liber generationis Jesu Christi. In eo enim est Corona Virgo. Prov. 12. *Mulier diligens Corona viro suo est. Epiph. serm. de laud. B.V.* ita Virginem alloquitur. Salve Corona regia, pretiosissimum habens lapidem. S. *Greg. 3. Moral. c. 6.* scripsit: Beatum virum Job, quasi in quadam virtutum arce stare diabolus vidit, cor igitur mulieris tenuit, & quasi scalam quâ ad cor viri ascendere potuisset invenit. E contra Virgo ut ait *Bernard. serm. de aquæ ductu.* Filioli mei, hæc peccatorum Scala. Mulieri Jobi scala fuit ad descensum. Virgo est Scala ad cœlum. *Bonav. in spec.* Virgo est Scala Jacob quæ usque ad cœlum pertingit. Propterea in primitiva Ecclesia publica pœnitentia cum invocatione S. Virginis agebatur. Pariter de pœnitentiæ officio sedent in sacco, & cinere inhorrescunt, eodem fletu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eandem Mariam invocant. In scala Jacob nullus conspiciebatur homo sed omnes Angeli, quia Scala Virginis accipit hominem, reddit Angelum. Seraphico illi Francisco *Vadingus in Chron.* monstratæ fuêre duæ scalæ, quarum alteri Christus, alteri Mater ejus præerat, & illa purpurea erat, ista super nivem candicabat, & ascenderant multi fratres scalam rubentem, cùm ecce aliqui de gradu propè summo & cœlo contigui, alij de medio ruunt lapsi. Miserabili permotus spectaculo exclamat Sanctus. Eja fratres candidam occupate Scalam & conscenderunt securo pede & usque ad summum pervenerunt. Virgo juxta *Magist. sentent.* Scala cœli.

4. Beatam dicit Virginem Moyses & Samuel. Quia miracula eorum complet.

S. Virgo mons est, uti vult (*S. Damasc. orat. 3. de Nativit. B.V.* ubi ait. Mons est Virgo, qui omnem collem & montem, id est Angelorum & hominum sublimitatem transcendit; certè erit ille mons in quo legem Deus suam dedit. Circa hunc montem Dei curam S. Moyses Exod. 19. describit. Sic enim præcipientem

sibi Deum narrat. *Pone terminos circa montem & sanctifica illum*: nè pes hominis, aut bestiæ eum contingat. Fumo præterea hunc montem densissimo involvit Deus, ignibus intermicantibus armavit, tubis horrendùm concrepantibus complevit, nè pes hominis aut bestiæ contingat, scilicet actuale vel originale peccatum. De hoc monte deserti de hac petra venit Christus. Ita enim *Guerricus Abbas in Isai. 16. 1.* Petra dicitur Virgo, quia fuit Mater Petræ primæ, Petra autem deserti, quia sine viro Mater, & à nullo accessa peccato. Fecit Moyses arcam cujus auxilio populus Israelis triumphos de gentibus reportavit. *Chrysost. serm. 6. de Assens.* Virgo est Arca indissolubilis. *Epiph.* est Arca gloriæ spiritualis. *Andr. Cret. in fest. Ang.* Arca novæ gloriæ. *Ambr. serm. 80.* Arca Sanctificationis, quæ portavit cœleste manna. *Glossa Martinengij* dum considerat quòd Deus Moysi apparuisset in rubo ardenti qui tamen non comburebatur, ait, in illo rubo Deum igni vim urendi abstulisse, illuminandi reliquisse. Virgo Rubus est, in quo nihil est quod noceat, totum quod illustret.

Legimus virgam Moysis versam quidem in serpentem, sed non devoratam à serpentibus. *Exod. 7.* Causa erat inquit *Theodoret. in Exod.* ut sic digitus Dei & vera admirabilia faciendi potestas Ægyptijs innotesceret. Virga hæc fuit Virga Aaronis. *Aug. serm. 18. de temp. Ephrem de Laud. B. V. Bonav. in laud. B. V. n. 29.* Virginem vocant Virgam per Spiritum S. efflorescentem. Noluit Deus Virgam Aaronis devorari à serpentibus magorum, noluit Virginem à serpente infernali. *Damian. serm. de Assumpt.* Virga est Mater Dei, quæ conterit carnales Ægyptios, dirigit spirituales Israelitas, hæc devorat serpentes. Moyses deduxit populum per mare, de Virgine dicit *Hymn. Græc.* Tu Pons es sacer ducens de morte ad vitam, de terra ad cœlos. *Exod. 40.* In tabernaculo illo quod Domino docente Moyses ædificaverat ipsi Domino inter cætera videbatur *gladius*. Quid *Gladius* in tabernaculo quod Virginem significabat? ipsa Virgo. *Menæa Græc. 5. Martij in Vesp.* Virgo est Gladius inimici caput abscindens. Est Gladius quo Goliatho David demessuit caput. Est Gladius quem S. Jeremias Propheta Judæ Machabæo 2. Mach. 15. dedit dicens. *Accipe gladium sanctum, munus à Deo in quo dejicies adversarios meos populi Israel.* Gladius est sanctus, est aureus, non afflatus ferrugine, non metuens ignem. *Princeps Stanislaus Radivilius* scripsit de quodam rapinis ac latrocinijs assueto, qui cum hanc magnitudinem suorum facinorum appenderet, inde futuræ mortis ac judicij horrore totus contremisceret, jam inclinari ad pœnitentiam cœperat, sed desperatione absorbebatur, vidit in vasta solitudine cumulum jacentium lapidum, & sumpto ex eis uno in manum, dextrâ protulit gladium, dicens. Deus qui neminem vis perire exaudi me, & si tibi stat placitum ut me

tibi

tibi reconcilies, fac ut iſte quem manu teneo gladius, hunc lapidem tranſeat, dixit, percuſsit, gladium infixum lapidi vidit, & ſimul cum perforato lapide ſpei oſtium ſibi aperuit.

Hic Gladius eſt Virgo. *Bern. in ſalve.* Non poteſt quieſcere Virgo donec peccatorem à deſperationis barathro pia manu retrahat, ſpei medicamen aſpiret, & horrendo Judici miſerum reconciliet. Moyſes per fiſcellam ſcirpeam ſalvatus eſt. *Ambr. in c. 6. Apoc.* Per fiſcellam ſcirpeam B. Virgo Maria deſignata eſt. Et quoniam ad natales Moyſi devenimus, etiam ad cunas Samuelis deflectamus. Mater Samuelis poſtquam Samuelem ſua peperit oratione in Dei laudes ſic effunditur 1 Reg. 2. *Dominus in coelo tonabit, Dominus judicabit fines terræ.* Quid inter læta carmina miſcuit tonitrua? virtuti proſpicit ſuæ prolis & ſimul quanto timore ſit Deum veneratura prophetat. Virtuti proſpicit hortando ut in timore Dei creſcat. Hic ipſe modus Virginis cum peccatoribus. *In annul.* PP. *Domin. legitur.* Dum S. Dominicus prædicaret, mota quædam mulier famoſa ejus concione, vitæ improbæ curſum mutavit, ſed mox in conſtantia mutare cœpit. Adeſt illi Virgo, & hæc intonat. Quid fluctuas animo filia & te rurſum in æſtum pelagi reſorberi pateris, ſta in portu quem inveniſti, & ſimul judicia Dei conſidera non olim ſolùm, ſed & proximâ nocte exercita. Hâc miles unus impurus repentinâ morte punitus, hâc puer unus Sororius adulter obriguit ſubitò, hâc ſacerdos rerum ſacrarum contemptor animam perdidit, hâc tua ſocia quæſtum turpem morte perſoluit, & tu vis errantes ſequi ut pereuntes conſequaris? potes, ſed nolles poſtea.

Sed rurſus ad Moyſen. *Num.* 21. Laborabat populus Dei in deſerto aquæ penuriâ: Moyſes confugit ad Deum, Deus autem juſsit ut Principes populi & Duces multitudinis foderent terram ſuis baculis viatorijs, quibus iuſſa complentibus, & vix tactâ ſcipionibus ſummitate terræ erupêre dulces atque largiſsimæ aquæ. *Tunc cecinit Iſrael carmen iſtud: Aſcendat puteus. Rupert. in 4. Cant.* Sicut ille puteus datus eſt poſt morſus ignitorum ſerpentium, poſtque erectum de ſublimi ſerpentem æneum, ita Virgo non citiùs generi humano, ut perpetuus miſericordiæ Fons erupit, quàm univerſum generis noſtri ſeminarium vulnus ab ignito Paradiſi ſerpente accepiſſet. Neque hoc eſt ſine myſterio quòd ſerpens ignitus præcedat puteum. *Aug. de Catech. rudium c. 5.* Rariſsimè accidit, imo verò nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo timore Dei percuſſus. *Et in ſententi. c. 48.* Ad omne opus bonum amor ducit & timor Dei. *Bern. tract. de donis ſpirit. c. 1.* Prima gratia eſt timor Domini. Non fruſtra de ſe

Virgo. Eccl.24. *Ego Mater pulchræ dilectionis & timoris.* Moyses virgâ silicem percussit, & aquam eduxit. Virgo saxea corda peccatorum reducit ad lachrymas. Virgâ Moyses divisit mare cùm insequerentur Ægyptij. De Virgine ait *Chrysolog. serm.* 146. Nonnè hæc exeuntem de Ægypto populum concepit uno utero ut emergeret cœlesti in novam creaturam tanta progenies.

5. Beatam dicit Virginem Noe; quia illius ortu Misericordia est exorta.

Gen. 8. cœperunt minui aquæ diluvij mense septimo, nempe in Autumno. Virgo nata est in Autumno ut docet *Baron.* Inter cæteros fructus comprimis Noëmo apparuit vitis Cantic.7. *Videamus si flores fructus parturiunt. Alij legant,* Si uva pusilla se aperuit. Uva pusilla, Virgo nata quæ lætitiam attulit Noë. Aperuit se in actus fidei, spei, charitatis, si verum est quòd statim in utero usu rationis sit dotata, atque Joannes Bapt. In quem sensum â quibusdam trahitur illud *Idiot. c.1.* Quodcunque sapiens aut sanctum donum alicui Sanctorum unquam datum est, Virgini non fuit negatum: sed omnia omnium Sanctorum privilegia & dona habet in se. *Damasc. tract. 1. de Nativ.* Vinea uberrima S. Anna Mariam Virginem, Uvam sanctissimam protulit. *Petrus Damiani lib. 5. epist. 2.* Legibus cautum est ut tempore messis vel vindemiarum, nequaquam curarum litigia ventilentur, & quidquid tunc in tribunalibus definitur, omnia irrita censentur. Ubi hæc Virgo apparet, justitia in misericordiam vertitur, & tanquam post diluvium recreari incipit. Virgo nascitur in Nazareth domo florum. *Hieron. in voc. Hebr.* Comparebit deinde in Bethleem domo panis. *Damiani serm. 1. de Nat.* Quisscit quoties refrigeras iram judicis cùm justitiæ virtus â præsentia Deitatis egreditur? Per singularitatem ô Virgo in manibus tuis sunt thesauri miserationum Dei. Tu occasionem quæris salvandi miseros, & misericordiam effundendi.

6. Beatam dicit Virginem Aaron & Gedeon; quia est nova Virga & novum Vellus.

Virga Aaronis præluit Virgini, teste *S. Thoma* eò quòd ipsa sit Mater Sacerdotis magni qui unâ hostiâ consummavit & pacificavit omnia æternâ redemptione inventâ. Virga illa sine frutice fronduit, floruit, simul fructificavit. Virgo S. sine semine virili simul Infantem & Virum edidit. De illa *Epiph.* Virgo est

est Virga Aaron per Spiritum S. effloreſcens. Cùm vidiſſet Moyſes ſubitò efflo-ruiſſe virgam amygdalinam, & cum turgentibus geminis fructus attuliſſe, fir-miter credebat, inquit *Greg. Niſſ. lib. de vita Moyſi*, quòd hoc miraculo ſacerdos monſtraretur. Nobis Maria Virgo ſummum Sacerdotem protulit. De eadem Virga *Bonav. ſpec. cap.* 12. In Virga Mariæ rectitudo, in flore corporis glorioſi pulchritudo, in fructu animæ ejus beatitudo figurantur. Virga hæc eſt Virga clementiæ. Cùm Gedeon juxta monitum Angeli *Judic.*21. ſupra Petram carnes & azymos panes poſuiſſet, Angelus ſummitate ſuæ virgæ tetigit holocauſtum, ignis aſcendit de petra & carnes azymosque panes conſumpſit. Quo ſigno gratum Deo ſacrificium Gedeonis ſignificabatur, & ſimul futura victoria promittebatur. Noſtra quæ offerimus Deo non erunt grata niſi manibus contingantur Virginis. Idem Gedeon extendit Vellus quod Virginem ſignificabat, & factum eſt plenum rore cùm reliqua remaneret tellus ſicca. Et poſtquam Vellus eſt impletum rore etiam terra cœpit conſpergi. Virgo etiam non ſolùm ſibi ſed & nobis gratias cœleſtes attulit.

7. Beatam dicit Virginem Elias, Iſaias, Jeremias. Quia illa eſt Scopus ſuarum Prophetiarum.

Quo Elias curru in cœlum ſubvectus, illo Virginem profeſſus videri poteſt Currum ſui ac peccatorum. *Joan: Geom: hymn: de B. V.* vocat S. Virginem Currum Eliæ rapidis virtutum quadrigis ſubvectum. Currus Eliæ totus ignitus ac ignis. Virgo per vehiculum Salomonis *Cant.*3. depicta eſt, de quo ibi dicitur, illud de lignis factum Libani medium autem ejus charitate conſtratum, *ſeu ut legit Hebr.* medium conſtravit carbone ignito. Iſaias hinc Angelorum choros triſagium concinnentium audivit. *Iſai 6.* Hinc videt diſponentem Deum ut ſe mitteret Prophetam. Et ecce unus de Seraphim defert forcipe carbonem de al-tari quo ejus labia perpurget. Carbo iſte conſenſu interpretum deſignat Chri-ſtum, qui carnem Divinitate veluti ignis lignum animaturus erat. Mater Chriſti, ait *Methodius orat. de hypop.* Forceps erat carbunculi purgatorij. Purganda erant Prophetæ labia, nullus Angelorum auſus manu accipere carbonem, quia Chriſtus ad nos purgandos non niſi per Virginem conſtituit venire. Et forceps quidem ille ſoli Seraphicæ manui patebat, at Virgo omnibus. *Joan. Bruſtman-Minorita in vita S. Lyduinæ ſcripſit.* Quòd cùm hæc Sancta triginta annorum Martyrium variis vexata morbis ſubijt, dicitur primis annis inter prima malorum tenta-menta

menta & patientiæ rudimenta nonnihil animo mutâsse, atque absolvi se à quotidiano tormento petiisse. Verùm ubi apparens Dominus ei vulnera sua apprehibit (*En Carbo* amore incensus. Virgo autem Mater eidem Dominicæ passionis signa, osculis signanda obtulit. (*En Forceps.*) Alia in alia versa est desideria ut non solùm usitatis morborum malleis subduci se voluerit incudem, sed quidquid infirmitas hominum pati potest in se venire optaret. (*En labia mundata.*) Eva pomo viri infecit labia: Maria suo Fructu benedicto repurgavit.

Idem Propheta ingressus sancta sanctorum, vidit quendam montem in montium vertice Isai. 1. præparari. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes.* Greg. in 1. Reg. 1. Mons in vertice montium est B. Virgo. Quia ô Virgo ait *Aug. serm. de Assumpt. B.V.* ubi posuit Rex Filius tuus quod ex te suscepit, ibi te posuit Reginam de qua illud sumpsit: hoc est, supra omnes choros Angelorum Virginem collocavit, ubi ipse est secundum humanitatem. In vertice montium Virgo; quia prior redemptione. *Bern. serm. de Assumpt.* ita Christum loquentem Matri inducit. Pro amore tuo ô Mater carnem sumpsi, & vulneribus primis vulnerâsti in cruce cor meum. Elias 3. Reg. 18. dum quærit ex puero quid videret, audivit. *Ecce nubecula parvula quasi vestigium hominis ascendebat è mari.* *Joan. Jerosolimit. de instit. Monach. c. 32.* Virgo est Nubecula parvula, dulcis & pura, quasi vestigium hominis de salsissimo & iniquissimo mari orta. Ascendit Nubecula Virgo sed sine salsedine, minimum in ea fuit hominis & quasi vestigium, debitum enim solùm habuit peccati originalis non peccatum. Sed clarissimè prædicat Virginem c. 7. dum canit. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Tria hîc insinuat, Virgo manens Virgo fiet Mater, non deforis sed de suo sanguine concipiet. Quod nobiscũ hic Filius mansurus, & Deum in terris habituri simus, si solùm impossibilem nobis protulisset quâ gratiâ fuisset digna? si solùm semel videndum protulisset? sed Apoc. 21. *Ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus erit cum eis eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Quod etiam in terris implevit modo spirituali. Jeremias verò sic Beatam dicit Virginem cap. 31. *Creavit Dominus novum super terram, Fœmina circumdabit virum.* Virum cœpit utero Fœmina. *Aug. serm. 18. de SS.* O Fœmina super fœminas benedicta, virum omnino non novit & utero suo virum circumdedit. Quem virum? *Bern. hom. 2. super Missus.* Virum Jesus necdum etiam natus sed sapientiâ: non ætate, animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Creavit Dominus. Quia Virgo se reduxit humilitate ad nihilum, ex hoc nihilo creavit, ex nihilo Virgo protulit Creatorem.

8. Beatam

8. Beatam dicit Virginem Juditha, & Johel, & Esther. Quia est illis Nobilior.

Judith 15. Joachim summus Pontifex de Jerusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis ut videret Judith. *Hugo Card. in Eccl:* Debent ministri Ecclesiæ interdum venire in honorem B. Virginis quæ per Judith figuratur, ut videant eam & virtutes ejus imitentur. Grande erat spectaculum Juditham videre caput Holofernis proferentem, & narrantem Judith 13. *Non permisit me Deus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria sua, & in liberatione vestra. Sergius Hieropolita orat in Nativ. B. V.* In hoc Nativitatis Virgineæ festo spirituali buccinâ clangamus, etenim quæ præsenti die ex Davidico semine nascitur, vitæ Mater est, Evæ Revocatrix, per quam in Divinæ naturæ participationem translati sumus, atque à morte liberati. Eva revocatur in Maria, quia utraque sine originali culpa concepta, utraque Mater nostra. Jahel primò lac Sisaræ postea clavum obtulit. Jahel sonat *ascendentem seu damulam.* Virgo damulam expressit, cùm abijt in montana cum festinatione ut visitaret Elisabetham. Sisara sonat, *videntem hirundinem,* hirundo facit nidum ex terra, sedet in luto, colligit lutum, luto os implet. Virgo cum talibus modo contrario agit quàm Jahel, & clavum primò timoris Dei infigit, postea præbet lactis poculum, timoris scilicet filialis.

Quærit *Rupertus lib. 1. in Judic. 7.* Cur Jahel vulneri quæsiêrit locum. Respondet. Quia peccati caput est feriendum, nè postquàm irrepserit, difficilior pugna sit. Quod si jam irrepserit peccatum, quod si & ventrem delectationis, & caudam consensûs in animam deposuit draco: caput Sisaræ feriendum est clavo Crucis Dominicæ: sic facit Virgo, recipit blandè peccatores & compungit timore Dei. Virgo in nuptijs Canensibus & jussit hydrias aquâ impleri & oravit ut in vinum converteretur. *Bern. serm. 1. de nuptiis in Cana.* Servilem Dei timorem contulit cum aqua, filialem cum vino; vertitur verò aqua in vinum orãte Virgine. *Archangelus Junius in vita S. Philippi Ord. Servit.* Apparuit uni sanctorum suorum Virgo currui cum majestate insidens, sed currum leo & agnus trahebant. Sed rursus ad Juditham. *S. Bonav. spec.* 18. Maria signata est per illam famosissimi nominis Judith de qua scriptum est, quòd non erat qui de ea loqueretur verbum malum. Iudith Holofernem vicit, Virgo Luciferum, Iudithæ acclamant Assyrij propter formam Iudith 12. *Non est talis mulier super terram.* De Virgine canitur.

Diffusa est gratia in labiis tuis, speciosa & suavis facta es in deliciis tuis sancta Dei Genitrix. Et in Cant. *Tota pulchra es Amica mea, Formosa mea, Columba mea.* Sed Iudithæ puchritudo accendit Holofernem. De Virgine testatur *S. Ambr. lib. de instit. Virg. c.7.* Virginis tanta erat gratia, ut non solùm in se Virginitatis gratiam servaret, sed etiam his, quos inviseret, integritatis insigne conferret. *S. Th. 3. sent. d. 3. q. 2. ad 4* Pulchritudo B. Virginis ad castitatem intuentes excitabat. Iudithan timuerunt Assyrij, Virginem dæmones. *Bonav. in spec. c. 9.* Non sic timent hostes visibiles quasi cœterorum aciem copiosam, sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum. Iudith clausa in Oratorio Deum Israelitis conciliavit. Virgo Deum mundo. Angelus custodivit Iuditham c. 13. sic enim ait. *Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus.* De S. Virgine dixit *Petr. Dam. serm. 1. de Nativ. B.V.* Duo leones, quibus stipatus fuit thronus Salomonis, sunt Gabriel Archangelus & Ioannes Evangelista, quorum alter dextræ Virginis, alter sinistræ deputatus est, Gabriel enim mentem, Ioannes carnem pervigili solicitudine servaverunt. Iudithæ dictũ cap. 15. *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* De Virgine dicit *Greg. Nazianz.* in tragædia Christi Patientis. Regina, Domina, generis humani Bonum. Virgini acclamat *Cyrill. Alex. hom. contr. Nestor.* Sit tibi sancta Dei Mater laus, tu enim es pretiosa Margarita orbis terrarum; tu Lampas inextinguibilis. *S. Chrysost. hom. de Deip.* Ave Mater, Cœlum, Throna, Ecclesiæ nostræ Decus, Gloria & Firmamentum. *Damasc. orat. 1. de Nat.* O Deo digna Filia, mulierum Ornamentum, generis humani Decus. Iudith tutata est Bethuliam, Virgo urbes Christianas. *Greg. 11. Pontif. epist. 4.* Si Bethulia per manus Iudith Israelitis servata est, quomodo non oportebat Virgine Propugnatrice utentem hostibus prævalere?

Iam venimus ad Estherem. Esther priùs nomen habuit Haduſa ut docet *Cornel:* quod significat Myrthum, à Persis dicta Esther ut *Serar:* explicat, *Occulta demoliens*, vel *Medicinæ exploratio & contemplatio*, vel *Medicina turturis*, vel *Pulchra ut luna.* Esther idem est Hebr. *Ignis turturis.* Persis, Receptatrix, Protectrix, quæ nomina facilè est videre quomodo nostræ Virgini conveniant. Esther ducta est in cubiculum Assueri & ab eo in uxorem assumpta. De Virgine dicit *Bonav. spec. c.7.* ducta est in cubiculum Regis in Assumptione, in cubiculum quietis æternæ, gratiam veri Regis habens super omnes mulieres, id est super omnes intelligentias Angelicas, ut sit in Maria gratia super omnem gratiam beatorum, nam revera in capite ejus Rex Regum diadema regni posuit tam impretiabile, tam delectabile, tam mirabile, quod hoc omni linguæ inenarrabile, omni ingenio inscrutabile est.

Roberius

Robertus lib. 3. in Cant. 4. Regina Sanctorum in cœlis, Regina Regnorum in terris. *Bernard. de Assumpt.* B. Virgo quasi altera Esther de triclinio fœminarum, id est de Ecclesia militante adducta, & per totam militiam cœlestis exercitûs ad cubiculum Assueri scilicet summi Dei adducta. Extendit contra eam Estherem Assuerus *virgam auream in signum salutis.* De Virgine Num. 24. *Consurget virga de Israel & percutiet duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth.* Petr. Dam. *serm. de Assumpt. de eadem Virgine* dicit. Hæc est Virga illa quâ retunduntur impetus adversantium dæmoniorum, Virga Aaron per quam fiunt mirabilia.

9. Beatam dicit Virginem Joseph Sponsus ejus. Quia ex illa dignitatem habet.

Quia eò dignitatis per Virginem devenit, ut fieret Dominus Dei Luc. 2. *& erat subditus illis.* Dominus etiam ipsius Virginis factus. *Gerson serm. de Nativ. B. V.* O miranda prorsùs Ioseph sublimitas tua, ô dignitas incomparabilis, ut Mater Dei, Regina cœli, Domina mundi, appellare te Dominum non indignum putaverit. Appellant enim uxores viros suos Dominos; & quia Dominus est Virginis plurimùm servos ejusdem Virginis antecedit. Inter sponsos autem est æqualitas, itaque cum Virgine quandam habet æqualitatem, & quia Sponsa illum appellat Dominum aliquid amplius in certo sensu attribuit. Accepit verò à Sponsa pro dote insigne donum Virginitatis. *Hieron. contra Helvid.* Tu dicis Mariam Virginem non permansisse, ego mihi plùs vendico, etiam Joseph fuisse Virginem per Mariam. Cur ita? *Aug. serm. 24. in Nativ. Domini.* Quia de Virginis membris nascitur virtus Angelorum. Si Angelorum certè & hominum: si hominum, ante omnes Iosephi. *Ibid.* O Ioseph per meritũ Virginitatis ita separatus es à concubitu uxoris, ut Pater dicaris Salvatoris. Virgo per solum alloquiũ Ioannem sanctificavit, quid non gratiarum in Iosephum transfudit, cum quo diu convixit maximè Christo jam exemplis præeunte? Habet etiam id particulare Ioseph quia per illum Christus in regnum Juda successit, ac consequenter hæres solij David, ut est apud *Cornelium à lapide.* Per Virginem in Christum accepit authoritatem Paternam, per Virginem accepit ut Moysi comparari possit. Moyses enim in fiscella salvatus est: Joseph homini Deo fiscella factus est, ille in aula Regis, hic sub tutela speciali Dei educatus est: ille rubum vidit & de rubo loquentem audivit, iste Virginem, Matrem, & simul Virginem ac Deum sibi loquentem audivit: ille celebratur à miraculis, istius tota vita unum miraculum, ille populum

de Ægypto reduxit, iste populi Dominum duxit ac reduxit, ille Dei legem in ulnis tulit, hic Deum legislatorem: ille posteriora Dei vidit, hic Christum ad faciem: cum illo erat manus Dei, cum isto fabrum egit Deus: ille jussu Dei decessit in monte, hic in manibus Dei obijt. Sed Moyses Deut. 22. *Si non est inventa in puella Virginitas lapidibus illam obruent viri civitatis illius & morietur.* At Ioseph voluit occultè dimittere eam quam videbat gravidam. Moyses solùm aspexit terram promissionis, Ioseph Terram illam beatam, id est Virginem S. possedit. Et certè ex doctrina *S. Thomæ* 1. *p. q.* 27. *a.* 5. *in 6.* debet & Moysen & alios Sanctos superare in multis. Quò aliquid, *inquit ille*, magis appropinquat ad suum principium, eò ampliùs de ipso participat: nemo verò post Virginem S. est Christo propinquior: nemo itaque de illo magis participat. Hinc *Bernard. super missus* hunc Iosephum præfert Iosepho Patriarchæ. Ille frumenta servavit non sibi sed toti populo, iste panem vivum de cœlo accepit, tàm sibi quàm toti mundo.

Contendunt multi non obscuri nominis Doctores S. Ioseph in utero sanctificatum, sed quidquid sit de hoc: illa *Cantic:* 7. Statura tua assimilata est palmæ, *Gerson* attribuit huic Beato. Iustus ut palma floret. *Bern. super missus.* Fidelis servus & prudens fuit Ioseph, quem solum in terris magni consilij constituit Deus coadjutorem fidelissimum, imitatus est Deum Patrem qui Virgo manens filium habet: dignus habitus ad quem mitteret legatum suum; scilicet Angelum Deus. Nuditatem primorum peccatorum texit *Gen.* 3. Deus, texit ille quod à mundo in sponsa videbat posse malè explicari. *Bern. apud Cornel. in Prov. Salom. c.* 31. *v.* 12. adhuc unum titulum attingit propter quem Ioseph Beatam dicit Virginem. Quia omnia quæ sunt uxoris sunt viri, credo quòd Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui quem Ioseph recipere poterat ei liberalissimè exhibebat. *Et post pauca quasi idem explicans ait.* Quantas putas exhortationes, consolationes, promissiones, illuminationes, & æternorum bonorum revelationes recepit in transitu suo Ioseph à sanctissima Sponsa sua Maria? *Et rursus.* Quomodo cogitare potest mens discreta, quòd tantâ unione uniret menti tantæ Virginis aliquam animam nisi ei virtutum operatione simillimâ? Undè credo Ioseph fuisse mundissimum in Virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione.

10. Bea-

10. Beatam dicit Virginem M. Magdalenã.
Quia ista est verior Maria.

De Magdalena dictum est. *Optimam partem elegit.* Felicior in hoc Virgo nostra, illa doctrinam Christi, hæc Christum elegit, illa rivum, hæc fontem cum rivo. Illa aliquando septem dæmonijs repleta, hæc semper gratiâ plena: illa meretrix, hæc Spiritus S. Sponsa, illa Phiala; hæc, unica, formosa, columba, dilecta. Illa obtinuit Lazari fratris resuscitationem, sed in nomine hujus. Quærit *s. Chrysol.* Cur venit Magdalena cùm pro Lazari vita oraret Martha, & respondet quia Magdalena erat Materni nominis bajula, habuit enim prænomen Maria. Illa ad pedes Christi sedit, huic attribuitur illud 3. Reg. 2. *Surrexit Rex in occursum ejus, adoravit eam, & sedit super thronum suum, positus & est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* Ex ore cranij S. Magdalenæ vitis germinavit eoque indicio ipsa reliquias suas demonstravit. Carolo Siciliæ Regi apparens ei in carcere, ex eoque illum liberans ut refert *Surius* 22. *Julij.* De ore Virginis cœpit botrus cypri, quando Angeli nuncianti respondit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Illa in solitudine Magdalena pascebatur solo cantu Angelico septies in diem repetito; hæc Virgo ab Angelis reficiebatur ut alibi diximus, in templo. Magdalena cruci adstitit Christi; Virgo verò Christum affectu offerebat; imò ut docet *s. Antonin. p. 4. Theolog. tit. 15. c. 41. par. 1.* Stabat ita Divinæ voluntati conformis, quòd si oportuisset ad implendam secundùm rationẽ voluntatẽ Dei, ipsa Filium in cruce posuisset ac obtulisset, neque enim minoris fuit obedientiæ ac Abraham. *Laur. Justin. de Agon. Christi c. 2.* Clarissimum passionis Christi speculum effectum erat cor Virginis. *c. 17.* In corpore Filius, in mente erat crucifixa Genitrix. Magdalena venit ad ungendum corpus Christi, sed Virgo non venit quia certò sciebat & expectabat Christum eodem die resurrecturum, undè sciebat hanc unctionem fore frustraneam. Ait *Cornel. in Matth. c. 28.* Et quia Virgini ante alios redivivus apparuerat. Magdalena fuit Apostola Massilienſium. *Euc. Dexter in Chronico.* Sacra Virgo Maria consilio, luce doctrinæ, & admirabili vitæ exemplo collegio præsidet Apostolico, nihilque grave gerunt illi, quod non eius consilio ductuque gerant. Ipsa ut docet *Rupert. lib. 1. in Cantic.* orcam inter Apostolos quæstionem de legalibus, resolvit. Magdalena vi amoris est mortua ut est in *Apoc. 14.* S. Virgo est amore mortua.

11. Beatam dicit Virginem S. Simeon.
Quia ista est Lumen omnium.

Cùm Virginis Filium in ulnas Simeon suscipit, exclamat inter cætera: *Lumen ad revelationem Gentium.* Unde illud lumen? *Petrus Damiani* attribuit *serm. de Assumpt.* Virgini illud Eccles. 24. *Ego feci in coelis ut oriretur lumen indeficiens.* Et *subdit.* Nihil habuit spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet, præter solem: hoc itaq; ipsa amicta sole, attulit lumen illud mundo. Hinc, ut refert *Tursellin: in vita ejus* S. Franciscus Xaverius, dum Gentibus unum de decem Divinis proposuisset præceptis, habuit in mora subjungere, & cum circumfusa multitudine recitare precatiunculam. Mariæ Mater Dei ora pro nobis, ut possimus hoc Dei servare præceptum, & sic deinceps alijs etiam explanatis orabat præceptis. Lumen Mariæ simile est solari, & ostendit lutum & trahit sursum. Cant. 8. ubi legit vulgata, *lampades ejus lampades ignis LXX. legunt.* Alæ ejus alæ ignis. Ex hoc fortè mos invaluit in Dei Ecclesia ut die Purificatæ Magnæ Parentis consecrentur cerei. Meminit hujus moris *Bernard. serm. de Purif.* meminit & *Surius* 19. *Maij in vita S. Dunstani*, ex quibus constat esse non modernum. Exultavit senex Simeon viso in carne Deo, non vidisset, nisi hæc Mater illum genuisset. Exultat ad fructum vitæ, nec minùs aspectu arboris vitæ hilarescit. *Benedicta Filia tu à Domino, quia per te Fructum vitæ communicavimus.* Sed quomodo Beatam dicit Simeon, cui prædixit: *Tuam gladius pertransibit animam.* Et in hoc Beatam dicit. Audiamus S. *Ildefonsum serm. 2. de Assumpt.* qui S. Virginem vocat Matrem timoris. Mater carnis dat carnem quam habet, Virgo ut sit Mater timoris debet in se timoris habere gladium. *Orig. in Luc.* Ut aliena revelentur peccata Matris anima fauciatur. *Nunc dimittis in pace* exclamat Simeon, quando in manus suas è manibus Virginis accepit Lumen mundi. Idem & modò Virginis accidit cultoribus. Unus sit præ omnibus *B. Joachim Senensis in Ephemend.* 16. Apr. Is ab ineunte ætate Virginem tenerè semper coluit, deinde verò illius monita Ordinem Servitarũ ingressus, ibiq; raro cum virtutis exemplo complures exegit annos. Tandem ipso die Assumptæ Virginis cùm sacrificio Divino assistit, & accensum cereum ad elevationem SS. hostiæ tenet, ipse cadit repentè & exanimatur, cereus tamen in aëre pendet elevatus.

12. Beatam

12. Beatam dicit Virginem Martha; quia hæc intimiùs recepit Dominum.

Cùm onus domùs incubuiſſet ſoli Marthæ, verſa ad Dominum Joan. 16. dixit. *Domine reliquit me ſoror mea ſolam, dic ergo illi ut me adjuvet: Eadem verba in die Aſſumptæ legit Eccleſia*, quaſi diceret. Reliquit me ſoror mea Maria ſolam, dic illi ut me adjuvet. Sed utcunque, non adjuvit Magdalena Martham. Juvat noſtra Virgo Eccleſiam in apparando Deo convivio, ex lachrimis pœnitentium, ex orationibus juſtorum. *Greg. Nazianz. orat. in S. Lumina.* Adjuvat nos ſemper & intereſt omnibus bonis noſtris ſtudijs, ipſa rotam voluntatis noſtræ verſat, ipſa lumen & ignem ad quem ambulemus, quo cruda excoquamus, humili adjutorio miniſtrat. Habuit Martha Chriſtum hoſpitem brevi tempore: Habuit Virgo noſtra in utero menſibus novem, & poſtea triginta annis. Martha in ſuo turbabatur obſequio: Virgo manebat quieta. Martha ut eſt apud *Surium Jul. 29.* moritura audivit vocem: Veni hoſpita mea cariſsima accipe pro tuo convivio convivium, & meum in cœlis tibi miniſterium. Virgini dicitur. *Veni de libano veni coronaberis. Bonav. in ſpec.* Ducta eſt in cubiculum quietis æternæ noſtra Eſther Regina, & gratiam Regis Dei ſuper omnes mulieres invenit, id eſt ſuper omnes intelligentias Angelicas, & ſuper omnes animas beatas.

13. Beatam dicit Virginem Joannes Baptiſta. Quia per illam Spiritum S. accepit.

Cùm iras procerum pertinaces in Danielem non poſſet frangere Darius *Daniel. 5.* mitti eum permiſit in leonum lacum. Appellat ſcriptura Matres lacum. Iſai 51. *Attendite ad petram unde exciſi eſtis & ad cavernam laci de qua præciſi eſtis.* Joannes in utero Matris erat ut Daniel in lacu leonum. Explicat Iſai. eodem loci petram & lacum. *Attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Lacus leonum uterus in quo peccatum originale contrahitur. Ibi Joannes poterat illud Pſal. 39. cantare. *Expectans* per ſex menſes *expectavi Dominum & intendit mihi*, ſeu ut *Heb. legit.* Extendit ſe ad me. *Eduxit me de lacu miſeriæ & de luto fœcis.* Quia ut inquit *Bern. ſerm. de Circumcis.* Cecidimus de alto in profundum, per originale ſcilicet cecidimus in lutum & lapides, lutum nos inquinavit, lapis vulneravit, hinc tardi ſumus ad bonum, veloces ad malum. 1. 2. *q.* 85. *a.* 2.

Vulnerati

Vulnerati fumus in intellectu & voluntate. De hoc lacu se Matre misericordiæ educente evasit Ioannes. Lacum miseriæ *S. Athanas. apud Lorin. in Psal.* 39. vocat cœnosas voluptates. *Didimus.* Vitia carnalia. *Cyrillus.* Fœtentia crimina. *Aug.* Peccatum consuetudinis. Quidquid sit certum est quod dixit *Petrus Ravennas in exposit. Ave Maria.* Hæc quæ gratiâ Dei Deum terris dedit, dedit & finem vitijs. Acceleravit præterea S. Virgo Joanni usum rationis: sic enim *Ambr. lib. 2. in Luc.* de Joanne loquitur. Qui habebat exultandi affectum, habebat intelligendi quoque sensum. Implevit Joannem Spiritu S. *Ambr. lib. 2. in Luc.* Non prius Mater Elisabeth repleta est quam filius, sed cùm filius esset repletus Spiritu S. replevit ejus Matrem. *August. de amicitia c. 11.* dicit Amicitiæ officium esse ut spiritus spiritui conjungatur, & applicetur, & ita misceatur, ut unum velit fieri ex duobus. Ad hanc amicitiam cum Deo pervenit Joannes per Virginem. Poterat Christus sine Matre Ioannem sanctificare, noluit. Hinc Ioan. 3. Christus de Ioanne loquitur. *Amicus sponsi qui stat & audit cum gaudio, gaudet propter vocem sponsi.* Quid est stare quærit *Aug. tom. 9. tr. 14. in Joan.?* Est permanere in gratia ejus quam accepit. Promisit Deus Isai: 60. *Non audietur ultrà iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis & occupabit salus muros tuos.* Hoc in S. Ioanne per Virginem completum. Occlusit os clamanti iniquitati, in peccato concepit te Mater tua vastatus es sicut alij parvuli, contritis in potentijs superioris & inferioris tuæ partis multa tibi inest fragilitas ad bonum, & pronitas ad malum. Sed è contra, occupabit salus muros tuos, pro ferro afferam aurum, pro ære argentum, pro lignis æs, pro lapidibus ferrum. Additum est Ioanni aurum charitatis usque ad Martyrij ardorem, additum splendens puritatis argentum, æs liberrimæ prædicationis ut sit vox super aquas Baptismi, vox Regibus horribilis. Dedit illi Deus ferrum pœnitentiæ, accepit pacem quam nullius peccati bellum turbavit, ut potè vigilante pro se Divinâ gratiâ à quâ fuit confirmatus in bono, habuit dies vitæ sua quasi muros. *Anselm. alloq. coel.* 23. Virgo est Mater omnis gratiæ. *Jo. Geom. hymn. de B. V.* Virgo est Mater gratiarum. Illa Ioanni prævenientem, concomitantem gratiam parturivit. Indè tantos profectus Ioannes fecit, indè ita in virtute fundatus, ipsa Virgo loquitur Prov. 8. *Quando appendebat fundamenta terræ cum eo eram cuncta componens.* Dicta est Virgo *Andreæ Cret. orat. 2. de Assumpt.* Penarium vitæ cui nihil potest auferri, & sicut fons exhauriri non potest. Tale penarium est perseverantia ultima quæ donum nobis tribuit immobilis in bono consistentiæ, inquit *Angelicus Thomas. 22. q. 137. art. 4. Non extinguetur in nocte lucerna ejus* dictum est de muliere forti Prov. 31. Non extinguebatur lucerna Virginis Ioanni in quacunque

cunque nocte persecutionis. Cùm Proto-martyr Christi Stephanus lapidum imbre obrueretur, traditio est Virginem interfuisse, ejusque agonem Deo commendâsse. Non aliter credo illam fecisse quando Ioannem in vincula conjectum audivit: quem enim parvulum suscepit, in ultimo certamine non deseruit.

14. Beatam dicunt Virginem cæteri in Ecclesia Dei Heroës, atque Heroinæ. Quia Virgo omnes superavit.

Virgo est ut docet *s. Ephrem serm. de laud. Virg.* Unica Spes Patrum, Gloria Prophetarum, Honor Martyrum, Lætitia sanctorum, & Lumen probatissimorum Abraham, Isaac & Iacob, Decus Aaron, Splendor Moysis, Gedeonis Vellus, omnium sanctorum ac Virginum Corona ob immensum fulgorem, atque splendorem inaccessum. Est Nubes quam secuti in hac vitæ peregrinatione sicuti olim in deserto. Ita illam salutat *Epiph. serm. de Laud. Virg.* dum dicit: Ave gratiâ plena, nubis columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum. *Hier. in Psal.* 77. Et deduxit eos in nube diei. Per nubem intelligit S. Virginem. Acclamat *Andr. Creten. Orat.* 2. *de Deip.* O Columna vivifica, non carnalem per lucem deducens Israelem, sed spiritualem qui deducitur ad increatam lucem cognitionis, Divinis illuminans facibus. *Ambr. in Psal.* 118. Illa columna nubis specie quidem præcedebat filios Israel, mysterio autem significabat Dominum Iesum in Nube venturum levi, sicut dixit *Isai. c.* 19. hoc est in Virgine Maria. Illa de nocte Columna ignis. Columna ignis in nocte est Divinitas in carne Virginis. *Honorius* in hunc modum Virginem affatur nomine sponsi. Tu una omnium transcendes merita, & ideo præ omnibus sola electa, Columba mea, in qua transfudi Spiritûs charismata, perfecta mea quam perfudi perfectione per virtutum munera. Viderunt eam oculis cordis filiæ Sion, id est, Ecclesiæ, & Beatissimam prædicaverunt, & Reginæ & concubinæ activi & contemplativi laudaverunt eam. *Epiph. hæres.* 78. A Maria hæc Vita mundo genita est, ut viventem gigneret & fieret Maria Mater viventium. *Bernardin. tom.* 3. *serm.* 6. *art.* 2. Virgo per consensum in incarnationem, omnium electorum salutem viscerosissimè expetijt & procuravit, & ex tunc in suis visceribus, omnes bajulavit tanquam verissima Mater filios suos.

Has & plures causas propter quas illam singuli & universi beatam dicant numerat S. *Ephrem de laud. B. V.* dum illam in hunc modum alloquitur. Spes de-

sperantium, per te reconciliati sumus Christo, Deo meo, Filio tuo, tu peccatorum & auxilio destitutorum unica Advocata atque Adjutrix, tu Portus naufragantium tutissimus, Solatium mundi, carcere clausorum Liberatrix celeberrima: tu orphanorum Susceptio, tu captivorum Redemptio, ægrotantium Exultatio & omnium Salus: tu Monachorum & sollicitariorum Stabilimentum & Spes secularium: tu Virginum Gloria, Corona, & Gaudium: tu mundi Lætitia, tu nostr es Portus, & Præses, pia Auxiliatrix, jucunda Libertas, Fons gratiæ & consolationis, peccatorum Refugium, atque Diversorium laborantium, Propitiatorium, Spes omnium proborum adversis casibus afflictorum, dulce conversorum Solamen atque Præsidium: Virorum pariter ac mulierum Regina ac Patrona: nostra Consolatrix quæ mœrores sedâsti atque molestias lenuisti, cunctasque oppressiones sustulisti: Clavis regni cœlestis, Portus tutissimus in hac vita navigantium. *And. Cret. de dormit. Deip.* Sancta & Sanctis Sanctior, & omnis Sanctitatis Sanctissimus Thesaurus. *Bern. epist. 74.* Ipsa Virgo Virginum, Sancta Sanctorum, Lumen cœlorum, justorum Gloria, peccatorum Venia, gratiæ Inventrix, Mediatrix salutis, Restauratrix sæculorum, Reverenda Angelis, Desiderata gentibus, Prophetis & Patriarchis præcognita, electa ex omnibus, prælata omnibus. *Idem serm. 3. super Salve.* Propter hanc totus mundus factus est. Expressiùs *Andr. Jerosolym.* dum in hunc modum Virginem alloquitur: Verè benedicta tu, quam Ezechiel verum solis ortum proclamavit. Sola verè benedicta es quam Montem magnũ vir ille desiderabilis Daniel vidit, ac Montem obumbrantem Habacuc ille admirabilis, Montem præterea Dei, Montem pinguem, Montem quem Deo inhabitare placuit. Benedicta tu quam Zacharias vir divinissimus aureum Candelabrum septem vidit lychnis ornatum, nimirum illis septem Spiritus S. donis clarum ac lucidum &c.

CAP.

CAPUT X.

Beatam dicit Virginem omnis omnino Generatio.

1. Beatam dicunt Judæi recentiores, quia est eorum Benefactrix.

NOn deserit S. Virgo etiam illos, qui se ipsos deseruerunt, habet eorum curam, qui omnem salutis suæ curam abjecerunt, ad quam ut illos reducat, eorum temporalibus negotijs favet, ut per hæc beneficia ad æternorum desiderium excitet. Judæorum gentem hic describisse me quisque concedet: jam verò quomodò eam S. Virgo beneficijs trahat, audiamus. *Belvac. in suo spec.* meminit. Premebatur partûs doloribus quædam Hebræa, ac omni spe destituebatur, immissa in aures ejus vox cœlitùs: Invoca & pronuntia nomen Mariæ, & sanaberis; quod ubi fecit, sanitatem consecuta corporis, expetijt & animæ. Hic non decet quoddam Talmudistarum commentum, quod *Canisius lib. 1. cap. 1.* habet. Hebræi inter arcana sua celeberrimam dicunt, unam inter creaturas omnes præstantissimam esse, ipsi Mitatron: hoc est Principem facierum appellant, quia semper stat ante faciem summi Imperatoris, & jus habet ad ipsius præsentiam bene meritos introducendi. Animadversum autem ab eruditis, Mariæ nomen cum illo Mitatron haud perperam convenire. Refertur *in annalibus Lauretanis Laur. Rieræ* Hebræum apud Turcas ob scelera incarceratum, sententiam ultimam expectantem ad Christum, & ad Virginem confugisse; apparuit noctu Christus perquietem; apparuit & Virgo, & catenis vinctum exsolvit, carcerem reseravit, ad portum deduxit, admonens, ut Lauretum peteret, ibi sacra Christiana susciperet. Evigilat Hebræus, & videt se in navicula, quæ spontè incredibili celeritate cucurrit, & biduò Anconam Nazaretho appulit, qui illicò Lauretum perrexit, beneficium testaturus, & Baptisma accepturus. Erat hic incola Nazarethi sexagenarius vir gravis, ac prudens.

Aliud narrat *Spondanus* in epitome ad annum 591. Dei Genitricis auspicio Persas infideles victoriam consecutos. In finibus Biturigum est locus olim Avaricum, nunc Burges dictus, anno 546. Filius Judæi Eucharisticam mensam imprudens cum Christianis pueris accessit, quod parens non ferendo in fornacem eum conjecit: invenerunt puerum paulò post illæsum Christiani, & requisierunt quo custode illæsus mansisset, illâ respondit quæ in Christianorum templo Filium lactat. Et ita evenit quod *Matthæus Cantacuzenus in 1. cant.* commentando scripsit. Salomon qui prænoverat ex semine suo nascituram Virginem ob id etiam secundum vestigia (inquit) egredere gregum, videlicet Filiorum secundùm sanguinem meorum, exorere: & pasce hædos tuos.

2. Beatam dicunt Virginem Indi, Japones, Chinæ. Quia Patronam experiuntur.

Præclarè serviunt proposito verba *Ruperti in 4. Cantic.* Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cælestium mundus accepit, emissiones tuæ (ô Virgo) sunt, ut ubi erant priùs spinæ & vepres, & cardui, lappa, & tribulus, urticæ, & paliurus, universitas nequitiarum, ibi sit cyprus cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum, myrrha & aloe, universitas gratiarum.

Propiora sæcula respiciamus & illis inventas Indias Orientales. Hæ certè fidei debent beneficium fidei, quia ope Virginis detectæ per Vasquium Gammam sub Rege Lusitaniæ Emmanuele, quod ipsum iste Rex professus, excitato templo Sacro Virgini in littore Olisyponensi uti scribit *Maffæus lib. 2. Hist. Ind.* Sed rem particulariùs prosequamur. Insula Cuba est in Oceano, in hac Regulus quidam plurimas victorias consecutus, quia Ducem habuit Christianum, qui in pectore præferens Virginis imaginem, ubi in hostes incubuit, illic certa hostium fuga, & strages. Orta est dissensio inter Indos præstantiorne foret imago Mariæ, an Indicorum Deorum, conventum in hunc modum: Duo hinc, & inde Iuvenes partes sustinerent. Mariani ligarentur ab Indianis, Indiani à Marianis, quorum deinde vincula spontè solverentur, ij victores. Processum in campum, inclamat Regulus *Ave Maria.* Adstat Matrona mirabili majestate, quæ ad suos appropinquans, & virgam manu tenens, eos vinculis exsolvit, qui sua statim vincula adversarijs adjecerunt. Renovari Indianis nihilominùs visum est necesse certamen renovatum; sed idem exenit. Hæcubi res divulgata plurimi è barbaris

Christo

Christo accessêre. Huc refer quæ diximus de Gamma Lusitano *cap. 4. num. 2.* Illud verò quod *Alloſa narrat lib. 4. coel. ſtell. cap. 2. n. 2.* interim accipe. Indus quidam senex obstinatissimè suo gentilismo inhærebat, pertinaciam hebetudo ingenij fovebat, cumque multùm circa illum, sed nullo successu à sacerdote Christiano fuisset laboratum: tandem ad S. Virginem se vertens sacerdos illi imaginem ejusdem objicit; quam ubi ille quamdiu contemplatus, ita in alterum transijt, ut non solùm facilem, sed & capacissimum se exhiberet instructori, ac tinctus sacro fonte, in beatiorem vitam abijt.

In Regno Chilensi Insula (rem totam desumo ex *Atlante Mariano edit: 20. fol. 74.*) incolæ vocant Tenariffam, Hispani magnam Canariam: Statua est miraculosa B. Virginis nata inter saxa, hæc nescio quibus barbaris cæremonijs culta, priusquàm ullus Christianus eò adveniret. In eodem Regno *ibid. fol. 78.*) in ea parte terræ Araucanæ quæ Tubulia dicitur, non multum à mari, mons est in quo spelunca ad hemicycli formam peritissimè facta, ubi statuam Virginis cum JEsu natura ex eodem saxo produxit, multis illa ethnicis cultui fuit, sed Virgo in eos vicissim beneficia eodem loci refudit: nam peste affecti, pulvere ejus loci sumpto, convalescebant.

Refert *Navarr. tr. de Orat.* In ora Comocinensi cis Gangen juxta urbem Coulam Virgini nostræ templum à gentilibus erectum. *Gonzalez lib. 1. hist. Chinensis* etiam apud Chinas repertum signum Virginis bajulantis, idque repertum in delubro. Apud Japones testatur *Joannes Bonif. lib. 2. hist. Virg. cap. 1.* Mulierem tenentem Filiolum solere depingi, ad eamque Japones velut communem Patronam in rebus afflictis solere confugere.

3. Beatam dicunt Virginem Oracula gentilium & Sybillæ. Quia annunciârunt Virginem parituram.

Missus à S. Petro S. Potentianus in Gallias, ubi Carnotum venit, plebem parituræ Virgini ex avita traditione devotam invenit, ut est *in Martyrol. Domini de Suaſſay 31. Dec.* speluncam ibidem dicatam à gentilibus B. Virgini reperit, quæ tanto semper apud omnes fuit honore, ut Virginis thalamus cameraque antiquiùs fuerit appellata. Sed altiùs rem repetam. Druidæ idem erant apud Gallos, quod Brachmanes apud Indos, uti patet ex Iulio Cæsare de bello Gallico Sacris præerant, consilia Regibus dare soliti. Hi certo quodam tempore Carnoti, quæ Provinciæ Lugdunensis hodiè civitas est, conſederunt, comitia celebrârunt

brârunt, undè & oracula, & leges in Regni bonum prodiêrant, inter quæ Virgini parituræ decreverunt Statuam, annis ante Christum natum omninò centum, aram in spelunca subterranea, tunc non magna, erexêre, aræque statuam imposuêre, quæ talis est: Sedet Virgo in exedra coronâ redimita, Filium sustinet gremio. Titulum statuæ apposuit Druidum Pontifex. *Virgini paritur æ.* Adfuit dum poneretur ara Carnotensiũ Rex Priscus, ad eam deinde Regis Montlehriaci filius depositus cum precibus, cùm aquis fuisset suffocatus ad vitam redijt. Pater salute filij tam prodigiosè receptâ, liberalis in statuam factus, dona dedit Regè digna. Ipse loci Dominus Rex Carnotensium, & Druidensium Priscus, turpe ratus vinci ab extero, in Virgine paritura, rem facit, cujus nec exemplum habuerat inter gentiles, nec imitatorem facilè habiturus erat inter Christianos, Regni totius scripsit hæredem *Virginem parituram.* Quod & post ejus mortem depositi jure devolutum est ad Druidas, & plùs integro sæculo velut à Virginis partura fidelissimis curatoribus conservatum est; donec à S. Petro Savinianus & Potentianus primi in Galliam mitterentur, qui ubi Carnotum pervenêre, denuntiârunt vivere etiamnum eam Virginem Jerosolymis; itaq; missi quamprimùm legati, Virgini Regnum Carnotensiũ obtulêre, & Reginam Carnotensium appellavêre. Hanc Ecclesiam deinde adornavit Carolus Calvus Rex Galliæ, & Fulbertus Carnotensis Episcopus, ita *Barth. Cassaneus in catal. gloriæ mundi pag.* 12. *cons.* 20. *Nic. Nancelinus in parecbasi de mirab. Nativit. D. N. I. C. cap.* 11.

A terra ad mare veniamus. Argonautæ ante Christum circiter annis 1200. Gyzici in Hellesponto templum extruxerunt, (cujus meminit *Plinius lib.* 36. *cap.* 16.) Mariæ Verbi æterni Genitrici monitu Pythij oraculi licet ex errore Reip. dedicârunt, quam crediderunt Matrem Deorum, hoc demùm sub Zenone Imper. Dei Matri restitutũ. Totum hoc *Cedrinus in compendio narrat relatus à Spinello edit. Neap. fol.* 394. *n.* 25. ubi & *Plinij l. c.* adducit, ejus ferè verba adscribimus. Argonautarum Ducem fuisse Iasonem Thessalum cum Polluce, Hyla, Telamone, ac reliquis in Colchidem navigantibus, quo tempore Iudices populo Israelitico præfuerunt, qui cùm per fauces in Ponticum mare transire vellent, & Gizicus Dominus Hellesponti eos prohiberet, ab ijs victus, & interfectus, ac Gizicus præcipua Urbs Hellesponti capta: agnovêre dein Gyzicum fuisse affinem, quocirca templum admirandum extruxêre, dein oraculum, quod est ante Pythias thermas accessêre consulturi cui esset dedicandum, Oraculum hoc sensu sonuit:

Assiduâ virtute decus sublime parate,
Atq; unum (sic mando) Deum, qui cuncta gubernat,
Cœlesti residens solio, colite, atq; timete:
Filius æternum natum ante sæcula Verbum,

Qui

Quod velut igniferis impulsa sagitta procellis,
Nescia Virgo viri, quondam partu tenera edet,
Edomitum reddet Patri pro munere mundum.
Hujus quam Mariæ, nomen monet, alma Genitrix,
Agnoscet templum proprium sibi ritè dicatum.

Hoc oraculum in marmore aureis literis impressum, supra portam posuêre, fecit latinum *Guilel. Xylander*, sed *Græci* penultimum versum reddunt hoc modo. Hujus cui Mariæ nomen Sanctissima Mater. Istud oraculum S. *Procopius Martyr* sub Diocletiano adductus ad Flavianum Iudicem, *apud Surium* 8. *Jul. & Metaphr. c.* 24. ethnicis in hunc modum objicit: Cùm Iason Princeps eorum, qui dicuntur Argonautarum de templo quod Athenis primum constructum est in arce, sciscitatus esset Delphicum Apollinem, & dixisset: Prædic nobis Propheta Phœbe Apollo, cujus nam erit hæc ædes, & ad quid futura est in posterum? sic respondit: Quæcunque ad virtutem quidem & honestatem vos incitant facite. Ego autem tres cupio: Deum unum regnantem apud Superos, cujus Verbum ab interitu alienum, conceptum in simplici Virgine; qui tanquam ignitus arcus percurrens mundi medium, omnes capiens adducet donũ eos Patri, hujus erit hæc ædes, Maria autem nomen ejus. Hujus autem vitæ *S. Procopij* tanta est authoritas, ut ex ea pro cultu sanctarum imaginum *in secunda Synodo Nicæna act.* 4. testimonium sit allatum: hic Procopius antea dicebatur Neanias, Cyzycum nunc vocatur Spiga Natoliæ. Alterum templum in arce Athenienſi Iason oraculo Apollinis Delphici D. Virgini posuit; illud autem Cyzici ab omnibus Argonautis extructum fuit. *Spinellus loc. cit.*

Sed postquam navim Argonautarum sumus adepti varia littora marium circumeamus, in variasque terras descendamus, audituri Sybillarum de S. Virgine vaticinia, priùs tamen oraculo audito, de quo *Innocent.* III *serm.* 2. loquitur. Cùm Romani quoddam templum Paci vellent extruere: consuluerunt Apollinem quàm diu duraturum esset, respondit: *Mansurum quoad us Virgo S. pareret.* Quo audito inscripserunt templo: *Templum pacis æternæ.* Sed illud eadem nocte corruit, quâ Virgo peperit. Simile *Martinus Polonus lib.* 4. recitat de statua aurea posita Romæ in palatio cum inscriptione: *Non cadet donec Virgo pariat*: quæ eodem tempore ac illud pacis templum cecidit. Sed jam Sybillas audiamus. August. Imp. Dei primogeniti aram excitandam in ipso Iovis Capitolini templo voluit, ubi consultis Sybillarum libris, ad vaticinia prænotantia Virgineum partum accommodari posse, *responsum Delphicum* sensit, quo illum Apollo jussit à suis aris recedere, tanquam à nato Deo superatus. *Canisius lib.* 3. *de Deip. cap.* 3. offert

nescio

neſcio cujus Sybillæ carmen, quod hunc ſenſum habet: Lætare & exulta Puella, tibi enim gaudium donavit æternum, qui cœlum & terram condidit: is verò in te habitabit, tibique erit immortale & indeficiens lumen. *Sybilla Erithræa lib. 3. orac.* ſic canit: Et brevis egreſſu Mariæ de Virginis alvo, exorta eſt nova lux.

Hic tantillùm interloquatur *Hugo Card. Super Magnif.* Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes gentes ſcilicet judæorum, gentilium, virorum, & mulierum. *Salvaticus de Victoriâ Verbi Dei contra Hebræos cap. 14.* interponat hiſtoriolam, quondam in Cantania idololatras in magna veneratione habuiſſe quandam Virginem infantem gremio foventem, ac ſingulis annis publicitùs deportâſſe, rationem facti ſolitos reddere, ſe id in honorem cujusdam Virginis præſtare, quæ Virgo manens paritura erat Filium. *Bellesphoret. in ſua Coſmograph.* idem alias nationes uſurpâſſe memorat. *Jam Sybilla Perſica hæc canit:*

Solo ſed ſatis eſt oracula prodere verbo,
Ille Deus caſtâ naſcetur Virgine magnus.

Sybilla Lybica.

Æquus erit cunctis, gremio Rex membra reclinat
Reginæ, mundi, Sanctus per ſæcula vivus.

Delphica.

Eximij qui Virgineo conceptus ab alvo,
Prodibit ſine contactu maris, omnia vincit.

Samia.

In cunctis humilis caſtam pro matre puellam
Deliget, hæc alias formâ præceſſerit omnes.

Hellespontica.

Dum meditor quandam, vidi decorare puellam
Eximiè caſtam, quod ſe ſervaret honore,
Munere digna ſuo, & Divino Numine viſa,
Quo ſobolem multo pareret ſplendore micantem.

Phrygia.

Ipſa Deum vidi ſummum punire volentem
Mundi homines ſtupidos, & pectora cæca rebelles,
Et quia ſic noſtram complerent crimina pellem,
Corpore Virgineo voluit demittere cælo,
Ipſe Deus prolem.

Tibur.

Tiburtina.

O nimiùm felix cælo dignissima Mater,
Quæ tantam sacro lactabit ab ubere prolem.

Kirch. lib. 2. cap. 2. Hetruriæ hæc prosâ refert. In Senensi templo Cathedrali sunt (inquit) imagines decem Sybillarum in Litostroto summo templi positæ. Anno 1482. picta est 1. Sybilla Albunea sive Tiburtina, quæ Tibure pro Dea quondam colebatur, illi hæc prophetia attribuitur: *Nascetur Christus in Bethlem, annunciabitur in Nazareth, regnante Tauro pacifico, fundatore quietis.* O felix Mater cujus ubera ipsum lactabunt.

Erithrea. *Cerno Dei Matrem.*

Cumana.

In teneris annis facie præsignis honore,
Militia æterna Regem Sacra Virgo cibabit.

Europæa.

Virginis æternum veniet de corpore Verbum.

Agrippina.

Summus erit sub carne Satus, carissimus atq;
Virginis.

Ad rem hanc spectabit quòd refert *Oros. lib. 6. cap. 20.* Quòd Augustus Cæsar, dum consuleret Sybillam, an illo in mundo quispiam potentior futurus esset? continuò viderit circa Solem circulum in quo Virgo residebat in gremio portans infantem, hunc Sybilla respondit potentiorem natum: auditaque vox cœlestis: *Hæc est Ara coeli.* Ibi deinde Octavianus Aram Divæ Matri, cum Filio exstruxit. *Bernardus de Busto in Mariali p. 7. cap. 9. serm. 1.* ubi hæc adducit de B. V. *ex Sybilla Cumea.* In diebus illis exsurget Mulier de stirpe Iudæorum nomine Maria, & habebit Spōsum nomine Joseph, & procreabitur ab ea sine commixtione viri de Spiritu S. Filius Dei nomine Jesus, & ipsa erit Virgo ante, & post partum. Hæc eadem verba affert *Henr. Lancellotus in Viticula Mariana pampino 2. sub Sybilla Erithrea, & Matthæus VVestmonasterienſis in floribus hist. ætate 4. c. 15.* De Sybillis verò sic loquitur *Joannes Damascenus hom.* de ijs qui in fide decesserunt. Nomen Virginis non ignotum ethnicis expressit (*Sybilla*) priusquàm nasceretur. alij

Verbi ortum ex Virgine, atque adeò nomen ejus enunciârunt, Maria enim, ait quidam, nomen puellæ. *Tiburtina apud Leonardum de Utino* sic habet: In diebus illis exsurget Mulier de stirpe Hebræorum nomine Maria, habens Sponsum Joseph. *Virgilius* Sybillæ Cumanæ de S. Virgine versus inserui *Eclog.* 4.

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo,
Jam redit, & Virgo, redeunt Saturnia sæclâ,
Jam nova Progenies cœlo demittitur alto.

In his expressum nomen Mariæ *Petrus Loyerus lib. 5. in Magnif. cap. 7.* sibi persuadet, secutus Porphirium Poëtam, ut in primi versûs initio sint duæ literæ M. A. in secundi altera voce R. in tertij itidem initio residuum I. A. sed ut res neque excedit fidem, ita neque extorquet.

Sed hanc rem finiamus narratione *Tostati in Matth.* ait ille: Virgo S. ingressa (dum in Ægypto moraretur) urbem Ægypti Hermopolim, & in eo fanum quoddam, in quo ex numero dierum anni idola fuerunt 365. omnia verò ad ingressum Virginis corruerunt, renunciatum id Aphrodisæo Principi Sacerdotum, qui cum militibus accurrit, sed conspicatus Virginem cum Puero, dixit: Hic nisi esset Deus nostrorũ Deorum, Dij nostri coram eo non se prosternerent. Nos ergo quod Deos nostros facere videmus, nisi cautè fecerimus, omnes sicut Pharao periculum incurremus.

4. Beatam dicunt Virginem Saraceni, Turcæ, & alij Mahometani.

Quia non sunt ejus gratiarum vacui.

Albumazar Arabs Mahometanus in libro quem scripsit de revolut. cujus meminit P. Rizziolus in Proemio Almag. tom. 1. Virginem Divam inter astra collocavit his verbis. In prima facie signi Virginis oritur in terra Virgo munda, Puella immaculata, corpore decora, ore venusta, cultu moderato, prolixo crine, & hæc est quæ Puerum in Judæa nutrivit, & quædam gentes vocant illum Jesum, sed & templum, quod in Syria S. Petrus Apostolus B. Virgini erexit, teste *Jacobo Vitriacensi apud Spinellum edit. Neapoli fol.* 400. à Saracenis magna habetur in veneratione, sed ad historiam tantisper. *Brocard. pag. 2. c. 4.* scribit inter Heliopolim & Babyloniam Ægypti medio ferè loco, est hortus balsami, irrigatur à fonte parvo, sed ubere, in quo est fama B. Virginem Puerum Jesum sæpè lavisse, panniculosq; ejus mun-

mundâsse, est & ibidem lapis, super quem dicitur eosdem exsiccâsse, & hæc omnia venerantur Christiani, & Saraceni. *Jansenius cap. 11. concordiæ*, docet locum in quo Christus in Ægypto degebat, Mathaream vocari, & Mauros eo loco, ubi fertur fuisse Virginis habitatio, ardentem perpetuò lampadem conservare. *Citatus supra Brocardus* ubi de fonte retulit, addit quòd cùm ille esset exiguus, nec hortos fæcundare posset suo rigatu, effodêre copiosum puteum, ut admixtâ illi fontis aquâ, totum sanctificet. *Et addit.* Nec hæc eos fefellit opinio, nunc enim sufficienter fœcundatur hortus ex aquis sic mixtis. De quo puteo addit *Abulensis in Matth. 2.* quòd à meridie Sabbati ad ortum feriæ secundæ, etiamsi excorientur vel occidantur boves, aquam trahere nolint, id cultui credo Divino bestiæ deferunt. *In annalibus Lauretanis anno* 1529. Bassa Turca argenteam vestem gemmis adornatam Lauretanæ Virgini dono misit. Rem narrat memorabilem *Jacobus Perez de Valentia, Episcopus Christopolitanus, comm. in Magnificat vers.* 4. Magni Soltani Armeniæ Filius venerat sub annum 1322. publicâ fide obtentâ Avenionem ad Ioannem xxii. in Christiana sacra animo propenso, quocirca à Pontifice splendidè habebatur, ac sacris quotidianis non excludebatur: cùm ecce festo Virginis Conceptæ contigit interesse concioni, (erat autem hic Soltanides græcè, ac latinè non vulgariter eruditus, & ingenio excellens) cùm Sacer Orator conatus persuadere in culpa conceptam; quibus ille adeò offensus, ut ad Papam Cardinalesque conversus dixerit mirari se vehementer ejusmodi sermones ab ijs, qui essent Religionis Præsides tolerari, in quibus tantoperè Maria traduceretur: certè si hæc dicerentur in conspectu Califæ, aut Soltani Ægyptij, aut coram alijs Saracenis, nullo pacto evasurum, quin ab omnibus lapidaretur: imò si quis talia dixisset de Matre Mahometi, nullo modo mortem evasurum; atq; hunc in modum ille offensus retrò abijt, atque ad suos reversus, qui ante ad Christi inam fidem accedere, atque Baptismum suscipere deliberabat. Memorat *Baron.* quod sequitur *ad annum* 870. *sed Idea Athlantis Mariani pag.* 120. *ex professo.* Prope Damascum imago B. Virginis in ligno picta diu stetit: denique evanescentibus paulatim coloribus successit caro, ita, ut imago carnea, simul & lignea esset, vel certè incarnatum lignum; insuper oleum balsamo fragrantius manus imaginis dedit, non Christianis modò, sed & Hebræis, Mauris, & Saracenis salubre.

Percurre alias imagines, multa similia invenies, adeò etiam his qui oderunt benè facit. Invenies ad Lindensem B. V. etiam ministellos verbi curatos à morbis. *Clagius lib. 4. hist. Lind.* Invenies hæresi, blasphemijs alijsque sceleribus obrutos. Alterum refert *Tursell. lib. 3. hist. cap.* 18. Bassa Corcutus Turca anno 1552. in

graviſsimum inciderat morbum, apoſtema erat in pectore, nihil ſpei, & vitæ modiciſsimum ſupererat, mancipium aderat devotum D. Virgini, pium in Dominum, quem orat monetque ſe Virgini Lauretaneæ ſupplicem oratione ſiſtat, cùm corpore Conſtantinopoli decumberet: paret malo ſuccumbens Baſſa, invocat Cæleſtis Medicæ manum implorat, & ſtatim rumpitur apoſtema, & ſanitas redit, donatur ſervus libertate, & gratitudinis ergo defert à Baſſa mantile egregij operis cereum, & arcum cum inſcriptione quæ ex Arabico in hunc ſenſum translata. Quod bonum & fortunatum nobis eſſe velit magnus, ac miſericors mundi Dominus, cùm mihi ipſi Divinitùs quiddam evenerit, ego Crocut Baſſa nè meo deſim officio, tantæque rei monumentum aliquod poſteris exſtet, rem ordine ponam: Ortum erat atrox apoſtema nobis in pectore, jamque haud dubium imminebat exitium, cùm deſperata à medicis ſalute, meus me ſervus admonuit, & ſanè fideiter, ſi mihi libertatem polliceris, inquit, Dei mei Matrem exorabo, ut priſtinam tibi reſtituat valetudinem &c. Narrat quod ſequitur *Caſtro in vita Beatæ Virginis, & Gratianus in vita S. Ioſephi.* Cùm Ioſeph in Ægyptum iter pararet, Deiparam interim in ſpecum à Bethleem ad duos lapides declinâſſe, ibi caſu dum lactaret infantem, aliquot guttas lactis in ſpecum defluxiſſe, & ſubitò lapidem candidum effectum, & mollem, ut teſtis ſit non dubius miraculi, & ille in pulverem redactus, diverſas impertitur Saracenis gratias, maximè mulieribus, imò etiam pecoribus, nè lac eorum deficiat. Eadem adhuc viventis Virginis impenſa hoc loco miſeratio. *Petrus de Natalibus in hiſtoria boni latronis* refert. Cùm Virgo in Ægyptum peregrinaretur, latro quidam inſidiatus illi ac Joſepho, ſed aſpectu ipſo in meliorem immutatus. Filius latronis laborabat leprâ, Mater ergò illius lavit eum in eadem aqua, in qua Virgo infantis Jeſu pannos laverat, ſanatus confeſtim puerulus. Hic latro idem eſſe putatur, qui deindè cum Chriſto crucifixus, mirandum in fine gratiam conſecutus. Et quoniam crucis meminimus, jam tum ſtetit ibi Maria. Quia Jerem. 1. *Ab Aquilone panditur omne malum.* Ugo *Carenſis in Pſal.* In paſsione ſtetit juxta crucem à parte Aquilonis, quaſi inter peccatores, & Filium ſuum. Refert *Paulus Antonius de Tarſia in hiſt. D. Virg. Inſulanæ pag.* 15. fuiſſe Scipioni Villano Turcam captivum nomine Maſſonum, tenaciſsimum erroris patrij: hic ad ultimum vitæ devenerat; ſed ab impietate Turcica nequaquam diſcedere propoſuerat: ideoque ad equile projectus. Acceſsit eum D. Virgo, ad fidem veram ipſamet convertit, cujus gratiæ nè intercederet memoria, erectum à pijs viris eo loci Sacellum S. Mariæ à perſeverantia nuncupatum.

Chriſtoph.

Christoph. Fonseca in vita Christi narrat: Mauros in Africa & Turcarum Uxores Constantinopoli in partûs doloribus nomen Mariæ invocare, & salubre experiri. Neque hanc venerationem Mahometanorum erga S. Virginem quisquam mirari poterit, qui perspexerit quàm sublimia aliàs abjectissimus de illa reliquerit, licet more suo permixta fabulis *Mahometes apud Magdeburgenses cent. 8. cap. 15.* Spiritus Dei intravit Mariam, & Jesum ex ea genuit. *Et Azoara 31.* Omnium mulierum optimæ Mariæ, ab omnibus intactæ, animam suam Deus insufflavit, & illam Filiumque ejus manifestum gentibus miraculum posuit. *Azoara 5.* Maria fuit omnibus viris & mulieribus splendidior, atque purior. *Et alia Azoara.* Maria nunquam aliquid mali suæ malitiæ operata. Nullus de filijs Adam nascitur quem non tangat Sathan, & ideò plorat vociferans ex ejus tactu, præter Mariam, & Filium ejus. *Hæc in Azoara 75.* At verò in 5. Maria omnibus viris & mulieribus splendidior, & mundior, atq; lætior, soli Deo perseveranter accedens. *Et alio loco.* O Maria Deus utique elegit te, & purificavit te, elegit te claram super mulieres sæculorum. O Maria Deus annunciavit tibi Verbum ex ipso, nomen ejus Jesus, Filius Mariæ, & erit honorabilis in hoc sæculo, & in futuro. *Rursus* Maria (id est Deo) dirigente nihil malitiæ aut pravitatis operata est. *Jacobus de Valentia Episcopus Christopol. in Magnificat*, meminit legis Mahometicæ in hunc modum. Dicunt omnes Aphachini id est Doctores Saracenorum, quòd postquam Deus, & Angeli; & Mahometus appellant Virginem Mariam Sanctam, & Beatam, quòd sit anathema omnis ille, qui eam non fuerit veneratus. Sed legem & pœnam refert in violatores legis *Joannes Cottovicus lib. 3. cap. 3. Itinerarij Jeros.* in hunc modum. Si quis sive Christianus, sive Turca, sive Maurus, vel Arabs, Christum illud Verbum Dei, quem virtute Spiritus S. à Maria procreatum credimus, vel etiam ipsam Virginem, quam Deus creaturis omnibus puriorem fecit, & excellentiorem, blasphemaverit; præter mulctam pecuniariã, sexaginta fustarij plagas sustinebit. *Idem Turcarum erga Virginem venerationem describit.* Mausolæum Virginis crebrò Mahometani invisunt, & precibus honorant, in summa æstimatione etiam Virginem Mariam habent, quam ante & post partum Virginem permansisse constanter credunt, eamque Alcorani testimonio tanquam à Deo electam, & summis virtutibus ornatam, cunctis mundi mulieribus anteponunt, atq; omni laude dignissimam fatentur. *S. Antoninus 4. parte tit. 15. cap. 24. parag. 3.* hæc habet. Saraceni & Turci benedicunt Virginem, adorantes eam in templis suis & thurificantes.

5. Beatam dicunt Virginem Schismatici atque Hæretici; quia ab ejus gloria obruuntur.

Philippus Abbas bonæ ſpei lib. 6. in Cantic. c. 9. Mundum univerſum Virginis fama vel notitia ſic implevit, ut non ſolùm veri, ſed etiam falſi fideles videantur ejus laudibus exultare, & quos non devotio, vel eos occaſio faciat collaudare. Schismaticorum Princeps *Photius hom. de Nativit. Virg.* Dominica (inquit) Sedet Virgo in terra paratur, terrenaque ſanctificatur, ac cœleſtium Ordines nobiscum congregantur, illiusque nequam, ac qui nos primùm decepit, fuitque author inſidiarum humano generi poſitarum, dolis ejus, ac molitionibus evaneſcentibus potentia colliditur. Illa etiam *Schismatici Philotei Conſtantinop.* verba ſunt. Tota pulchra es ô Virgo, & planè tota pulchra es, tota nil niſi Nitor es, & Species lucis, tota item Phosphorus, ſeu diem, ac Deum afferens Stella. Quarè lumina cordis mei illumina, ut qui tuam Domina gloriam inſtar auræ exhalo, ſumque vulneratus à ſingulari te glorificandi amore. *Abailardus Serm. 2. de Nativ. Dom.* Omnem tam Judaici, quàm gentilis populi gratiam ea tranſcendit, quæ Matri Domini eſt collata gratia, & dona ejus, quæ quaſi ſtillicidia terra ſuſcepit, cæteris donis longè ſunt eminentiora.

Lutherus ſuper Magnif. Eo ipſo quòd Maria Mater Dei facta eſt, tam præclara & ingentia ei dona data ſunt, ut ſuperent captum cujusquam. Hinc enim omnis honor ac beatitudo provenit, & ut in univerſo genere humano unica perſona ſit ſuperior cunctis, ac nemo ſit par, quòd cum cœleſti Patre communem habet Filium. *Idem in explicat. Salut. Angel. poſſe recitari duplici modo docet Salutationem Angelicam.* Primum quidem, ut eam tanquam aliquam piam meditationem accipiamus, in qua donorum quæ accepit à Deo Maria fiat enumeratio: deindè verò ut ceu fiat votum addamus & precemur omnes, ut ſentiant & cognoſcant eam talem eſſe, qualis hic prædicatur. *Idem in Poſtilla majori de Annunc. B. Virgin.* Maria gratiâ plena eſt, per quod omnis peccati pura cognoſcitur, magnum hoc & ſublime, ſiquidem gratia Dei illam omnibus bonis abundantem fecit, & ab omni malo liberavit. *Et ibid. in feſto Concept.* Dignum & juſtum erat Mariæ perſonam ab originali peccato præſervari, de qua Chriſtus ſumpturus erat carnem, quæ omnia peccata ſuperaret. *Et rurſus ibid.* Nulla Mulier tam S. fuit, nec in poſterum erit ut eſt Maria. *Et in Nativit. Chriſti de Evang. anteluc.* En Puer quem tu Maria peperiſti, meus eſt, ſua caro & ſanguis, mea caro & ſanguis ſunt: atque ideò etiam

etiam Mater mea es, & pro Filio tuo à te habebor. *Libro de decem præcept.* Idem docet ægrotos & morientes Mariam invocare ac se illi commendare debere. *Joan. Oecolamp. cum Calvino infra citando consonans sic ait serm. de laud. Deiparæ.* Nunq âm de me ut in Domino confido audietur, quasi averser Mariam, erga quam minùs bene affici reprobatæ mentis certum existimem indicium; & quomodò eam non amarem, quam DEus deamat, quam venerantur Angeli, & Archangeli, quæ peperit Salvatorem mundi? quæ humani generis est Advocata? quæ Regina appellatur misericordiæ? eja hortor iterum, atque iterum, ut summis viribus Deus per eam laudetur, dignissima quæ super omnes creaturas laudetur, imò per quam Deus glorificetur, in qua tanta Dei munera, tam eminenter sunt conspicua. O Divinam clementiam! ô immensam pietatem Dei! quæ & Filio tam sanctam præparavit Matrem, & nobis tam propitiam, in omnibus constituit Advocatam. *Henricus Bulingerus serm. de laud. Virg. Mariæ.* Si Maria benedicta est inter omnes mulieres, & beata ab omnibus prædicanda nationibus, infelices certè sunt Judæi, qui ipsam convitijs lacessere nunquàm desinunt: infelices sunt Pseudo-Christiani, qui Iudæis nihilo meliores, laude illam spoliant. Excellentissima sunt in Maria omnia, & hæc splendidiora, quò proficiscebantur ex fide sinceriore, & flagrantiore Dei dilectione. Oportuit singulari & perpetuâ Virginitate, puritateque illustrem esse, & permanere, quæ singulariter electa à Deo in sacrosanctum Filij sui Thalamum & Templum: Mater erat omnium sanctissimi partûs, Filij utique Dei æterni futura. *Joan. Spangenbergius in Evang. de Annuntiat. Mariæ.* Ipsa canit Maria in suo cantico. Humilitatem respexit Ancillæ suæ: ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes. Si hæc verba sunt implenda, necesse est profectò esse homines, qui eam laudibus vehant, ac ornent. Elisabeth incipit Luc. 1. *Beata quæ credidisti.* Similiter & mulier Luc. 2. *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Quis eam nunc Beatam prædicabit? Iudæi, Turcæ, Gentes, Hypocritæ, Pseudo-Christiani? proculdubio summâ ignorantiâ, & blasphemiâ eam afficiunt, proindè nostri erit officij, qui Evangelium Christi profitemur. Quare perversè agunt, qui præ nimia sanctimonia, & sapientia ferre non possunt, ut hæc Salutatio Angelica recitetur. Impletum est hic quod *B. Alb. M. in Bibliis M. ex lib. Judith, de Maria dixit:* Dixerunt servi Holofernis, non solùm servi Dei ipsam admirantur, sed etiam servi mundi, & diaboli, alter ad alterum. Non est talis mulier super terram, imò nec supra cœlum.

Calvinus in harm. Evang. ad Luc. 1. Celebrari nequit allata nobis per Christum benedictio, quin simul occurrat, quàm honorificè ornârit Mariam Deus, qui:

qui Unigeniti sui Matrem esse voluit. *Et rursus ibid.* De me ut in Domino confido nunquam audietur, quasi averser Mariam: erga quam minimè bene affici reprobatæ mentis certum existimo indicium. Adjungamus istis supparem perfidiâ, aut ejus suspectum. *Erasmus Roterodamus in obsecr. B. Virg.* sic illam orat. Per omnium qui in te spes fixêre suas, vota obsecro, obtestorque Virgo intemerata, peccatoris hujus patrocinium apud Filium suscipe, ejus iram, quam meis flagitiis excitavi, deprecare. *Bucerus in Matth.* Pius animus de Maria, non nisi sanctissima cogitabit, & Matre Dei digna. Hæc sunt quæ magnitudo gloriæ Virginalis ab hæreticis expressit. Sed quomodo Virgo etiam in illis sua beneficia profudit, paucis accipiamus. Illùd certe singulare est quod relatio de B. Virginis imagine Neuchirchensi habet. Huic hæreticus rabie iconoclasticâ agitatus vulnus inflixit: en Virgo reddit beneficium, fundit uberrimè vulnere sanguinem, & militem perfundit, quo perfusus tam copiosum lumen cœleste accepit, ut statim tenebras hæreseos relinqueret. Verùm & aliquæ aliæ Virginis imagines nonnè ab insigni aliqua injuria per hæreticos initium habuerunt? Anno 1595. in Ducatu Sabaudiæ apud urbem dictam Montarvij à Calvinista imago confossa sanguinem profudit, quo plurimi ægri, cæci, claudi, &c. curati sunt. Ita *Balinghem p. 2. c. 3.* De reliquis B. Mariæ multa sunt similium exempla. In ipsa Urbe Roma non desunt. Unam affero anno 1483. imaginem Virgineam in porticu Templi S. Andreæ aleatores confoderunt, profluxit è vulneribus sanguis, sed statim & uberrima in mortales miracula, locus postea dictus de miraculis. *Hæc ex hist. Gabriel. Bernotti lib. 3. cap. 9. parag. 2.* De alijs aleatoribus *Bzovius tom. 13.* & multa alia.

Aliud refert *P. Joannes Gans Concionator Imperatorius in libro Quinquatria de Annunt. B. Virg. discursu 2.* Anno 1608. Bambergæ accidit: Juvenis ibi agebat bono loco natus Coburgi Martinus Gutric Amanuensis cujusdam nobilis Catholici, hunc hectica conficiebat, hæretici sodales, nam & ipse hæreticus erat, ad labantur. Urgebat ille vocari ad se Fridericum Fornerum S. Th. Doctorem, qui postea ibidem fuit Suffraganeus, & hanc historiam descripsit: obstabant hæretici, nihilominùs per quosdam Catholicos advocatus est Fornerus, invenit missis Coburgo à Parentibus Iuvenis hæretici, & à Duce Coburgensi, qui exhæredarent Iuvenem si fieret Catholicus. His Iuvenis respondit: Ego Patris mei terrenam hæreditatem nil facio, mox Filiorum Dei cælestem aditurus. Rogat Fornerus quid illi evenisset, quòd ita ferventer fieri vellet Catholicus? respondet. Audite, proximâ nocte mihi B. Virgo magno circumfusa lumine adstitit: dixitque, quia me devotè sæpiùs salutâsti, ecce ad te venio, & de obitu moneo, confitere & communica

municа catholicè; nocte enim & horâ nati mei Filij morieris, (dies tunc agebatur Divæ Conceptæ) & ad me in cœlum evolabis, interea fer omnia patienter. Infert Fornerus. Cùm hæreticus sis, quomodò Virginem salutásti? reddit ille causam; se ipsius concione motum. Fornerus ait. Si non fingeret, se eum absoluturum. Respondit Iuvenis, hoc eventum probaturum. Confessus, communicavit, extremam tamen unctionem non nisi in Vigilia Nativitatis accepit, & nocte Nativitatis mortuus qui deindè multò meliore formâ, quàm dum in vivis esset conspiciebatur. Nimirum *Terra* est Deipara juxta illud Isai: 43. *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Germinat Salvatorem ut terra pro omnibus indifferenter. *Templum* est Virgo Sancta, quod cuilibet patet peccatori. *Rebecca est*, Gen. 24. quæ rogata ab Eliesér, non solùm illi ipsi, sed & camelis ejus præbet potum. *Electa ut sol*, ac ideo non solis justis oritur. Improbus erat Saulus meritusque pœnas, & jam in manus Davidis inciderat 1. Reg. 4. & hortabantur milites, ut non differret ultionem David, tamen quia Saul deprehensus in spelunca *Engaddi*, quæ Virginem Sanctam significabat, omninò David illi pepercit.

6. Beatam dicit Virginem Natura sensitiva; quia in ejus cultu hominibus præire permissa.

Rem à Sanctis animalibus quæ vidit Propheta verbis *Amedei* ordiamur. Sancta animalia de quibus legitur *in Ezechiele* quòd antè & retrò, intùs & foris, usque in circuitu plena sunt oculis: labores hominum, & dolores, casus, defectus, cæcitates, invaletudines, extrema pericula, incertos exitus vitæ, & mala quæque humani generis, non æquè ut Dei Genitrix valent examinare examinando, cœlesti auxilio diluere & propulsare: quò enim sublimiùs immensi Regis cor aspicit, eò profundiùs Divinæ gratiæ pietate, afflictorum & misereri, & miseris succurrere novit. De ijsdem SS. animalibus (quæ non dubitamus esse Angelos nec esse sensitiva, reducimus tamen huc ratione nominis communis, *Guilielm. in* 3. *Cant.* ubi docet. Quod ideò plena sunt oculis, ut non tantùm sibi sed etiam alijs invigilent piarum sollicitudine curarum. *Et postea addit.* Quid frustra malignus expandit rete ante oculos eorum? undiquè sunt oculi eorum aperti, ideò frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Quis tam plenus oculis, quàm Mater lumnis? quis pari sollicitudine sibi & alijs invigilavit, ac Mater pietatis?

Sed tandem ad vera & sensitiva animalia descendamus. A columba fit initium. Scribit *Josephus Bonfinius de rebus Messanensium* quòd columba volatu designaverit locum & ambitum pro templo Virgini erigendo. Coram imagine B. Virginis Lindensis pecora in genua provoluebantur, & eo indicio latentem imaginem prodiderunt. *Ita Clagius Lindæ lib. 1. cap. 17.* Statua B. Virginis in Brugeriis (*inquit in Atlante Mariano Petrus Possinus*) propè Tolossam in agro jacuit, hanc boves in terra proni adoraverunt, quasi ejus ectypon esse intelligerent, quem olim boves venerati sunt in stabulo. Boves etiam illam venerati quæ est Boleslaviæ in Bohemia. Boves illam quæ Zyrovicijs in Lithvania, & quæ Gidlis in minore Polonia, & alibi. Sed non soli rudes ac cicures boves cultum Virgini professi, verùm etiam acriora animalia. Dum Virgo peregrinaretur in Ægyptum, memorat *Cartagena libro 9. hom. 10.* causâ honoris varia animalia prodijsse: ursos, leones, dracones, leopardos, & volucres inquit miraculosè concinebant Christo Domino Salve Rex. *Idem addit*, quòd B. V. dum vellet quoddam Gentilium templum ingredi, se ultrò illi portæ reserârunt. De S. Francisco *S. Bonavent.* scribit. Habuit hic Sanctus oviculam, quam monere solitus erat, ut laudibus Divinis intenderet: itaq; dum fratres in templo canerent, & ipsa in templum ingressa flectebat genua balatus emittens ante altare Deiparæ Matris Agni, acsi eam salutare gestiret. Etiam avicula quomodo Virginem coluerit audiamus. *Jo. Fr. Andr: de Urtam de imagine D. Virg. in Aragonia dictæ de Cogulada.* Mulier quærebat propè ripam fluminis herbas quaspiam, audit suavissimum alaudæ concentum, & sequitur, & ecce imago Virginis cum suo Puerulo cujus dexteræ insidens avicula concinebat. Mulier detulit imaginem Cæsar-augustam, tradidit cuidam, reservat ille in arcâ obserata, sed imago paulò post disparet, quærunt in loco ubi priùs reperta fuit imago, & ecce alaudâ rursùs cantillando, ac manui Pueri Iesu insidendo colit Virginem cum Puero, demùm per Episcopum imago translata, ac in honore summo haberi cœpit, atque miraculis claruisse.

Infinita exempla allata pecorum coram imaginibus Virgineis procumbentium de genu, adduci possent. Unum mundi pecoris ex *Joan. Bapt. Alb.* adducam quo indevotos huic Virgini magis compungam. In Romaniola est imago Virginis cognomento miraculosa, hoc indicio, venerabundæ suis à pastoribus reperta. Solebat hæc porca circa meridiem deserto grege quendam collem nemorosum ascendere, & ibidem morari, sequitur pastor naturâ an casu unam manum siccam habens, ac inutilem, reperit scrofam orantis situ fixam coram imagine arbori vetustissimæ affixa. Allocuta statim imago pastorem, & imperavit ut sibi eo loci templum

templum extrueretur: in cujus rei fidem spondet sanitatem manûs, ubi coram Magistratu expositâ legatione manum in sinum immiserit, & extraxerit, quod totum ex ordine evenit.

7. Beatam dicit Virginem Natura vegetativa; quia suo modo illam prædicavit.

Sozomenus hæc habet *hist. cap.* 20. arborem esse in valle quæ Persis dicitur Hermopoli, quod est oppidum Thebaidis: cujus fructus aut folium, aut particula corticis admota; morbos plurimos depulerit. Nam traditum est Joseph cùm propter Herodem assumptis secum Christo & Deiparâ fugisset, venisse Hermopolim, atque simul ut portæ appropinquavit, istam arborem licet planè maximam adventu Christi commotam esse, atque ad solum usque se inflexisse, & Christum adorâsse cum Virgine. *Abulensis in* 2. *Matth.* simile quidpiam refert, quòd in eadem Virginis peregrinatione accidit, cùm inquit, dactylos ex palma vellet colligere D. Virgo: arbor se inclinavit, & ubi ejus usum Virgo absolvit, iterum se erexit, quod idololatræ videntes arborem succiderunt: sed ea sequenti nocte rursus ad eandem integritatem redijt, relictis tamen cicatricibus incisionum. *Tursell. lib.* 5. *cap.* 6. *de dono Lauret.* Tenet fama nec vana est fides: venienti Deiparæ domicilio arbores obvias velut venerabundas inclinâsse sese, ac proindè pronas perstitisse. *Ibid. cap.* 9. Arca quam domus sacra occupaverat nitebat semper vernantibus herbis, floribusque, cùm omnia circum densis obsita virgultis ac sentibus horrerent. *S. Sabbas Men.* 15. *Aug.* B. Virgo cùm triduo ante à Filio nuntium de morte sua accepisset, Virgo itineris ad Filium suscipiendi mox desiderio flagrans, in montem olivarum ascendit, precibus accuratè fundendis intenta: hoc enim solenne jam habuerat, ut in eo monte jugiter orationis studium continuaret; verùm id loci inopinatum quiddam tunc evenisse perhibent; quippe arbores in monte isto plantatæ, spontaneo motu inclinârunt se Virgini colendæ, planè ceu vivo tantæ Dominæ serviendi affectu pollerent.

Jungamus hic fructus olearum suis oleis. Jo: *Burgbesius lib. de Patrocinio B. Virginis* narrat. Cùm fuisset editum diploma à Paulo V. anno 1617. 31. Augusti prohibens sententiam publicè doceri, quæ maculam Virgini in Conceptu adstruit, quo die Madritum id diploma cursor detulit, & ex equo descendit; ipso momento lampas nocturnis tantùm horis coram imagine SSmæ Virginis solita accendi, media placeâ clarâ die sponte ardere cœpit, consumptoque exiguo, quo à præ-

terita nocte supererat oleo, perduravit flamma ipsâ quæ supposita erat aquâ ignis fomentum suppeditante. Ad quod miraculum innumeri convenêre, vigiliasque produxêre. *Nierembergius in dissertationibus epistolicis epist.* 20. refert miraculum, quod etiam arbores laudê Virginis probet decantare. In Episcopatu Michvocanæ sive Tarascorum oppido, quod vocatur Ailla de Jacona habitata ab Hispanis, & Tarascis, accidit, ut in quodam trunco fisso arboris, quam vocant indigenæ Bujabo, inventa sint hæc verba Hispanica, *Maria concepida sin pecado:* quod habitum ut miraculum, & servatum in Augustinianorum Ecclesiæ sacrario.

8. Beatam dicit Mariam cœlum & terra; quia majorem præ illis hominibus affert Virgo utilitatem.

Thomas Archiepisc. Valent. conc. de Annunt, Tolle solem quid est in mundo nisi tenebræ, tolle Mariam ab Ecclesia, quid restat nisi caligo? sol trahit nubes. 3. Reg. 18. jubet Elias prospicere puerum contra mare, respondit: *Non est quidquam. Joan. Jerosol. de institut. Monach.* Quia nubecula illa JEsu Mater non fuit, à puero visa nasci in illa prima ætate mundi: ideo puer dicit, non est quidquam; sicut antequàm Deus in creatione dixisset fiat, nihil fuit, ita & in renovatione antequàm fuisset Virginis fiat. *Greg. Nazianz. in Tragoedia.* Regina Domina, & generis humani Bonum. *Stephanus Sabaita in Men. 1. Jan. ode 9.* sic Divam Virginem alloquitur: O quæ Lucem Divinam progenerâsti, quâ Luce sol ipse posterior est! quæ etiam Lux in forma corporea ad nos appulit homines. Ob quod sic illi applaudit *S. Theophanes Episcopus Nicænus in Men. 20. Jan. ode 4.* Lætare Candelabrum Divinam sustinens Lucem. *Idem 16. Jan. ode 5.* Sol ipse ô omnium vocibus celebrata Virgo te multò illustriorem se ipso agnoscit. *Hermannus Contractus in prosa* Ave Maris stella in lucem gentium Maria Divinitùs orta. Euge Dei Porta, quæ non aperta veritatis lumen ipsum Solem justitiæ indutum carne ducis in mundum. *Bernard. serm. in fer. 2. Pentecost.* Omnibus generationibus vitam, & gloriam tribuisti. Sed clariùs expressit *S. Germanus de zona.* Quis post tuum Filium curam gerit generis humani sicut tu? quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Tu enim cùm habeas Maternam apud Filium fiduciam & potentiam, nos tuis interpellationibus, & intercessionibus ei efficis familiares, & das salutem, & ab æterno liberas supplicia.

Affert

Affert in hanc rem exemplum ex pietate Virginea in nuptijs Canæ *Bernardin. ſerm. 2. Dom. 2. poſt Epiphan.* & ſic argumentatur. Si compaſſa eſt verecundiæ illorum, à quibus fuit invitata, multò magis compatietur nobis ſi fuerit piè invocata. *Et S. Bernard. de Purif. B. Virg. ſerm. 2. cap. 9. tom. 3.* Si hæc non rogata perficiet? ſi hæc viatrix exiſtens, quid cùm regnat in patria? *S. Germ. ſerm. II. de Aſſumpt.* Spiritus tuus ô Maria, & caro tua in ſepulchro corruptionem non ſuſtinuit, omnia obſervas ac contueris, & inſpectio tua ad omnes ſe porrigit; quamvis autem oculi noſtri impediantur, nè te videre queant, tu tamen dignis te ipſam patefacis. Agnoſcit ſuam gloria naturam, & ipſam inprimis colunt eo modo quo loquuntur, quibus nil ſurdius ſaxa, & quidem in medio ipſius ſurdiſsimæ gentilitatis de quo ſequatur.

9. Beatam dicit Mariam Natura inanimata, quæ ſub cœlo eſt; quia Deus illius obſequio cultum Virginis promovet.

Rem miram quæ anno Chriſti fortè 39. & Virginis 52. contigiſſe fertur narrat *Auguſt. Wichmans Ord. Præmonſtr. in Brabantia Mariana lib. 1. cap. 3.* Apoſtoli nondum Judææ digreſsi propè Liddam nunc Diospolim coemptam in civitate ſynagogam, convertunt in Eccleſiam, & ſanctæ Virgini conſecrârunt. Res malè à Judæis accepta, quocirca reſcindebant contractum, pretiumque refundebant, delata res ad Præſidem Syriæ, qui juſsit utriusque partis ſigillo ſignari locum, & per 40. dies è cœlo ſignum expectari. Recurrerunt interim ad Virginem Apoſtoli, opemque implorârunt, juſsi bene ſperare, dum condictâ die aperiunt templum, conſpexerunt in marmore Divæ Virginis imaginem variis coloribus miraculosè expreſſam, locumq; Virgini aſſerentem. *Author Atlantis Mariani edit. 2. fol. 74.* Statua Deiparæ quæ de Candelaria nomen habet, quæque hodie miraculis claret, in ſaxi cujuspiam caverna à Gentilibus reperta eſt. Altera, (*at idem Author fol. 78.*) in ea parte terræ Araucanæ, quæ Tubulia dicitur.

Eandem pietatem & alia ſaxa erga Deiparam exercuerunt. Non multùm à mari mons eſt, & in monte ſpelunca ad formam hemiciclij peritiſsimè facta, in qua ſtatuas collocare ſolemus, Cannam cum dimidia altitudo habet, latitudme velut ad architectonicas leges reſpondente; & verò etiam quem in uſum natura locum tam bellè efformaverit intuentrapparet: nam ſtatuam Virginis cum Jeſulo in brachijs eodem è ſaxo produxit, non inſitâ vi, ſed prodigio videre eſt eodem

planè è saxo ludentibus lapidis venis capillaturam, suffuscam, crispatam, & è capite in humeros usque decorè defluentem, vultum candidum, & ad sculpturæ præcepta venustè prominentem, vestem colore rubeo, foris flavo, pallium intùs cæruleo, sic imbutum, ut nec in rubeo sandali, nec in cæruleo colore brasili desiderare possis tincturam. Atque hæc omnia eodem è saxo inter, ludentibus diversorum colorum venis jam dudum natura efformavit, ita saxa Virginem. Colit & aqua Virginem. Id contigit circa imaginem dictam B. Virginis de Lasagrada in Hispania, referente *Zurita lib. 1. cap. 64. fol. 425.* Exundaverat vehementer Iberus, atque multa loca diluvio involuerat, stabat sacellum in quo dicta imago fuit propè ripam: illud aqua nè patentibus quidem portis ingredi ausa, sed velut aggere coërcita stetit circa sacellum. *Octav. Pancir* ita reliquit scriptum Imago B. Virginis depicta in quadam tegula deciderat in puteum profundiorem: non tantùm non permisit ad fundum delabi imaginem, sed eò usque se erexit aqua, donec labra putei superaret, & imaginem placidè in terram effunderet. *Radzivil in peregrin. pag. 177.* Non procul ab ea domo, in qua B. Virgo cum Christo in Ægypto septennium degit, mons per modum conclavis ad radicem se disrupit, ut nova hospitæ præberet aliquamdiu habitaculum; appendunt & Turcæ ibi lampadem propter venerationem.

Ab aqua ad ignem faciamus passum, & ejus cultum erga B.V. spectemus. Coram S. Maria Majore Romæ, cerei viginti quatuor horis ardentes non ramen nullâ sui parte diminuti olim, ita ignis & cereis parcit ob Virginem, & lucet Virgini. *Author Petrus Abbas Cluniacen. lib. 2. de miracul. cap. 30. quod ubi retulit alibi.* Hoc tam nobile & nusquam antè auditum miraculum ad commendandam mortalibus gloriam Matris Domini, non in quolibet ignobili & humili loco, sed in ipso orbis capite, non semel tantùm sed assiduo recursu annuo Divina pietas & potentia operatur. Asservatur Atrebati cereus, argenteâ conclusus thecâ, qui rarò & ex speciali tantùm occasione accenditur, non ut quibusdam visum continuò per annos 500; hic etiam è cera nihil videtur perdere dum ardet, imò et cera ab eodem defluente complures alios formatos non desunt, qui asserant. *Jacobus Meyerus* certè docet, ex eo derivatos cereos Brugensem, Falcobergensem, Bononiensem, Nigellanum, Arliensem, Blandecanum cereos, imò & Pecquicurtinum, in Acquicineto Lesanum, Hippolit. Paulinatensem, ejus esse proles. Sed priusquàm ab igne discedamus, narret nobis *Maraccius in Præf. Cæsar. Marian. ad Alex. VII.* Pontificem quòd contigit Senis anno 1655. Aug. 24. Cùm templum S. Francisci conflagravisset, imago Immaculatæ Conceptæ in lignea pervetusta tabula

tabulâ cum velo quo tegebatur manſit indemnis, cùm tamen altare marmoreum in quo hæc imago fuit, paſſum eſſet. Aõ 1383. Civitate Bruburcana à Gallis capta, quidam miles tentavit imaginem S. Virginis ſpoliare, tam ſpontè omnes campanæ ſonuerunt, veluti pro Maria militantes. In hiſtoria quam de imagine S. Virginis S. Mariæ de Porticu, dicta, ſcribit *Congregatio P.P. Lucenſium* hæc habemus: Hanc imaginem S. Gallæ Filiæ Symmachi Patritij, Seraphini detulerunt: è manibus Seraphinorum Joannes I. Pontifex recepit. Spontè interim campanæ Urbis perſonuerunt, & ſimul peſtis quæ urbem hauriebat, evanuit. Habetur hæc ipſa narratio & apud *Baron. ad annum* 504. *Marinæus* ſcribit in oppido Oliana ſito in ripa Sicoris ſingulis annis menſe Martio, feriâ ſextâ ex inſula fluminis tria lumina cœrulei coloris aſcendere, & Eccleſiam ingredi per feneſtram, lampadesq; coram Virginis imagine appenſas accendere, & ſubindè ad locum undè venerant regredi, atque ubi eò devenerint in ſpectantium oculis evaneſcere.

Aquæ & ignis miniſterio panis coaleſcit, jam venerationem quam ſuæ ille Dominæ fecit; *Sylveſtro Saavedra Veſtig. 3. d. 7. ſect. 2.* auſcultemus. Conſuetudo eſt in Barcinonenſi Conventu Ord. S. Franciſci, ut quotidie recentem panem comedant, *(Verba Authoris)* eumque in monaſterio pinſant; diebus tamen feſtis illicitum pinſere. Advenit itaque dies Conceptionis Divæ Virginis: Laici inter ſe controvertere cœperunt, an illa die poſſent panes coquere, qui aſſerebant licere, evincunt, præparant maſſam, formant panes, diſponunt pro furno, & linteis interim cooperiunt, dum furnus aptus fiat. Et ecce, panis erga noſtram Virginem obſequium, ſanguineus interiùs, exteriusque comparet. Defertur res ad Magiſtratum, & innoteſcit per principatum Cataloniæ, denique ad Conciliũ Baſilienſe, quod tum celebrabatur, à quo deputati judices rem examinarũt cum omni diligentia, & concluſerunt verè fuiſſe miraculoſam. Meritò *S. Proclus Ciſicenus hom. habita coram Concilio Epheſino quæ extat in principio ejusdem Concilij* terra & mare Virginem honorant, & obſequij causâ tanquam ſatellites ſtipari; hoc quidem mitia navigantibus dorſa ſubſternens, illa verò veſtigia viatorum inoffensè dirigens. Exultet natura, honorentur fœminæ, choros humana ducat natura, & carmina cantet, glorificentur Virgines: ubi enim abundavit delictum, ſuperabundavit gratia. *In officio Bernardini de Buſto approbato à Sixto IV. tertio die infra Octavam Concept. lect. 4. legitur.* Cùm S. Dominicus cum hæreticis concertaret, qui inter cætera aſſerebant B. V. originali peccato maculatam: judicio ignis rem commiſit, ut illud pro rato haberetur, quod conjectum, ignis in charta ſcriptum ſervaret, jactæ hæreticorum ſchedæ & ſtatim exultæ: S. Dominici chartam ignis Virginit obſe-

obsequio sus reddidit indemnem. Jam de lapide ibidem refert ex libello *Fr. Ludovici de Conceptione Trinitatrij Discalceati num. 116.* *Nierembergius* in quo miraculum summo Pontifici describit tale. In oppido de Valdepesias (en la Mancha) in domo Clerici Salazar è nubibus decidit lapis cum magno splendore, qui splendor etiam aliquot diebus subsequentibus duravit. In lapide ex una parte fuit insculptum. *Ave Maria Virginij madre de*, in altera sensus continuabatur: *Dios concepida sin pecado originali.* In Septa Africæ civitate, scribit *Joan. Nider* capillos reperiri in quorum aliquibus legitur *Ave*, in alijs *Maria*, in alijs *gratiâ plena*, & sic deinceps in alijs.

10. Beatam Mariam dicit omnis universim creata natura. Quia propter illam facta & refecta est.

Bernard. id serm. 2. de Pentecost: mellifluè. Ad Mariam, sicut ad Medium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum Causam, sicut ad Negotium sæculorum, respiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis: illi qui sunt in cœlo, ut reficiantur, & qui in inferno ut eripiantur, qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur, qui sequuntur ut glorificentur. Benè eruditus *Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus lib. 6. de anno Jubilei cap. 22.* Beata Virgo Causa universalissima est, ad quam omnia creata sivè naturalia, sivè supernaturalia referuntur: nec gratiæ cujuscunque ordinis etiam gratis datæ cuicunque concedantur, nisi per Mariam. Tu etiam ô Virgo (*ait S. Joseph Confess.*) 11. *Februar.* cœlestium, atque terrestrium Emundatio longè mundissima extitisti: per partum enim tuum primigeniâ planè munditiâ mundum emundas, unaque Angelorum benè ordinatam munditiem, in tua persona longè mundiorem efficis, ô mundi totius Servatrix! *Idiota contempt. de B. Virg. cap. 1.* Te Virgo Deus dedit Angelis in Instaurationem: hominibus, & nostræ naturæ in Reparationem, inferiori creaturæ in liberationem: sibi in Matrem, dæmonibus in hostem, detentis in limbo Ereptionem. *Bernardin. tom. 1. conc. 61. art. 1. cap. 6.* Tot creaturæ serviunt gloriosæ Virgini Mariæ, quot serviunt Trinitati, sive spirituales ut Angeli, sive rationales ut homines, sive corporales ut cœli, & elementa: omnia hæc sunt Divino imperio subjugata, & glorioſæ Virgini subjecta, imò & ille qui Filius Dei est, Virgini benedictæ Matri famulabatur. *Richard. à S. Laur. lib 8.* Maria Centrum mundi, quia ex omni parte mundi omnes habent ad eam recurrere in omnibus suis necessitatibus, sicut omnes lineæ circumferentiæ recurrunt ad centrum. Ubi *Vulgata nostra* legit,

legit Prov. 8. Fundatur exultatione universæ terræ. *Cajet. legit*: Pulchra Sponsa lætificans totam terram. *Hugo Card. super Magnific.* Ad illam respiciunt, & cui habitant in inferno, id est purgatorio, & qui habitant in mundo, primi ut resarciantur, secundi ut eripiantur, tertij ut reconcilientur.

Quomodò omnes Prophetæ & miracula veteris legis & figuræ, & vitæ, eam respexerunt, breviter colligit *Joan. Geometra.* Illa te omnia præfigurârunt, atque omnes hisce te nominibus compellant: Mare divisum, atque iterum confluens, Portam perviam simul & clausam, Fornacem irroratam simul & accensam, Rubum ardentem, sed non combustum, Nubem in die simul & recti itineris nuntiam; Columnam ignis, non creatum tantùm, ut arbitror ignem circumferentem, verùm etiam Divinum novumque populum contra spiritualem Pharaonem munientem, Petram melle, id est, verbo fluentem, Virgam, flores, id est suavem odorem, ac gloriam gentis proferentem, Terram semper sui similem, quæ & plena reperta sit Divinis alimentis, & manna panem inultum proferat, & arationis expers existat, Arcam nunquam quiescentem, Hortum refugij, Facem inextinctam, Templum inaccessum, Montem insecabilem, densum virtutibus & umbrosum, Tabulam à Deo conscriptam, Urnam Deum continentem, Mensam in qua est Panis vitæ, Thalamum in quo Potentissimus quievit, Scalam per quam descendit quidem Deus, sed ascendit homo, quæ à terra quidem incipit, sed ad cœlum pertingit. Tanta de te ô Virgo imò plura adhuc miracula, vel potiùs figuræ miraculorum. *Jsid. orat. de Annunt.* Propter Mariam initio creatus est homo, & extensum cœlum, & terra, & quidquid productum est, propter hominem. *Et orat. de Assumpt.* Propter te Dominus, ô Purissima, cœlum produxit, terram fundavit. *S. Antoninus p. 4. tit. 15. cap. 44. parag. 2.* Ipsa sola omnes inferiores reduxit tanquam Mediatrix reconciliationis, & Adjutrix redemptionis, & Angelorum numerum restauravit, & subvenit ruinæ ante conspectum Domini, ut dicitur in figura de S. Judith *cap.* 13. & hominem lapsum revocavit ad superos. *S. Bonav. in spec. Virg. cap.* 7. O Fœmina plena & superplena gratiâ. Ait *Anselmus.* Solum loquor Domina, tuis beneficijs plenum esse mundum, inferna penetrârunt, cœlos superârunt: per plenitudinem enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erant se lætantur liberata, & quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata. *Albert Mag. in Biblia Mar. ex Joanne.* Beatissima Domina *secundum Evangelium Joannis* dicitur Mater restitutionis omnium. *Joan.* 1. dicitur de ejus Filio: Omnia per ipsum facta sunt. Sic dicitur de ipsâ: Omnia per ipsam facta sunt, ut dicit *Anselmus. Idem lib. de excell. Virg.* Meritò in te Virgo respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, &

per te, & de te, benigna manus omnipotentis quidquid creaverat, recreavit. *B. Damian. ferm. de Annunt.* De thesauro Divinitatis Mariæ nomen evolvitur, & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa, totum esse faciendum decernitur. *Richard. à S. Laur. lib. 4. de excell. Virg.* Maria conspicua est bonitate, diserta sapientiâ, tremenda cunctis viventibus potestate, genere illustris, formâ desiderabilis, immensitate incomprehensibilis, æternitate indeficiens, cujus imperium attingit à mari usque ad mare, quæ etiam ex dono Filij sui attingit à fine, usque ad finem fortiter, & omnia cum eo disponit suaviter. *S. Andr. Cret. Orat. de Assumpt.* Sola præter naturam, ad naturam renovandam eligitur, sola servivit Opifici universæ naturæ. *Laur. Justin. de casto connubio.* Maria est Renovatio eorum, quæ erant inveterata. *Idiota cap. 4.* Deus ad hoc te fecit Virgo, ut quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur. *Sophron. epist. de Assumpt.* Instaurantur à Virgine omnia, quæ venerantur, & adorant super se Christum Regem Dominum natum ex eadem Virgine.

Bernardin. tom. 2. serm. 48. Vide quantæ potestatis desiderium fuerat apud Deum, quia quidquid per plurima fiat, (*ita hic Sanctus loquitur,*) à Domino factum est ipso dicente Genes. 1. *Fiat lux &c.* nunc in B. Virg. unico verbo fiat, redditur reformatum. *Idiota lib. de Virg. M. cap. 1.* Ædificavit Deus te ô Maria Angelis Reginam, hominibus Medicinam, creaturæ inferiori Libertatem. *S. Germ. orat. de Nativit. Virg.* ita nascentem salutat. Salve legis, atque gratiæ Mediatrix, veteris & novi testamenti Sigillum, totius Prophetiæ clarissimum Supplementum; Summa Divinitùs inspiratæ Veritas scripturæ, Summa Divinorum arcanorum. Ingredere huc Plenitudo meæ Prophetiæ. (*loquitur ibid. S. zacharias*) huc ades Perfectio Divinarum ordinationum, huc ades Signaculum testamenti ipsius, huc ades Finis ipsius consiliorum, huc ades Declaratio ipsius sacramentorum; huc ades Speculum omnium Prophetarum, huc ades Collectrix malè consonantium, huc ades Conjunctrix jam olim disjunctorum, huc ades Renovatio rerum antiquarum. *S. Antonin. summæ tit. 15. c. 14. parag. 14. pag. 4.* Sicut B. Maria Mater est Christi, ita & invocationis, & creaturarum innovatarum Mater meritò dici potest. Prioritate etiam dicitur Mater, prioritate scilicet prædestinationis: ipsa enim ante sæcula prædestinata est, ut esset Principium ex quo recreandum esset omne creatum. Et sic de ea dicitur Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, id est in principio operum suorum, ut sim prima omnium creaturarum suarum, quæ purè creaturæ sunt. Et v. 30. *Cum eo eram cuncta componens*, scilicet recreando, quæ per culpam quasi destructa erant. *B. Petrus Damian. ferm. 11. de Annunt.* Evocatur statim

statim ille cœlestis conventus, & *juxta prophetam Isai.16. v.3.* init Deus consilium, cogit concilium, facit sermonem cum Angelis de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione, ac illis stupentibus & mirantibus præ gaudio de modo redemptionis, & statim de thesauro Virginitatis Mariæ nomen evolvitur, & per ipsam, & in ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine illo nihil est factum, ita sine illa nihil refectum sit. *Anselmus alloq. coel. 27.* Hæc est inquit Fœmina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediantur, homines salvantur, Angeli redintegrantur, fœmina plena & superplena gratiâ, de cujus plenitudinis exundantia respersa revirescit omnis creatura. *Laur. Justinian. Patr. Venetus in Annunt. B. V.* Maria effecta est Mater Dei, paradisi Scala, cœli Janua, Interventrix mundi, dœmonum Fuga, peccatorum Spes, naufragorum Portus, Maris Stella, Confugium periclitantium, Solamen laborantium, fluctuantium Robur, Dei & hominum verissima Mediatrix.

XI. Beatam dicunt Mariam ipsi damnati; quia est illorum Refrigerium.

Receptum est apud Theologos quod S. *Thom. 1. p. q. 71. artic. 4. ad 1.* docet etiam in damnatione reproborum intermicare misericordiam Dei, undè cùm reprobi infra condignum puniantur asserit *Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus in Psal. 86. cap. 32.* hoc sæpè fieri ob preces B. Virginis. Quantitas pœnæ damnatorum ex Dei misericordia, & ex intercessionibus Beatæ Mariæ Virginis citra condignum taxatur. De die Assumptionis *Sanctus Odilo Abbas Cluniacensis* habet sequentia. Dicam aliquid plùs si audeo, dicam fideli præsumptione, dicam piâ temeritate: Totus mundus hodie condignâ jubilatione lætatur, & gaudet, tartarus tantummodò ululat, fremit, & submurmurat, quoniam gaudium, & lætitia hujus diei claustris infernalibus inclusis aliquod remedium & refrigerium præstat: non audent ut opinor ministri tartarei hodiè suos attingere captivos, quos recolunt redemptos illius sanguine, qui pro mundi salute dignatus est nasci de Virgine, & in hoc gratiam facit damnandis, nè dum vivant, diutiùs vivant, & peccata cumulent acriùs vindicanda in inferno. S. *Brigitta revel. extravag. cap. 89.* Illis qui non obtinent pœnitentiam abbreviabit gladius meus: (*ait Virgo*) aliquam pœnam corporalem ante mortem nè diabolus plenam potestatem habeat supra corpus, dum in mundo vixerit, sicut habet potestatem in inferno. *Et paulo post.* Vellet

diabolus ut homo habens potestatem peccandi quamdiu vixerit, diù viveret, ut post mortem magis doleret: & ideò gratia mea dirumpit laqueum quem vides, id est abbreviat vitam carnis miseræ, contra voluntatem diaboli, nè fiat dolor et judicio justitiæ ita horribilis, ut desiderat inimicus.

12. Beatam dicunt dœmones; quia illorum est Triumphatrix.

Ipse qui olim ex Epidauro Achajæ Æsculapij nomine Romam pervenit draco, ad Ragusium urbem ex oriente veniens, in monte consedit, non plùs duodecim millibus passuum ab urbe anno 789. strages ingens secuta hominum: nam bestia ijs neque integris, sed particulâ eorum certâ pascebatur, ideoque plures requirebat in unum demensum nec alium dignabatur cibum, Ragulium fere exhaustum hominibus, à monstro tota Dalmatia afflicta; statuerunt tandem terras deserere, & ecce ex oriente anno 502. Eremita quidam veniens, is in Breno cellulam lignis & vimine confecit, sex ab urbe passuum millibus, mirati accolæ audaciam, monent periculi, ille econtra jubet renuntiari Ragusianis se eum esse, qui velit monstrum, positque interficere: in re difficili majestas viri faciebat authoritatem: rogatur quis sit, ait se esse Hilarionem ab ultimo oriente à Christo in auxilium urbi afflictæ missum, si modò fecerint quæ ipse suaserit, Pollicentur. Tum senex è surculo parat crucem, hanc cum populo adorat, misericordiam Dei orat, Dominicam Orationem, & Angelicam Salutationem recitat: deindè cruce sumptâ & baculo cum nautis quatuor ad ipsum cubile bestiæ properat, bestiæ imperat nomine Christi, sine noxa egrederetur, sequitur draco, cum cingulo religat, ad navim ducit, quâ ipse conscensâ draconem per aquas trahit, & in cellam suam deducit, & igne subjecto concremat. Tum concionem alloquitur senex: hunc draconem esse unum ex spiritibus à quo sciant ope Deiparæ se liberatos, fidem etiam docuit cives à cujus puritate deflexerant. Cives gratiædem Divæ Virgini exstruunt, imaginem in ea ejusdem locant, quæ deindè miraculis coruscat, appellaturque in Breno. *Ita Atlas Marianus lib. 2. fol. 120.* Meritò *Ecclesia Græca in Men. 5. Martij* Virginem salutat: Extirpatrix diabolorum, salve ô Gladio utrinque acute! hostis nostri caput abscindens. Idcircò quod Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum* scriptum est. Mirabiliter virtutem etiam in reliquas fœminas in symbolum istius propagatam docet *Rupertus 3. de Trinit. cap. 20.* Si nuda mulieris planta dentem serpentis prævenerit, & vivacissimum caput ejus, vel leviter præsenserit, statim

statim totum corpus cum capite interit repentè, ita ut nullus omninò motus, nullus sensus in aliqua parte residuus sit.

In revelationibus S. Brigittæ postquàm Angelus explicuisset Angelorum promptitudinem ad obsequia B. Virginis adjecit. Super omnes etiam malignos spiritus, ipsam sic potentem Deus effecit, quòd quotiescunque ipsi aliquem hominem Virginis auxilium ex charitate implorantē oppugnaverint, ad ipsius Virginis nutum illicò pavidi diffugiunt, volentes potiùs pœnas suas, & miserias sibi multiplicari, quàm ejusdem Virginis potentiam taliter super se dominari. Refert *ex Vincent. Bellovac. lib. 7. c. 104. in pijs Hilarius Angelinus Gazæus* de quodam pictore in Belgio qui dæmones solitus erat teterrimè depingere: invitatus erat ut supra cujusdam templi portam in muro pingeret B. Virginem calcantem draconem infernalem: pinxit omni quâ potuit arte, exquisitissimâ formâ Virginem cum Sanctissimo Infante: venerat jam ad pingendum draconem, & jam prima lineamenta duxerat: noctu per somnum dœmon illi comparuit, monendo ut abstineret circa se in pingendo veteri suo odio, malè id cessurum. Contempsit pictor minas, ad laborem redijt, ac ubi theatrum conscendit, mox ingens turbo exoritur, qui eum cum theatro rapit, ut in sublime raptum humi affigat: Pictor pauculis opem Virginis in hoc periculo subito, ac veloci implorat: porrexit ex imagine manum Virgo, ac tam diu tenuit sublimem, donec populus accurrens scalas subjecisset, per quas incolumis pictor descendit. S. *Bonavent. ex Bern. tom. 6. in spec. B. Virginis lect. 3.* Non sic timent hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum. Fluunt sicut cera à facie ignis ubicunque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, sollicitam imitationem. *Ludolfus de Saxon. in vita Christi parte 1. c. 5. ex Bern.* Ubi nomen Mariæ nominatur, ibi dœmonium effugitur. *Alanus de Rupe lib. de Psalt. p. 2. c. 7.* ait sibi revelatum. Hæc nomina JEsus, & Maria duæ sunt fornaces charitatis, quibus torquentur & distorquentur dœmones. Sed adhuc vivente Virgine non dissimilis roboris nomen ejus fuit. *Pelbartus. lib. 7. Stellarij p. 3. a. 3.* postquàm probâsset B. Virginem accepisse Spiritum S. & donum linguarum, docet *ex S. Germ.* quòd ipsa adeò claruit in vita miraculis, ut innumeros ægros, & debiles curaverit, & dœmones ab obsessis effugaverit, qui audito ejus nomine solo, mox exiverunt, & ad ejus intuitum horridè clamabant, quòd ipsi ferre vultum Matris Dei non valerent. *Idem refert* (ut obiter attingam) tres mortuos à S. Virgine adhuc vivente redditos vitæ. *Et alia plura:* Maria enim interpretatur Mare amarum, de quo *Bonavent. spec. cap. 1.* Maria Mare est gratiâ affluendo,

amarum verò, diabolum submergendo, quemadmodum mare rubrum amarum fuit Ægyptijs in ipso submersis, ô quam amarũ & timendum est hoc mare Ægyptijs! ô quàm amara, & metuenda est dœmonibus.

Anno 1320. Joanne XXII. Papa die 28. Maij refert *Kircher. lib. 3. Hetruriæ* adeò fœda exorta cum fulminibus, & procellis tempestas, ut ædificia Viterbi civitatis passim ruerẽt, dœmones etiam specie corvorum, vulturum, ac vespertilionum volitarent, & stridoribus omnes terrerent, & quia tam contonato rerum statu non aliud remedium, quàm Divinum superesse crediderunt indigenæ, ad Beatam Virginem confugerunt, nec spe frustrati: nam intra lucidum cœli spatium, Maria mũdi Gaudium, Filium exulnis gestans, se miseris ostendit, & monuit, si à furijs infernalibus liberi esse vellent, in sua Urbe SS. Trinitatis adirent templum, ubi in pervetusto sacello quodam S. Annæ Matri suæ dedicato imaginem suam inventuri essent, coram qua orarent, certi de miseratione Divina. Quod dum feciſſent, ad fontem non procul à civitate disitum Bullicamum dicitur ille funestarum avium exercitus statim avolavit, & cum ingenti ejulatu intra eum se demersit, & sic patuit Mare rubrum, sic Maria dœmonibus. Hæc est Cythara Davidis quâ cùm coram obsesso à dœmone Saule 1. *Reg.* 16. canebat, melius habebat Saul & recedebat ab eo spiritus malus. Hinc *Bonavent. spec. c.* 27. sic orat: Compesce dœmones nè nobis noceant, præcipe Angelis ut nos custodiant, reges illos in virga ferrea, esto Virga aurea perfectis, Virga ferrea duris, Virga ferrea & dura dœmonibus, & arceas eos à nobis, nè virtutum nostrarum cursum, & obsequium erga te impediant.

CAP.

CAPUT XI.

Beatam dicunt Virginem omnes generationes ob ejus multiplicem excellentiam.

1. QVIA EST MARIA.

TEste *S. Epiph. hæres:* 78. ex ipsis nominibus etiam virtutis signa elucent. Maria verò est Mare gratiarum, honorum, excellentiarum. De quo *S. Germ. Patr. orat. in Deipar.* Si palmo terram metiri possumus, si funiculo mare, si cubitis cœlum, si copiam stellarum numerare possumus, si pluviarum guttas, si glebas telluris, si demùm arenam comprehendere, comprehendetur fortè & præsens nostræ orationis argumentum, MARIA. Accedit huic *B. Alanus lib. de Psalterio cap.* 70. Auscultet sancti tui nominis amator ô Maria! cœlum gaudet, omnis terra stupet cùm dico: Ave Maria. Sathan fugit, infernus contremiscit, cùm dico Ave Maria. Mundus vilescit, cùm dico Ave Maria. Cor in amore liquescit, terror evanescit, caro marcescit, cùm dico Ave Maria. Crescit devotio, oritur compunctio, cùm dico Ave Maria. Recreatur animus, & in bono confortatur æger affectus cùm dico Ave Maria. *Maria* interpretatur idem quod *Maris Stella. S. Epiphan: hæres:* 78. Beata Maria non fortuitò, aut solùm placitò, ut quidam putant, sed Divinâ dispensatione nomen accepit; ita ut ipsa quoque vocabuli sui figura magnum quiddam inveniret: interpretatur enim *Stella maris*, ut aspectu ejus, dirigere cursum possint, & destinatum portum apprehendere: simili modo fratres oportet universos Christicolas inter fluctus hujus sæculi confugere ad Mariam, quæ superno rerum cardini, Deo proxima est, & ex aspectu exempli ejus cursum dirigere.

Aliam expositionem hujus nominis sancti affert *S. Hieron. lib. de nominibus Hebræis.* Mariam plerique existimant interpretari: Illuminant me isti, vel Illuminatrix, vel Smyrna maris, sed melius est eam sonare *Stellam maris*, sivè amarum Mare, sciendumque quòd Maria sermone Syro Domina nuncupatur. Certè est

mortis

mortis ipsius Domina. *Chrysol. serm.* 64. Martha mittitur ad Mariam (de excitando Lazaro) quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat Materni nominis bajula, ut videat homo CHristum Virginalis uteri habitâsse secretum, quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de sepulchris. Eccè quomodo Illuminatrix & Domina mortuorum. Hinc collige quàm sit vitale nomen Maria, sine quo nec mortuũ ad vitam Christus revocare voluit. Qui nomen Mariæ explicant variè intelligunt illud, quorum sensa colligit *Albertus M. in Luc.* 1. Mariæ nomen interpretatur Illuminatrix, Stella, amarum Mare, & Syrâ linguâ Maria interpretatur Domina; Illuminatrix quidem, quia illuminat in dubijs, Stella poli, quia ducit in devijs, amarum Mare, quia compungit in illecebris, Domina autem quia protegit in adversis. *Et S. Bonavent. in idem Luc.* 1. Ideo nominant Mariam, ut insinuent nomen ejus mysterio plenum, secundùm triplicem interpretationem, per quam triplicem statum intelligimus salvandorum. Activos per Mare amarum; Contemplativos per Stellam, Prælatos per Dominium. *S. Epiph.* Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam Spem. *Rutilio Benzono lib.* 2. *super Magnificat cap.* 22. *dub.* 6. idem significat Maria quod Dei Imitatrix. *S. Ambr. lib. de instit Virg. cap.* 5. idem quod Deus ex genere meo. Tot interpretationum causam dat *Bernardin. tom.* 3. *tract. de Beata Virgine serm.* 1. Neque immeritò non unam tantùm habet nominis interpretationem, nullum enim puto unum nomen Virginis gloriam posse enuntiare, sicut ipsum Deum, ipsum non uno tantùm nomine nuntiamus, sed multis, ut sic ejus incomprehensibilitatem enuntiemus. *Richard. à S. Laur. lib.* 1. *cap.* 2. Nomine profert Virginitatem, acsi idem quod Virgo sonaret Maria. *Et adjicit.* O magna! ô pia! ô multùm amabilis Virgo Maria! Tu nè nominari quidem potes, quin accendas, nec cogitari, quin recrees diligentium te animos. *Idiota cap.* 7. Tanta est virtus tui sanctissimi nominis ô semper benedicta Virgo Maria, quòd mirabiliter emollit, & penetrat duritiam cordis humani. Ideo scribitur: Lucerna Domini, Spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta mentis, sic etiam dicere possumus, Lucerna Dominæ, id est Mariæ, quæ Doctrix & Magistra maris interpretatur, Spiraculum hominis, quia peccator per te respirat in spe veniæ, & gratiæ, quæ investigat, id est investigare facit, omnia secreta mentis, id est abscondita cordis. *Abbas Absalon serm.* 31. Maria idem est ac Stella peccatoris. *Albertus M.* cùm dat causam quare Gabriel non salutet Virginem nomine proprio *Luc.* 1. respondet, Omittit Angelus interponere nomen Mariæ, quia in aliud tempus memmandum servavit, postquàm gratiæ ejus fuerint explanatæ, sine quibus tam

plenæ

plenæ significationis nomen non intelligeretur. Item quare *Lucas cap.7.* dum adhuc esset peccatrix Magdalena, non vocat Mariam, sed mulierem. *Richard. lib.1. cap.2.* Nomini Mariæ sanctitas inseparabiliter est adjuncta, quòd cùm agit *B. Lucas cap.7.* de pœnitentia Magdalenæ, propter hujus nominis reverentiam non fuit ausus Mariam, sed mulierem nominare.

Undè verò ortum traxit hoc nomen, docet *Petrus Damian. serm. de Annunc.* De Divinitatis thesauro Mariæ nomen evolvitur. Et quidem ut *Germ. orat. in hypap.* Hoc nomen Divinis benedictionibus, & gratijs omni ex parte refertum. *Richard. lib.1. cap.2.* Efficaciã istius nominis Salomon videtur innuere dicens Eccl.7. *Melius est nomen bonum, quam pretiosa unguenta.* Mariæ siquidem nomen dolori peccatorum meliùs medetur, quàm unguenta. Peccator es? ad nomen Mariæ confugias, ipsum solum sufficit ad medendum, nulla enim pestis tam efficax, nulla sic hæret, quæ ad nomen Mariæ non cedat continuò. *Bonav. in Psalt.* Gloriosum, & admirabile nomen est tuum, qui illud retinent, non expavescunt in puncto mortis. *Richard. lib.1. cap. 2.* Tristatur aliquis continuò ad nomen Mariæ cedit nubilum, serenum redit. *Idem ibid.* Rectè nomen Mariæ oleo comparatur, (*à Salomone cantic.1.*) quia super omnia Sanctorum nomina post nomen Filij reficit lassos, sanat languidos, penetrat duros, recreat f..los, ungit agonistas, putrefacit jugum diaboli, supernatat omni nomini, sicut oleum omni liquori. *Idiota cap.5.* Tantæ virtutis & excellentiæ est tuum sanctissimum nomen Beatissima Virgo, quod ad invocationem ejus cœlum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, dœmones contremiscunt, & infernus conturbatur. *S. Ephrem de laud. Virg.* Nomen Mariæ portarum paradisi Reseramentum.

Richard. à S. Laur. lib.2. cap.2. Devota invocatio & recordatio nominis hujus, ducit ad virorem gratiæ in præsenti & ad virorem cœlestium in futuro. *Chrysolog. hom.146.* Nomen hoc Prophetiæ germanum est, hoc renascentibus Salutare, hoc Virginitatis Insigne, hoc pudicitiæ Decus, hoc Indicium castitatis, hoc Dei Sacrificium, hoc hospitalitatis Virtus, hoc Collegium Sanctitatis. *Accedat supra allegato Richardo devotus Alanus super 1. Cant.* Eleganter fama & gloria nominis ejus oleo effuso comparatur, oleum resurgentem reficit, ægrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit: sic & in laude Virginis reficimur &c. Jam verò si nomina cætera Spiritûs S. instinctu imposita rei consonabant, hinc Eva dicta quod significat Matrem viventium, *Abel* quòd idem ac hominem possedi per Deum, *Seth* idem est, ac posuit mihi Deus semen aliud pro Abel occiso à fratre, *Noe*: quia iste nos consolabitur ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus, *Isaac* quia vetulæ matri

obtigit, sic dictus, quod sonat: Risum mihi facit Dominus. *Moyses* filium vocavit Gersom, quia advena fuit in terra aliena. *Joseph* Manassen, quia oblivisci eum fecit Dominus omnium laborum suorum. *Ephraim* dedit idem Joseph nomen alteri, quia crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. *Samuel* &c. à Deo impetratus. Beatissima nostra ut *Ambros. serm. de Nativ. Virginis. & Bernard. super Missus, & Anselmus lib. de Concept. Virg. cap. 2.* ajunt: Nomen hoc à SS. Trinitate de cœlo delapsum, & per Gabrielem Angelum parentibus prænuntiatum accepit. Quomodo non ea verè dicit quæ significat? significat verò præter supra adducta ut *Epiphanius* docet: Spem. Ut *Episcopus Rutilius lib. 2. super Magnif. c. 22. dab.* idem quod Imitatrix Dei, vel Deus de conceptu sive de partu meo, vel de monte vel de altitudine Dei. Sed neque prætereamus ordinem quo Deus venerit ad hoc nomen, & hoc per interpretationem primi capitis Matthæi assequemur. *Abraham* idem est ac Pater multarum gentium. *Isaac*, Gaudium, *Jacob* Supplantator, *Judas* Confessio, *Phares*, Divisio, *Zara*, Oriens, *Esron*, Sagittam videns, *Thamar*, Palma, *Aram*, Electus, *Aminadab*, Populus spontaneus, *Naason*, Augur fortis, *Salmon* Terribilis, *Booz*, in ipso Fortitudo, *Rahab*, Lata, *Obed*, Serviens, *Ruth*, Festinans, *Jesse* Incendium, *David*, Manu fortis, vel Desiderabilis, *Salomon*, Pacificus, *Urias*, Lux mea Deus, *Bersabee* Filia juramenti, *Roboam*, Latitudo populi, *Abia*, Pater Dominus, *Asa*, Tollens, *Josaphat*, Dominus judicavit, *Joram*, Excelsus, *Ozias*, Robustus Domini, *Jonathan*, Perfectus, *Achaz*, Apprehendens, *Ezechias*, Fortitudo Domini, *Salathiel*, Petitio mea Deus, *zorobabel*, iste Magister, *Abiud*, Pater meus iste, *Eliacim*, Dei resurrectio, *Azor*, Adjutus, *Sadoch*, Justus, *Achim*, Frater meus, *Eliud*, Deus meus, *Eleazar*, Deus adjutor, *Mathan*, Donum, *Iacob*, Supplantator, *Ioseph*, Appositus sive auctus. In his nominibus juxta suam seriem videtur causa & mysterium Incarnationis insinuari, & eo delineato ad nomen Virginis progressus fiet. *Pater multarum gentium* Adam fuit, qui *gaudio* pomi dati à *supplantatore* lapsus, *confessionem* à se *divisit*, ipse *oriens* statim post creationem suam, & factus est *videns sagittam* mortis seu Euphratem fluvium, qui significat sagittam, ad vicinia ejus è paradiso ejectus, & crevit ærumnis pressus, ut *palma*, & est *electus*, & natus est ex eo Cain *populus spontaneus*, seu suæ voluntatis & *augur fortis*, ex quo orti augures & idololatræ qui auxerunt peccata facti alijs *terribiles*, & ob artem bellandi *in ipsa* erat *fortitudo*, & fuit via eorum *lata*: Cain verò ipse *festinans* sine devotione obtulerat sacrificium, & non ritè fecit illius *incendium* in *manu forti* Abelem *pacificum* occidit, cujus *lux erat Deus*: nihilominus Deus *juravit* daturum se Melsiam toti *latitudini populi*, & factus est hominum *Pater Dominus*, *tollens* Filium suum, & *justificans*

cavit mori eum qui erat *excelsus & robustus Domini* atque *perfectus*. Hic *apprehendit* crucem, & mortuus est cùm esset *Fortitudo Domini*, & *petivit Deum*, & factus est hominum *iste Magister*, *& Pater meus ipse* tum *resurrexit adjutus* à Deo, apud quem inventus in persolvendo pro peccatis nostris *justus*,& *Frater* hominũ,& *Deus meus*, & *Deus adjutor*, qui dedit *dona* hominibus, & dœmonis factus *Supplantator*,& *auctus* est, populos quos dedit illi Pater, & cum illis *appositus* est Patri ut inter eos primogenitus. Ita factâ utcunque mysterij hujus descriptione mysticâ, venitur ad nomen Mariæ, in qua tandem hoc mysterium complendum erat, cùm eâ natus esset Jesus qui vocatur Christus, seu Messias. S. *Antonimus* 4. *p*. *c*. 6. tit. 16. ex nominibus genealogiæ B. Virginis triplicem colligit fluvium gratiarum Virginis, cujus verba sub compendio referimus. Primò ponuntur conditiones gratiosæ Parentum Virginis, ex interpretatione nominum in Patriarchis ab Abraham usque ad David. 1. est Abraham & hic notatur rectitudo fidei,& interpretatur Pater multarum Gentium, per justitiam fidei. 2. Isaac, in quo significatur irreprehensibilitas: nam nomen ejus explicatur Risus, magnum enim gaudium exsurgit in mente, ex quo quis irreprehensibiliter vivit. 3. Jacob, qui dicitur Supplantator,& in eo notatur observantia mandatorum Dei, opus enim supplantare & vincere sensualitatem ad observanda Dei mandata. 4. est Confessio id est Juda: confiteri enim oportet peccata sua, & Divinas laudes, sic Joachim & Anna fecerunt. 5. est Distributio, id est Phares, ut dividat bona sua pauperibus. 6. est Votum: nam Esron interpretatur Sagitta, quia ut sagitta velociter ascendit ad Deum quasi feriendum, ad amorem dandi quid sub voto petendi, vel gratiam concedendi ob voti oblationem. 7. est opprobriorum tolerantia, Aaram enim id est quod Excelsus, opprobria enim tolerata faciunt hominem excelsum coram Deo. 8. libenter adversa sustinere, id est Aminadab, interpretatur Voluntarium. 9. consolationẽ in afflictione, siquidem Naason idem est quod Augurium, id est promissio bonorum. 10. quasi quædam certificatio Divinæ promissionis, nam certificat nos Deus de suis promissis, quando adversa patienter sustinemus: nam Salmon interpretatur Habitaculum, quia Deus inhabitat tales. 11. Booz, quod est Fortis, fuit enim amor mutuus Anna & Joachim. 12. Reverentia erga superiores, Obed, interpretatur Servitus. 13. Gratiarum actio: nam Jesse idem est, ac Incensum, est enim oratio & gratiarum actio quoddam incensum coram Deo: ita fecerunt Parentes Beatæ Virginis.

In secunda parte notantur quindecim perfectiones gratiæ, quæ fuerant in ipsa Virgine. 1. sanctificatio, quæ notatur per David, Pulcher Domini. 2. Nativitas

hanc notat Salomon qui interpretatur, Pacificans merces, quia B. Virginis Nativitas lætificavit Angelos dolentes de perditione hominum. 3. Præsentatio, qua præsentatur non clauda turpis; indignum enim est dare Deo quod dedignatur homo ait B. Hieron. Hoc signatur in Roboam, qui interpretatur Latitudo populi, quia Virgo in templo fuit dilatata in virtutum populo. 4. Sancta conversatio, & significatur in Abia, qui interpretatur ipse Dominus. 5. Visitatio frequens Angelorum, quod innuitur in Asa, quod interpretatur Attollens se, scilicet in Deum: nam Virgo dum oraret in templo, visitabatur ab Angelis. 6. Cura salutis aliorum, nam alias in templo existens, ad bonum ducebat, & sic in ea regnabat Josaphat, quod interpretatur Judicans; quia ipsa judicans ac discernens à nemine potuit reprehendi. 7. Propositum Virginitatis, & sic fuit Joram spiritualiter, qui interpretatur Excelsus, quia Virginitas facit homines similes Angelis. 8. Firmitas in bono proposito, quod notatur in Ozia, qui interpretatur Robustus. 9. Continuus profectus in virtutibus, & hoc est Joathan, qui interpretatur Perfectus. 10. Inquisitio circa dubia, ex qua declaratur quid sit agendum, nè incauta agendo exponat se periculis; hic est Achaz, qui interpretatur Comprehendens, quia ex inquisitione comprehenditur veritas rei. 11. Divinum oraculum seu Inspiratio, nam cùm res nobis nequeunt declarare homines, recurrendum est nobis ad Deum, quod innuitur in Ezechia, qui interpretatur Auxilium Dei. 12. Oblivio mundanorum, ut scilicet in agendis non habeamus respectus ad aliquid mundanum, sed Dei beneplacitum, & hic est Manasses, qui interpretatur Oblivionis. 13. Fidelitas ad Deum: debet enim quis Deo fideliter subjici in his, quæ exigit ab eo, quantumvis ad illa videatur ineptus, & hic est Amon, quod interpretatur Fidelis, & ita Virgo recepit matrimonium. 14. Desponsatio facta inter Mariam & Joseph, castissima, & hoc significatur in Josia, qui interpretatur Salus Domini, quia per illam desponsationem salvatus est honor Domini, & salvata fuit fama Virginis, & vita, nè putaretur esse fornicaria & lapidaretur. 15. Est præparatio ad Filium Dei concipiendum, quæ fuit per profundam humilitatem, quod innuitur in Joachim, qui interpretatur Præparatio.

Quantum ad tertium principale, notantur quatuordecim perfectiones gratiæ, quibus B. Maria subvenit hominibus in diversis statibus constitutis, est enim quadruplex status hominum. Primus est Religiosorum, quibus sunt tres gratiæ necessariæ ad salutem eorum, & ad eas habendas & conservandas B. Maria suis exemplis, meritis ac precibus juvat. 1. Voluntaria Paupertas, hoc significatur per Jechoniam, qui interpretatur Præparatio, quia paupertas præparat hominem ad per-

perfectionem. 2. Castitas quæ figuratur in Salathiel, hic interpretatur, Petitio mea, hoc enim petit Deus à Religiosis, ut sint casti. 3. Regularis disciplina, per quam coercetur sensualitas, per jejunia, vigilias, silentia &c. & hæc est Zorobabel, quod interpretatur Magister confusionis, quia disciplina corrigit ea quæ confusione digna, undè multis Religiosis Maria apparuit eos in Religione cõfortans. Secundo status est Prælatorum, ad quorum debitum officium pertinent quatuor status gratiæ. 1. Paterna sollicitudo erga subditos, & hic dicitur Abiud, quod interpretatur Pater meus iste. 2. Doctrina excitans pigros ad operandum, & hæc est Eliachim; per doctrinam enim resuscitantur mortui peccatores ad vitam gratiæ, & evigilant ad operandum. 3. Scientia consulens imperitis, hic est Azor, qui interpretatur, Videns lumen. 4. Sanctitas vitæ, hic est Sadoch, qui interpretatur Justus. Tertius status est activorum, ad quorum bonam actionem pertinent quatuor gratiæ, ad quas B. Maria adjuvat. 1. Demonstratio dilectionis ad proximum, quod est Achim, quod interpretatur, Frater meus. 2. Dulcis amor ad Deum, quod est Eliud, id est Deus meus. 3. Fiducia Dei in adversis, & hic est Eleazar, quod interpretatur Deus adjutor ejus, qui confidit in Deo. 4. Conservatio humilitatis in prosperis, & hic est Nathan, quod interpretatur Donum, quia nihil sibi attribuit boni, sed omnia in Deo recognoscit. Quartus status est perseverantium. Perseverantia consistit in supplantatione & superatione vitiorum: Nathan enim genuit Jacob, qui interpretatur Supplantator. Secundum est in augmentatione virtutum, & hic est Joseph, qui interpretatur Augmentum. Tertium, constantia in his quæ sunt fidei, quod significatur in hoc, quòd Joseph est Vir Mariæ, in qua terminatur genealogia Domini, & interpretatur Illuminatrix, quia profert lumen veritatis cæcis, mala vitiorum pellit, poscit cunctarum nobis virtutum bona. In omni igitur statu adjuvat ad se recurrentes, & subvenit. *In me* ergo ait *omnis gratia vitæ & veritatis.* Maria Illuminatrix, sive Stella maris. Hi sunt gradus Scalæ Iacob. Innuit hoc *August. lib. 22. contra Faustum cap. 64.* Salvatorem nostrum non solùm loquendo, sed nascendo Magistrum extitisse, id ille in diverso quidem argumento, sed multùm ad nostrum propositum. *Venantius Fortunatus lib. 8. Poëmatum.* Nomen honoratum Benedicta Maria per ævum, ad laudem artificis nobilis artis opus. *Beda hom. in Annunt. B. Virg.* Beata Dei Genitrix meritis proprijs, etiam nomine testimonium reddidit. Interpretatur enim Stella maris, & ipsa quasi Sidus eximium inter fluctus sæculi labentis, gratiâ privilegij specialis refulsit. *Bonavent. in spec. lect. 3.* Maria dicitur Mare propter affluentiam, & copiam gratiarum: undè scriptum est in Ecclesiaste. 1. v. 7. *Omnia flumina intrant*

in mare, flumina sunt charismata Spiritûs S. Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam. Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Patriarcharum, & Prophetarum, intrat in Mariam, & flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Confessorum intrat in Mariam, flumẽ gratiæ Virginum intrat in Mariam: Omnia flumina intrant in mare, id est omnes gratiæ intrant in Mariam. Undè ipsa optimè potest dicere illud Eccles. 24. & 25. *In me omnis gratia viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Bernard. serm. 1. de Nativit.* Non unam tantùm habet interpretationem Mariæ nomen, nullum enim nomen unum puto Virginis gloriam posse enuntiare; proindè fortè non nominavit eam Angelus, volens potiùs venerari silentio, quod non potuit exprimi eloquio: siquidem reverentiæ indicium est, quandoque non proprio nomine nominari.

Quid vero de ea sentiat Christus, patefecit S. Brigittæ lib. 1. cap. 50. Omnis qui invocaverit nomen Mariæ, & in illa spem habuerit, cum proposito emendandi commissa, hæc tria dabuntur illi. Contritio de peccatis, satisfactio pro eisdem, & fortitudo ad facienda bona. *S. Thom. Opusc.* 8. in quo explicat salutationem Angelicam ideò ait Benedicta in mulieribus, quia sola illa maledictionem sustulit, & benedictionem portavit, & januam paradisi aperuit, & ideo convenit ei nomen Maria, quæ interpretatur Stella maris, quia sicut per stellam maris diriguntur navigantes ad portum, ita Christiani diriguntur per Mariam ad gloriam. *S. German. in encom. zonæ cap.* 10. Quomodo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem, ita etiam Sanctissimum tuum nomen, quod in cor servorum tuorum versatur assiduò, in omni tempore, loco & modo vitæ, lætitiæ & auxilij, non solùm est signum, sed etiam procurat, & conciliat. Addit *Anselm. lib. de excell. Virg. cap.* 6. Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Mariæ, quàm invocato nomine Domini Jesu unici Filij tui, & id quidem non ideò fit, quòd ipsa major & potentior eo sit, nec enim ipse magnus, & potens est per eam, sed illa per ipsum. Quare ergò propitior salus in recordatione ejus, quam Filij sui sæpè percipitur? dicam quod sentio; Filius enim est ejus Dominus, & Judex omnium discernens merita singulorum, dum igitur ipse à quovis suo nomine invocatus, non statim exaudit, profectò id justè facit: invocato autem nomine Mariæ Matris, etsi merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. Libeat jam mysticè hoc nomen sanctum scrutari cum *Viegaz in cap.* 12. *Apoc. comm.* 2. *exeges. sect.* 1. & 2. ubi confert illud cum Dei nomine tetragrammato, quia & hoc 4. literis constat: nempè Mem, Resch,

Reſch, Jod, Mem. Undè addit: Sicut Dei nomen effari non licebat, ita nec Mariæ auſus Angelus Gabriel efferre, donec ejus colloquio familiarior efficeretur. *S. Gerardus Canadienſis in Pannonia Epiſcopus Martyr* Hungaros docuit, nè hoc nomen proferrent, ſed reverenter loco ejus nomen Dominæ ſubſtituerent, quòd ſi verò aliquis illud proferre voluiſſet, id flexo genu & inclinato capite proferendum. Narrat hoc *Surius 24. Sept. Carolus Bovilus lib. 6. quæſt. Theolog. q. 42.* advertit, nomen Maria compoſitum ex nominibus Abram & Sarai retrogradè ſumptis, ex Abram ſumptis M, A, R, ex Sarai, I, A, advertit & conſtare ex quinque initialibus illuſtriorum in ſcriptura fœminarum. M. Maria Soror Moyſis, A. Anna mater Samuelis, R. Ruth Moabitis, I. Iudith, A. Anna Tobiæ ſenioris uxor. *Hensbergius in viridario Mariano p. 5.* ad has initiales latinas reducit. M. Mediatrix Dei, & hominum Auxiliatrix ſibi devotorum. R. Reparatrix debilium. I. Illuminatrix Prædicatorum, A. Advocatrix omnium peccatorum. Idem præſtat ſed aliter *Petrus Creſſet. in triumpho Mariæ dec. 3. ſerm. 2.* M. Mediatrix A. Advocata, R. Refugium peccatorum, I. Imago virtutum, A. Amor humani generis.

Sed ad graviora regrediamur. *S. German. Conſtantinop. orat. de zona cap. 12.* Tu nequiſſimi hoſtis contra ſervos tuos invaſiones ſolâ tui nominis invocatione ſanctiſsima repellens, tutos atq; incolumes ſervas. *Idiota edit. Pariſienſi anno 1519.* Dedit tibi Virgo Maria tota Superſancta Trinitas nomẽ, quod poſt nomen Superbenedicti Filij tui eſt ſuper omne nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur (ut manifeſtè patet) cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur hujus ſanctiſsimi nominis gratiam, gloriam, & virtutem: non enim eſt in ullo alio nomine poſt nomen Superbenedicti Filij tui tam potens adjutoriũ: nec eſt ullum aliud nomen datum ſub cœlo hominibus, poſt nomen dulce Jeſu, ex quo tanta ſalus hominibus refundatur, quia ſupra omnia Sanctorum nomina reficit laſſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat feſſos, ungit agoniſtas, & jugum diaboli extrudit. *Et infra.* Tantæ virtutis & excellentiæ eſt tuum Sanctiſsimum nomẽ Beatiſsima Virgo, quòd ad invocationem ipſius cœlum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, dœmones contremiſcunt, & infernus conturbatur. Tanta eſt virtus tui Sacratiſsimi nominis, ô ſemper Benedicta Virgo Maria quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiem cordis humani. *Bona v. in ſpec. lect. 9.* O celeberrimi nominis Maria! quomodò nomen tuum non poſſet eſſe celebre, quæ etiam devotè nominari non potes ſine nominantis utilitate, teſtatur tuus *Bernard.* dicens: O magna! ò piâ! ô multùm laudabilis Virgo Maria!

ria! Tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recreet affectus diligentium te, Tu nunquam sine dulcedine tibi Divinitùs insita præmoriæ portas ingrederis. *Ludolfus Saxo in vita Christi parte 1. cap. 5. ex Bernardo.* Ubi nomen Mariæ nominatur, ibi dœmonium effugatur, reis venia, ægris medela, pusillis corde robur, afflictis consolatio, peregrinantibus adjutorium datur. *Bede hom. 7. in festo Annunc.* Eximanivit se Mater formam ancillæ accipiens, propter quod & Deus exaltavit illam, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, post nomen Filij. Consonat illi de eodem festo *Joan. Gerson.* Domina nostra alium nomen accepit, & perfectius, quod esse possit homini post nomen Filij sui, ut quòd in nomine suo omnia flectantur in cœlo, & in terra, & in inferno. *Arnald. Carnot. tract. de laud. B. Virginis.* Christus Dominus, Maria Domina, constituta est; quippè super omnem creaturam, ut quicunque Jesu curuat genu, Matri quoque pronus supplicet. *Bernardus serm. 4. de Assumptione.* De gloria nominis hujus nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, nec inerudita potest locutio parturire: unde sicut clarissimum, fortissimumque Iesu nomen ineffabile, & nisi Divina Spiritûs S. adsit gratia, quæ linguam expediat, & gubernet; efferri ab homine non potest, dicente Apost. 1. Cor. 12. *Nemo dicere potest Dominus Jesus, nisi in Spiritu.* sic quoque nisi Divini facinoris aurâ adspirante, non valeas Sacrum Mariæ nomen enuntiare: quia, ut præter supra adductos *Fulbertus serm. de Nativit.* non fortuitò, aut solo Parentum placito, sicut plerique, sed Divinâ dispensatione Virgo nomen accepit. *Bonav. in Psalt.* Glorioſum & admirabile est nomen tuum Mariæ, qui illud retinent non expavescent in hora mortis.

Sed dum ad finem hujus considerationis accedimus, nominis Mariæ explicationes quas sparsim dedimus, veluti in compendio, & quodam indice oculis subjiciamus, in quo nobis præivit *Pater Hadrianus Lyræus in Tryfagio Mariano, ubi illius affert interpretationes, à modulat. 1. Primam ex S. Ambros. lib. de instit. Virg. cap. 5.* Speciale Maria hoc nomen invenit, quod significat Deus ex genere meo. Pro quo *Theotiatianus dial. adv. Armenos,* oportebat qui Mariam honorare etiam ante conceptum voluit, à præcipua dignitate illam nominare. *Secundam expositionem ex S. Hieron. lib. de nomin. Hebr.* Domina maris. *Tertiam:* Illuminata illuminans, Illuminatrix, Lumen Dei, desumpta hæc ex S. *Ephrem de laud. Virg. S. Epiph. serm. de laud. Virg. B. S. Damasc. Chrysol: &c. Quartam:* Doctrix populi, Magistra, est et *Idiota contempl. B. V. cap. 5. Quintam:* Exaltata, Eminens, Sublimis, Excelsa. *Sextam:* Stella maris, sive Gutta maris, est *S. Irenæi, Hieron. Septimam:* Dei Imitatrix, est *Rutilij Benzonij lib. 2. supra Magnificat cap. 22. Octavam:* Pluvia maris temperans, et

est *Canisij lib.1. cap.1. Nonam*: Amarum Mare: ista est *Philonis de Hebr. nomin.* & *Damasc. lib. 4. cap.* 15. ubi ait: Martyres à glorioso passim triumpho nominantur, & Maria à futuro dolore capit nomenclationem, dum Mare amarum interpretatur. *Decimam*: Smyrnam Aeolicè, sivè Myrrham maris, est S. *Ambr. serm. 6. in Psalm.* 118. *S. Hieron. de nomin. Hebr.* Myrrham mare habet, scilicet gemmam, ex qua vasa myrrhina. *Undecimam*: Iaculatrix maris, *Duodecimam*: Spes maris, est S. *Epiph. Decimam-tertiam*: Stella maris, est S. *Hieron. cap.* 1, *Eucherij lib.* 2. *instit. Isid. Hispal. lib.* 7. *Ethymol. Bedæ lib.* 5. *in Lucam cap.* 3. *Bernard: hom.* 2. *super Missus.* Sed audiamus tandem ipsam Virginem apud S. *Brigitt. lib.*1. *cap.*9. Rev. Filius meus quantum etiam honoraverit nomen meum, audi nomen meum Maria, sicut legitur in Evangelio hoc nomen cùm Angeli audiunt, gaudent in conscientia sua, & regratiantur Deo, qui per me & mecum talem gratiam fecit. *Idiot. cap.* 5. Non est in ullo alio nomine; post nomen superbenedicti Filij tui tam potens adjutorium, quia super omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos. S. *Method. orat. de Hypapante.* Tuum Dei Genitrix nomen Divinis benedictionibus, & gratijs omni ex parte refertum. *Abbas Franco tom.6. de gratia.* Neq; post illud singulare dilecti Filij sui nomen, quod est super omne nomen, aliud nomen cœlum, & terra nominat, undè tantùm gratiæ, tantùm spei, tantùm suavitatis, tantùm piæ mentes consolationis concipiunt. *Simon de Cassia. lib.* 2. *cap.* 1. Nomen Virginis Maria quod sibi congruit, & mysterio: decebat enim ut ex proprio nomine tanto mysterio aptaretur, etenim Filius nomen habuit competens actionibus ejus, sic & Matrem habere voluit talem, ut intrinsecè nomen, & gesta in unum conceptum concurrerent, in unum conflata, unum ens virtutis immaculatum efficerent, unum vas ederetur, in quo reponerentur Divina mysteria. S. *Epiph. orat. de laud. Virg.* Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam Spem, peperit enim Dominum qui est Spes totius mundi, nempe Christum. Rursum illud nomen Mariæ interpretatur Myrrha maris, myrrham verò dicet aliquis, quod ego etiam ajo de immortalitate, eò quòd paritura esset Gemmam immortalem in mari, hoc est in mundo: mare autem dicet universum mundum, cui Virgo serenitatem, & tranquillitatem contulit, dum Portum peperit Christum. Rursum itaque præclaræ Puellæ Mariæ nomen interpretatur Illustrata, utpotè quæ illustrata sit à Filio Dei, & cunctos usque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit. *Method. orat. in Hypapante.* Tuum Dei Genitrix nomen Divinis benedictionibus, & gratijs omni ex parte refertum.

2. Quia est DEI Mater.

Quid non illi cultûs hoc titulo debetur? quia ut *Richard. à S. Laur. lib. 4. de laud. Virg.* Deus Pater Isaiæ 42. dicit: *Gloriam meam* id est Filium meum, (quia *Gloria Patris Filius sapiens* Prov. 10.) *alteri non dabo*, quàm Mariæ: soli Mariæ hoc privilegium debebatur. *Galat. 3.* Abrahæ dictæ sunt repromissiones & semini ejus, non dicit seminibus, quasi multis: quia ex unico semine Virginis. Hic jam moneo cum S. *Anselmo lib. de excell. Virg. cap. 3.* Intendat mens humana & contempletur, videat, & admiretur: unum Filium sibi consubstantialem Deus Pater genuit, hunc sibi tam unicum, & in omnibus omninò æqualem non passus est remanere solùm modò suum, sed eundē ipsum voluit in rei veritate esse B. Mariæ unicum, & naturalem Filium, ex quo cum eodem spem colligimus *ibidem cap. 1.* Si propter peccatores facta est Dei Mater, quomodò immanitas peccatorum meorum cogere poterit desperare veniam, cùm tam ineffabile bonum sit factum ex ea ob curationem eorum. Et cum *Abulense in num. 13. q. 9.* De B. Maria dicimus, quòd ipsa propter nos Mater Dei est, & sic dicit Ecclesia. *Qui pro nobis natus, tulit esse tuus*, licet ly pro, vel propter, non dicit causam meritoriam, sed finalem, quia nos non meruimus, ut ipsa esset Mater Dei, sed ipsa facta Mater Dei, ut nos salvaremur. Ipsa Mater Dei facta est. Et *Dionys. lib. 3. de laud. Virg. artic. 3.* Virgo recognoscit se peccatoribus suo modo debere, quòd Mater sit effecta Dei. Et certè *juxta Theologos* Verbum incarnatum non fuisset, nisi Adam peccavisset, ut *Athanas. serm. 3. contra Arrianos.* Necessitas, indigentiaque hominum anteriorem, quàm Christi Nativitas, quâ sublatâ carnem non induisset. Et *Nazian. orat. 36.* Quæ humanitatis à Deo propter nos susceptæ causa extitit? profectò ut nobis salus pareretur. Sed *August.* pro reliquis omnibus qui adduci possunt loquatur *sermone nono de verb. Apost.* Nulla causa fuit veniendi Christum, nisi peccatores sanos facere, tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ. Et *serm. 3.* Si homo non perijsset, Filius hominis non veniisset. Et S. *Leo serm. 3. de Pentecost.* Si homo in suo honore naturæ mansisset, nec à lege sibi posita deviâsset, Creator mundi creatura non fieret. Planè evenit quod Genes. 7. *Multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt arcam.* Multiplicata sunt peccata hominum, & elevata est Arca Mariæ, ad dignitatem Maternitatis, ad tantùm autem ut similis sit Divinæ. Quemadmodum enim Virgo Deus generat, ita eum & Virgo Maria generavit. Verbum mentis sine sordibus fit, Virgo sine sordibus peperit: Verbum mentis illuminat, similiter partus Virginis, ideoque dicitur oriens sine mentis læsione Verbum mentis, nec

nec Christus læsit Virginem. *Dionys. Carthus. serm. 1. de Concept. B. V.* Non irrationabiliter asserunt, quidam magni Theologi, quòd ratione hujusmodi Maternæ fœcunditatis, Maternitatisque Dei, Bma Virgo Maria sit dignitatis quodammodò infinitæ; cum omni ergò reverentia honoranda, nominanda, & cogitanda est nobis, atque post Deum ferventissimè diligenda. Et certè *Augustin. docet serm. de Assumpt.* hujus dignitatis effectum (quòd sit Mater Dei) nec cor concipere, nec lingua valet exprimere. S. *Ephrem Theopol. epist. ad monachos*, cujus meminit *Photius Cod.* 228. Ad omnem pietatis plenitudinem sufficere Deiparam credere, & appellare SSmam Virginem. Postquam enim quis dixerit Deum incarnatum, SSmam Virginem peperisse Angelorum uti videtur Theologia. S. *Thom. de Villa nova Valentiæ Archiepisc. serm. 3. de Nativ. Virginis* Cogita Virginem quandā pulcherrimam,, purissimam, humillimam, Sanctissimam, & perfectissimam, ex omni parte integram, & consummatam; illa Mater Dei est, & major est quàm excogitare potes, aut intuitu mentis describere. Undè si Tullius, Demosthenes, Homerus, Virgilius, & alij omnes potentes in dicendo Rhetores eam laudare per singula conarentur, non sufficerent utique nec modicam ejus excellentiam attingere. Undè admiratur *Fulgentius.* Quænam est ista Fœmina quæ omnibus Sanctis proponitur imitanda? *Et paulo post.* Quidquid capax est non solùm humana natura, sed & pura creatura, totum hoc fuit in Virgine gloriosa. S. *Bernardinus serm. 61. de B. Virg. cap. 12.* Quod Deus generaret Deum nulla requirebatur in Deo dispositio, cùm ei ex natura sua conveniat, ut per viam naturæ intellectûs producere Verbū per omnia sibi æquale: imò impossibile est quòd non generet Deum propter suam fœcunditatem, sed quòd fœmina pareret & conciperet Deum; est, & fuit miraculum miraculorum, oportuit enim fœminam elevari ad quandam quasi æqualitatem Divinam; per quandam infinitatem perfectionum & gratiarum, quam nunquam creatura experta est. Undè, ut credo, ad illam abyssum inperscrutabilem omnium charismatum Spiritûs S. quæ in B. Virginem descenderunt in hora Conceptionis, intellectus humanus, vel Angelicus nunquam potuerunt attingere. Ex quo S. *Thom. de Villanova serm. 2. de Nativ.* soluit illam difficultatem, cur Scriptura pauca admodùm habeat de B. Virg. Quid amplius quæris, quid ultra requiris in Virgine, sufficit tibi quod Dei Mater est, quod de ea natus est Jesus, hæc longa & plenissima historia est. *S. Bonav. spec. lect. 10. vel c. 8.* Mater Domini, Mater & Virgo, Mater est dignissima, ipsa est Mater, quæ tali Filio est decentissima, ipsa est Mater cui talis Filius decentissimus fuit, ipsa est, quâ majorem Deus facere non potest, majorem mundum posset facere Deus: majus cœ-

m posset facere Deus: majorem matrem quam Matrem Dei non posset facere Deus. *Proclus Archiep. Constantinop. apud Damasc. de Tryfagio.* Nihil in mundo cum Dei Genitrice Maria comparandum est: res omnes conditas ô homo cogitatione peragra, ac perspice, an quidquam sit quod S. Dei Genitricem æquet, aut superet, terram undique lustra, mare circumspice, aërem investiga, homines animo perscrutare, virtutes omnes ab oculorum sensu remotas cogitatione complectere, ac vide, an in omnibus rebus conditis sit ejusmodi miraculum, ac Maria. *Anselm. de excell. Virg. cap. 2.* Hoc solùm de S. Virg. prædicari, quòd Mater Dei est, excedit omnem altitudinem quæ post Deum dici vel cogitari potest, & altissimum quid habet ad contemplandum, & ruminandum mens humana. *Bern. serm. 4. super Missus.* Quid est, & virtus altissimi obumbrabit tibi, qui potest capere capax, quis enim exceptâ fortassis illâ, quæ hoc sola in se felicissimè meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit? *Petrus Cellensis lib. de Panibus cap. 2.* Et quid amplius Virgini assignare possumus Divini muneris, & honoris, quàm ut quod verum est fateamur, Genitricem eam Dei esse & hominis, infra hoc decitur, quidquid in ejus commendationem affertur. *Emm. Palæol. Imper. orat. de dormit. B.V.* Te immaculatam ubi Dei Matrem appellaverimus, omnia comprehendimus, quæcunque ad nectendas laudes spectant. Nam cum multis isque amplissimis abundes titulis, qui Dei te Matrem dixit, laudationi imposuit coronam: Hæc enim revera est summa encomiorum, quæcunque non modò linguæ hominum, sed ipsorum quoque de te proferant Angelorum.

3. Quia est Lumen omnium.

Id ex Mem. Ecclesiæ Græcæ habeo 7. Martij, quæ ita Virginem veneratur. Salve quæ es Solis inaccessi Vehiculũ, & radiorũ loco ipsummet Solem emittis cunctarum mentium captu majorem! Salve Mens Divinorum igniũ sublimibus velut excubijs fulgens! Salve Splendor, qui scintillas ut fulgur, unâque totum terrarum orbem illustras! Splendor omni genere ventilatum decore, cujus nobis exoriens lumen occasum non habet. Simile affert *Epiph. serm. de laud. Virg.* O Candelabrum Virgineum quod illustravit tenebris involutos; Candelabrum Virgineum repellens tenebras! ò Lucem splendentem. *Idem Bern. serm. de Nativit. B.V.* Tolle corpus hoc solare quod illuminat mundum, ubi dies? tolle Mariam hanc maris stellam, maris utique magni, & spatiosi, quid nisi caligo involvens, & densissimæ tenebræ relinquuntur. *Bonav. Spec. B.V. cap. 3.*

cap.3. Maria est Illuminatrix plurimorum per exempla lucidissimæ vitæ suæ, ipsa est cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo, ipsa cujus vita inclyta illustrat Ecclesias: ipsa enim Lucerna est Ecclesiæ ad hoc illuminata à Deo, ut per ipsam contra tenebras mundi illuminaretur Ecclesia. *Rich. à S. Laur. lib. 1. de laud. Virg. cap. 3.* Ipsa illuminat Ecclesiam militantem, signatam per arcam Noe, quam illuminat Fenestra cristallina, quæ figurat Mariam, *S. Method. orat. hip. ap.* Fidelium Fax vocabatur. *Joann. 9.* Christus cæcum curavit, & misit ad natatoriam Siloe, quod interpretatur missus, ita ad Virginis illud, missus est Angelus &c. pro lumine remittit. *Richard. à S. Laur. lib. 9. de laud. Virg.* Maria designata per natatoriam Siloe, ad quam missus est cæcus natus lavare oculos suos, ut illuminaretur: ipsa enim dicitur Illuminatrix, & hoc nomen suum interpretatur in nobis. *Bern. serm. 1. de Assumpt.* Mariæ præsentiâ totus illustratur orbis, adeò ut ipsa jam cœlestis patria, clarius rutilet Virgineæ lampadis irradiata fulgore. *Alb. M. in Lucam 1.* Maria interpretatur Illuminatrix, si ergo es circumdatus tenebris, & abscondita est tibi via tua *Job. 3.* Respice Illuminatricem, nomina Mariam. De Illuminatrice habes *Apoc. 12.* ubi apparet in cœlo Mulier amicta Sole, & luna sub pedibus ejus. *Greg. Thaumat. serm. de Annunt.* Ave gratiâ plena, Fons lucis qui cunctos in ipsam credentes illuminat: *Method. hom. de Purif.* Te SSma Virgo tanquam Die clarissima mundo affulgente, justitiæque Solem illum producente, odiosus tenebrarum horror depulsus est, nniversusque terrarum orbis veritatis purissimæ luce est pertusus. *Leo hom. 7. in Annunt.* Salve Lucerna ex qua Splendor Patris elucescens, cùm mundum Genitori dedicâsset in templum, eundem cognitionis suæ lumine illustravit. *Leo Sapiens hom. de dormit. Deip.* appellat Virginem perpetuo lumine collustratum Candelabrum lucens. *Hermannus Contractus prosâ in Salve Regina.* Ave maris Stella in lucem Gentium Maria Divinitùs orta: euge Dei Porta quæ non aperta, veritatis Lumen ipsum Solem justitiæ indutum carne ducis in orbem. *S. Anastasius Sinaita lib. 2. hex.* Adam non fuit deceptus sicut dicit Apostolus: Eva autem decepta, cùm à tenebricosi, & obscuri serpentis dominatu oppressum esset, & defecisset ejus lumen: ejus tamen luminis defectum restituit Lux vera, quæ ex ipsa processit, ex secunda inquam Eva Christus tanquam ex quapiam luna, Luna Maria quæ nunquam minuta aut defecit, aut privata fuit essentiali lumine, nempè suâ Virginitate. *S. Odilo in hymno* Virginem Sanctam *de Nativ. B.V* Sidus inclytum vocat, illustrans omne sæculum, per quod dies & tempora assumunt vitæ lumina.

S. Theodor: Studita ode 5. Canonis pro Sanctis imaginibus appellat Deiparam Lucernarium auro exornatum, quod lumen intellectuale mundo peperit, & tene-

brosam nebulam dissipavit. *S. Germanus Constantinus orat. in Nativitate Virginis.* Ave gratiâ plena, gaude illuminata, per quam tenebræ pulsæ, lux introducta. *Hesichius Jerosol. hom. 2.* vocat Virginem Lucernam oris expertem, quæ à se ipsa jugiter ardeat. *Albert. M. in Bibl. Marianis ex Genes.* Fiat lux id est Maria genetrix: appellavitque lucem diem, id est Mariam, hoc nomen ei est in æternum, ipsa enim optimè Dies dicitur, Eva nox. Et ex parabolis: *Necdum erant abyssi*, id est dæmones, vel abyssi miseriæ & peccati, *& ego jam concepta eram*, scilicet in præsentia, & prædestinatione Dei, ut exhiberem lumen contra tenebras. *S. Petr. Damianus serm. de Assumpt.* Est Virgo Stella matutina in medio nebulæ, quæ in cœli cardine, summo splendore coruscans, orbem subditum splendidioribus radijs incolorat, siquidem *Mulier* est *amicta sole*, uti de illa intelligunt *Epiph. hæresi 78.*, *Bernardus in serm. Signum Magnum*, *S. Aug. lib. 4. de Symbolo & alij*: ita ut dixerit *Damiani serm. de Assumpt.* In illa inaccessibili luce perlucens, sic utrorumque spirituum, id est hominum, & Angelorum hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis, nec possint nec debeant, apparere. Ex quo docet *Richard. à S. Laur.* Sicut impossibile est de tenebris noctis venire ad lucem nisi mediante aurora, sic impossibile est de tenebris vitiorum venire ad lumen gratiæ, nisi mediante Mariâ, per quam cùm jam indè ab ejus felicissimo Natali, tot tantique mortales de tenebris vitiorum eruti, dulcissimam lucem aspexerunt veritatis, quidni voce quâdam voce unanimi dimitant, lumen hoc Virginale perpetim nobis lucere? Deus ad illuminationem terræ creavit luminare majus, & minus, Mariam verò ad illuminationem mentium. *Idem lib. 2. de laud. Virg.* Deus hanc lucem fecit, quandò B. Virginem de tenebris lucere, & splendescere dixit, sed quia lux esset bona, vidit, quandò per eam mundi tenebras illustravit, sequitur, & vidit Deus lucem, quòd esset bona. Neque non tantùm, sed & Angelos illustrat. Nam *Bonav. in spec. lect. 3.* Sic ergò illuminans Maria in gloria sua rutilans per omnia respicit, quia per omnes Angelos, & per omnes sanctos gloriæ suæ illuminationem extendit: nam Deus illuminat medijs inferiora per media. Ex quo dixit *S. Thom. opusc. 8.* Convenienter nominatur Maria Illuminatrix in alios. Et *Bernardinus tom. 1. concl. 61. artic. 1. cap. 6.* Electa est ut sol ad irradiandam totam multitudinem beatorum spirituum. *Et tom. 3. serm. 11. artic. 2. cap. 1.* Virginem recepisse fœcunditatem ad generandos omnes electos, etiam Angelos, in aliquo gradu, gustu, & experientia Divinorum. Undè à *S. Ephrem* appellatur *serm. de laud. Virg.* Cœlestium hierarchiarum præclarissimum Ornamentum. Et *Chrysippus Presbyter serm. de laud: Virg.* ita illam salutat. Ave Fons lucis omnem hominem illuminantis, ave solis Ortus, qui nullum potest ferre occasum.

casum. Et *Gerson orat. habitâ in Concil. Constant.* Adeunda est Virgo gloriosissima, quæ sui nominis interpretatione tam Illuminata quàm Illuminatrix dicitur. Et quo lumine? prorsus lumine gratiæ, quo sic illuminata est ut dicatur in Apoc. *Mulier amicta sole. S. Thom. Villanova conc. 1. de Annunt.* Tolle solem quid est in mundo nisi tenebræ, tolle Mariam ab Ecclesia quid restat nisi caligo? *Epiph. serm. de laud. Virg.* Præclaræ Puellæ beatum nomen interpretatur Illustrata, utpote quæ illustrata sit à Filio Dei, & cunctos usque ad terminos terræ credentes Trinitate illustravit. *Bonav. in spec.* Ipsa est cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo, ipsa est Lucerna Ecclesiæ à Deo illuminata ad hoc, ut per ipsam à tenebris mundi illuminetur Ecclesia. Quod ante illum expressit S. *Ephrem de laud. Virg.* dum eam sic veneratur: Ave clarissima Pharas, tu Portus naufragantium tutissimus, ave Lumen lucidissimum. Et tota Ecclesia de illa dicit: *Per quam salus mundi credentibus apparuit, cujus gloriosa vita lucem dedit sæculo.* In quod recidunt quæ dixit S. *Odilo hymn de Nativ. B.V.* Sidus inclyum illuminans omne sæculum. *Idiot. p. 14, cap. 14.* Luna nostra in nocte, Aurora in diluculo, Sol in die.

4. Quia est Domina universæ naturæ.

S. *Joan. Damasc. Men. 10. Januarij ode 9.* sic Virgini canit: Quæ procreâsti rerum conditarum Authorem, jam super omnia quæ procreata sunt principatum exerces, incomparabili dignitatis fastigio pollens, quo tu omnem naturæ modum excedis. *Et tota Ecclesia Græca 29. Januarij.* Unica est Domina orbis terrarum. *Eadem Ecclesia ibidem in Men. 27. verbis S. Damasc: orat.* Quæ super omnes rerum creatarum divitias verissimo dominatu potiris, me præ gravi paupertate oppressum, gratiæ Divinæ largitionibus dignare. Et ideò fortè Apoc. 12. *Corona in capite ejus.* Dominij rationem dat *Damascenus orat. 2. de Assumpt.* Decet Matrem ea quæ sunt Filij possidere. Ob quod *S. Ephremus orat. de B. Virgine* Benedictam Dominarum Dominam purissimam vocat. Et S. *Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 22. parag. 9.* Imperatricem, & Monarcham mundi. Etiam Dominium in nomine agnoscitur. *Chrysol. serm. 140.* Maria Hebræo sermone latinè Domina nuncupatur: nasci, & vocari Dominam ipsa sui germinis, id est Christi Filij fecit, & impetravit authoritas. Et S. *Thom. opusc. 8.* Meritò Angelus reveretur B. Virginem quia Mater Domini, & ideò Domina est, undè convenit hoc ei nomen Maria, quod Syrâ linguâ interpretatur Domina. S. *Remigius* hoc nomen non novit, qui meritum ei non exhibet famulatum. *Damasc. lib. 4. de fide cap. 15.* Verè rerum omnium Domina est, cum

cùm Creatoris Mater extitit. *Damian. ſerm. de Nativ. Deip.* Fecit in te magna qui potens eſt, & data eſt tibi omnis poteſtas in cœlo & in terra. *Ambros. lib. 1. de Virgine* alium affert titulum dominij. Adverte (inquiens Virgo) quantùm tibi Spiritus S. ſcripturæ Divinæ teſtificatione detulerit regnum, aurum, pulchritudinem: Regnum, quia Sponſa es Regis æterni, Chriſtus hoc ſibi emit ſanguine Dominium: Virgo verò ei hanc pecuniam ſanguinis ſubminiſtravit. Hinc ſequitur quod *Bernard. ſerm. 3. de nominib. Virg.* Mater Domini effecta eſt Domina omnis creaturæ, quæ Mater effecta eſt Creatoris, ideò meritò dici poteſt ad quamlibet creaturam illud Genes. 16. *Revertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu ipſius*, quæ verba dicta ſunt Agar de Sara, quippe ipſa Virgo verè eſt Sara, quæ interpretatur Princeps, quæ verum genuit Iſaac, id eſt Filium Dei. Sed cùm jure naturali filius parentibus ſit ſubjectus, hinc fit, ut quæ habet Filius, ea ſint parentum. Atque ita *Damaſc. ait orat. de Aſſumpt.* Oportebat Dei Matrem ea quæ Filij erant poſsidere, atque ab omnibus rebus conditis, ut Dei Matrem adorari. Quanquam etiam ſemper ita comparatum eſt, ut hæreditas à parentibus ad filios devoluatur; nunc autem (ut eruditi cujusdam viri verbis utar) ſurſum ſacrorum fluminum fontes fluunt: etenim Filius Matri res omnes conditas in ſervitutem adduxit, hinc velut Dominus abſolutus quidquid placet de nobis ſtatuere poteſt. Et ut *Athanas.* ait. Sicut igitur cùm ad Chriſtum reſpicimus, Regem, Dominum, & Deum appellamus: ita quoque cùm ad eam oculos rejicimus, Reginam, Dominam, ac Dei Matrem advertimus. Et *Anſelm. lib. de excell. Virg. c. 4.* Ipſe Spiritus Dei venit in eam, ſingulariſque gratiâ præ omnibus quæ creata ſunt, ſive in cœlo, ſive in terra, requievit, & Reginam, & Imperatricem cœli, & terræ, & omnium quæ in eis ſunt fecit Sponſam ſuam.

Antiquitatem hujus Virginalis dominij explicat *Anatolius Syrus in Cantic. de Mariæ Nativit.* Quæ ab æterno prædeſtinata fuerat, ut Dei domicilium, Divinumque ſempiternæ naturæ Templum foret, hæc univerſorum Regina jure ſalutatur. Quod proſequitur *S. Anſelm. de excell. Virg.* In æternitate conſilij ſui ſtatuit eam Dominatricem, & Reginam fore Angelorum. Et concludit S. *Anaſt. in Encom. de SSma Domina noſtra.* Quandoquidem ipſe Rex eſt, qui natus eſt ex Virgine, idemque Dominus & Deus: eapropter & Mater quæ eum genuit & Regina, & Domina, & Deipara propriè, & verè cenſetur. Quod profiteri jubet *Nicetas* in ordine baptiſandi Sarracenos ut dicant: Confiteor Matrem Dei, qui homo factus eſt Matrem, atque idcirco Dominam & Reginam omnis creaturæ, Divinâ gratiâ affectam adoro, & veneror. *S. Germ. Conſtantinop. orat. de Nativ. Virg.* ſic Virgi-

nem

nemsalutat. Salve pulchritudinis Diadema, genere Regina; Regijsque ubique stipata prærogativis; Sceptrum David, Regium Indumentum, gratiarum Corona. *Joann. Damasc. orat. 2. de Assumpt. B. V.* ita precatur. Ac mihi velim ea propitia sit, quam laudandam suscepimus, quæ creata omnia superat, atque omnibus rebus conditis dominatur, velut Dei Mater. Extensionem Mariani dominij explicat *Rupert. in 4. Cant.* illam ipsam alloquendo. Ita coronaberis ò Virgo ut in cœlis Regina Sanctorum, & in terra sis Regina regnorum, & totum jure possideas Filij regnum. Et S. *Bonav. spec. cap. 8.* universalem omnium Dominam fecit, Dominam inquam cœli & Dominam mundi. *Et antea cap. 3.* dixerat. Postmodùm Maria interpretatur Domina, hoc quoque optimè convenit tantæ Imperatrici, quia revera Domina est cœlestium, terrestrium, & infernorum, Domina inquam Angelorum, Domina hominum, Domina in cœlo, Domina in mundo, Domina in inferno. *Arnold. Carnotens. serm. de laud. Mariæ.* Maria linguâ Syriacâ Domina dicitur: Christus Dominus, Maria Domina. Et licet ipsa se Christi profiteatur ancillam, hoc servitutis genus omni regno sublimius esse intelligitur: constituta quippè est super omnem creaturam: & quicunque Jesu curvat genu, Matri quoq; pronus supplicat, & acclivis, in supernis & inferis admirationi est Virgo puerpera: stupent dœmones, gaudent homines in cœlo, gloriam concinunt principatus, & potestates. *Et paulo post.* Nec à potentia vel dominatione Filij Mater potest esse sejuncta.

Enumerat servos Virginis *Bernardin. tom. 1. serm. 61. a. 1. cap. 6.* Tot creaturæ serviunt gloriosæ Virgini Mariæ, quot serviunt Trinitati. Omnes nempè creaturæ quæcunque gradum tenent in creatis, sive spirituales ut Angeli, sive rationales ut homines, sive corporales ut corpora cœlestia, & elementa, & omnia quæ sunt in cœlo, & in terra, sive damnati, sive beati, quæ omnia sunt Divino imperio subjugata, gloriosæ Virgini sunt subjecta: ille enim qui Filius Dei est, & Virginis benedictæ, volens, ut sic dicam, Paterno principatui quodammodò principatum æquiparare Maternum, ipse qui Deus erat Matri famulabatur in terra. Unde Lucæ 2. scriptum est de Virg. & glorioso Joseph: *Et erat subditus illis. Et cap. 7.* Lege successionis & hæreditario jure, totius universi debetur B. Virgini primatus & regnum; quamvis autem benedicta Virgo fuerit nobilior persona, quæ fuerit, vel futura sit in orbe terrarum, tantæque perfectionis, quòd etiamsi non fuisset Mater Dei, non minùs debuisset esse Domina mundi: tamen secundùm leges quibus regitur mundus, jure hæreditario omnem hujus mundi meruit principatum & regnum: quia Filius ejus in primo instanti suæ Conceptionis monar-

chiam totius promeruit, & obtinuit universi, sicut Propheta testatur dicens Psal. *Domini est terra, & plenitudo ejus &c.* Ex jure ergò Conceptionis Filij Dei Virg. incumbebat totum illud procurare, & administrare, quod ex tunc Filio datum el usque ad legitimam ætatem Filij sui, sicut ipsius diligens Nutrix, & Auctrix, s cundum quod volunt jura: & paucis interjectis ostendit illius jus succes ratione mortis filialis, cui nemo erat vicinior qui succederet, & tandem concl dit. Ex his omnibus apertissimè claret, quòd Mater Iesu Christi Maria, hæred tario jure omnium quæ sunt infra Deum habet Regale dominium, & inclyt obtinet principatum. Insinuavit in his magnus hic cultor Virginis titulos nov Virginei dominij, sed adhuc suggerit titulum qui sequitur *S. Epiph. de laud. Virgin.* Donorum antenuptialium nomine Spiritum S. accepit, dotis verò gratiâ cœl cum paradiso; & ulteriùs *Hær. 87.* Si Christus est Rex, profectò Mater ejus est Regina. Quocirca *Germ. orat. de oblat. Deip.* ita illam affatur. Adesdum Dom omniũ terrigenarum, & erubescant, & deficiant, & pereant, & cognoscant qu nomen est tibi Domina, quod adhuc vivens teste *Anselmo de excell. Virg. cap. 7.* ac bat Virgo decurso labentis vitæ tempore, se in latitudinem Regni cœlestis ascensuram, sequè post Filium omni creaturæ cœlestium, terrestrium, & infernorum dominaturam. Invocemus hanc Dominam nostram *cum Ecclesia Græca in Men 16. August.* & civitatem seu Remp. nostram ei consecremus. Urbs omnium civitatum, imperij Regina (de sua Constantinopoli loquitur,) quæ te Reginâ, ac Dominâ suâ velut turrito quodam Propugnaculo utitur, impetus omnes barbarorum profligat, etiam bestiarum furoribus pares, adversariorum quoque omn machinas evadit, & opibus demùm, atque potentiâ crescit ô Deipara! in te quo pè gloriamur, in te quoque evitamus quidquid nobis asperum imminet, tuæ tandem tutelæ confisi, nullorum hostium expeditionem timemus: quocirca civitatem hanc tuam, (ô apud Deum singulariter gratiosa) ut revera tibi sacratam, a quocunque discrimine sive ruina conservare incolumem perge, unaque greg tuum in unanimi semper pace confirma.

5. Quia ad sui cultum homines obligavit.

Oritur id quidem sufficienter ex eo, quòd sit Domina nostra: sed & prof tetur *Ecclesia Græca per S. Sabbam in Men 5. Jan. ode 9.* Illam, ait, benedictam mu mulieres ex debito in hymnis magnificamus, quicunque de fidelium numero s mus. Agnoscit hoc debitum & *Bernard. serm. de ejus Nativit.* & fontem ejus ostr de

dit. Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Et *Richard. à S. Laur. lib. 2. p. 4. de laud Virg.* Ex quo ad eam inclinati sunt cœli, & Rex cœlestis ad eam descendit humiliatus, quod innuebat Angelus dicens: *Dominus tecum* Luc. 1. benè debemus nos miseri visâ ejus imagine, vel audito nomine inclinari ad eam. *Et rursus.* Ante ejus altaria, sive ejus imagines, cùm recitatur nomen ejus, genua flecte, quia ipsâ dicit cum Filio Isai: 45. *Mihi curvabitur omne genu. S. Petr. Damiani* aliam debiti causam agnoscit, cùm ait: Hic rogo perpendite, quàm debitores simus huic Bmæ Genitrici Dei, quantasque illi post Deum gratias agere debeamus, illud siquidem corpus Christi quod Beatissima Virgo genuit, &c. nunc de sacro altari percipimus, & ejus sanguinem in sacramentum nostræ redemptionis haurimus. Eleganter *Acatius Melitensis hom. Ephes. in Patrum consessu habita.* Neque Deiparam quoque Virginem eo honore privaverim, quem dispensationis mysterium gratuitò ipsi impertivit: etenim charissimi, absurdum fuerit, crucem ignominiosam quæ Christum portavit cum altaribus Christi conglorificari, atque in fronte Ecclesiæ splendentem apparere: eam verò quæ ob tantum beneficium Deitatem suscepit, Deiparæ honore privari. *Bonavent:* Oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ semper debent esse: quia oculi omnium ad manus Mariæ semper debent respicere, ut per manus ejus aliquid boni accipiamus. Quod ipsum deducit *S. Joan: Damasc: orat: 2. de Assumpt: B. Virginis* Oportebat Dei Matrem ea quæ Filij erant possidere, atque ab omnibus rebus conditis, ut Dei Matrem adorari: quanquam enim ita semper comparatum est, ut hæreditas à parentibus ad filios devolvatur: nunc tamen ut eruditi cujusdam viri *(Eurip. in Medea)* verbis utar, sursum sacrorum fluminum fontes fluunt; etenim Filius Matri in servitutem res omnes addixit. Commendat hoc ipsum *Venantius Fortunatus Episcopus Pictav.* dicendo. Gratius est obsequium Deo, quod Mariæ impenditur, quàm quod Sanctorum cuilibet exhibetur. *Dionys: Carthus: lib: 2. de vita, & fine solitarij art: 7.* Elucescit nos hanc DEI amantissimam & superexaltatam Virginem sacro sanctam Mariam, post Deum debere venerari sublimiùs, amare ardentiùs, contemplari sinceriùs, semper reminisci atque contemplari tenaciùs, neque enim est aliquid post Dëum tam magnũ, tam bonum, tam sanctum, tam necessariũ ut ipsa. *Leo X. in diplom. pro Ecclesia Laures.* Glorioſissimæ Matris Dei Mariæ, à cujus laudibus sicuti neminem cessare fas est, ita, ad illas explendas neminem sufficere arbitramur. *Pelbartus in Stellario lib. 12. part. 1. artic. 1.* ostendit, quòd magis obligati sumus ad colendam Virginem, quàm Angeli, & sic argumentatur: Quantò crescunt dona, tantò

& rationes crescunt donorum: tantò ergò ad serviendum Deo promptior quisq; debet ex munere, quantò se obligatiorem conspicit in reddenda ratione; B. vero Maria Dei Mater majora dona exhibuit hominibus, quàm Angelis, ergò magis homo tenetur diligere, in quantum poterit, quàm Angelus. At nos cum Petr. *Damian. serm. de Nativ. B. Virginis.* Felices Angelici Spiritus, qui B. Virginis habere præsentiam, nos interim memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructamus. Si sic dulcis est memoria, quid erit præsentia?

6. Quia est tota dulcis, tota suavis.

Id omninò ita esse lectis sequentibus historiolis quisque judicabit. S. *Idesbaldum* de se concionantem amplexata. *S. Bernardus* cùm urbem Spiram intrâsset pacem inter Principes Imperij compositurus, & junacturus arma contra Turcam parantem exterminium nomini Christiano, statuam B. Virginis spectante omni Clero, & populo salutavit illo *Salve Regina &c.* cui audientibus omnibus respondit: *Salve Bernarde.* Statua Spiræ asservatur & miraculis claret, ubi hæc historia in marmore brevi rythmo incisa videtur. *Sorori S. Amedei Episcopi Lausanensis* donavit Deipara chirothecam laneam. *Gibbonus Author. B. Hermannus* (ut in vita ejus *Sur. 7. April.*) suas delicias sic describit, causam reddens, cur audito nomine Mariæ se humi abjiceret, & diutiùs hæreret. Ecce quoties ad nomen Sacræ Virginis me humi abjicio, odor omnium florum, & aromatum, tantâ suavitatis copiâ è terra influit in nares meas, ut semper illi hærere vellem, si liceret: spe enim recreationis hujus, ad prosternendum me festino, sed quia ægrè tantâ privor delectatione tardus sum ad surgendum. *De eod. ibid. refertur:* quod per Angelos Virgo Sancta voluerit se illi in Sponsam tanquam Josepho tradi, & pro Hermanno nomen Josephi assumere, novum Sponsum jusit. Cùm idem Hermannus ad quoddam monasterium Virginum esset descensurus, Virgo hæc prævenit, & monuit moniales, ut hospitem Hermannum omni humanitate acceptarent. Venam curaverat aliquandò Hermannus incidi, & incubuit lecto cum periculo venæ, monuit Virgo jacentem, ut situ securiore decumberet. Eidem, ut & B. Stanislao Kostka JEsum infantulum tradidit. Aliquandò rigidiore hyeme sacrum longiusculum celebrabat, interea latera ejus cingebant Jesus & Virgo, hic unum, alterum illa, nè frigore affligerentur fovebat. Accidit ut in faciem prolapsus duos dentes effringeret, eos ubi in manū accepit, Virgo comparuit, & interrogat veluti ignara, quid manuteneret? necdum casum exposuit, tum ori & integritati dentes restituit.

stituit. *Baron. ad annum* 1028. hoc quod sequitur de *Fulberto Abbate Ferrariensi* scribit, quòd illi ægrotanti per visum apparens D. Virgo sua ubera sugenda præbuerit. *Alano Rupensi* cùm imperaret prædicationem rosarij, promisit se concionanti Adjutricem futuram, miracula patraturam, annulum ex digito suo detraxit, quem ex suis crinibus contextum habuit, & Alano donavit, *ut est in ejus vita. Petrus Damiani de quodam Clerico* Nevernensis Ecclesiæ, ægro, sed cultore Virginis scribit, quòd D. Virgo ejus ori lac suum instillaverit, & sic eum sanaverit, *hæc Damiani lib. 6. epist. 29. Surius vero 23. Jun. in vita B. Mariæ Oegniacensis* narrat, quòd hæc B. viderit D. Virginem cum flabello assidentem cuidam viduæ suæ cultrici febribus æstuanti, atque ita temperantem æstum morbi. De *S. Edmundo Archiepisc. refert de Natalibus lib. 10. cap. 68.* dum ad lumen studeret, atque tantillùm obdormijsset, ventus lumen extinxit; sed ille excitatus nomen Virginis invocavit, statimque lucerna accensa est. Ex *B. Vladislai Poloni Cisterciensis* mortui corde enata arbor, in cujus foliis nomen Mariæ apparebat. In *B. Eustachij ejusdem Ordinis* post mortem lingua aureum Ave Maria apparuit, *Hæc recitat Catalogus SS. Ordinis Cistercienſis.* An non blandam se illi exhibuit homini improbo, de quo *S. Petrus Coelestinus opusc. 6. cap. 23.* Huic devotè quotidiè Virginem salutare consuetum fuit: contigit ut dum eam salutaret, immanis in eum fames irrueret, adfuit D. Virgo cum cibo optimo, sed in sordidissimo vase posito: hic homo ad cibum fame abripi, sed fœditate vasis coerceri, jubet Virgo, ut comedat, ille propter immunditiam vasis renuit: tum Virgo subjicit, de tali sibi vase ab eo salutationes sibi offerri, compunctus visione abijt in rem, & vitæ reliquũ sanctissimè exegit. *Aliud idem refert S. Papa opusc. 5. cap. 6.* Cùm quidam vellet templum erigere in cœmeterio Judæorum, & illi concedere recusâssent, nisi ipsa Virgo Diva ossa eorum humo extraheret, sequenti die omnia ossa exhumata sunt reperta. Cùm struerent *Constantinus Magnus* Divæ Virgini templum in Gallia *teste Greg. Turonensi*: neque columnas præ magnitudine architectus erigere posset, erat enim uniuscujusq; illarum diameter longa pedes sedecim, Virgo Sancta comparuit, & jussit ut tres pueri è schola vocati columnas illas grandes in altum proveherẽt, quod & factũ. *Maraccius cap. 37. Fundat. Mariam.* narrat de *Joanne à Cruce* Carmelita discalceato, Virgini devotissimo, quòd post mortem in ejus membris Conceptionis Virgineæ vila est imago. *Petrus Doultremannus in hist. Valentiana p. 3. cap 5.* ex authenticis tabulis recitat, quòd Judocus quidam Lebarretier habitabat Villæ (est mancipium Hannoniæ) dives, sed septimum jam annum lecto affixus, huic Virgo Diva per quietem apparet, ac partem terræ ab eo flagitat, in qua templum nomini suo extruatur, somnium ille

credidit, ac neglexit: sed Virgo rursus redit, ac hominem sanat, ille Curionem accedit, petitque consilium, rursus Virgo apparet, ac templum postulat: tum demùm ille liberaliter omnia offert: sed cùm essent dotales agri, de ijs sine consensu conjugis disponi non poterat, ideoque hæsitabat, quid ageret, (conjunx Aquisgranensem ad Deiparæ Ecclesiam, pro salute mariti obibat peregrinationem) en subitò ope Angelorum sistitur marito, ingens utriusque gaudium, & consilijs collatis, statuunt templum erigendum. Primo itaque diluculo sequentis diei, cum Prætore Villano, ac Curione alijsque amicis locum spectaturi abeunt in agrum: en aream vident filo serico ad virgulas albas terræ infixas circumdatam, hoc manifesto læti signo, aream Virgini dedicant, sed nondum suavitatis Virgineæ finis. Linum biduò ante satum illo fuit loci, hoc statim altera die maturum manus vellentium provocavit: erectum deindè templum, cœpit miraculis coruscare.

Sed jam erga Boloniam suavitatem spectemus. Loquuntur *Bolonienses historici ad annum* 635. Statua Virginis vecta est per Gallicum pelagus, absque velo, absque remis, & absque omni nautico instrumento, hæc in Bolonensi littore constitit, altero ad puppim, altero ad proram adstante Angelo: exceperunt hospitem gratissimam Wilbertus & Duda Comites Bolonienses, ac templum erexerunt; sed eo demùm præ senio labente, apparuit Virgo, & locum novo templo designavit, pro cujus fundamentis dum eruitur terra, thesaurum inveniunt, qui ædificando templo par fuit. Quod sequitur scribit *S. Greg. lib. 1. dialog. c. 9.* S. Bonifacius Episcopus Ferentinus elargitus in eleemosynam depositos apud se sui nepotis aureos duodecim, quos cùm nepos importunè repetit, nec habet unde Episcopus refundat, confugit ad B. Virginem, quæ illi aureos supra pallium demisit. Puella septennis à Deipara petens psalterium, & legendi peritiam, utrumque consecuta. *Th. Cantipr. lib. 1. Apum cap. 23.*

7. Quia ita est venerabilis, ut qui illi non servit fiat miser.

Sic eos *Ecclesia Græca in Menæis* 30. *Martij* detestatur, qui cultum Virginis abjiciunt. Simul & inimicissimi nobis, & planè execrādi videntur, qui tuam ô Virgo Filijq; tui imaginem adorare detrectant: propterea quòd dicto audientes non sunt Divinis Patrum nostrorum decretis. *Joannes Eviratus Monachus in prato cap. 46. cujus historias Synodus 7. approbavit*, cùm retulisset de quodam Eremita vehementer agitato impuris insultibus, & quòd dœmon illi pacem promitteret, si cultum B. Virginis relinqueret: addit, quòd illi consulenti Abbas Theodorus vir permagnus fic

sic respondit: Illud persuasissimum tibi esse debebit, levioris esse flagitij in quodlibet lupanar urbis intrare, quàm Deo ejusque Matri debitum cultum & religiosum honorem denegare: etsi enim libidinis & scortationis execrabile sit scelus, & pœnis æternis vindicãdũ: impietas tamẽ quæ à vera nos religione avocat, quæq; Deum & Dei Matrem alterum altero religionis genere venerari nos prohibet, multò est libidine ipsa deterior. *Maximus Abbas & Martyr.* Qui non dicit Dominam nostram omni hymno celebrandam, & sanctissimam, & immaculatam, & omni intellectuali naturæ venerabilem, naturalem verè Dei Matrem factam, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: esto anathema, à Patre & Filio & Spiritu Sancto, consubstantiali Trinitate, & ab omni virtute cœlesti, & choro SS. Martyrum, omnique Spiritu in justitia consummato, & nunc & semper in sæcula sæculorum Amen. Mitiùs est habitus sed tamen castigatus *B. Eskilus Danorum Archiep. de quo Christoph. Henriquez: in Fascic. SS. Ord. Cisterc. lib. 1. d. 30.* Hic adhuc puer annorum circiter duodecim missus causâ studiorum ad Hildesemensem Academiam, in Saxonia morbo correptus gravissimo, & supremis munitus sacramentis, extra se abreptus, videbatur positus prope quendam clibanum ardentem, à quo subitò abreptus, in eo tamen exitum reperiens, ad locum aliquem liberum ab igne erepsit, & progressus ad quoddam pallatium, in quo B. Virginem Regali Majestate conspexit inter Angelos, illam ergò accessit petendo misericordiam: sed eum nec respicere dignata, imò minaciter allocuta, jubet quantocitiùs ad ignem redire; assistebant Virgini inter alios, Episcopus civitatis Decanus, & quidam Canonicus, horum implorabat preces Eskilus, qui etiam orabant pro eo Sacrosanctam V. sed illa respondit. Quid est quod rogare præsumitis pro adolescente isto vanissimo, meoque respectu indigno? hic enim perversus ac lubricus, nunquam me honoravit, neque salutationem meam vel una vice repræsentavit, tum ipsemet adolescens cœpit orare: Miserere mei pijssima Domina, miserere mei Miseratrix humani generis, & nè claudas à me misero inexhausta viscera misericordiæ tuæ, quia paratus sum amodò & usque in sempiternũ servire tibi, & te super omnia post Deum venerari; quod si genitor meus istam calamitatem agnosceret, maxima auri pondera pro mea liberatione libenter impenderet. Talia cùm oraret, jam serenatâ facie Sancta Mater respectans ait: Quid igitur putas, num quòd valeas te ipsum apud me condigno pretio redimere? in hoc enim me forsitan placare posses, si congruum mihi pro tua redemptione pretium persolveres, tum ille fiducialiùs accessit, ac dixit etiam atque etiam, clementissima Domina, ego me optimè redimam, & quidquid mihi jusserit Dignatio tua, libentissimè

tissimè faciam, tantummodò mihi propitia esto, nec me in illum ignem cruciandum ampliùs remittas. Cui Regina. Volo igitur ut de quinq; generibus annonæ, 5. mihi modios, hoc est de singulis singulos non negligas reddere, quo ille audito respondit alacriter; charum est mihi ô charissima Domina, quod imponis mihi, valdeq; jucundum, & ego mensuram bonam & confertam, & coagitatâ, & superfluentem dabo in horreum tuum; quod cùm ille promisisset; pro illoque fide jussissent prædicti intercessores, jussus ad humana redire: tum subitò confidens cœpit in lectulo clamare cum gaudio. Benedictus Deus ego liberatus sum, & amplius non ardebo. Gratias ago tibi Sancta Dei Genitrix Virgo, quæ me liberâsti ab incendio isto, & amplius non ardebo. Interrogantibus quid rei esset? respondebat. Deo gratias ago, non ardebo. Tandem processu temporis, intelligens per quinque modios, quinque monasteria ille erexit, & in uno eorum sanctissimè mortuus.

Omitto quas Deus pœnas de blasphemantibus Virginem sumpsit, neque enim numerus facilè exemplorum finiretur. Illud quotidianum est, quod supra oppidum Mercuriale ad fines felicis Campaniæ contigit ad imaginem dictam è monte Virginis; quia ille locus coli solet abstinentiâ à lacticinijs, & carnibus: si quis intulerit in eum solummodò quidpiam tale, sive casu, sive oblivione, sive ignorantiâ, repentè cœlum ipsum excandescit, ingentes pluviæ, ac procellæ excitantur: imò si quæpiam fœmina (ut mos illius gentis) intret juncto adipe capillicio, ita cœlum vindicat, donec refectum capillicium exuratur. Pœnam hic tantùm unam apponam, non tam blasphemiæ, quàm cujusdam diffidentiæ *ex relat. P. Pauli Castelliti.* Dum sculptor imaginem ligneam formaret, quæ nunc Refaldensis appellatur: interrogatus à quodam amico, quandonam illa primum esset patratura miraculum? respondit, postquàm sibi è capite emersissent cornua, ecce rem novam! suâ se temeritate damnavit, & repentè cornutus apparuit, deditque initium colendæ statuæ. *B. Alanus de Rupe lib. de psalt. cap.* 11. sub finem. Secretum jam pandam tibi Divinæ providentiæ: scias enim & securè intelligas, quod & indilatè alijs patefacias, quòd videlicet signum probabile est, & propè quum æternæ damnationis, horrere & adtædiari, & negligere Salutationem Angelicam, totius mundi reparativam, habentibus verò devotionem ad hanc, signum est ordinationis, & prædestinationis permagnum ad gloriam. *Idiota hic spectat dictum de laud. Virg.* Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur, quicunque non sunt scripti in libro tuo ô SSma Virgo. Refert *Rogerius de Hoveden. p. 2. edit. Anglicanorum in Richardo ad annum* 1198. in civitate quadam Italiæ,

Italiæ, non longè à Januis accidisse. Civis quidam effectus energumenus, mox plures: acjam tot ut quisque sibi metueret, nè quisque simili casu corriperetur, advocârunt itaque Abbatem de Luccio Ord. Cisterc. & alios viros religiosos in consilium, statutum, ut ab omnibus triduò jejunaretur, tum Abbas in nomine Jesu dœmoniacos spiritus allocutus, cur hanc civitatem diu vexarent? respondet unus ex ijs, nos exire cogitis ex vasibus nobis rationabiliter concessis, nos sumus illa legio dæmonum, quam JEsus vester ab homine ejectam, permisit præcipitare porcos in mare, nunc autem vinculis, quibus tenebamur soluti, potestatem accepimus, in blasphematores tantùm Virginis Mariæ; in hac igitur civitate invenimus tales, inventos sicut dignum est invasimus. *In Concil. 2. Niceno* refertur. *Constantiam Constantiæ Cypri Episcopus* sequens miraculum retulit. Rusticus quidam (prædictæ civitatis) cùm ingressus fuisset templum Deiparæ, vidensque imaginem depictam in pariete, arrepto stimulo, quo boves agitare solebat, oculum dextrum imaginis pupugit, & delevit, confestim verò ut egressus est, cùm voluisset stimulo agitare boves, ferrum subitò confractum est, cujus particula advolans contra oculum dextrum rustici, illum penitùs contrivit, & in terram dejecit. *Damian. lib. 6. cap. 32.* in S. Virgine, refert ruinam, & calamitates multorum monasteriorum, quia cultum S. Virginis neglexerunt, ita enim inquit: Quia Matrem veræ pacis de suo monasterio projecerunt, dignum est ut inquietis, calamitatum, tribulationumque procellis atque turbinibus agitentur. *B. Hermannus* ita cecinit Virgini. O amæna vitæ vena, languet mea mens egena, nil est valens, te non habens, perit vadens, malè tabens, gaude Virga nunquam arens, aret autem tui carens. Quia ut *Anonymus in Bibliothec. Vatic. allegatus à Maraccio in notis Marialis Adæ Perseidæ in fine.* Hæc est Mulier, quæ ubicunque non est, non est nisi gemitus, & egestas. Eccl. 36. *Ubi non est mulier, ingemiscit æger.* Ubicunq; enim non est Maria per gratiam, non potest esse nisi miseria, & egestas. *Surius in vita S. Donnoli Episc. Cænomanensis.* Quidam occupavit villam B. Virgini dicatam, hunc accessit S. Donnolus dehortando à malo, sed cùm nihil proficeret, manum Dei imploravit, quæ cogeret sacrilegum ad id reddendum, quod abstulit; immissa ergo homini febris, sed ille neque sic ad pietatem incubuit: tandem una nocte conspexit Virginem S. quæ illi ferreo malleo vulneravit frontem, tum ille insanus emisso sanguine sapere cœpit, & ablata quàmprimùm reddere, reddita & illi sanitas, sed cicatrix in memoriam pervicaciæ relicta in fronte.

Minùs peccaverat S. Edmundus Cantuariensium Episcopus, neque tamen impunè tulit. Scribit *Maraccius in Antistit. Marianis pag.* 149. Habuit ille quondam

singulis diebus S. Virgini dicere orationem, accidit ut studijs abstractus sui moris obliviscceretur, sequenti nocte B. Joann. Evang. illi cum ferula comparuit, ut primam Edmundi percuteret, quo vehementer terrebatur Edmundus, sed & B. Joannes mitior fuit, & contentus minis, sed imperavit sedulò, nè unquam omitteret prædictam orationem. Scribit *Raynius annalium lib. 12. quod anno 1180. acta & ab Alexandro III. examinatum & approbatum.* Erat quidam prædives Burgensis in loco, qui dicitur Rota Amatoris in Gallia, à quo monachi Ecclesiæ S. Mariæ & S. Amatoris mutuò acceperunt pecunias, cortinas illius Ecclesiæ tradentes illi loco pignoris; imminente autem festo Dei Genitricis, rogârunt prædicti monachi, ut illas cortinas pro triduo concederet Ecclesiæ, quibus exornaretur, negavit ille asserens illas esse circa lectum suæ mulieris, quæ nuper ei puerum pepererat: transijt itaque festus dies sine ornatu, tum B. Virgo uxori in somnis apparuit, & dixit: Vir tuus peccatum grande commisit, nec poterit impietatis excessus derelinqui impunitus, tertiâ enim die infans tuus spiritum exhalabit, & vir tuus morti debitum solvens, in die octava mutabit hanc temporalem felicitatem supplicijs æternis; tu autem proficiscêris ad Ecclesiam meam, quæ est in Bethleem, & circumspectis ibi tribus sepulchris, quorum quidem extrema duo vacua non sunt, medium tibi eliges in sepulchrum, interim omni feriâ quartâ, circa horam nonam deficiet in te spiritus tuus, & decurret ab ore tuo, & naribus sanguis multus, & usque ad horam nonam sabbati veluti mortua permanebis, quæ omnia juxta ordinem evenerunt. Hanc ipsam severitatem jam olim in Judæos exercuit; nam vera est *D. Brunonis sententia serm. de Annunt.*: Nulla est creatura quam sic Judæi odio habent, sicut Matrem hanc & Filium. Videamus & pœnam. Horribile fuit Hierosolymorum excidium, contigit verò illud sexto idus Septembr. hoc est Natali ipso Virginis. *Josephus lib. 6. de bello cap. 14. 15.* idque Sabbato, quæ dies Virgini dedicata, ut Justitia Divina ostenderet, non modo sacrilegium illorum commissum in Dei Filium, sed etiam scelera in Virginem admissa se puniisse.

8. Quia ipsis Angelis Nobilior.

S. Thomas opusc. 4. Excepit Maria Angelos in tribus, in quibus excedebat cæteros homines, videlicet: gratiæ plenitudine, familiaritate Dei, & puritate. Hinc *S. Ephrem orat. de Virg.* Sublimior es cœlicolis, purior solis radio & splendoribus. *S. Ignatius M. epist. ad Joann.* In Maria Matre JEsu humanæ naturæ, natura sanctitatis Angelicæ sociatur. Valdè desidero aspectum hujus cœstis prodigij, & sacratissimi spectaculi. Id mihi figurâsse videtur *Exod 35.* constructio tabernaculi ad quod unusquisq; quod optimu habebat offerebat extruendum, Principes aurum,

rum, argentum, nobiliores purpuram, fœminæ coccinum &c. nam verba Sap. de Sapientia: *Dominus dilexit eam, doctrix enim est disciplinæ Dei, & electrix operum ejus* Virgini applicat *S. Maximus Episcopus Tyri*, & *S. Juvenal. Episc. Jerosol: serm. de Assumpt.* quia omnia optima sibi elegit. Idque insinuare videtur vox Sponsi Cant. *Murenulas aureas faciemus tibi, LXX. legunt.* Similitudines aureas optimas faciemus, ut sit mons in vertice montium, amicta sole &c. exaltata sicut palma, sicut lilium inter spinas. *Rupert. lib. 6. in Cant.* Quandò Spiritus S. in te supervenit, & Filium Virgo concepisti, tunc tu, & extunc pulchra pulchritudine Divinâ. Indè *Euthimius orat. de adorat: venerãdæ zonæ Deip. cap. 8.* Propriè verèq; est Deipara, quæ est altior & superior, quavis re creata, tam quæ sub aspectum cadit, quàm quæ non cadit, quæ est pura, impolluta, intacta Patris, qui nec videri, nec comprehendi potest, ab omni reprehensione aliena, & pulcherrima Sponsa, & benedicta. *Franciscus Seraphicus tom. 1. opusc: in Salut. ad B. Virg.* Ave Domina Sancta, Regina Sanctissima, quæ es perpetua Virgo, electa à SSmo Patre de cœlo, quam consecravit cum Sanctissimo Filio & dilecto, ac Spiritu Sancto Paraclito, in qua est, & fuit omnis plenitudo gratiæ, & omne bonum. *S. Epiph. orat. de laud. Virg.* Gratiâ plena es B. Virgo, solo Deo excepto, cunctis superior existis, naturâ formosior & ipsis Cherubim, & Seraphim, & omni exercitu Angelico. *Richard. à S. Laur. lib. de laud. Virg. cap. 4.* Non mirabile videretur, si multis gratijs plena diceretur, neque tàm una, quàm plena ostenderetur, omnibus fortasse simul sumptis: sed ita gratiarum plena est, ut unâquâque gratiarum plena sit. *Et postea.* Incrassatæ enim erant in ea gratiæ, dum quælibet eam totam implebat, & occupabat, & quasi propriam sibi vendicabat. *Et postea.* Sic usque quâque gratiâ plena fuit, quia majorem gratiam habere non potuit, nisi ipsa Divinitati uniretur, hoc est nisi ipsa esset Deus. Hæc est plenitudo, de qua specialiter dicit Angelus. *Ave gratiâ plena.* Hæc ita propria est Bmæ Virgini, quòd etiam Angelus proprium nomen ejus tacuit, & hoc quasi pro nomine ejus proprio posuit, ut plena gratiâ deinceps vocaretur. Hinc illam compellat *S. Andreas Cret. orat. de dormit. Virg.* 3. O Sancta & Sanctis sanctior, atque totius sanctitatis super sancte Thesaure. Et *S. Augustin.* sic Divam V. affatur *serm. de Incarnat.* Tu tota pulchra, tota formosa, tota delectabilis, tota gloriosa, tu maculâ nullâ fuscaris, tu omni decore vestiris, tu omni sanctitate ditaris, tu super omnes Virgines sancta in carne, tu super omnes Angelos, & Archangelos, sancta in mente, tu cunctas fœminas vincis pulchritudine carnis, & omnes Spiritus Angelicos excellentiâ sanctitatis, tu plena Deo, plena Spiritu Sancto.

Accedat his sensus ipsius *Angeli quem expressit cap. 5. ejus sermonis quem dixit B. Brigittæ de Virginis excellentia.* Sine omni ambiguitate credendum est, Deum in te (ô Maria) ante tuam creationem plures prævidisse virtutes, quàm in omnibus herbarum, florum, arborum, fructuum, lapidum, gemmarum, seu metallorum generibus, quæ inveniri possent in totius orbis amplitudine. *Suar. tom. 2. disp. 21. sect. 3. & 4.* docet Virginem videre in Verbo, quidquid omnes homines & Angeli pariter. Quia ut *B. Ildefons. serm. 2. de Assumpt.* ficut incomparabile est, id quod gessit, & inæstimabile quod accepit, ita & incomprehensibile præmium gloriæ, quod promeruit. *S. Bernardin. tom. 1. serm. 61. cap. 3.* Tanto lumine illustrata fuit B. Virgo, etiam cùm adhuc esset in ventre matris, ut non tantùm plena fuerit lumine rationis, sed etiam altissimæ contemplationis, eò sublimata, ut Deum perfectiùs contemplaretur in utero matris, quàm alius in ætate perfecta: magisque deindè excessit in contemplatione dormiendo: quàm aliùs vigilando. *Bonavent. spec. cap. 13.* Tanta gratiarũ copia in Maria abundavit, ut etiam ipsa gratiosa Virgo Gratia quodammodò potuerit appellari. *S. Bernardin. tom. 3. serm. 11. art. 3. cap. 2.* Sicut Filius Mariæ est Sanctus Sanctorum, ita constat quòd Mater quæ ipsum portavit est Sancta Sanctarum. *Hieron. in psal. 18.* Maria interpretatur Stella maris, lumen solis magis lucet quàm stellarum, Sol justitiæ Dominus est, ut ait Prophera: Orietur vobis Sol justitiæ, quod est Christus, illuminavit Sol iste Stellam, id est Mariam, ut esset sicut Sol, ideò posuit tabernaculum suum in Sole, quoniam corpus assumpsit ex utero suo. *S. Thom. in 1. dist. 44. q. unic. art. 3. ad 3. in edit. Romana facta Pij V. jussu.* Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliud creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nullâ contagione peccati sit inquinatum, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit, fuit tamen sub Deo, in quantum in ea fuit potentia ad peccandum. *S. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 44. parag. 9.* Incessabilitatem charitatis habuit B. Virgo super Seraphim, quod sic probat *Albert.* Magis incessabile est, quod non cessat, nec potest modò cessare, nec unquam potuit cessare, quàm quod non cessat nec potest cessare, sed tamen potuit aliquandò cessare: sed charitas Seraphim etsi non potest modò, potuit tamen aliquandò cessare, scilicet in prima eorum conditione, quod patet per exemplum luciferi, qui secundum *B. Gregorium*, supremus fuit de ordine Seraphim, qui à charitate sibi collata cecidit de cœlo: sed charitas B. Virginis nunquam potuit cessare, quod ostenditur per hoc, quia charitas non potest cessare, nisi per mortale peccatum, sed nunquam potuit peccare mortaliter, quia in utero sanctificata, antequã posset peccare, per ipsam sanctificationem

ita fuit confirmata in gratia & charitate: quòd postea peccare non potuit, etiam venialiter, undè nec amittere charitatem.

9. Quia est Primas reparati generis humani.

Dixit id *S. Sabbas in Men. 1. Jan.* Architectus & Dominator omnium DEus, ex incorrupto utero tuo carne susceptâ, humani te generis Primatem creavit, ô Domina nulli unquam reprehensioni obnoxia! Et *Joannes Eucharita 30. Jan.* Hominum res Divinas intelligentium chorus, justorum memoriam cum encomijs celebrat, inter quæ encomia gloriosæ laudes Genitricis Divinæ miscentur, ut quæ caput est justorum & non minus inter postremos, ac medios justorum ordines, quàm inter primos propriâ cuique sanctitate præcellit. *S. Thomas Episcopus Valent. conc. 3. de Nativ. B. Virg.* Sicut in creatione mundi in homines collata est omnis creatura, ideo microcosmus: sic in reformatione mundi in Virgine collata est omnis Ecclesia; & Sanctorum perfectio undè microcosmos Ecclesiæ dici potest: quidquid in quolibet sancto illustre fuit, in illa fuit. *S. Bernardin. tom. 1. serm. 6. a. 1. c. 4. producit Glossam in Cant. 4. & sic ex Glossa ratiocinatur.* Propterea conqueritur Dominus de Virgine dicens: Vulnerâsti cor meum, *ubi Glossa:* Amore tuo carnem assumpsi, & vulneribus prima in cruce vulnerâsti cor meum: scilicet quòd Sanctam & specialiter, & ante cæteros redemerit, & ut Adamum Primatem, ita illam Primatem generis humani constituerit, & Matrem. Sed hoc ipsum *idem Sanctus ulterius loco citato explicat dum ait:* Nam primogenita Filij sui fuit, plusquè pro illa redimenda in mundum venit, quàm pro omni alia creatura. Consonat *S. Antoninus 1. p. tit. 15. cap. 14.* Dignitate quoque est Mater: nobilior enim est & gratiâ, & gloriâ, omni purâ creaturâ; quod autem est primum in unoque genere, est quasi causa aliorum. *Et paulo post.* Ipsa enim ante sæcula prædestinata est, ut esset principium ex quo recreandum fuit omne creatum, & sic dicitur de ea: Dominus possedit me in initio viarum suarum, id est ut sim prima omnium creaturarum, quæ puræ creaturæ sunt. *Et rursus S. Bernardin. serm. de Assumpt.* Plus pro Virgine redimenda is venit quâ pro omni alia creatura, juxta illud Cant. 4. *Vulnerâsti cor meum Soror mea, Sponsa,* pro amore tuo carnem sumpsi, & vulneribus prima vulnerâsti cor meum. Nam Primogenita fuit Redemptoris B. Virgo. *S. Ambros. in Lucam.* Nec mirum si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit à Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. Certè tota Ecclesia Virgini applicat illud: *Dominus possedit me initio viarum suarum:* atqui hæc vox *possedit* ut *Oleaster* osten-

dit legi potest *redemit*, ut sit sensus: Dominus redemit me initio viarum suarum. Ita Exod.15. *Populus iste quem possedisti. Chaldæus.* Quem redemisti: Deut.32. *Nonne ipse est Pater tuus qui possedit te. Oleaster legit.* Qui emit te redimendo. *Vatablus.* Qui te in libertatem asseruit. *Idem sentit Amedeus Lausanens. hom. 9. de laudibus Virginis.* Eva infecta est veneno lethali, quod transfudit ad posteros: Maria infusa est vitali antidoto, quod fidelis transfudit ad universos.

10. Quia omnia à DEo impetrare potest.

Quomodo enim illa Divina potestas tuæ potentiæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis sucepit originem? accedis enim non solùm rogans, sed imperans, Domina, non ancilla. Ait *Petrus Damiani. serm.1. de Nativ. Virg.* Non potest obviare, non potest. Data, inquit *Bernard: serm. 1. in Salve Regina*, est ei omnis potestas in cœlo & in terra, & in manibus ejus vita. Undè in *Ecclesia Græca in Men.18. Jan.* O quæ Matre dignam quidlibet à Filio postulandi authoritatem habes! rogamus te ut generis nostri, quod tibi cognatum est curam nè deseras: nam te solam nos Christiani apud Dominum pro singulari ad clementiam nobis exhibendam illecebrâ usurpare solemus. Jam cum S. *Sabba Men.5. Jan. ode 3.* petamus. Postessum à te gregem ô Deipara ubi necessitas fuerit ab ea incolumem serva, patrocinio tuo nulli unquam repulsæ obnoxio, Salvatorem nostrum, ac Deum exoraas. Quæ ut *Greg. Nicomed. orat. de oblatione Deiparæ.* habes ut Mater fiduciam in Filium; quæ quidem fiducia ab eo repelli non potest: habes vires insuperabiles, nihil resistit potentiæ tuæ, tuam gloriam Creator esse propriam putat, & tanquam Filius in in hac tua gloria exultat, & quasi exsolvat debitum, sic implet petitiones tuas. Ideoque orat *Ecclesia Græca Men.7. April.* Me omnipotenti illo tuo patrocinio promove: nam quidlibet potes ut Mater illius, qui omnia potest. *Idem 3. Maij.* Tibi est omnimoda libertas à Filio tuo quidlibet poscendi, sine ullo metu repulsæ. Ita ejus potentiam describit *S. German. de zona cap.12.* Quis ea quæ corrigi non possunt adeo excusat sicut tu? tu enim cùm habeas Maternam apud tuum Filium fiduciam, & potentiam, nos qui sumus condemnati, & non audemus altitudinem cœli intueri, tuis intercessionibus efficis familiares, & das salutem, & ab æterno liberas supplicio. *S. Antonin. 4. p. tit.15. cap.17. parag.4.* sic argumentatur. Oratio Sanctorum non innititur alicui rei ex parte sui, sed tantùm misericordiæ ex parte Dei; oratio autem Virginis innititur gratiæ Dei, & jure naturali, & justitiæ Evangelij, nam Filius debet nõ tantũ audire Matrem, sed & obedire juxta illud Apostoli:

Filij

Filij obedite Parentibus vestris, quod est de jure naturæ. *Et paulo post.* Oratio Deiparæ erat nobilissimus orandi modus, tum quia habebat rationem jussionis, & imperij, tum quia impossibile erat eam non exaudiri, juxta illud, quod in ejus figura dixit Salomon matri suæ Bersabeæ 3. Reg. 2. cùm aliquid petere vellet: *Pete inquit mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* S. Bonav. *Spec. cap.* 8. Quia Dominus potentissimus potentissimè tecum est, ideò & tu es potentissima secum, potentissima es per ipsum, potentissima apud ipsum, ita ut dicere possis illud Eccles. 24. *In Jerusalem potestas mea:* nam in Jerusalem id est in Ecclesia triumphante, & militante potestatem habet Mater potentissima Creatoris. Oret per impossibile aliquid à Deo totum cœlum, cum omnibus Sanctis, & Angelis, oret ejus contrarium Virgo, nullus valor erit totius cœli precum, respectu Virgineārum. *In Jerusalem potestas mea.* Ut *Ernestus Pragen. de encom. Deip. cap.* 8. In stella polari, in quantum est cardo cœli, vel polus arcticus notatur immensitas potestatis Mariæ: duo quippè cardines cœli; JEsus & Maria.

Idiota p. 4. *contempl.* 18. Omnipotens Virgo quæcunque volueris facere illa facis, consilium tuum stat, voluntas tua impletur, Tu es quæ vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis: omnia potes ex dono Filij tui, à quo omnipotente omnipotens effecta es, quia non est potestas nisi à Deo, undè potes dicere: *Data est mihi omnis potestas in coelo & in terra.* Sic & *S. German.* eam invocat. Certè Domina Dei Parens, certè meum Refugium, Vita, & Defensio mea, Arma & Gloriatio, Spes & Robur meum, concede mihi, ut ego quoque fruar inenarrabilibus tuis bonis in cœlesti patria: habes enim sat scio cum tua voluntate concurrentem potentiam, ut quæ sis Mater Altissimi, & propterea audeo: nè ergò priver meâ expectatione ò Domina intemerata, quæ universorum expectationem supra rationem peperisti. *Ruisbrochius lib. de 7. amoris gradibus. c.* 8. Omnis gratiæ, ac pietatis seu misericordiæ Mater est, & Advocata, & Mediatrix nostra, media intercedens inter nos, & Filium suum, qui nihil ei petenti negare potest: cùm sit ipsius Mater, sedeatque ad ejus dexteram Regina cum ipso coronata, & Domina potens in cœlo, & in terra supra creaturas omnes exaltata, & ipsi proxima. Quocirca *Eccles. Orient. 16 Mart.* sic testatur. O Virgo, quæ es maxima, quidlibet à Deo impetrandi Fiducia, & simul expectationis meæ tam certa Coronis, ut falli non possim. Sed oriri potest quæstio, si ita omnia potest, cur non semper exaudit? Respondet S. *August. lib.* 22. *de Civit. cap.* 22. *in simili.* Quamvis sint per Sancta & Sanctos curationum magna solatia, tamen non semper etiam ipsa beneficia tribuuntur petentibus, nè propter hoc Religio quæratur, quæ propter aliam magis vi-

gis vitam ubi mala non erunt omninò ulla quærenda est. Et *Chrysost. hom. 3. in epist. ad Coloss. ubi loquitur de virtute nom. JEsu.* Si non abegeris morbum, non hinc est, quòd infirmum sit hoc nomen, sed quia morbus utilis est. Quod ipsum confirmat *hom. 8. ad Romanos.* Si multi extitêre qui illo invocato sanati minime fuerunt, accusare debent modicam suam fidem, non verò nominis infirmitatem.

II. Quia est Spes omnium.

S. Sabbas Men. 3. Jan. ode 3. In te quæ nulli unquam culpæ affinis fuit, spem meam omnem repono: unaque lætus ad te omne ingenium meum, animumque converto. *Idem ibid. 3. Jan. ode 4.* Apud te omnem salutem meam, cuncta me tenet fiducia, vitamque per te dirigendam depono, ô gratiâ plena Mater & Virgo! Et *Damasc. orat. 1. de dormit. V. M.* Tibi nos hodiernâ die assidemus ô Domina, Domina, atque iterũ dicam Domina, Dei Genitrix Virgo, animas nostras ad spem tuam non secus, atq; ad firmissimam quandã anchoram alligantes, mentes, animã, corpus, totos deniq; nos dicãtes tibi, atq; consecrãtes. Etiam S. *German. Patriarch. orat. de Deip.* Certè Domina Deipara es, certè meũ Refugiũ, Vita, & Defensio, Arma & Gloriatio, Spes & Robur meũ. S. *Ephrem orat. de B. Virg.* Sub alis tuis custodi me, & protege me, & miserere mei, non mihi alia fiducia ô Virgo sincera, tuenda. Portus meus ô Virgo inviolata, & præsens Auxiliatrix, denique sub tutela & protectione tua totus sum. Monet S. *Bernard. super Missus.* Intuemini quanto devotionis affectu eam à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit delicijs affluens. Rursus *Ephrem orat. ad S. Virg.* Dei Sponsa, Domina nostra, unica Spes desperatorum, oppressorum Subsidium, & ad te currentium Auxilium præsentissimum, omnium denique Christianorum Perfugium. S. *Thom. Villanova conc. 3. de B. V. Nativit.* Sicut pulli volitantibus desuper milvis ad gallinæ alas accurrunt, ita & nos sub velamento alarum tuarum absconditi, nescimus aliud Refugium nisi te, tu sola es unica Spes nostra in qua confidimus, tu sola Patrona nostra, ad quam omnes aspicimus. Cùm *Apoc. 12.* ait S. Joannes signum magnum apparuisse in cœlo, mulierem scilicet amictam sole, videtur mihi alludisse ad duodecim signa Zodiaci: DEus enim videtur olim signum Leonis incoluisse Oseæ 13. *Ero eis sicut leæna*, nunc Virginem Sol justitiæ ingressus, eam se ipso amicivit, & in ea homo factus. 2. Cor. 1. *Deus misericordiarum & totius consolationis* vocatur. *Greg. Nicomed.* Per te nos regnum cœlorum speramus assecuturos, te nostræ salutis Adjutricem, te auxilij nostri Patronam habemus, te proponimus,

mus, cujus ore noſtra dicatur excuſatio, te noſtræ fiduciæ circumferimus Gloriationem. *Bernardus ſerm. de Nativit. Mariæ.* Deus totius boni plenitudinem in Maria poſuit, & quidquid ſpei in nobis eſt, quidquid gratiæ ac ſalutis, ab ea redundat, quæ delicijs affluēs in cœlum aſcendit. *Idem paulo poſt.* Filioli hæc peccatorū Scala, hæc mea maxima Fiducia eſt, hæc tota Ratio ſpei meæ. *S. Ephrem orat. de laud. Virg.* Ave animæ noſtræ Spes fida, & optima. Explicat *S. Epiph.* quomodo ſit ſpes noſtra, *nam de laude B. Virg. inquit:* Mariam interpretari ſolemus Dominam, atque etiam Spem, peperit enim Dominum, qui eſt Spes totius mundi, nempè Chriſtum: hinc illam vocant. *S. German Epiſc. Conſtantinop. in encom. zonæ apud Metaphraſtem ult. Aug.* Præbeas nobis vitam æternam ô Spes Chriſtianorum! quæ pudore non afficeris. *Euthymius orat. de zona.* Reſpice ſervos tuos, reſpice: in te enim omnem ſpem noſtram collocavimus, & in te vivimus, & gloriamur, & ſumus. *Matth. Philadelph: Archiepiſcopus Epheſiorum.* Es perſtrenuum bello concuſſorum Præſidium, ſecura, fida, ſacra, tempeſtate jactatorum Anchora; ſingulare à calumniatoribus afflictorum Auxilium, deſperantium Spes, dolentium Solatium, paratum item omnis casûs Subſidium, ſingularis ſalutis noſtræ Propugnatio, denique tutiſsimus naufragorum Portus. *Geomet. hymno 4. de B. Virg.* Spes utriusque mundi. *Hymn. Græc. apud Buteon.* Spes æternorum bonorum. *Laurent. Juſtin. ſerm. de Nativ. B. V.* Spes delinquentium. *Damaſc. orat. 1. de Nativ. B. V.* Spes Chriſtianorum. *Theodotion apud Buteon.* Spes deſolatorum. *Bernard. ſuper Salve.* Spes pereuntium in hac valle lachrymarum. *German: Patriarch. Conſtantinop. cap. 10.* Si tu nos deſerueris Sanctiſsima Deipara, quonam confugiemus? quid nobis fiet? Spiritus & Vita Chriſtianorum. *Ephrem orat. de Virg.* Sub alis tuis cuſtodi me, & protege me, miſerere mei qui ſum luto inquinatus, nè adverſus me glorietur ſathanas exitioſiſsimus, nè in me exſurgat execrandus inimicus meus, non mihi alia fiducia, tu enim meus Portus ô Virgo inviolata, & præſens Auxiliatrix: denique ſub tutela & protectione tua totus ſum, crebris lachrymis te ô celeberrima Mater imploro, & advolvor tibi.

12. Quia meruit à DEo laudari.

Ita me docet *Richard. à S. Laur. prolog. de laudib. Virg.* Scio quòd ineffabilis eſt laus ejus, etiamſi loqui detur Angelorum linguis: hanc enim gloriam ſibi retinuit cœleſtis Artifex, cujus Virgo Mater eſt opus ſpeciale, nec alteri daturus eſt eam gloriam. Quarè de Maria per Prophetam dicit: *Secretum meum mihi.* Iſai. 24. Tanti eam Deus facit, ut quaſi conſultet quantoperè eam exaltare debeat. Cant. 8.

Quid faciemus Sorori nostræ in die quâ alloquenda est? Licet ut docet *Hugo Caren.* Quid faciemus Sorori nostræ? hoc quærit non dubitans, sed quidquid facturus sit exaggerans, quasi dicat, magna ei faciemus in die, quandò alloquenda est à Gabriele. *Bernardin. tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 1.* Tanta fuit perfectio Virginis, ut soli Deo cognoscenda reservetur, juxta illud Eccles. 1. *Ipse illam creavit in Spiritu S. vidit, dinumeravit, & mensus est. Andr. Cret. orat. 1. de dormit. Virg.* Dei tantùm est laudare Mariam pro dignitate. Antequam nata esset, quale gaudium de ea habuerit Deus describit S. *Brigitta in Ang. serm. cap. 2.* Gaudebat Noe de Arca sua antequàm fabricaretur, gaudebat Deus summè de te antequàm te crearet. *Anonym. citatus à Nova, elect. lib. 4. n. 358.* Meritò in hac Nativitate Virginis universus mundus lætatur, diemque festum agit. Lætatur primùm Deus, veluti solet artifex gaudere cùm perfecit optimum opus sum, quod illi maximè placet. *Christus apud Brigitt. l. 8. c. 46.* Benedicta sis tu (Mater) quia ex tua pulchritudine gaudent Angeli. Quòd autem Deus laudet eam meritò fit, nam neque Angeli comprehendere ejus dignitatem possunt. *Bernardin. serm. 61. de B. Virg. cap. 12.* Credo ad illam abyssum inperscrutabilem omnium charismatum Spiritûs S. quæ in B. Virg. descenderunt in hora Conceptionis, intellectus humanus, vel Angelicus nunquam poterit attingere. Quod declarans Angelus Gabriel cùm ab eo quæreret B. Virgo, & diceret: Quomodò fiet istud quoniam virum non cognosco? Respondens Angelus se tantum mysterium ignorare dicens: Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, quasi diceret quid à me quæris ignoro, sed æternæ sapientiæ Doctor, qui tibi soli hoc altissimum mysterium reservavit, te per illuminatissimam experientiam edocebit.

Jam Canticum illud Divinum si legamus, quot ibi laudes Virginis *Cant. 4. Tota pulchra es Amica mea & macula non est in te.* Cantic. 7. *Caput tuum ut Carmelus & alia multa*, quæ omnia ad Virginem sentit referri *Rupert. lib. 7. de gloria Trinitatis* & *Andr. Cret. serm. de dormit. Deip.*, *S. Ephr. serm. de laud. Virg.* Certè juxta S. *Cyprianum serm. de Nativ. Christi* & à Deo Spiritus S. servabat Sacrarium suum, hoc est Deiparam, & sanctimoniæ Thalamum honorabat.

13. Quia bellorum eventus secundos in sua manu habet.

Rem hanc potiùs historijs quàm testimoniorum authoritate probabimus idque pauculas è plurimis seligemus. *Genebrardus ad annum 884. rem ejusmodi refert:* Rollo Normannorum Dux gravis erat Gancellino quadragesimo septimo Carno-

Carnotensium Episcopo, eumque deduxerat ad extrema. Quò se verteret Episcopus planè non reperit: induit itaque Camisiam S. Virginis interiorem, & in hostes animosè progreditur, eosque non solùm repulit, sed & profligavit. Andronicus senior (*uti Gregor: refert*) adeò subitaneis Andronici nepotis armis circumfusus, ut intempestâ nocte Constantinopoli captâ, rectâ in palatium perrexerit, nepos avum obtruncaturus, quid refugij supereſt? provolut se ante imaginem quæ nunc Cestochoviæ in Polonia, nepos irruit, sed cœlesti freno detinetur, nè quid nocere posit. *Rupert. Holcat. in Jap. lect.* 35. refert Regem Britanniæ Artum, sive Arturum Brittonem dum bellaret, secum circumtulisse imaginem B. Virginis in interiore parte clypei depictam, quam quoties in periculis belli prospiciebat, toties auxilium experiebatur. *Bonfin: vero de rebus Ung. lib.* 10. *dec.* 20. Stephanus Ungarorum Rex ante conflictum sic oravit: Si placet tibi Domina mundi, tuæ partem hæreditatis ab inimicis devastari, & novellam Christianismi plantam dissipari, nè quæso sinas illud imputari diffidentiæ meæ, sed potiùs dispositioni voluntatis tuæ: si quid commisit culpa Pastoris, ipse luat, oves quæso insontes nè patiaris affligi, sic oravit, & Virgo victoriam largita. Obsessum fuit Tornacum ab hostibus anno 1340. *uti annales ejus Ecclesiæ habent*, desperata res erat: ergò Clerus claves civitatis Virgini Divæ defert, illius se tutelæ subjicit pientissimè. Rata vota Diva habet. Hostes tantus timor nocte insequenti invasit, ut dimissis spolijs dilaberentur, insuper pestilenti quodam, & ardenti igne corripiebantur, sed & his Virgo fuit saluti, nam qui eorum deducti ad Divæ ædem, sanitatem recuperârunt. Undè *Cosmas Jerosolymit.* Insuperabilem Deipara spem tuam habens servabor, defensionem tuam posidens non timebo: persequar inimicos meos, & in fugam vertam, solam habens ut thoracem protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum. *Richard. lib.* 2. *de laud. Virg. part.* 1. Potens est Maria ad protegendum, undè ipsi potest dicere securè servus ejus, quod Job. 17. *Pone me juxta te, & cujus vis manus pugnet contra me.* Scripsit etiam *Aventinus lib.* 5. *Annalium Boicorum*, quòd Henricus Regulus Bojorum bis de Ugris ope Virginis retulit victoriam, ideò ut *Nicetas in Alex.* Dei Genitricis imaginem olim Imperatores Romanorum belli sociam sibi asciscebant. Et ut *idem lib.* 1. Isaac Imper. ejus imaginem pro vallo transtulit. Pugnante Josue non solùm stetit sol, sed & luna. Arcam deferebant in bellis Israelitæ, quid illa arca, nisi Virginis figura, undè ab *Aug. serm. de Nativ. Virg.* Maria dicitur Virtus pugnantium, Palma victorum. De illa dixit Sponsus Cant. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te Amica mea. Rupert. ad hunc locum.* Per equitatum intelligendam virgam Moysis, per quam DEus Pharaonem debellabat. Cantic. 6.

Terribilis ut castrorum acies ordinata. Cant. 4. *Sicut Turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Regi Achaz timenti excidium à Syris promisit Deus per Isaiam securitatem, & in signum ejus rei dixit: *Propter hoc dabit Dominus vobis ipse signum, ecce Virgo concipiet & pariet Filium.* Ipsa enim primam quæ in mundo descripta à Moyse victoriam obtinuit in Gen. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum, & semen illius, & ipsa conteret caput tuum.* Primislaus Daniæ Rex juxta *Bzovium*, dum clypeum imagine Virginis inveheretur in hostes, semper superabat. Episcopus Bethleemiticus lac Virginis in prælium produxit victorioso exitu, *uti in supplem. Sigeb.* Garsi Rex Navarræ semper ad prælia secum auream Virginis statuam felici eventu deferebat, *ut Jo. de Amida.* Ludovicus pius Caroli Magni Filius nec ad venationem sine imagine prodibat, ut sic ab hostibus tutus esset. *Crantzius lib. 1. cap. 10.* Carolus quintus imaginem in thorace bellico Virginis habebat insculptam, ut est videre Madriti ubi asservatur. Illud etiam prælium patrocinio Virginis confectum ab Alphonso II. Rege Hispaniarum ad Tariffam urbem impositam freto Gaditano, de quo *Spondan. in contin. ad annum* 1340. in hunc sensum habet: Maurus Rex Albohacenus seu Abenamarim 70. millia equitum, peditum 400. millia eduxit contra eum Alphonsus 14. millia equitum, & 25. peditum sic movit, ut 200. millia Maurorum cæciderit, & innumeros captivos & filium Abhoamarum, & Fatimam præcipuam uxorem Regis abduxerit solùm viginti viris è suis desideratis: Commendaverat autem ferventer Divæ successum prælij ad aquas Lupinas, ubi paulo antè ejus imaginem donis ornaverat. Illud etiam refert *Bernardin. Forresius lib. 7. hist. de rebus gestis Jacobi expug.* Guilielmus Avunculus dicti Regis anno 1335. processit obviam Mauris ad Valentiam, ubi steterunt acies in conspectu, inclamatum nomen Maria ab Hispanis, statim Mauri terrore perculsi fugere cœperunt, & innumeri cæsi: sed plura quàm decem millia ejusmodi cadaverum reperta, in quibus nullum vulnus apparuit: sic Virgo pro suis cultoribus pugnavit. Dicitur autem S. Georgius M. missus à B. Virgine utrique aciei apparuisse, huic ad animos illi ad terrorem faciendum. Trigesies hic Princeps pugnavit, & semper vicit, & pro una quaque victoria sexaginta sex Virgini templa erexit. *Adrianus Papa in diplom. Eccles. Cæsar-Augustanæ refert*, dum hæc urbs à Mauris tenetur, & recuperare eam tentarent Christiani, apparuit B. Virgo Christianis, cujus visionis favore & auxilio præfati fideles adversus infideles eosdem victoriam consecuti fuerunt. Sæpius etiam contra Mauros pugnavit Ganzalus Stunica Episcopus Genensis semper victor, quia semper in vexillis imaginem Virginis circumtulit. *Ximen. Pat. lib. 1. c. 19.*

Virgini

Virgini etiam adscribunt victoriam ab hostibus Hispani obtẽtam ad Valencenas, ad Geldriam, Bredam, Calloam, Sonsonam, Bommeliam, Dutlingvam: sed illa nominatior cæteris, quam memorat *Spondanus ad annum* 589. à Revaredo Rege Gottorum obtentam, vix à trecentis viris, 60. millia fortissimorum in fugam versa, & maxima eorum pars gladio trucidata: hæc adscribitur imagini missæ B. Virginis Hispanis à S. Greg. Magno. Arturus Britannorum Rex anno 520. *teste Westmonaster.* invocato Virginis auxilio, solus in Saxones cum gladio irruit, & ex illis 840. viros occidit, hoc contigit in obsidione Badonis facta à Saxonibus. Narrat anno 1551. *Fornerus lib.* 5. *Palmæ triumph. cap.* 31. Cùm Zuinglíani in Helvetia Duce ipso Zuinglio pugnarent, visa à plerisque imago Virginis splendida, & albicanti nube convestita, Catholicos præcedere, & missilia, atque jacula quæcunque ab hostibus intorquebantur retorquere: & certè ingens edita Zuinglianorum strages, & ipsemet Zuinglius occubuit. Et illa victoria quam *Balinghem* describit de hostium 150. millibus ab Angliæ Rege Henrico V. quinque partibus minore exercitu reportata, Divæ Virgini adscribitur. Robertus Pius Galliæ Rex ut *Floriacensis in ejus vita*, dum obsedisset Avalonem Burgundiæ Civitatem, & cum Clericis laudes Dei Deiparæq; cantaret, muri urbis sponte ceciderunt.

De Carolo Magno illo victorioso, & Filio ejus Ludovico Pio narratur, quòd nunquam ad conflictum processit sine imagine D. Virginis. Ubi refert *Copenstein de Rosario lib.* 2. *cap.* 8. Ipse Deus facturus de victoria Gedeonem certiorem *Jud.* 6. in Vellere dedit signum, quod erat mysterium Virginis, juxta *Ambrosium serm.* 13. *de Nativit.* Pharao hostis populi Dei mergitur in mari: & Deipara est hostibus Mare amarum. Elisæus 4. *Reg.* 13. victoriam divinaturus Regi Israel, jubet, ut per Fenestram sagittas jaciat, quæ Virginem notat. *August.* 15. *de temp.* Undè meritò cum *S. German. Patriarch.* 30. *Jan.* idoneas canticis tubas inflemus, quippè de cœlo prospiciens universorum Regina, suarum laudum declamatores benedictionibus coronat. Concurrant cum Regibus Principes, atque huic Reginæ applaudant in hymnis, ut quæ talem peperit Regem, qui dominatu mortis oppressos perbenevolâ humanitate suâ libertati restituit.

14. Quia peccatores extrahere è peccatis potest.

S. Catharinæ Senensi ut in ejus vita scribitur aliquando hæc Deus Pater revelavit, Matri unigeniti Filij mei Mariæ Virgini datum est à bonitate mea, ut propter incarnati Verbi reverentiam, quicunq; etiam peccator ad eam debita cum veneratione

ratione recurrit, nullo modo rapiatur à dœmone: Hæc est enim à me electa, parata, & posita tanquam Esca dulcissima ad capiendos homines, ac potissimũ peccatores. *Richard. à S Laur. ad Prov.* 31. Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibꝰ. De ipsa scriptum est: Non timebit domui suæ à frigoribus nivis, frigora nivis gelicidium peccati: vel hæc frigora sunt persecutiones malorum. Sequitur: Omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus, id est diversis virtutum generibus. Vestes fervorum Mariæ sunt fides, & operatio. Mulier *Apoc.* 12. amicta sole, coronata stellis, calcans lunam, B. Virginem juxta S. *August. in Psal.* 142. notat. Hæc nimirum est, quæ & justis, qui Solem justitiæ habent, data est, & illis, qui sicut luna mutantur, & qui velut stellæ noctu vix micant. Illa scilicet Cant. 6. vocatur *Terribilis ut castrorum acies ordinata:* sicut nimirum in castris rara fides, pietasque virorum: ita etiam maximos peccatores invenies, quos Maria recipit, & in illorum bonum jam vigilias castrenses, jam victum, jam cœtera ejusmodi ordinat. *Ecclesia Græca Men. 4. Martij.* Qui è sacratissimis tuis sanguinibus factus est caro, ille ô Domina à carne inquinatos emundat, unaque vires nostras per jejunia & labores adauget, jugi tua pro nobis intercessione permotus, idq; propter Virginem, quæ ut *Richard. à S. Laur. lib. 2. p. 5.* per hanc mulierem quæ drachmam invenerat, & convocat amicas, potest designari MARIA. *Idem lib. 1. cap. 2.* Maria interpretatur amarum Mare, quia mundanas delicias amaricat amatoribus suis, & amaritudines præsentes dulcorat charitatis igne. Ideò cum *Idiota cap. 6.* orandum: Adjuva me clementissima Virgo Maria perditæ gratiæ Reparatrix, & da mihi pœnitentiam de commissis, impetra veniam de præteritis, tribue in præsentibus cautionem, præsta in futuris adversus omne malum fortissimam resistentiam. Narrat *Alanus de Rupe in Psal. p. 5. cap. 36.* Cùm B. Dominicus cuidam Britoni homini vano, & peccatori persuasisset, ut confiteretur: ubi ille flexit confessionem facturus, audiebat vocem quandam omnia peccata sibi suggerentem, ut eò plenius confiteretur, sed respiciens nullum authorem hujus vocis videre poterat: retulit id S. Dominico, ille statim agnovit B. Virginem dictantem peccata confitenti, tum finitâ confessione, consultat Sanctus Divam, qualem esset homini impositurus pœnitentiam, dixit Virgo certam, quam imponeret, implevit Brito, deinde sæculo relicto Prædicatorum ordinem ingressus, sanctè in eo vitam exegit. Cùm dies judicij imminebit ait *Apoc.* quòd sol & luna luctuosi erunt, imò cilicium induent: tum enim brevitas temporis tantò majoris pœnitentiæ monebit, sed quis ille monitor? Virgo B. quæ teste *Bernard. serm. 3. in Salve* est Sol & Luna. Illa *Cant.* 4. comparatur Fonti, & Puteo, in his enim primò signa vindicis Dei dexteræ apparent, quando terram motu con-

cutere

cutere parat, ut ijs conſpectis agant pœnitentiam mortales. Luna eſt Deipara, ſed ex qua præmonearis, qualis craſtina dies futura. Undè putas veſtes Eſau *Gen.27.* fragrárunt ſicut odor agri pleni, quandò induit illis Jacobum Rebecca, niſi quia induit Rebecca? ſint veſtes etiam ipſius Eſau, veſtes tuæ, ſi illas induat tibi Rebecca, id eſt juxta *Bernardin. ſerm. de B.Virg.* Maria, placebunt Deo, ut odor agri pleni. Hœdorum ipſorum carnes quando Rebecca coxit Iſaaco ita placuerunt, *Gen.27.* ut propter illas daret benedictionem Jacobo. Ita Jonas in ventre ceti orans Jonæ 2. ubi illa dixit verba: *ut veniat ad te oratio mea ad templum ſanctum tuum*, ejicitur in aridam, quia Templum Authore *S. Bonavent. in ſpec. Virg.* notat Deiparam.

Sed hoc ipſum fuſiùs à *S. Jacobo*, itemque à *S. Marco in Liturgia* audiamus. Domina noſtra ſola, quæ ſola nobis ex Deo Solatium, ſola æſtûs in nobis exiſtentis Divinus Ros, cordis noſtri exardeſcentis Guttæ Divinitùs fluentes, tenebricoſiſsimæ noſtræ animæ ſplendidiſsima Lampas, dubitationis noſtræ Directio, debilitatis noſtræ Potentia, nuditatis noſtræ Veſtimentum, noſtræ mendicitatis Divitiæ, inſanabilium vulnerum noſtrorum Medicina, lachrymárum noſtrarum Ablatio, gemituum noſtrorum Ceſſatio, calamitatum noſtrarum Reſtauratio, vinculorum noſtrorum Solutio, ſalutis noſtræ Spes. *Andr. Hieros. orat. in Salutat. Angelica.* Virgo hæc eſt Fermentum Sanctorum Dei, quo tota generis humani maſſa conſperſa eſt, & ex uno corpore Chriſti, ceu panis factus, in unum coijt incredibilis concretio. Illam *Theod. Studita ode 5. Can. vocat* Lucernarium auro exornatum, quod lumen intellectuale mundo peperit, & tenebroſam nebulam diſsipavit. *Innoc. 3. ſerm. de Aſſumpt.* Luna noſtra in nocte, Aurora in diluculo, Sol in die. *Anſelmus alloq. cœleſti 27.* Aula univerſalis propitiationis. *Buteo in hymno.* Auctrix reformationis intelligibilis. *Bonavent. ſuper Salve.* Virgo clemens pœnitentibus, pia proficiſcentibus, & dulcis diligentibus. *Theoſter ict. in Canon.* Janua pœnitentiæ. *Ambros. ſerm. 15.* Vellus de quo omnes veſtiti. *German. orat. de Præſent.* Lampas ſplendidiſsima animæ noſtræ.

15. Quia eſt maximæ poſt DEum gloriæ.

Menæa Græcorum 22. Jan. id explicant: Semper & ubique inculpatiſsimam Numinis Matrem ingentem cantandi materiam, Apoſtolis, Martyribus, Prophetis, & omnibus demùm Cœlitibus eſſe datum, quidni tibi ô homuncio? Quamvis, muta, & polluta mea ſcià labia &c. ait innocentiſsimus *Cyrillus*. Cane cũ *Damaſ.* in

in Dial. Angeli. Men. 25. Martij. Salve Altitudo, ad cujus fastigium supremum cogitationes hominum ascendere nequeunt, salve profunditas cujus subtilem recessum nè quidem acies Angelica penetrat. *Idem ibidem 1. Jan.* quasi dicti daturus rationem: Ad te pro dignitate laudationis inops est lingua, etiamque animus excelsior mundo in laude tua vertiginem sentit, ô Deipara. Vel quia ut *S. Joseph Confess. ibid. 2. Jan. ode 5.* est Numinis excellentissima Sedes. Vel quia ut *Bonavent. spec. B. Virg. cap. 7.* Maria plena resultatione, sive expressione Divinæ gloriæ, *& paulo post.* Plena est tota Maria relucente in se plenissimè Divinâ gloriâ. Undè meritò *Bernardin. tom. 1. Conc. 16. a. 6. cap. 4.* appellat Virginem Magnificentiam Dei, quia omnium Dei bonorum fruitione plus magnificat Dominum, quàm omnis creatura alia simul sumpta. Imò *Arnold. tr. de laud. Mariæ.* Filij gloriam cum Matre non tam communem judico, quàm eandem, ex quo dictum est ei: Dominus tecum. Majestatem ejus olim contemplatus *Dion. Areop.* dixit, Nisi ea ratione naturali, & fide quam à Paulo accepi, noviſſem aliud esse Deitatem præter hanc Virginem, aliquid aliud Deitatem esse non putâſſem. Quia ut *S. Sabbæ Men. 3. Jan. ode 3.* Nemo ut tu Domina inculpatus est æquè, nec præter te intaminatus quisquam ô nulli subjecta nævo, quia nimirum sine macula concepta. Undè *S. Joseph. Confess. Men. 3. Jan. ode 5.* gloriam ejus appellat Divinam. Ex quo nil mirum quòd *Ecclesia Græca* illam agnoscat esse ipsam Pulchritudinem, *in Men. eius 4. Jan. ode 1. sic canit:* Agite illam castam, mente similiter castâ, ut verè beatam prædicemus, Pulchritudinem scilicet, quam Deus dilexit, Jacobus ille cœlestis quamque â se electam velut tabernaculum sanctificationis incoluit: illam ipsam ajo ut creatis omnibus dignitate majorem hymnorum melodiâ veneremur. *Et 4. Jan. ode 9. S. Joseph Confess.* O inviolatissima Genitrix Dei, Angelorum, & hominum Decus. *S. Joan. Damascenus 11. Jan. ode 1.* ipsius Divinitatis splendoribus testatur adornatam. Jam illud quod dixit *Joseph Confess. 16. Jan. ode 4.* Cherubinis & Seraphinis sublimior, ampliorque cœlo, & terrâ, ac denique omni creaturâ, cum, quæ spectatur, tum quæ oculis comprehendi non potest, supra omnem comparationis invidiam, eminentior inventa es. Idem *S. Sabbas, 19. Jan. ode 9.* alijs verbis. Tu quæ creaturarum omnium opificem procreâsti, quidquid creatum est, supergressa es Divinitate gloriæ tuæ, sanctitate, & gratiâ, ac denique in omni genere virtutis, super omne quod est creatum, excellis. *Idiota lib. 6. contempl.* Sanctorum omnia privilegia habes in te congesta ô Virgo, nemo æqualis est tibi, nemo est major te, nisi DEus.

S. Anselm.

S. *Anselm. de excellent. Virg. cap.* 8. Immensitatem gratiæ & gloriæ, & felicitatis tuæ considerare cupienti, ô Virgo sensus deficit, lingua faciscit. *S. Bernardin. tom.* 1. *serm.* 61. *art.* 2. *cap.* 3. Tantum differt gloria Virginis, à gloria omnium beatorum, quantum sol à cæteris luminaribus cœli: & quodammodò sicut cætera luminaria illuminantur à sole, sic tota cœlestis curia à gloriosa Virgine lætificatur, & decoratur. S. *Bonav. spec. B. V. cap.* 6. Glorioſum Mariæ privilegium est, quod quidquid post Deum pulchrius, quidquid duleius, quidquid jucundius est in gloria, hoc Mariæ, hoc in Maria, hoc per Mariam. Ideoque ut *Bernardin.* dixerit: Summa gloria est, Maria, post Dominum te videre. Et *S. Joan. Damasc.* 27. *Ian. ode* 1. eam sic salutat: Salve ô Domina decies millenis honorum vocabulis digna. Et Deus ipse tantoperè illâ delectatur: Revera ait S. *Bonav. spec. cap.* 6. in capite ejus Rex Regum diadema regni posuit, tam pretiabile, tam delectabile, tam mirabile quod hoc omni linguæ enarrabile, omni ingenio inscrutabile est. *S. Theophan.* 9. *Febr. ode* 1. Etiam cœlestis intellect9 ad incomprehensum dignitatis tuæ mysterium pari subtilitate penetrandum, revera se hebetem sentit, ô ab omnibus certatim laudata. *Eccles. Græca* 24. *Martij.* illam à dextris constituit suis Deus, tanquam Reginam dignitate sibi propinquam, & excellenti pulchritudine præditam. Hortatur nos ad ejus laudes *S. Sabbas Men.* 25. *Iunij* dum ait: Animatus ille Domini Thalamus, qui inter confusos spinarum acervos ad fulgentis lilij morem efflorescit, hic inquam animatus Domini Thalamus, dignus est omnibus, quibus per nos afficitur laudibus. *Angelus apud S. Brigittam in serm. Ang.* dum multa arcana Dei enunciat, ante mundi originem ita loquitur inter cætera. Mundo creato, adhuc unus minor mundus Virgo Maria coram Deo, cum omni venustate nondum creatus est, à quo major gloria Deo, & Angelis major lætitia, atque omni homini ejus bonitate frui volenti major utilitas, quàm de hoc majore mundo provenire debebat.

16. Quia mediante Virgine omnia facilè à DEo impetrantur.

Methodius Patravensis hom. de Simeone ita alloquitur Virginem. Benedicta tu, prorsùs benedicta, omnibusq; desiderabilis: in benedictionibus Domini nomen tuum, Divinâ gratiâ plenissimum: omnibus generationibus excelsior, omnibusque visibilibus, atque invisibilibus operibus longè præstantior declarata. *Sophron: qui floruit anno* 400. *serm. de Assumpt. B. Virg. qui inter opera S. Hieronymi habetur, sic ejus magnitudinem prædicat.* Benè gratiâ plena dicitur, quia cæteris per partes præ-

 stat,

ſtatur, Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ. Quidquid enim in ea geſtum eſt, totum puritas & ſimplicitas, totum gratia & veritas fuit, totum miſericordia & juſtitia, quæ de cœlo proſpexit, & ideò immaculata, quia in nullo corrupta. Verè Hortus deliciarum in quo conſita ſunt omnia florum genera, & odoramenta virtutum, ſicque concluſus, ut neſciat violari neque corrumpi ullis inſidiarum fraudibus. Fons ſignatus totius ſigillo Trinitatis, ex quo vitæ Fons manat, in hujus lumine videbimus lumẽ. B. *Joſeph Hermannus opuſc.* 3. Gaude ſumma Creatura, Mater Dei Virgo pura, gaude laude infinita, redimita Margarita. Ampliùs *S. Brigitta lib.* 1. *cap.* 24. Nulla Virtus eſt in Deo, quæ non reſulſerit in Maria. *S. Ioan. Damaſc. Men. Ian. Ode* 4. O intemerata rogamus te obnixè, uti pro famulis tuis, aſſiduè intercedas, potes quippè re ipsâ omnes ſalvare, ut Dei altiſſimi Mater precibus, Maternâ authoritate pollentibus. Verè poteſt, cùm ſit ut proximè dictum omnibus operibus Dei longè præſtantior, omnibus ſanctior, tàm propinqua Deo: poteſt verò & vult; idque non ſemper noſtras expectans preces, quibus exoretur. Teſtis eſto 13. *Ian. S. Ioſeph: Confeſs:* Quis ad tuam ſe protectionem ô Deipara confert, qui non celeri per te immunitate donetur, teque Auxiliatricem agnoſcat tam potentem, ut nulli9 clientis fiduciam ſinas confundi? *Bonav. in ſpec. cap.* 7. *ad illud Iſai.* 11. Egredietur Virga de radice Ieſſe &c. Quicunque ſeptiformem Spiritûs S. gratiam adipiſci deſiderat, ipſum Florem Spiritûs S. in Virgi quærat, per Virgã enim ad Florem, per Florem ad Spiritũ in eo requieſcentem pervenimus: per Mariam ad Chriſtum accedimus, & per Chriſtum gratiam Spiritûs S. inuenimus.

Bern. ſerm. 3. *de adventu:* Studeamus & nos dilectiſſimi per ipſam ad Deum aſcendere, qui per ipſam ad nos deſcendit, per eam venire in gratiam ipſius, qui per eam venit in noſtram miſeriam. Quod dum agnoſcit Eccleſia latina, exclamat: *Eja ergo Advocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos converte.* Meritò illam *Ephrem. orat. de laudib. Virg.* vocat Vallum fidelium, & Propitiatorium laborantium. *Andr. Cret. in ſalut.* Chriſtianæ fidei Propugnaculum, & eorum qui ſpem in ea collocant Propugnatricem. *Nazian. in trag. Chriſti.* Patronam acceptiſsimam. *Bernard. ſerm.* 1. *de Aſſumpt.* Advocatam ſalutis noſtræ negotia pertractantem. *Bonav. in hymno Te* DEum. Agonizatricem pugnantium, Advocatam pauperum, Miſeratricem & Refugium peccatorum, Erogatricem munerum, poſt Deum ſolam Spem noſtram & Salutem illam invocantium, Promotricem juſtorum, Congregatricem errantium. *Anſel. de excell. Virg. cap.* 12. Benigniſsimus Filius tuus Dom. N. Jeſus Chriſtus erit ad concedendum quidquid voles promptiſsimus, & exau-

exaudibilis; tantummodò itaque velis salutem nostram, & verè nequaquã salvi esse non poterimus. Hortatur hic *S.Bernard. serm. de Nativit.* Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit invenit, & frustrari non potest, exaudiet utique Matrem Filius. *Hugo de S.Vict. in sentent.* Si pertimescis supplicaturus ad Deum accedere, respice ad Mariam, non illic invenies quod timeas. Hoc est quod Deus nobis dedit Adjutorium simile nobis, quod nos juvando prioris damna compenset, & tale Adjutorium quod solo accessu sanctificavit Joannem, quid si orâsset pro illo? imò & Elizabeth repleta Spiritu S. & prophetiæ donum accepit. *Greg. hom.1. in Ezechiel:* Elizabeth simul de præterito, futuro, & præsenti per prophetiæ spiritum tacta est. *Lib. orat. Eccles. infert.* Te Domina tacente nullus orabit, te autem orante omnes juvabunt, & orabunt. *Richard. à S.Laur. lib.12.* Hæc est Virga Moysis quâ percussit petram *Exod.17.* & *num.20.*, & fluxerunt aquæ ita ut biberet populus, & jumenta. Petra Christus *Cor.1. Petra autem erat Christus.* Duritia hujus petræ, rigor, seu severitas justitiæ Divinæ, ipse autem nunquam ita severus, aut durus est erga peccatores, quin effundat aquas gratiarum, vel indulgentiæ, si hæc Virga eum tetigerit piâ oratione. *Aug. serm.3. de Nativ. Virg.* Nec dubium est quia quæ meruit pro liberandis offerre pretium, possit plus omnibus impendere suffragium. Undè illam *Greg. Nicomed. orat. de Purif.* vocavit, Omnipotentem suis orationibus. Et aliundè hæc potentia patet, quò enim quis sanctior, efficacius apud Deum orat, Virgini verò nemo in sanctitate æqualis. Undè *August. serm.29. de SS.* Nullum potiorem meritis invenimus ad placandam iram æterni Judicis, quàm eam quæ fieri meruit Mater ejusdem Redemptoris, & Judicis. *S.Thom. opusc.8.* Magnum est in quolibet Sancto, quandò habet tantùm de gratiâ quod sufficit ad salutem multorum: sed quandò haberet tantùm quod sufficeret ad salutem omnium de mundo, hoc esset maximum: & hoc est in Christo & in Virgine, nam in omni periculo potes habere salutem ab ipsa Virgine gloriosa. Undè Cantic. 4. *mille clypei* id est remedia *pendent ex ea.* Item in opere virtutis potes eam habere in adjutorium, & ideò dicit ipsa Ecclesias:24. *In me spes vitæ & virtutis. Sed universalis Ecclesiæ Romanæ 12. Sept. in Brev. sensus ille est, qui Chrysost.* Visne agnoscere quantò hæc Virgo præstantior cœlestibus potentijs: illæ cum timore, & tremore, assistunt faciem velantes suam, hæc humanum illi genus offert quem genuit, per hanc & peccatorum veniam consequimur.

Idiot. in prol. Cant. Cæteri Sancti jure quodam patrocinij pro sibi specialiter commissis plùs possunt prodesse in curia altissimi, quàm pro alienis, Sma verò V.Maria sicut est omnium Regina, sic & omnium Patrona & Advocata, & cura est

illi de omnibus. Hanc solitus adhibere Exoratricem *S. Franciscus Xaverius* cujus efficaciam profitetur *lib. 2. epist. 6.* Quò facilius impetrarem, Sanctissimam Dei Parentem Patronam adhibui, quæ cœli Regina, nullo negotio quidquid orat Filium, exorat. Hoc ipsum promisit *Christus Matri suæ audiente S. Brigittâ lib. 1. cap. 10.* dum sic Matri locutus: Nulla erit petitio tua ad me, quæ non exaudiatur, & per te omnes qui petunt misericordiam cum voluntate emendandi gratiam habebunt. Propter quæ Ecclesia latina orat Christum Dominum: *Qui tibi de actibus nostris placere non valemus, Genitricis Filij tui intercessione salvemur.* Quia ut *S. German. orat. de zona*, omnia tua admirabilia sunt ô Deipara: omnia ingentia, & aliorum vires superantia, propterea patrocinium tuum majus est quàm ut intelligentiâ comprehendendi possit. Explicat hoc quàdam hypothesi *Suarez tom. 2. in 3. p. d. 25. sect. 2.* Si cogitatione fingamus B. Virginem aliquid postulare, totam curiam cœlestem illi resistere, sicut apud Danielem Angelus alteri resistebat potentior esset, majorisque efficaciæ, & valoris apud Deum Virginis quàm reliquorum omnium Sanctorum oratio. Insuper *Idiot. in prol. contempl. de B. V.* Inventâ Virgine Maria invenitur omne bonum, ipsa namque diligit diligentes se, imò servientibus servit ipsa Superbenedicto Filio suo irato potentissimè reconciliat servos, & amatores suos: tanta quoque est ejus benignitas, quod nulli formidandum est ad eam accedere, tantaque misericordia quòd nemo ab ea repellitur, imò donis, & charismatibus ædificat servos suos, ut Superbenedicti Filij sui, & Spiritûs S. digna fiat habitatio. Ipsa preces & sacrificia servorum suorum, & maximè quæ sibi exhibentur præsentat in conspectu Divinæ Majestatis, quia est Advocata nostra apud Filium, sicut Filius apud Patrem: imò apud Patrem & Filium procurat negotia, & petitiones nostras, & sæpè quos justitia Filij potest damnare, Matris misericordia liberat, quæ Thesaurus Domini est, & Thesauraria gratiarum ipsius, donis spiritualibus ditat copiosissimè servientes sibi, & potentissimè protegit eos à triplici adversario mundo, carne, & diabolo, quia salus nostra in manu illius est, post Filium suum Domina est universæ creaturæ, & in futuro sæculo glorificabit servientes sibi, si eam honorificaverint in præsenti. Eliseus petebat ab Elia duplicem spiritum. *4. Reg. 2.* tantùm illi respondit: si videris me &c. Ast ubi Jordanem transijt, & duplicem spiritum, & pallium dedit. *Jordanis* imago est Virginis nostræ, juxta *S. Hieron. epist. ad Fabiol.* Ubi illa mediat, plùs obtinetur quàm petitur. Venerunt ad Abrahamum tres viri Sodomam subversuri, accepti ab eo mensâ, in eam descenderunt familiaritatem, ut & secretum ei suum de perdenda Sodoma proderent. Convivium undè placuit? frugale fuit, Sara illud paraverat, viles cibi

qui

qui per manus Saræ transiêrunt, tantam efficaciam habuerunt. Per *Saram*, ut intelligam SSmam Virginem est mihi *Author D. Bonav. in spec. B. Virg.* Exclamat hic *Eutychianus de poenitentia Theophili.* Quis ô Domina mea speravit in te & pudore est affectus? aut quis hominum fideliter omnipotentem tuam rogavit opem, & fuit unquam derelictus? Undè hortatur *Fulbert. Carnot.* Inter hæc igitur Fratres cum toto mentis affectu Beatissimæ Virginis intercessione nos committamus, omnes ejus patrocinia omni nisu imploremus, ut dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedulâ prece commendare dignetur in cœlis, neq; enim dubium quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus liberatis conferre suffragium. *Card. Hailgrinus.* Sicut oleum cæterum liquorem supernatat, sic nomen Mariæ & invocatio nominis ejus omnium Sanctorum nomina, & invocationes nominum superexcellit, & superat in efficacia subventionis. Quare *S. Joseph. Confess. in Men. 7. Martij* dixit. Beatus est populus qui te omnium Domini Matrem agnoscit, & celebrandæ beatitatis tuæ desiderio flagrat. Consonat & *Romana Ecclesia Græcæ, dum de Virgine dicit.* Venerunt omnia bona pariter cum illa. *S. Ioseph Confess. in Menæis 2. Martij.* Qui sacratum uterum tuum incoluit Dominus, ille nunc omnes verâ te fide ut beatam laudantes, in habitacula toti Trinitati jucunda permutat. *S. Sabbas 2. Iulij ibid. Non dubium est, quin expertus canit:* Lætitia tua ô Virgo quæ in homines sine fine redundat, instar roris matutini, illam æstuantem ærumnarum fornacem, quâ encomiastæ tui subindè in hac vita vexentur perpetuo sopit ac mitigat: hoc est extinguis Virgo atque sopis in cultoribus tui fomitem peccati.

17. Quia Cœlum ejus laudibus plenum.

S. Bernardinus tom. 3. serm. 1. a. 2. cap. 1. ita probat Christo Virginem vicinam. B. Virgo fuit Christo vicinissima quadrupliciter. 1. In Incarnatione, per carnis identitatem, quia eadem caro quæ fuit Virginis Matris facta est caro Filij Dei, ideo illi dictum: Dominus tecum 2. In Conversatione siquidem eum lactavit, illique ministravit, ejus absentiam sustinere non potuit, nam & dolens eum quæsivit, & in templo invenit. 3. In passione fuit vicinissima, per compassionem, quia recedentibus discipulis non recessit, stabat enim juxta crucem JEsu. 4. In Assumptione per gloriam. *S. Anton. 4. p. tit. 15. cap. 20. parag. 1.* Virgo Sanctissima quamvis & ipsa stella maris illustretur à sole, tamen *Apoc. 12.* dicitur vestita ipso Sole, ut ostendatur præmium ejus excellentissimum, ita sicut nil propinquius & conjunctius

ctius corpori quàm vestitus, ita nihil propinquius gloriæ Christi, quàm gloria & præmium B. Mariæ, & aptè, quia sicut ipsa vestivit Solem in mundo Dei Filium carne suâ secundum Ezech. 32. *Solem nube tegam*: sic ipse eam in cœlo vestivit sole excelsivæ gloriæ. *Damasc. orat. de dormit. Virginis.* Suæ Genitricis animam in Sancta Sanctorum introducit, subque animalium quatuor formis stantium alis collocat, suoque ipsius solio, in interiore velaminis parte sistit, (est allusio ad arcam) quò præcursor ipse Christus corporeo mundo ingressus est. *S. Th. p. 3. q. 27. ad 1. art. 5.* Virgo tantam obtinuit gratiæ plenitudinem, ut esset Authori gratiæ propinquissima, ita quòd eum qui est plenus omni gratiâ in se reciperet, & eum pariendo quodammodò gratiam ad omnes derivaret. Et quidem ut S. *German, Patriarcha Constantinop. Men. 18. Jan. in Vesp.* Salutationem Angelicam ô Virgo omnes incorporeæ legiones, item chori Patriarcharum, Prophetæ, Apostoli, unaq; Divinæ Religionis Antistites, venerandi præterea Martyres, item reliquæ stationes Sanctorum, ac denique agmina justorum universa decantant. Imò S. *Damasc. 22. Ian. post ad. 9. ait:* quòd Virgo ingens cantandi materia, Apostolis, Martyribus, Prophetis, & omnibus demùm Cœlitibus data. Et *Eccl. Græca Men. 5. Apr.* Ipsæ cœlorum Virtutes te ut omnium viventium Matrem, debito tibi honore, tanquàm satellites comitantur, & simul concelebrant hymnis. *Ibid. S. Ioseph. Confess. 2. Iulij.* In Reliquijs B. Virginis colendis tanti se gaudij nobis collegas ostendunt, omnes Virtutum cœlestium chori, Prophetæ, item & Martyres, universa multitudo Sanctorum atque justorum. *Metaphr. de dormitione Virginis* affectum Sanctorum jam ergà demortuam Virginem sic describit. Cùm in orbem sanctum Virginis corpus circumdedissent Apostolorum chorus, & quidquid erat electum ex viris, & mulieribus hymnis honorabant, & omnia membra reverenter simul & amanter amplexabantur, non solùm suum ostendentes desiderium, sed vel ex tactu credentes percipere utilitatem. Verùm Divi Cœlites non tantùm ipsi Virginem Sacram colunt, sed etiam gratias ijs referunt, qui cultum Virgineum curæ habent. Cùm S. Ildefonsus Virgineæ puritatis hostes hæreticos profligavisset: accidit ut quinto idꝰ Decemb. die Beatæ Leocadiæ sacro veniret ad templũ in quo corpus hujꝰ Divæ esse sciebat, sed ignorabatur locus sepulchri: erat ibi Rex Reveſuinthus cum aula sua plena: D. Leocadia aperto sepulchro prodùt augustâ Virginis specie, & ad Ildefonsum accedens merita ejus in Dei Matrem clarâ voce testata. Per te inquit Ildefonse vivit Domina mea, sed cùm repeteret Diva sepulchrum, Ildefonsus quòres ad memoriam testatior esset accepto Regis gladio partem veli quâ Diva tegebatur abscidit, & unâ cum Regis gladio in sacrarium intulit, quæ servatur nunc Toleti.

leti. *Habetur hoc in legenda S. Ildef. in officiis Toletanis.* Quàm rectè *S. Th. de Villanova serm. de Nativ. Virg.* Omnis Virginum candidatus chorus hujus Virginis laudes concinit, omnes vultum ejus deprecantur & eam veluti Reginam venerantur & colunt: omnibus eam Altissimus præposuit, non solum Virgineis, sed etiam Angelicis choris, quia Mater ejus est, & Matrem decet omnis celsitudo. *Amed. Lausanensis. hom. 3.* Omnes ô Maria superas! præes universis, non solùm hominibus, sed & summis cœlorum Virtutibus. *S. Dominicus Carthusianus* vidit Sanctos in cœlo Mariano se nomini inclinantes. *B. Gertrudis* vidit Sanctos in cœlo nomen Mariæ celebriter decantantes. *Eadem lib. 4. insinuat cap. 12. & 46.* vidit in cœlis quoties aliqua recitabatur de B. V. puritate cantiuncula seu antiphona, omnes Sanctos assurgentes, & speciali reverentiâ imperialem Virginem, & Dominam suam venerantes, gratias devotas Domino referentes pro omnibus beneficijs B. Virgini Matri unquàm ad universitatis salutem impensis. Potest dici quòd illi viginti quatuor seniores quos *Joan. Apoc. 4.* vidit coronas coram throno deponentes, coram Virgine causâ venerationis illas deposuerint. Nam pridem *R. Haccados* nomine Throni Matrem Dei intellexit. Mater Messiæ futura est Sedes Dei, quam Deus constituxit ut in ea sederet Rex Messias ad augendam gloriam Majestatis suæ. Ita apud *Galat. in lib. 7.*

18. Quia est maximæ Bonitatis.

S. Theod. Neot. orat. de Nativ. Virg. sic affatur. Ave Maria, Sanctuarium, Fons Divinâ scaturigine fluens, omni sanctimoniâ plena, imò alios replens. *Sophron. serm. de Assumpt.* Verè plena Maria gratiâ, per quam largo Spiritûs S. imbre superfusa est omnis creatura. *Franco Abbas secundus Aligemiensis tom. 7. de gratia Dei.* Laus Mariæ fons est indeficiens, qui quàtò largiùs extenditur, tantò ampliùs impletur, quantò ampliùs impletur, tantò latiùs dilatatur: jure ergò Mariæ omnis generatio benedicit, per quam omnis generatio benedictionem promeruit: ideo quia gratias in alios diffundit cum quapiam jurisdictione quam advertit *de Busto.* Boni enim est natura alijs benè velle, & facere, magis verò illud bonum est, quod plus bonj, vel de suo, vel si de alieno cum jurisdictione in illud possit facere. Sed jam audiamus quid dicat nominatus Scriptor *Bernardin. de Busto serm. 61. cap. 8. stell. 8.* Non timeo dicere quòd in omnium gratiarum affluxus quandam jurisdictionem habeat hæc Virgo, de cujus utero quasi de quodam Divinitatis oceano rivi & flumina emanabant omnium gratiarum. *Bernardus de aquæ ductu.* Plenitudinem Fontis

tis de corde Patris excipiens nobis eundem Fontem edidit, ut aquæ Fontis ad nos usque derivarentur. Ut autem specialiter esset Filius ejus, die Purificationis eum à Deo Patre pare columbarum emit, & simul sine Patre ipsius, Mater ipsa fuit illius, & quia videbat mundum beneficij hujus ingratum fore.

Audiamus quid *Utinus lib.4. cap.15.* dixerit: Cùm ipsa esset Advocata mundi tantum dolorem spiritûs suis infudit visceribus, quantus sufficiebat omnium electorum Genitrici ad excusandam ingratitudinem mundi, quia sic durâ morte de sui fabrica suum expellebat Authorem, qui ad ipsos emendos de faucibus mortis de sinu Patris advenerat servilem assumendo naturam, undè ipsa pro se, & pro toto mundo dignum Deo morienti, & de se genito exhibebat lamentum. Jam verò quia major non potest esse charitas quàm ponere vitam pro alio, audiamus hic *Rich. à S. Laur. lib.2.pag.2.* Animam pro salute mundi, Mater etsi non posuit, pro mundo animam exposuit tamen, & quod potuit, fecit, nec ipsa defuit martyrio corporali, sed ipsi defuit martyrium corporale: & hoc martyrium & oblatio ad illudstatim ab infantia Christi cœpit. *B. Andr. Eremita in m: s: citatus à Novarino lib.4. elect. num.488.* illam alloquitur. Tu Filium morti concedens genus humanum servâsti, & quidem longè excellentiori modo quàm Abraham: ille enim filium habuit mortis debitorem, hæc ut *Psal.87.* ait, inter mortuos liberum: ac ut est faciliùs cedere bonis tandem aliquando amittendis, quàm perennibus: ita facilius fuit immolare Abrahæ quàm Virgini. *Bonav. in 1. dist. 48. q.2.* Mater per omnia conformis Patri, & Filio, in hoc miro modo debet laudari & amari, quòd adeò compassa est, ut si fieri posset omnia tormenta quæ Christus pertulit ipsa libentiùs sustinuisset, & nihilominùs placuit ei quòd Unigenitus ejus pro salute humani generis offerretur. Verè ergo fuit fortis, & pia, dulcis, pariter & severa, sibi parca, & nobis largissima. Meritò itaque *S. Ephrem in hunc modum Virginem salutat, de laud. Virg.* Ave primogenitoris Adami Resurrectio, ave mundi Mediatrix gloriosissima, ave Pax & Salus mundi, ave universi orbis terrarum Conciliatrix. *Arnold. Carnotens. tr. de laud. Mariæ.* Omninò tunc una Christi & Mariæ voluntas, unumque holocaustum ambo offerebant pariter Deo, hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis. *S. Antonin. 4.p.tit.15. cap.20.parag.1.* Quod dicitur de Patre æterno Christi, ita & de Matre ejus temporali dici potest illud Rom. 8. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum*, passum voluntate & affectu, *quomodo non etiam omnia nobis cum illo donavit* pertinentia ad reparationem nostram? *Idem 4.p.tit.3. cap.20. parag.12.* Porta cœli est, quoniam per eam exivit de cœlis, quidquid unquam gratiæ creatum venit in mundum. Imitatur Filium qui nos in tantum dilexit, illa

insuper

insuper Mater Dei non fuisset nisi propter nos. Indè, amas nos, ait *Petrus Dam. serm.1. de Nat. Virg.* amore invincibili, quos in te, & per te, Filius tuus summa dilectione dilexit. Quis scit quoties refrigeras iram Judicis cum justitiæ virtus à præsentia Deitatis egreditur? in manibus tuis sunt thesauri miserationum DEI. *Bernardin. tom.3.serm.6. art.2. cap.2.* Virgo per consensum ad Incarnationem Filij, omnium electorum salutem viscerosissimè expetijt, & procuravit, & omnium saluti & salvationi per hunc consensum se singularissimè dedicavit, ita, ut ex tunc omnes in suis visceribus bajularet, tanquam verissima Mater filios suos. *Greg. VII. Papa cujus mentio fit in Martyrol. 25. Martij Mechtildi Filiæ Beatricis Ducissæ Thusciæ sic scribit:* Hoc proculdubio teneas, quia quantò (B.Virgo) altior & melior, & sanctior omni Matre, tantò clementior & dulcior circa conversos peccatores, & peccatrices: pone itaque finem in voluntate peccandi, & prostrata coram illa ex corde contrito & humiliato lachrymas effunde, invenies illam indubitanter promitto promptiorem carnali matre ac mitiorem in tui dilectionem.

Sed singulare quiddam *S. Ambros. lib. de instit: Virg. cap.7.* insinuat, ubi describit Virginem sanctissimam generosissimè sub cruce Filij stantem. Pendebat in cruce Filius, Mater se persecutoribus offerebat, acsi simul vellet cum Filio pro nobis mori. Quod expressiùs *Albert. M. super Missus* explicat. Non tantùm Virgo quantùm ad actum intentiorem, id est dispositionem, sed etiam quantùm ad operis exhibitionem posuit animam suam pro proximis: imò animam Filij sui, & ipsum Filium suum, quem magis quàm animam suam dilexit, pro proximo & propriam animam sine necessitate obtulit passioni propriâ voluntate, & eam in passione Filij crucifixit cum Filio; ut plùs quàm Martyr fieret secundum omnes Doctores: undè & duas animas obtulit pro proximo, & affectum dilectionis ad proximum duplicavit, propter quod *Simeon* dixit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius:* scilicet doloris Luc. 2. Et ut addamus aliquid simplicibus auribus vix credibile: ita proximum dilexit, quòd si defuisset qui Filium crucifixisset, ipsa pro salute generis humani consequenda eum cum manibus suis in cruce posuisset, ut docet *Gerson tr.2. in Magnif.* Legitur & apud *S.Antonin. idem text. 4.p. tit.15. cap.16. parag.3.* Ideò puto illam tam generosè sub cruce stetisse nec ab ea recessisse, ut ea pateretur saltem pro nobis amore nostri in corde, quæ patiebatur Filius in corpore. Undè etiam effusis lachrymis sanguine oculis profudit, teste *Mallonio lib. de Christi stigmatibus c.7. n.13.* Et alibi ex *B.Germano*, quia dolor Virginis juxta *S. Bernardinum serm. 61. art. 3. cap. 3.* tantus fuit, quòd si in omnes creaturas divideretur, omnes subitò interirent. *Arnoldus Carnot. tr. de laud. V.* Quod difficillimum erat, moriebatur

batur Virgo, & non poterat mori. Crux illa animæ, & patibulum ſpiritûs, in quo erat hoſtia viva, & beneplacens Deo, & medullatum holocauſtum, quod cum ipſâ incenderet, tantùm conſcientiæ miniſterio utebatur: ipſaque ſine ſtrepitu ſe ipſam mactans in altari interiori & ligna, & flammas, & latices conferebat: nimirum in tabernaculo illo duo videres altaria, aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Chriſti. Chriſtus carnem, Maria immolabat animam; optabat verò ipſa ad ſanguinem animæ & carnis ſuæ addere ſanguinem, & elevatis in cruce manibus, celebrare cum Filio ſacrificium veſpertinum, & cum D. JEſu corporali morte, redemptionis noſtræ conſummare myſterium: hoc ipſum verò cum ſolius ſummi Sacerdotis fuerit privilegium, & Virgini mori tunc omninò non licuerit, morte ipſâ illi acerbiùs fuiſſe opinor. Jam hic ut *Bernardus* monet *ſuper Miſſus* ô homo ſecurum habes acceſſum ad DEum ubi Mater ſtat ante Filium, & Filius ante Deum, Mater oſtendit Filio pectus & ubera, Filius oſtendit Patri latus & vulnera; ubi ergò poterit eſſe repulſa, ubi tot concurrunt amoris inſignia. Quæ verba *Author Pomeij in ſtellario lib. 12. p. 2. art. 1.* ubi retulit ſtatim ſubjicit. Si ergo nulla poteſt eſſe repulſa, ergò ſequitur quòd ſervire Mariæ eſt certiſsimum ſignum ſalutis æternæ conſequendæ.

19. Quia eſt Mater miſericordiæ.

Filius miſerebatur ſupra turbam, ſed & tu, ait *S. Theophan. Men. 9. Jan. ode 9.* ſingulari erga homines miſeratione afficeris; experti quinec invocatæ auxilium ſenſerunt. Refert *S. Anton. rem ejuſmodi 4. p. tit. 15. cap. 32. parag. 2.* Miles quidam divitijs abuſus largitiones nimias inſtituebat, donec eas ad fundum redegiſſet: aderat dies ſolemnior, quâ ille ſolitus prodigalior eſſe, & ut ſequitur nimiam profuſionem pudor: ita hic ut ei lenimen inveniret, latebras petijt, ibi ſuam deploraturus inopiam, ubi nemo arbiter eſſet: ecce adeſt comes genius quispiam è perditis, cauſam orat triſtitiæ, & accipit, ac ſimul ſolatium impertit, certo loco miles domi foderet, inventurus quæ ſuo honori ſuppeterent: plura deinde acceſſura, ſi imperium ſecutus fuerit, & diem conventioni deſtinat. Reperit miles defoſſis opes, & inopiam redimit, & honorem profuſionibus: ſed urget deſtinata dies, ut pacta reliqua conficiantur, jubet uxorem comitem viæ eſſe, ea Matri miſericordiarum devotiſsima fuit, ſequitur maritum in quempiam feſtinantem lacum, fortè erat Divæ Virginis ad viam ædicula, orat conjunx, tantùm moræ largiatur maritus, donec ſolitum Virgini penſum precum decurrat: annuit: Ingreditur & ſolito

solito fervore orat, quem acuebat præsagus quidam horror, & metus suspectæ viæ. O misericordia Matris! sopitur mulier, Virgo illius figuram formamve assumit, & militem comitatur; venitur ad feralem lucum, ad nundinas æternitatis: sed en genij advertentes quam ille sociam duceret, ejulant, clamant: infidelitatis, proditionis militē arguūt, qui pro uxore Matrem Dei adveheret: & subitò in fumum abeunt. Insuper monentur à Virgine, nè in posterum in devotam mulierem quidquam audeant. His visis miles funestum agnoscit statum, jubeturque uxorem in templo sopitam quærere: cum qua deindè in obsequio Virginis vixit piè, nec egenè. *Bernard. serm. de Verbis Apoc.* Nihil austerum in Virgine, nihil terribile, tota suavis est, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam. *Ibid. considerat verba, Amicta sole.* Quemadmodum enim ille sol super bonos, & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoq; præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo miseretur affectu. *Bonav. in spec. cap.* 8. Quis est super quem sol non luceat? Quis est super quem misericordia Mariæ non resplendeat? *Bonav. spec. cap.* 14. Quis dubitare potest omninò in charitatis affectionem transijsse viscera Mariæ, in quibus ipsa quæ DEus est Charitas novem mensibus corporaliter requievit? Illa est designata per Sunamitidem 3. *Regum* quæ Davidem calefaciebat. *Rupert. in Cant. 6.* Porrò Sunamitis puella speciosa sola digna est stare coram Deo Rege, ipsumque calefacere, id est bene calentem ejus charitatis gloriam, scilicet remissionem peccatorum obtinere. *Idiot. cap.* 3. Species ignis consistit in ardore, & splendore, in te autem ô Bma Virgo Maria fuit ignis charitatis, ardens & splendens ante Deum, & nos miseros peccatores protegens. *Guilielm. Aruernus Episc. Paris. in Rhet. Di. c.* 38. Non præsumat aliquis DEum, vel Dei Filium se posse habere propitium & benevolum, qui benedictam Matrem suam offensam, aut aversam habuerit. *Bonav. spec. cap.* 3. Magna fuit erga miseros misericordia Mariæ adhuc exultantis in mundo: sed multò major erga miseros erat misericordia ejus jam regnantis in cœlo. Majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc hominum innumerabilem miseriam intuetur.

20. Quia non solùm ipsa in se, sed etiam in suis imaginibus est admirabilis Thaumaturga.

Quarè B. Virgo in his potiùs, quàm alijs locis patrat miracula? in simili respondet S. *Augst. epist.* 137. Ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest

ejus consilium perscrutari, quarè in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? sicut quod *Apostolus* dicit. Non omnes sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem spirituum: ita nec in omnibus memorijs Sanctorum ista fieri voluit ille qui dividit propria unicuiq; prout vult. Virgo nostra jam est oculis nostris subducta; visibilis tamen in suis imaginibus, de qua S. *Sabbas* 2. Julij, Flumina miraculorum ô Deipara, ex te tanquam paradiso progressa universi orbis exsatiant sitim gratiarum. cumulos velut undas voluentia, in utilitatem eorum, qui te sincerâ fide colunt. Pergit citatus S. *Sabbas*. En copiam gratiæ inexhaustam! Adeste omnes & corde puro scaturientes, nunc rivos haurite planè Divinos. Sed neque imagines ejusmodi raras, neque se locis inaccessis affixit. *Idea Athlantis Mariani Author colligit pag.* 16. *citatus à P. Clagio in Linda.* In castanea Goriciensis B. Virgo in Germania: in rubo Turcanensis in Moravia: in Sambuco Cheruci in Germania: in Larice Uvalcast in Germania: in vite Viterbis in Italia: in quercu Foyensis in Germania: in cupresso Constantinop. de qua *Niceph. lib.* 14. *cap.* 46. in pyro Zirovicensis in Lithvania: in spinis de Pario in Italia: in nuce Castilionensis in Italia: in cerasо Elarensis in Germania: in nemore Aricina in Italia reperiendam se dedit. Materiam si spectes: nulla fortè ex pretioso metallo, ex lapide rudi, telâ, ligno invenies, si formam: plerumq; symmetria proportioq; nulla, ita propter nos ut nobis sine nostra arte, vel materia benefaciat, sese exinanit. Artifices aliquarum, homines facinorosi, ut illius quæ est Lindæ in Prussia, patibularius factor est, is suspendendus postridiè, noctu à Bma Virgine visitur in carcere, jubetur sculpere ignarissimus artis, Judicibus postridiè ostendere, cum certa absolutione, imago fit, absolvitur, jubetur reponere in arbore certo loco: quæ Germanis Linda, latinis Tilia, indè Lindensi loco sanctitas. Aliquæ per pecora repertæ, ut illa quæ est in Romaniola per scrofam. *Priorem historiam* P. *Clagius Linda lib.* 1. *cap.* 18. *refert*: *Posteriorem Author Athlantis Mariani fol.* 100. Alias boves, alias aliæ animantes, plerasque pastores, etiam facinorosi homines reperiêrunt. Etiam aliquæ imagines perditâ, & truncatâ facie, uti in Lusitania in loco dicto Villa vitiosa, quæ Ducum Brigantinorum sedes est inventæ. De ea sic *Author Athlantis Mariani fol.* 34. Magnam partem carie confectam nisi defectum valde notabilem, nulla unquam materia, nulla artificis industria restituere valuit. Imago dicta de Fonte sancto clarissima miraculis. Cordubæ in Hispania inter annosæ ficûs nodosas radices implexa reperitur. *Idem fol.* 71. Illa conservatrix Ravennæ imago appellata ab arbore, quâ creditis manu elaborata? Cæsar Morandus Civis Ravennas picturæ ignarissimus pinxit; sed dum pingeret, ab omnibus irrisus

sint

sine arte pictor. *Athlas Marianus lib.2. pag.14.* Quid illa quæ hodie Venetijs colitur dicta *de Schola?* eam Pastor Ariminensium pecorum, ingenio & manu rusticus rudissimè formavit, sed cùm vultum nullatenùs exprimere posset, eum Angeli non tam juverunt, quàm pro eo totum fecerunt *idem fol.46.*

21. Quia est Salus sibi servientium.

Mille probatum experientijs est quod S. *Damascenus in Menæis 21. Jan.* dixit. Nullus unquam ô Virgo Deipara! qui ad te implorandam accurrit à te confusus discedit, sed gratiâ quam petit expressâ, mox tali donatur beneficio quod eum desiderij sui compotem reddat: illa est enim Pellis ovilla, *ut idem 22. Jan. ode 7.* quâ Adam indutus, illa Pellis Gedeon, quam revera pellem indutus processit pastor ille, qui totum me hominem superexaltat propter incomprehensam misericordiam suam. *Adhuc idem loquatur quod in eadem Menæa Ecclesia Græca retulit 13. Februar.* Quicunque te sui Domini Matrem omni cordis contentione implorant, eorum tu desideria eventu plenissimo donas. *Ludovic. Blosius spec. cap.12.* Dulcissima Maria nullum à se repellit, peccatores ad se piè & humiliter confugientes blandè suscipit, fovet, protegit, & Filio suo Maternâ fiduciâ reconciliat. Citiùs cœlum & terra perierit, quàm ipsa aliquem seriò se implorantem suâ ope destituat. *Anselm. lib. de orat.* O Maria! tu peccatorem toti mundo despectum Materno affectu amplecteris, nec deseris, quousque Deus per te placatus ipsum suæ gratiæ recuperabit. *Bonav. in stim. Div. am. p. 3. cap.19.* Verè Domina Regina est misericordiæ, quia non est in hac vita, sic desperatus, sic miser, cui non impetres misericordiam Salvatoris, si ad tuum reclinabit regimen. *Idem in spec. Virgin. cap.5.* O verè magna Mariæ gratia, quam multi ex eis ad misericordiam colliguntur, qui à Doctoribus & Rectoribus tanquàm incorrigibiles relinquuntur. *Et cap.7.* Maria est signata per illam mulierem 4. *Reg.4.* cui clauso ostio domûs suæ omnia vasa intùs congregata, facta sunt miraculosè oleo plena; ad multiplicationem olei, vasa etiam vicinorum non pauca collecta fuerunt, ideò quoq; per vasa illa omnes signari possunt, qui plenitudinis misericordiæ Mariæ participes sunt. *S. Brigitta 3. Revel. cap.32.* Quod attrahit aliquid est proprietas naturalis; sic apparet de Magnete attrahente ferrum, & ideo ipsa Virgo nos ferreos, id est in malo obstinatos, & duros debet attrahere propter proprietatem suæ misericordiæ: sicut enim Dei proprium est semper misereri, & parcere, sic etiam & Matris ejus. *Richard. à S. Laur. lib.4.* Misericordia ejus & gratia communis est omnibus eam invocantibus in veritate, quasi dicat cum Filio Joan. 6. *Eum qui venit ad me non ejiciam foras.* Undè meritò

comparatur Oliuæ Eccles.24. *Quasi Oliva speciosa in campis*, non in hortis quia non est clausa. *Bonav. in Psalm.* Benedicite Virginem in toto corde vestro, misericordiâ enim illius plena est terra. Eccles.24. *Quasi Platanus. Richard. à S. Laur. lib.12.* Maria Platanus patulam se exhibet peccatoribus, omnes quantum in se est parata recipere sub sua protectione, & omnes refrigerare malo igne exustos, & nota quòd ubi sunt folia lata, ibi est umbra magna, & magna est umbra protectionis ejus. *Bern. in Salve Regina.* Divinæ pietatis abyssum, cui vult, & quandò vult, & quomodò vult; creditur aperire, ut quivis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinijs suis suffragia præstat.

De Civitatibus refugij habemus Exod.21. Occasione harum Richard. à S. Laur. lib.2. parte 3. Peccator debet ad Virginem confugere, quia ipsa est Civitas refugij. Fonti verò omnibus patenti comparat devotus *Idiota contempl. 16.* Fons tuæ misericordiæ vivus, & indeficiens est, nunquam diminuitur, nec siccatur: omnibus se potabilem reddit, nulli clauditur, nec negatur, haurit ex ea bonus, haurit etiam malus, omnibus prodest, nemini nocet, omnes recreat, omnibus dulcis est, omnes juvat, curat debiles, sanos confortat, miseros lætificat, justos prohebit, injustos purificat, ægros sublevat; bellantes tuetur, anxios consolatur, peccatores justificat, peregrinos roborat, inimicos deprimit, virtutes auget, peccata prosternit, pauperes refocillat, divites in humilitate custodit, iracundos mitigat, pacem procurat, immundos abluit, dissolutos retrahit, charitatem multiplicat, corda divisa unit, mentes elevat ad superna, opera misericordiæ exercere facit, somnolentos excitat, ad bene operandum cunctos inducit, in periculis defendit, omnibus necessitatibus occurrit, indulgentiam peccatoribus obtinet, Deo illos per amorem conjungit, incipientes dirigit, proficientes illuminat, perfectos inflammat, & timidos fortificat. *Bernardus serm. de B.V.* Maria omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam. *Innocent. III. serm. de Assumpt.* Deprecare Mariam: quis unquàm invocavit eam, & non est exauditus ab ea? *Guilielmus Arvernus Parit. Episcop. in Rhet. Div. cap.* 18. Absit hoc à Matre Dei, quæ Fontem pietatis toti mundo peperit, ut cuiquam miserorum, suæ misericordiæ subventionem unquam deneget. Innumeris exemplis magnificorum operum misericordiæ tuæ, quæ operata es erga peccatores miserrimos docuisti nos, & persuasisti de tua misericordia confidere, de tua pietate sperare, & in omnibus necessitatibus nostris, sub alas

tuæ

tuæ protectionis fiducialiter confugere. *Patet quoq; id ex verbis Dei Patris ad S. Catharinam Senen. uti filos. in monili refert.* Mariæ Unigeniti glorioſæ Genitrici, à bonitate mea conceſſum eſt propter Incarnati Verbi reverentiam, ut quicunque etiam peccator ad eam cum devota veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à dæmone infernali: Hæc enim à me electa eſt, tanquam Eſca dulciſsima ad capiendos homines, & præcipuè animas peccatorum. *Et ipſa Virgo apud S. Brigittam 6. revel. c. 10.* Ego ſum Mater miſericordiæ, juſtorum Gaudium, & Aditus peccatorum ad Deum. *Paulo poſt.* Nullus eſt adeo maledictus qui quàm diu vivit, caret miſericordiâ mea, quia propter me leviùs tentatur à dæmonibus, quàm alias tentaretur. Nullus eſt ita alienatus à Deo, niſi omninò fuerit maledictus, qui te invocaverit non revertatur ad Deum, & habebit miſericordiam. *Richard. à S. Laur. lib. 1. de laud. Virg. c. 2.* Turris fortiſsima nomen Dominæ, ad ipſam confugiet peccator, & ſalvabitur. Ita planè, confugit ille famoſiſsimus peccator *Theophilus de Adana civitate Cilicum, uti Sigeb. & Maffæus.* Huic ob vitæ claritatē, mortuo Epiſcopo Adanæ, offerebatur infula, recuſavit, dein à novo Epiſcopo agentibus calumniatoribus officio quod habebat, Oeconomi abſolutus, quod ita graviter tulit, ut conſulto mago dæmoni ſe inſcripſerit; Deum & Matrem ejus abnegaverit. Reſtitutus ad officium dæmonis ope, ſequenti die tactus dolore de ſcelere, per quadraginta dies cum precibus, lachrymis, jejunijs, egit apud SSmam Matrem, ut ei criminis veniam apud Filium exoraret; apparuit illi Virgo & ſyngraphum à dæmone receptam retulit. *De hac Divus Bernard. ſerm. ſuper verbis Apocal. Signum magnum* ſic Virginem affatur. Tu peccatorem quantumlibet fœtidum non horres, non deſpicis, ſi ad te ſuſpiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit, Tu illum à deſperationis barathro piâ manu retrahis, ſpei medicamen aſpiras, foves, non deſpicis, quousquè horrendo Judici miſerum reconcilies. Famoſum hujus tuæ dignitatis teſtimonium eſt per te *Theophilus* reſtauratus gratiæ.

Sed placet adducere & de *Catharina*, pulchrâ incredibiliter, ſed famoſâ meretrice Romanâ: quod refert *Alanus de Rupe, in Pſal. p. 5. cap. 59. Thomas de Templo.* Perſuaſit huic S. Dominicus ut oraret Roſarium Divæ, dum hæc faceret, & nihilominùs à libidine non deſiſteret: obtulit ſe ei Chriſtus ſpecie adoleſcentis formoſi: acceptat illum Catharina more ſuo, & cœnam exhibet: & ecce omnia fercula cruenta apparent: miratur Catharina, tamen hoſpitem ad thalamum à cœna invitat: ſequitur CHriſtus, & ingreſſus mutatur in pueri formam geſtantis in humeris crucem, ac in capite coronam de ſpinis, & ait illi: O Catharina, Catharina, jam à tua ceſſa ſtultitia: tum ſe mutat in eam ſtaturam viri, in qua paſſus.

Ecce

Ecce vides Filia quanta pro te sustinui, quæ excedunt omnes pœnas inferni, quia potestas mea non fuit humana, sed Divina. Rursus apparet illi mutata specie in solarem claritatem. Ecce vides Filia quanta pro te, nec quod tibi apparco pro tuis meritis facio, sed pro pœnitentiæ exemplo. Denique disparet visio, & Catharina sentire cœpit dolorem passionis Dominicæ, confessa Catharina die sequenti S. Dominico, & tandem illi conspicuam se dedit B. Virgo cum S. Catharina Martyre & ait: Ecce Filia multũ peccâsti, plurimùm pœnitere oportet, & suasit illi, ut quotidiè faceret tres flagellationes, quâvis vice quinquaginta ictus sibi infligendo. Vidit deindè S. Dominicus mirandas circa hanc fœminam visiones, quas cùm miraretur, tam subitò circa tantã peccatricem fieri, audivit à D. Virgine: Cur nunc miraris in talibus? nescis quòd peccatorum sum amica, & quod in manu mea est Dei clementia? ita ergo volui tibi de hac filia ostendere, quatenùs mundo prædices, quòd nullo modo debeant, pro quantiscunque peccatis peccatores desperare, sed semper in Domino confidere, & signanter illi qui volunt sub chlamyde meam confugere cum Catharina. Hæc deindè Catharina sanctissimè vixit, & obijt; & sepulta in Ecclesia Lateranensi S. Joannis. Meritus erat & ille latro pœnas inferni, de quo *Pelbart. lib. 12. Stellaris part. 2. art. 1.* Hic cùm didicisset eum opem Virginis habiturum, nec inexpiatum decessurum, qui ejus sabbata jejunio honoraret: fecit id; captus tandem, plexus capite, caput absciſſum cœpit continuò inclamare, Confessionem, Confessionem; qui aderant advocârunt Sacerdotem: cui latronis caput narravit miraculosè à B. Virgine suam animã retẽtam in corpore, nè sine pœnitentia moriendo periret. Confessus tandem, & ab omnibus preces popoſcit, ac feliciter animam dimisit. *Idem narrat quod anno 1437. accidit.* Dum Sigismundus Imperator in partibus Trans-alpinis bellavisset, occisus inter cæteros quidam miles Divæ addictissimus. Post multos annos contigit ut Imperator dictus eundem locum accederet, tum auditus ab omnibus fletus, ac lugubris ejulatus. Inquisitum undè hæ voces prodirent: tandem repertum quoddam cadaver, putridum & ita corruptum, ut spinæ enascentes per illud transierint, hinc illi fletus prodibant. Quod ubi illi propiùs se admoverunt, sic est locutum: Habetisne Presbyterum, cui confitear? adducite mihi: dixit præterea se fuisse militem Sigismundi, ibidem occisum: ob devotionem erga Virginem id illi datum, nè anima à corpore ejus solveretur, priusquàm pœnitentiam posset agere, confessus, deindè obmutuit cadaver. *De alio idem narrat*, qui cùm navigaret cum locijs per Danubium, fracta nave, ut imperitus nandi descendit ad fundum, socij enatârunt, & mox conquisiêrunt piscatores, qui corpus requirerent, sed frustrà laborâ-

laborârunt triduò: ille autem in fundo vixit, & ibi talia audivit. O homo! ecce mori debebas & damnari, sed quia servivisti B. Mariæ Matri Dei, donatum est tibi ut vivas, & agas pœnitentiam & ita tertio die proprijs viribus è flumine ad ripam erepsit: *Accedat hic de Innocentio Papa 3. ex vita S. Lutgardis apud Surium.* Comparuit illi post mortem suam flammis cinctus, mirata id Lutgardis in tali Pontifice, qui ab omnibus Sanctus habebatur: addit ille se damnandum fuisse, nisi per intercessionem pijssimæ Matris Dei, cujus servis monasterium condidit, in extremis gratiam pœnitentiæ accepisset. *B. Hermannus* sic Virginem allocutus, id ipsum prædicat. Qui te quærit, nunquam perit, tu quem amas, tuus erit, Beatus qui te sequitur. *Et rursus,* Gaude Fons qui non siccaris, ô quam suavis dum gustaris, tuus rivus, amor vivus, per medullas transitivus, Beatus quem inebriat. *S. Anselm. hym. 1. ad Virg.* Tu es enim Mater Christi suavis memoriæ, ob quam nobis sunt apertæ januæ paradisi, quæ tam potens es in omni bonitatis opere, ut omninò sit beatum, qualis sit agnoscere. *Eadem & sententia S. Bonavent. in Psalt.* Beati quorum corda diligunt te, Virgo Maria, Beatus vir qui timet Dominum, & beatũ cor quod diligit illam, beati immaculati in via, qui Matrem Domini imitantur, beati imitatores humilitatis ejus, beati participes charitatis ejus, beati perscrutatores virtutum ejus, beati conformes imagini illius, beati qui conceptum & partum ejus venerantur, beati qui devotè ei famulantur. *Consonat Rich. à S. Laur. lib. 2. pag. 8. de laud. B. Virg. ad Prov. 3. alludens.* Qui tenuerit eam id est Mariam perseveranter, nõ declinans post meretricias voluptates, ut dicere possit de ea, sicut ipsa dixit de Filio Cant. 3. *Tenui eum nec dimittam,* ipsi videlicet inseparabiliter adhærens, beatus hic in spe, in futuro in re, beatus ad bonum suum natus, beatus id est benè viventibus aptus, beatus quia omnia optata ei succedent in futuro. Propter quod *Gerson tract. in Magnif.* Illos non beatificare nequeo, neq; sufficio, quos ô Beata tibi feceris devotos, quomodò enim non beati, quibus ubera charitatis lactanda, quibus os pietatis osculandum non dedignata fueris ostendere. *Et tract. 8.* Beatus ille cui Beata dederis affectum diligendi te, honorandi te. *Blosius Endelogia 1. ad Mariam.* Beati qui diligunt te Domina, beati qui te venerantur, beati terquè quaterquè & ampliùs, qui per sanctimoniam tibi familiares sunt effecti. Meritò *Theophanes hymno de Annunt. Dei Genitricis,* illam vocat: Sponsarium immortalitatis, & Sanctuarium manifestum. *Et Damasc. in Annunt.* Spem tuam habens, ô Deipara servabor, defensionem tuam possidens non timebo, persequar inimicos meos & in fugam vertam, te solùm habens ut thoracem, protectionem tuam, & præsens auxilium tuum; nam devotum tibi esse arrha est quædam salutis, quam Deus ijs dat,

quos vult salvos fieri. Videtur id insinuatum *Judic.*12. Qui enim benè pronuntiabat *Schibolet* quod significat spicam salvabatur, *Spica* est Virgo quæ nobis granum tritici attulit. 1. *Reg.* 25. juravit David totam domum Nabalis se versurum, una Abigail omnes conservavit. Gen.12. Abraham orat Saram: *Dic obsecro quod soror mea sis*: Erat enim in gravi periculo. Hæc omnia fuerunt figuræ Virginis. *Ecclesia illi Græca in Men. canit.* 24. *Jan.* Tuus partus ô Virgo generis humani jam olim condemnati vincula diremit, nosq; sibi per novæ gratiæ nexum alligavit, illis omnibus benedicens, quicunque te ut Dei Genitricem honorant. Hanc benedictionem nomine protectionis exponit *Richard. à S. Laur. lib.*2. *partic.*1. Protegit Christus servos suæ Genitricis, ut veraciter dici possit, qui habitat in adjutorio altissimæ Dominæ, in protectione Dei cœli commorabitur. Hoc autem tam certò fit, ut *B. Alanus cap.*27. dicat: fuisse usitatum in Ordine S. Dominici, si quempiam quis vidisset in aliquo negligenter agentem, confidenter negligenti tali ajebat. O Frater, Frater, dubito certissimè, quòd psalteriũ nõ dicatis Virginis Mariæ, aut quòd saltem dicatis indevotè. Quam verò benedictionem acciperent devotè colentes Virginem recitatione rosarij, idem recitat *lib.*3. *cap.*15. Per hoc scelesti peccatores & mulieres in sanctam vitam mox convertebantur, gemitus & fletus dabantur in abundantia, pœnitentiæ causâ hujus Psalterij etiam à puellis & pueris fiebant incredibiles, devotionis ardor ad Deum sic florebat, ut Angelos in terris vivere putares: fides quoque sic roborabatur, ut plerique cuperent libentissimè mori pro fide, hujus virtute Psalterij sanctitas maxima, & contemptus mundi, atque honor Ecclesiæ, justitia Principum, pax Civium, honestas & communitatum & domorum vigebat. *Idem inducit Virginem Sanctam dicentem cap.*16. Quandò defecit hoc Psalterium Ordo quidam in quàm plurimis defecit: ut jam parietes, picturæ, & libri, & epitaphia produnt, etsi linguæ hominum dicere nollent. Expressisse videtur in Jordane Deus præsentem benedictionẽ: Jordanis exhibuit obsequium *Arcæ* quæ est imago Deip. *juxta B. Ildef. serm.* 1. *de Assumpt.* quam transmisit sicco alveo: jam Christus refert illi gratiam dum in illo lavatus, toto illum corpore consecrat, ut fiat alijs in ablutionem vitalem. Meritò *Bern. serm. Signum magnum.* O felix Maria! qui te diligit, Deum honorat, qui tuum nomen puro corde invocat, quicquid postulat indubitanter consequitur. *Pelbartus in stellario lib.*12. *p.*1. *art.*2. Abraham dixit Deus: *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi* Gen.12., etiam Jacobo dixit: Gen. 27. *Qui maledixerit tibi, sit maledictus, & qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur.* Hoc dixit per os S. Patriarchæ Spiritus S., quantò magis ista sunt credenda de B.V. & eam benedicentibus?

22. Quia

22. Quia est Mater communis omnium.

Id clarè professus B. *Stanislaus Kostka* rogatus, quo in eam ferretur affectu? ait Mater mea est. Certè ut *Rupertus lib.13. in Evang.* Verè ibi (sub cruce) Virginis dolores ut parturientis, in passione Unigeniti omnium nostrùm salutem B. Virgo peperit, planè omnium nostrùm Mater est, ibi nos nati sumus in dolore, quem non habuit dum gigneret. Idcircò Tob. 4. sciamus scriptum esse: *Honorem habebis Matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ, memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te.* Et ideò è cruce non ait Virgini Filius, Virgo ecce Filius tuus, sed mulier. Quod ut notat *Pagninus in thesau. linguæ sacræ*, vox *Jsch*, Hebræis notat & uxorem & mulierem, ac si diceret: Mei Filij sunto tui, & quos ego gigno in cruce, recipe in tuos. Evenitque simul quod Isa. 47. prodidit. *Venient tibi subito duo hæc sterilitas & viduitas.* Sterilis enim erat quia Virgo vidua, quia ibidem facta est quasi vidua Domina gentium. Syriacè Maria, Domina Filium amittens. In dolore profectò quia & Deus qui amictus est lumine sicut vestimento, instar hominum, qui præ dolore in morte charorum scindunt vestimẽta, scidit velum templi desuper, & præterea *Matth.27.* fecit ut tenebræ essent super universam terram. Adeò verò in hoc partu Virgo doluit, ut asserat S. *Anselm. lib. de excell. Virg. cap.5.* Non crediderim te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatûs dum Filius moreretur, quin vitam amitteres, sustinere; nisi spiritus dulcissimi Filij tui te intùs doceret &c. Quia quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil comparatione tuæ passionis. *Ipsamet hæc D. Brigittæ manifestavit lib.2. Rev.* Qualem ipsa Virgo ait tristitiam haberem tum temporis, cùm Filius moriebatur, non est qui valeat dicere, eram enim sicut mulier pariens, cujus omnia membra post partum tremula sunt. Jam si Mater non subtrahit ubera Jerm.4. *Lamiæ nudaverunt mammas suas, lactaverunt catulos suos*, quid illa pientissima Mater? Certè ut *Bernardinus serm.11. art.2. cap.1. tom.3.* Ab ipso Patre æterno B. Virgo recepit fontalem fœcunditatem ad generandos omnes electos, etiam Angelos. *Guilielmus in Sigillo.* Per hoc quòd facta est Verbi Incarnati Mater corporalis, facta est membrorum ejus Mater spiritualis, per hoc quod caput nostrum secundùm carnem concepit, membra ejus lacte pietatis alenda suscepit: habet ergò unicum quem pro tempore lacte corporeo nutrivit, habet & gemellos, id est ex utroque sexu adoptatos, quos lacte pietatis nutrire non desinit. Sed illo gravior *Augustinus lib. de S. Virginit. cap.6.* Hæc Mater est spiritu membrorum Salvatoris, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, sicut olim *Abraham Pater gentium & Sara* Isai. 51.

Mater, ita Christus & Virgo. Ideoq; ut scripsit *S. Methodius in hypopante*. Tanquam legatum in testamento suo nobis (Christus Virginem) reliquit, cùm in Joanne eam in Matrem nobis tradidit, cujus virtute, & precibus pœnè innumeræ peccatorum conversiones fiunt. *Bonav. in spec. B. Virg. cap. 6.* Maria non solùm est Mater Christi singularis, sed etiam Mater omnium fidelium universalis.

Alio modo hanc Maternitatem explicat *Guiliel. in Cant. 7.* Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ, sicut magnus ille parvulus natus est nobis, id est ad salutem nostram, ad vitam nostram, ita etiam nutritus est nobis. Pariebat nobis Virgo Mater salutem, atque eo ipso pariebat nos ad salutem: sacro suo lacte nobis nutriebat vitam, atque eo ipso nutriebat nos ad vitam, pijs caput nostrum brachijs suspendebat ad ubera sua, & nos ad eadem in illo suspendebat, nec ille sibi nascebatur nec pascebatur, sed nobis, atque ideò nos in illo nascebamur, nos in illo pascebamur. *Idem in Cant. 6. inducit Christum Virgini loquentem.* Noli me aspicere ô pia Mater ut olim, ut Mater, averte à me Maternos oculos, sed aspice velut Amica, & Sponsa, jam ascendi ad Patrem, habeant Materni illi oculi vacationem, sed à me: porrò ad membra mea vacare illos nolo. Averte à me ad fratres, ad filios meos, nè claudas illos, sed averte à me; transfer Maternam pietatem à me, in meos. *Idem ibid.* In cruce pro salute hominum agonizans, unum tibi adoptavi Joannem dicens: *Mulier ecce filius tuus*: porrò cum triumpho Resurrectionis ad Patrem ascendens, multos tibi vice mei adoptavi, & reliqui filios. Mulier ecce Filij tui, quos diligas, & aptè confoveas. *Et paulo post*: Avertas oculos illos tuos Maternos à me, ascendens in cœlum avolavi à te, ut à me in meos transferres teneritudinem Maternæ pietatis. Agnovit hanc Virginis Maternitatem qui illam sequentibus veneratur, ac cum Matre omnium Eva confert *Greg. Nyssen. serm. 2. de Annunt:* Ave immaculata Maria viduati orbis Sponsa simul, & Mater, ave quæ in utero matris Evæ nomen demersisti. *Et amplius Epiph. contra hæres. 63.* Ut omnis hominum generatio ex prima illa, quæ primævam nobilitatem vitiavit inobedientia infeliciter exorta est, sic vera vita quâ Deo secundùm spiritum vivimus, per alteram Matrem, Mariam verè obedientem nobis perditis quasi restituitur. *Et paulo post.* Vetus Eva fœtus suos priusquàm pareret, extinxit, noverca potiùs quàm mater appellanda: sed nova hæc Eva non morientium, sed revivisentium Mater extitit. *Richard. à S. Laur. lib. 6. de laud. Virg.* Etsi carnaliter genuit unicum Filium, in eo tamen specialiter Mater effecta est multitudinis filiorum, quorum primogenitus Christus. Undè signanter dictum est Luc. 2. *Peperit Filium suum primogenitum.* Sicut enim Eva dicta est Mater omnium viventium vitâ naturæ, sic Maria Mater omnium viventium vitâ gratiæ;

ipsa

ipsa etiam propter hoc figurata est per Saram, quæ licet non nisi unicum filium carnaliter peperit Abrahæ, tamen mater dicta est totius populi Israëlitici. Undè Isai. 55. dicitur Judæis. *Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Aliter S. *Anselm. id exponit lib. de excell. Virg. cap.*11. Beata Dei Genitrix Maria suis meritis cuncta reparando, Mater est, & Domina rerum: Deus enim Dominus omnium singula in sua natura, propriâ jussione constituendo, & Maria est Domina rerum singula congenitæ dignitati per illam quam meruit gratiam, restituendo. *Sed hoc ipsum in spem vertit c.*11. Si Maria propter peccatores scilicet propter me, meique similes facta est Dei Mater, cur non illam erga me Parentem sperabo? *Et cap.*12. Cur itaque non juvabis nos, atque eris Mater nostra, quandò propter nos in tantam celsitudinem es elevata? ut te Dominam habeat, & veneretur omnis creatura. Et quam curam habuit, patuit Anno 1250. ut refert *Vincent. in spec. hist. lib.*7. *cap.*119. Adeo turbata fuit Ecclesia sede vacante, ut propter dissensionem Cardinalium in electione Pontificis, conclave duraverit annum, & medium, in eo, qui postea Innocentius dictus IV. in Pontificem electus, vovit adhuc Cardinalis B. Virgini curaturum se celebrationem ejus Natalis (cujus nondum festa dies exstabat) si electio Pontificis citò consisteret, & pacatè, quod voto illo edito, statim consecutus. *Bonav. spec. cap.*8. Maria non solùm est Mater Christi singularis, sed etiam Mater omnium fidelium universalis. Undè *B. Ambros.* ait. Si Christus est credentium Pater? cur non ipsa quæ genuit Christum credentium sit Mater? Charissimi omnes nunc gaudeamus, nunc omnes gaudendo dicamus: Benedictus Frater, per quem Maria est Mater nostra, & benedicta Mater, per quam Christus est noster Frater. Cum *Anselmo*, Domina Mater, per quam talem Fratrem habemus, quid gratiarum, quid laudis tibi retribuemus? *Bernardin. initium huic Maternitati assignat tom.*3. *serm.*6. *art.*2. *cap.*2. Virgo per consensum in Incarnationem Filij, omnium electorum salutem viscerosissimè expetijt, & procuravit, & omnium saluti & salvationi per hunc consensum se singularissimè dedicavit, ita, ut extunc omnes in suis visceribus bajularet, tanquam verissima Mater filios suos. *S. Anton.*4. *p. tit.*15. *cap.*2. Sicut Christus nos genuit verbo veritatis ad esse gratiæ spirituale in cruce patiendo, ita & Virgo Maria nos genuit, & peperit in maximis doloribus Filio compatiendo, pœnas immensas pro nobis patienti. Ita exponit *Albert. M. illud Isai. ult.* Parturivit Sion filios suos, id est B. Virgo quæ speculabatur mysterium passionis (Sion enim speculatio interpretatur) parturivit summè condolendo in passione Filij. *Et cap.*14. *parag.* 3. *ad Angelos extendit.* Quoniam quidquid est causa causæ, causa etiam censetur causati, sed Angeli illuminationem, perfectio-

nem, & beatificationem recipiunt à JEsu, per quem omnia restaurantur in cœlo, & in terra: ergò Maria quæ est Mater Jesu, causa est aliquomodò gloriæ Angelorum, ut aperte dicatur Mater eorum.

23. Quia est Solamen agonizantium.

Non frustrà Christus sine Matre mori noluit, hæc illi adsistere morienti debuit, ut nobis exemplar esset. Non frustrà Ecclesia latina orat: *Tu nos ab hoste protege, & mortis horâ suscipe. Iter para tutum.* Illa enim est *Virga*, quâ Moyses mare rubrum percutiens, iter populo per mare illud ex Ægypto in terram promissionis paranti aperuit. Ejus gratiam orat *Ephrem in lament. B. Virginis.* O Virgo esto ergò nostra Conciliatrix & Advocata in hora mortis atque judicij, nosque à futuro inextinguibili igne, & tenebris exterioribus libera, & Filij tui gloriâ nos dignare ô Virgo & Mater dulcissima & clementissima! *Adfuit Carolo Filio S. Brigitæ, ut lib. 7. Revelat. ipsa suam patefacit operam.* Egosteti propè eundem filium tuum Carolum, paulò antequàm emisit spiritum, ut carnalem amorem non sic memoriâ haberet, quòd propter eum aliquid Deo contrarium cogitaret, vel loqueretur, nec aliqua Deo placentia vellet omittere, neque illa quæ possent esse quomodolibet Divinæ voluntati contraria vellet perficere ad animæ suæ nocumentum: ego etiam taliter juvi eum in illo arcto spatio, id est exitu animæ suæ à corpore, ut non tam duram pœnam sustineret in morte, quòd ex ea inconstans fieri posset aliqualiter desperando, & nè Deum in morte oblivisceretur: Ego etiam custodivi animam ab ipsis immortalibus inimicis, id est dœmonibus, quòd nullus eorum tangere posset, sed statim cùm egressa fuit à corpore, accepi eam in meam custodiam ac defensionem, quo facto turba dœmonum festinanter fugit, & recessit, quæ ex sua malitia cupiebat eam deglutire, & æternaliter cruciare. Sic in cœlesti Zodiaco Virgo inter Libram posita & Leonem, ut nimirum cùm in hora mortis Leonem de tribu Juda libram respicientem justitiæ habuerimus, Virginem ut Advocatam, ut Mediatricem inveniamus. Et facit hoc munus. *Sur. 15. Aug. de S. Arnulpho Episcopo Suesonien.* Beata Virgo hunc clientem suâ præsentiâ in morte exhilaravit, ejus animam ad superos abituram prædicens: similiter affuit Adulpho Franciscano ex Alsatiæ Principe, & solata his: Quid times fili, aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni securus quoniam Filius meus cui fideliter serviisti, dabit tibi coronam gloriæ. Non dispari solatio & Radbodum Episc. Trajectensem ut *Sur. 29. Novemb.* replevit. Nè timeas Radbode, certus eam te intueri, cui supplices offers preces, non ego te meâ dedignor consolari præsentiâ, qui in

tuis

tuis ad Deum precibus mei semper usurpas memoriam. *Orat. Bonav. id ipsum in psalt. Virg.* In exitu animæ meæ de hoc mundo, occurre illi Domina, & suscipe eam, consolare eam vultu sancto tuo, aspectus doloris non conturbet eam, esto illi scala ad Regnum cœlorum, & iter rectum ad paradisum Dei, sustine devotos ante tribunal Christi, suscipe causam eorum in manibus tuis. *Richard. à S. Laur. lib. 2. p. 1.* Protegit Maria, quis enim apud Filium accusare audeat illum, cui Matrem viderit patrocinantem? & si Maria pro nobis, quis contra nos? & si ipsa est quæ justificat, quis est qui condemnet. Sic *B. Paulo Converso Cistercien sium* affuit, ille præ gaudio risit, & causam risûs dedit. Cur non riderem, cur non exultarem? Ecce Domina nostra præsens est, & jam animam meam suscipiet. *Menolog. Cistere. 6. Idus Febr. S. Augustinus* asserit à Diva submitti S. Michaëlem ad illam ultimam horam. Verba ejus apud S. *Bonav. spec. B. Virg. lect. 3.* Michaël Dux, & Princeps militiæ cœlestis cũ omnibus spiritibus administratorijs tuis Virgo paret præceptis, in defendendis in corpore, & in suscipiendis de corpore animabus fidelium specialiter tibi Domina nocte & die se commendantium. *S. Zeno serm. 5. ad Neophyt:* Leo noster sicut *Genesis* protestatur, Leonis est catulus, qui ad nos recubans obdormivit, ut vinceret mortem: ad hoc evigilavit, ut tubæ resurrectionis suæ in nos munus immortalitatis conferret, quàm competenter sequitur Virgo prænuncians Libram, ut nasceremur per Filium, qui incarnatus ex Virgine processit, æquitatem justitiamque terris illatam. Mons est Virgo, ad hunc Moyses jam moriturus remittitur: Cœlum est, Terra promissionis, Arca est, teste *Bonav. in Spec. B. Virg.* Virgo quam jubetur populus *Josue 3.* respicere, ut terram promissionis ingrediatur. *Judic. 12.* Galaaditæ occupârunt vada Jordanis, & omnem non valentem exprimere Sciboleth quod significat spicam occidebant. Ita planè in transitu, nisi exprimas Spicam, quæ nobis attulit granum frumenti CHristum, peribis. David noluit mori, nisi Abisag Virginem domi habuisset, & tu homo habeas Abisag, Virginem pulchram, verum fovent em David. Claudamus id totum voto *S. Germani Constantinop. orat. de Annunciat.* Nomen Dei Matris ore & corde & animâ totâ complector. Quod utinam in ore habere tunc possim, cùm mors ad ultimum reddendum spiritum me compellet, mihi enim omninò persuadeo futurum, ut crudeles aëris exactores hominumq; hostes, illud timeant, & meum exitum à tributo immunem esse patiantur. Idem Matris Dei nomen sit mihi ultimus linguæ loquentis motus, ut veluti olivæ ramum in ore ferens, avolem, & requiescam, quemadmodum columba in salutari arca paradisi.

24 Quia

24. Quia liberare è portis inferni potest.

Quorundam enim Deus salutem ordinavit ut essent quidem in periculo damnationis, ab eo tamen per Virginem eriperentur. *Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus in Psal.86. cap.32. refert in hanc rem historiam.* Matrona quædam in territorio Ligonensi quoddam facinus in juventute commissum nunquam in specie confessa, & sic mortua à dœmonibus ad inferna rapiebatur. Illicò B.Virgo filium oravit, & vicit precibus, ut vitæ matronam redderet, eaque confessa in cœlum abijt. *Idiot. in Prologo.* Sæpè quos justitia Filij potest condemnare, Matris misericordia liberat, quia thesaurus Domini, & Thesauraria gratiarum ipsius, ditat spiritualibus donis copiosissimè servientes sibi, & potentissimè protegit eos à triplici adversario, mundo carne, diabolo, quia salus nostra in manu illius est. *Et in templ. 18. p. 4.* Tua Virgo omnipotentia manifestè ostenditur, quia multos de sua damnatione jam certos, multos in aquis præfocatos, multos ex improviso mortuos, qui dum caderent, tuo patrocinio se commendaverũt liberâsti; multos etiam qui sine pœnitentia decessetunt in peccato mortali, à diaboli faucibus eripuisti, & ut possent agere pœnitentiam ad vitam reduxisti. *Et paulo post*: Quâ autem justitiâ aut quo jure tu salvas damnabiles, & sine pœnitentia defunctos in mortali, quis ad ista sufficit cogitanda; constat autem, quia & tu ita facis, & quia salvâ justitiâ facis, integro tamen & illibato sigillo justitiæ, sic ingeniosè scis facere misericordiam, quia non frangis justitiam. *Cosmas Hierosol. hymn.5.* Defensionem tuam habens, ô perquàm pura Virgo! non timebo. *Jodocus Elibtonæus lib.1. de puritate Virg. cap.15.* rem in præsentem materiam narrat. Sacerdos quidam commisso adulterio, Sequanæ aquas naviculâ solus superare volebat, ingressus navim, horas Divæ Matris decantare, quod & aliàs factitabat, incepit, & dum caneret invitatorium jam propè medium fluminis tenebat: abripuit hunc turba dœmonum simul cum navicula in profundum, & animam in tormenta abduxit, die tertiâ venit Mater Jesu stipata Angelis ad locum tormentorum dicens: Ut quid animam famuli nostri injustè affligitis? Cui dœmones. Nos eam debemus habere, & meritò, quia in nostris operibus capta est. Quibus Mater JEsu. Si illius debet esse cujus opera faciebat, ergò nostra debet esse, quoniam matutinas nostras dum vos eam peremistis decantabat, undè magis rei estis, qui minùs erga me egistis. His dictis fugati dœmones, anima ad corpus redijt: Virgo Sancta aquas jussit instar muri stare ab utraque parte, & viam facere, ut miser è profundo exire posset: tum ille ad Virginis pedes abjectus, Charissima mea Domina, inquit, & Virgo Speciosa Christi,

ti, quid tibi retribuam pro tantis beneficijs, quæ mihi feciſti, liberâſti me de ore leonis, & de tormentis inferni graviſsimis animam meam. Cui Mater JEſu ait. Precor te nè de cœtero in adulterij peccatum cadas, nè fiat tibi noviſsimus error pejor priore: precor te iterum ut de cœtero feſtum Conceptionis meæ annuatim devotè celebres 6. Idus Decemb. & ubique celebrandum prædices. His dictis Virgo cœlum repetijt, Sacerdos ex aquis egreſſus imperata executus.

Simile aliud refert *P. Joannes Gans Imperatorius Concionator in Quinquatria de Annunt. B. Virg. diſcurs.* 2. Puella nomine Alexandra à duobus procis petebatur, qui zelotypiâ ipſius capti, invicem ſe peremerunt: eorum affines acti dolore vindictam ſumpturi Alexandram clam interfecerunt, & caput puteo injecerunt. Poſt quinque menſes res S. Dominico Divinitùs innotuit, juſſuſque à Deipara accedere puteum, & caput evocare, res mira! caput è profundo putei aſcēdit, & profeſſum fuiſſe ſibi donatum à B. Virgine, nè impœnitens moreretur. Tum confeſſum S. Dominico, & ab eo abſolutum exſpiravit. *Ipſa Virgo SSma apud B. Brigitt. lib. 1. cap. 9.* hæc dixit. Omnes dœmones verentur hoc nomen (Maria) & timent, & audientes hoc, ſtatim relinquunt animam de unguibus, quibus eam tenebant, ſicut enim avis, quæ in prædam ungues, & roſtrum habet, ſi audiêrit ſonum aliquem relinquit prædam, ſic dœmones audito nomine meo, ſtatim animam quaſi territi relinquunt.

25. Quia mundi perditi eſt Inventrix.

S. *Sabbas Men. 5. Jan. ode 9.* In te primi parentis ſubſiſtit lapſus, ultrà pergendi, facultate ſublatâ: nam per Filium tuum in baptiſmo inſtituto malum eſt omne ſubmerſum; te proinde honoramus veluti Cauſam obtentæ puritatis. Quarè cum *S. Joann. Damaſc. Eccl. Græca 27. Jan. ode 4.* Tu es aureum Thuribulum, Domina, illo immateriali, & oculis hominum intolerabili carbone refertum, in quo conflagravit rebellionis Adami chyrographum à Chriſto concerptum; undè magnis te vocibus ſalutare debemus, ut per quam facta eſt omnibus gaudiorum, deliciarum, & fructuum cœleſtium copia, pro ijs quos in paradiſo terreſtri perdidimus, nimirum ſubſtituta: humanitas enim ita Divinitati in Chriſto unita, ut carboni accenſo ignis. *S. Cæſarius Dialog. 3.* Pro loco Virginis, nimirum Evæ, perpetuam Virginem Sanctam Matrem ſuam ſuſcitavit, pro illius pœna, huic ſalutem per proprium ſervum Gabrielem miſit, in hac ſanatū, quod illa deliquerat. *Serg. Hieropol. orat. de Natali Mariæ.* Quæ ex Davidico ſemine naſcitur, vitæ Mater eſt, tenebrarum Expultrix, Adæ Reparatrix, Evæ Revocatrix, immortalitatis Fons,

corruptionis Interitus, ac Liberatrix. *Et paulo post.* Hæc jam nascitur, & unà cum ipsâ mundus renascitur, & renovatur. *S. Andr. Cret. hom. 2. de dormit. Virg.* Sola præter naturam, fuit electa ad naturam revocandam, sola servijt Opifici universæ naturæ. *Menæologus 5. Maij ode 3. ait:* Mors instar fluminis ruens apud te Virgo perdidit vires, quo sanè facto permoti Primitias te immortalitatis vocamus. *Idem 2. Jun. ode 9.* Collaudemus Radicem immortalitatis, Paradisum ratione pollentem, atq; totius Orbis terrarum Thesaurum grandem. In hac enim Virgine negotium mundi salvandi confectũ est, simulque singulis hominibus originalis peccati venia parta. *S. Ioan. Damasc. in Men. 12. Aug.* Equidẽ videbaris ô Virgo esse Filia Adami collapsi, at revera eras tuipsa Genitrix Dei eundem restituentis in integrũ. *S. Bruno in Psal. 105.* Hæc linea incipit ab Eva, & definit in Mariam, in principio est mors, in fine vita consistit, mors per Evam facta est, vita per Mariam reddita est, illa à diabolo victa est, hæc diabolum ligavit ac vicit. *Hugo de S. Vict. serm. 47. Instit. Monast.* Benè B. Dei Genitrix se veluti Palmam exaltatam in Cades gloriatur, quæ spiritualibus hostibus potenter, & gloriosè subactis, non dolore criminum, sed amore præmiorum compuncta suavissimè potabatur. *Bernard. serm. 2. in Nativ. Domini.* Neq; indignum videtur si cœlorum Regnũ fidei Mariæ comparetur, quâ & reparatur. *Et Richard. lib. 6. de laud. Virg.* Hæc est Mulier fidelis, per cujus fidem salvatus est Adam, vir infidelis, quẽ fefellerat infidelitas primæ mulieris. *Idem* dicerat Virginem *lib. 2.* Coadjutricem Christi in passione, & redemptione humani generis. Quod deducit *S. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 10. parag. 10.* In genere causæ efficientis post Deum, sub Deo & cum Deo, quia nobis ipsa illum genuit, qui nos omnes recreavit seu regeneravit per passionem suam, virtutem gratiæ conferentem in Sacramentis, & ut Filium suum gigneret, suis virtutibus de congruo promeruit. Causa materialis fuit hujus Virgo recreationis nostræ, quia Spiritus S. de purissimis ejus sanguinibus consensu mediante accepit, quod in corpus formavit Christi, per quod redemptio nostra & recreatio fuit facta. Causa verò formalis, quia sua conversatione cœlesti speculum est omnibus convertendi se ad Deum. Causa denique finalis, quia totum opus redemptionis post Deum in Christi Filij ejus, ut homo est, ejus honorem & gloriam est ordinatum, & propterea seniores coronati ante pedes Agni deponunt. *In Antolog. Græc: nov. 26. Oct.* Te Casiam incorruptionis honoramus: Tu enim Virgo immortalitatem subsistentem nobis complevisti. *Ibid.* Sanans formam corruptam mortalium, ô castissima, hanc ex te induit manens quod erat, hominum Amator. *B. Petrus Mauritius Prof. 2.* Cœlum gaude, terra plaude, nemo mutus sit à laude, ad antiquam originem, redit homo per Virginem.

nem. Idcircò *Innoc. 3. serm. de Assumpt. B.V.* dixit: Cùm aurora sit finis noctis, & origo diei meritò per auroram designatur Virgo Maria, quæ finis damnationis, & origo salutis fuit, finis vitiorum, & origo virtutum. Id verò *à S. Sabba Ecclesiæ Græcæ acceptum retulit in Menæa 3. Jan. ode 7.* Tu peccati spinas venenatâ cuspide pungentes, remediorum quæ præbes inundatione obtundis ò gravida Deo, benedicta & semper intacta, sineque viro Numen enixa.

26. Quia est Fuga Dœmonum.

S. Joan. Damasc. 27. Jan. ode 9. ita Virginem salutat: Salve Portus serene! salve impermeabile, & dulcissimum Mare, quod Pharaonem spirituàlem in profundum demergit: quale Mare? *S. Bonav. in spec. cap. 1.* O quàm amarum & timendum Mare, hoc est Ægyptijs, ô quam amara & tumenda est Maria dœmonibus! Et simul *Ecclesia Græca in Men. 4. April.* Salve Fons sanctificationis, quem nemo unquàm exhauriet. *Ambros. de instit. Virg. cap. 3.* Lævavit Virgo hunc mundum fœnore peccatorum. Narrat *S. Petrus Cœlestinus opusc. 6. cap. ult.* de quodam milite scelesto, qui tamen quotidiè manè, & serò Salutationem Angelicam Virgini dicebat. Huic pluribus annis dœmon specie famuli servivit, ut eum secum abriperet, si fortè quandò Salutationem omisisset, donec tandem per quendam virum sanctum agnitus dœmon, & repulsus. *Idem refert cap. 11.* de quodam viro devoto, qui cùm noctu Ecclesiam accedere causâ orationis vellet, vidit undique circumfusos dœmones: procidens itaque orat, Ave Maria, & statim cadunt dœmones, & hoc iterabat, quoties illi assurgebant.

Narrat *Hodeghemius part. 1. lect. 1.* de quadam puella, cùm gravissimè eam dœmon infestavisset, ac ad fenestram altiorem domûs detulisset, ut præcipitaret, inclamavit Ave Maria, tum dœmon: Si in hac hora Mulierem illam non invocâsses, occidissem te: & ipse in grandem molossum conversus, per eandem fenestram desiijt. *S. Cyrill. Alexand. hom. 6. Ephes. dicta contra Nestorium.* Per hanc dœmones fugantur, per hanc diabolus tentator de cœlo decidit, per hanc prolapsum plasma in cœlum recipitur. *Theodor. Heracleota Psal. 44.* verba illa: *Astitit Regina à dextris tuis*, ita de nostra Diva interpretatur. *Alius* pro Astitit legit; Stabilita est, id est firmiter, & immobiliter stetit, nam portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Ex quo* S. *Theoph. orat. in Men. 16. Jan. ode 5.* Multorum me scelerum ô intaminata, oneribus prægravem alleva. *Et 17. Jan. post oden 3.* ô inculpatissima Conditoris Sponsa me celeriter à dæmonum machinationibus erue. *Et ode 8.* O intaminatissima

minatissima Genitrix Dei, inflictas à peccato cicatrices emunda. *Menæol. sic illam salutat. 9. Mart. in Vesp.* Salve quâ nihil unquàm magis peregrinum inter mortales auditum, salve paradisi Lignum, ab ipso Deo plantatum, salve Extirpatrix dœmonum, salve ô Gladie utrinque acute, hostis caput nostri abscindens.

27. Quia unica est salutis nostræ Via.

S. Germán. Patriarcha serm. de zona Virg. Nullus est qui salvus fiat, nisi per te Virgo Sanctissima, nemo est qui liberetur à malis, nisi per te purissima: nemo est cui donum concedatur, nisi per te ô castissima, nemo est cui misereatur gratia nisi per te ô honestissima. Et *Irenæus* docet Mariam universo generi Causam esse salutis. Verissimè *S. Ioseph. Confess. 7. Martij.* Qui te non ut Deiparam agnoscunt, & colunt, hi luminis ex te geniti aspectu nunquam perfruentur. Optimè *Bonav. tom. 2. opusc. de spasmo B. V.* Qui neglexit illam (hanc Virginem) morietur in peccatis suis: quia ut *Richard. à S. Laur. lib. 2. p. 1* Salus nostra in manu illius (Mariæ) respiciat nos tantùm Domina, & læti serviemus Filio ejus. *Idiota in Prologo.* Per ipsam, & in ipsa, & ab ipsa, & cum ipsa, habet mundus, & habiturus est omne bonum. *Richard. à S. Laur. serm. 12.* Ideo trahi petit à Maria fidelis anima, quia Filius quodammodò dicere videtur de Matre. Nemo potest venire ad me nisi Mater mea suis precibus traxerit eum. Et *Idiot. cap. 1.* Sicut nemo venit ad tuum Filium superbenedictum nisi Pater traxerit eum, sic etiam quodammodò ausim dicere, quòd nemo venit ad Filium tuum glorioßissimum, nisi tuis sanctissimis subsidijs traxeris eum. Iterum *Richard. à S. Laur. apud Navar. Electorum lib. 4. num. 1135.* Sicut impossibile est de tenebris noctis venire ad lucem, nisi mediante aurorâ, sic impossibile est de tenebris vitiorum venire ad lucem gratiæ, & virtutum, nisi mediante intercessione Mariæ. *In eundem sensum & Idiota contempl. 16.* Et quid, Bmâ Virgo peccator faceret; si tuam misericordiam retraheres ab eo? sicut tuâ misericordiâ juvante peccator perire non potest; sic etiam te tuam misericordiam retrahente impossibile est ut non pereat: Tua namque misericordia sustinet peccatorem, & Dei mitigat iram erga ipsum. Credo & expertus sum Virgo benedicta, quia nisi misericordia tua subvenisset, & indignatio, & judicium Dei super me venisset, quia in peccatis nefandis, & horribilibus tempus miseræ vitæ consumpsi. *S. Greg. VII. Pap. lib. 8. epist. 22.* Scribe in corde tuo quia summa Regina cœli quæ super omnes Angelorum choros exaltata esse creditur, quæ est Deco & Gloria omnium mulierum, imò Salus & Nobilitas omnium electorum. Et quid aliud Christus indicavit jàm glorioßus, cùm volens gloriam suam mundo per Magdalenam propalare, se in horto videndum exhibuit? scilicet conclußum Hortum nostram Virginem

vocat

vocat *Spiritus S.*, vocat & *S. Ambros. lib. 9. inſtit. Virg. Heli* 1. *Reg.* 4. tum corruit & mortuus, quando *Arca* illi ablata, quæ juxta *Bernard. de B. V.* typus erat Virginis, quàm diu Arcam ſecum habuit, tam diu peccata illius Deus tolerabat. *Anſelm. Archiep. Cantuar. in alloquiis coeleſtibus num.* 27. *edit. Lugd. anno* 1630. Sicut ô Beatiſſima omnis à te averſus, & à te deſpectus neceſſe eſt ut intereat, ita omnis ad te cõverſus, & à te reſpectus impoſsibile eſt ut pereat. Idem repetit *S. Bonav. tom. 6. lib. 1. Pharetræ cap. 5.*, *S. Antonin. p. 4. ſummæ tit.* 15. *cap.* 14. Sicut impoſsibile eſt quòd illi à quibus Virgo Maria oculos miſericordiæ ſuæ avertit, ſalventur: ita neceſſarium, quòd hi ad quos convertit oculos ſuos, pro eis advocans, juſtificentur & glorificentur. S. *Ignatius* M. Impoſsibile eſt aliquem ſalvari peccatorem, niſi per tuum ô Virgo auxilium, & favorem, quia quos non ſalvat Dei juſtitia, ſalvat ſuâ interceſsione Mariæ miſericordia infinita: obtinuerat nimirum contra genus humanum princeps tenebrarum decretum, quod in Amano expreſsum videtur, hæc velut Eſther imperat liberationem, & vitam ſuo populo.

Lyræus in Tryſagio lib. 8. ſon. 8. rem ejusmodi deſcribit. In oppido Gieldriæ inferioris Germaniæ, Sacerdoti Gilberto nomine neptis erat Maria, hæc miſſa aliquandò ab eo Neomagum civitatem, non procul diſsitam adjecto monito, ut ſi fortè in veſperum moram protraxiſſet, apud amitam ibidem degentem pernoctaret, accidit ut ad veſperam moraretur, ſed amitam invenit valdè aſperam, proindè plena amaroris urbe digreſſa, ſub ſepem ſe abjecit, ubi & ipſa in amaritudinem abrepta, dœmonem in auxilium vocare cœpit. Adfuit ille ſpecie circumforanei medici, & opem promittit, ſi illa nomen Mariæ in nomen aliud mutaverit, neque ſigno crucis uſa deinceps fuerit, poſteriorem admiſit conditionem, circa priorem hæſit, tum dœmon, ſi nomen ita amas, ſatis tibi ſit primam ejus literam retinere, & voceris abhinc *Emme*, fecit & ad omnia deinceps facinora ſuo conſultori paruit, conjugiumque ejus admiſit, petijt ab eo ſemel, ut Neomagum ire liceret, annuit, & comitatus eſt: ubi fortuitò auditis de Deiparæ clementia aliquibus, emolliri cœpit, diſplicuit id genio, qui ſublatam in altum elidere voluit, ſed agnita ab avunculo, ad Summum Pontificem ducta, qui inter alias pœnitentias annulos ferreos collo, & utriq; brachio impoſuit ferendos, donec ſponte ſolverentur, egit pœnitens annos 14.; tandem ab Angelo ſoluti ſunt annuli, & ab eodem nuncium accepit, Deiparam ignoviſſe.

CAPUT XII.

Beatam te dicat o VIRGO omnis generatio.

1. Quia non solùm specialiter es electa & redempta, sed etiam Causa es aliorum electionis ad gloriam.

Amasc. lib. 4. de fide cap. 15. Deipara ante sæcula præcognitivo DEI consilio prædestinata est, & diversis similitudinibus, & oraculis Prophetarum per Spiritum S. figurata, & prædicata prædefinito tempore, ex Davidica radice pullulavit. Quia ut *Leo serm. de passione.* Salutiferæ Virginis partus non extremi tantùm temporis generationibus profuit, verùm se etiam in præteritas refudit ætates. In quam rem *Anton. 4. p. tit. 15. cap. 1. §. 23.* Virgo est Mater omnium propter quatuor. 1. Quia genuit omnes Sanctos specialiter. 2. Propter curam, quam gerit omnium. 3. Dignitate quia, inquit, est primogenita ante omnem creaturam, & est excellentissima omnium creaturarum. 4. Prioritate prædestinationis: ipsa enim ante sæcula prædestinata est, ut esset ex quo recreandum fuit omne creatum, & sic dicitur de ea Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, id est à principio operum suorum, ut sit prima omnium quæ primæ creaturæ sunt. Ipsa Virgo cùm decreta sit ab initio & ante sæcula creata, & statim adstitit ut Regina à dextris, cùm omnes alij postea, & à sinistris Christo adstiterint: ipsa prima post Christum electa; jam si alij sancti etsi posteriùs prædestinati impetrârunt pluribus ut nascerentur, quantò magis hæc Virgo? & cui nam impetravit? fortè tibi, forte mihi. Confirmat hunc discursum *S. Ambros. lib. 2. in Luc.* Nec mirum si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoavit à Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eandem primam fructum haberet ex pignore. Nimirum adhuc in prævisione figurata est Virgo per arcam fœderis. *Chrysost. in Liturg.* Omnium Deus inurnatur in te Sacrosancta

Arca.

Arca. Jam verò Arca ante omnia vasa tabernaculi extructa, ut *Beda lib. 1. tabern. cap. 4.* observat. Virgo etiam de se dicit Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret, ab æterno ordinata sum.* Vias Domini explicat *Greg. 32. moral. cap. 18.* Quid vias Domini nisi ejus actiones accipimus, de quibus Propheta dicit: *Non enim viæ meæ, sicut viæ vestræ.*

Clarè id *Nicol. Cusanus.* Primus prædestinatorum, omniumque caput est Christus, secundum post Christum locum nobilissimum SSma Virgo inter prædestinatos habet. *Rupert. in Cant. 2.* facit Virginem sic loquentem. Priusquàm nascerer Deo præsens aderam, antequàm fierem, benè illi cognita fuerã. *Richard. Vict. in Cantic. c. 26.* Beata Maria omnium salutem desideravit, quæsivit & obtinuit. *Salazar etiam lib. de Concept. c. 5. n. 11. attribuit Suario* quòd sentiat omnes tam Angelos quàm homines propter Mariam electos ad gratiam & gloriam. Et ita Eccl. 24. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi, in Jacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Sumi poterunt *in Jacob, in electis*, qui per Jacob intelliguntur, sicut reprobi per Esau. *Mitte radices*: ita ut sicut in arborem nihil humoris transit nisi per radicem, ita ad electos nihil transeat nisi per Virginem. *S. Germ. Patr. Constantinop. de zona cap. 11. refertur à Surio ad 8bem tom. 4ti.* Nullus est qui salvus fiat, nisi per te SSma: nemo cui donum concedatur, nisi per te ô castissima! nemo est cujus misereatur gratia nisi per te ô honestissima! *Bernardin. tom. 2. serm. 61. art. 3. cap. 3. id ipsum innuit*, cùm vocat eam Primogenitam redemptionis sui Filij JEsu, & plùs pro ipsa redimenda venisse Christum: quàm pro ulla alia creatura. *Et Bernard. super Missus homo.* non noviter nec fortuitò inventam, sed à sæculo electã, ab Altissimo præcogniram & sibi præparatã. *Damasc. lib. 4. fidei cap. 15.* ævo omni antiquiorem, ac præsciente Dei consilio prædestinatam. Ita autem factum esse *Galatin. arcan. lib. 7. cap. 2.* ad illa Jer. 33. *Si irritum fieri potest pactum meum cum die.* Nisi pactum meum esset, id est nisi amore mei JEsu & Mariæ diem ac noctem, leges cœlo ac terræ non posuissem, hoc est mundum non creâssem, & ideo amore JEsu, & Mariæ mundum creavi, & ulteriùs amore intemeratæ Virginis quæ est mundi sapientia, creavit Deus cælum & terram. Et gravior illo *Bernard. serm. 3. super Salve Regina:* Propter hanc totus mundus factus est. Et sicut Adam primus creatus, dein Eva, tum omnes propagârunt: ita primò Christus à Deo electus ut Ps. 39. *In capite libri scriptum est de me*: deinde Maria, ut *Andr. Cret. serm. de Assumpt.* Hæc Virgo est declaratio profundorum Divinæ incomprehensibilitatis, hic est scopus, qui excogitatus est ante sæcula. Quocirca sicut Eva Mater

ter posterorum; ita Maria Mater cœterorum electorum: ideoque passim sicut Christus 1.Cor.15. dicitur *Novus Adam*, ita illa *nova Eva*. Undè illi Ecclesia appropriat illud Eccl.24. *Primogenita ante omnem Creaturam*. Et rursus ore suo Ecclesia. *Elegit eam DEus, & præelegit eam*, id est priùs elegit. Et quia regula est Theologorum *ex Divo Thoma sumpta 3. p. q. 27. a. 4.* Quos Deus ad aliquid elegit, ita præparat & disponit, ut ad illud ad quod eligũtur inveniãtur idonei: juxta illud 1.Cor.3. *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti*, ut Jeremiam cùm juberet esse Prophetam cap.1. *Prophetam in gentibus dedi te*, ille se excusaret: *Ecce nescio loqui quia puer sum*: continuò Deus aptavit illum ad hoc munus. *Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum*. Undè cùm aliquandò debebat Mater dici nostra ut ab Ecclesia vocata est: *Monstra te esse Matrem*, jam tum præparata fuit, & apta reddita ad hanc Maternitatem.

In hunc sensum loquitur *Andr. Cret. orat. de dormit. Virg.* Sola præter naturam fuit electa ad naturam renovandam, sola deservivit Opifici universæ naturæ. Et *Petrus Damiani serm. de Annunt.* In ipsa hoc totum faciendum decernitur, ut sicut sine illo nihil factum est, ita sine illa nihil refectum sit. Et *Iren. lib. contra Valent. cap.33.* Universo generi humano facta est Causa salutis. *Rabbi Accados Antonino Coss. Romano exponens illud* Isai 9. *Multiplicabitur ejus imperium*, colligit Matrem Messiæ vocandam Mariam, cujus nomen ait contineri in dictione Hebræa *Lemarbe:* id est ad multiplicandum, quod illa multiplicatura esset electos. *Bernardin. serm.2. cap.3. de glorioso nomine Mariæ.* Hanc Matrem misericordiarum ante sæcula Deus perpetuam prædestinavit in Virginem dignissimam, Filius præelegit in Matrem, Spiritus S. novæ gratiæ Domicilium præparavit. *Greg. in 1. Reg.* illud Isai. expendens. *In illa die erit præparatus mons domus Domini.* Mons fuit Bma Virgo Maria, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. Nos interim precemur cum *S. Anselmo de excell. Virg. cap. ult.* Intende Domina pijssima ut nobis ad effectum proveniat, propter quod Deus noster ex tuo castissimo utero factus homo inter homines venit; nec sis quæsumus exoratu difficilis, quia procul dubio idem benignissimus Filius tuus erit ad concedendum, quidquid voles promptissimus: tantummodò itaque velis salutem nostram, & verò nequaquàm salvi esse non poterimus, quid igitur stringet larga misericordiæ tua viscera Domina contra nos, ut nolis juvare nos? ab initio renovationis humanæ omnibus sub tuum præsidium confugientibus hucusque succurristi, & idcircò prima inter creaturas omni laude dignissima esse & dici meruisti: ejà succurre, oramus, ut laus, quam per tot sæcula dignè possedisti, continua tibi duret;

Tibi

Tibi ergo nos commendamus, tu procura nè pereamus, effice potiùs ut ſalus noſtra de die in diem multiplicetur per Filium tuum Dominum noſtrum.

2. Quia non ſolùm es ſine macula concepta; ſed etiam alios à macula temporali, & æterna præſervas.

S. *Sabbæ in Men. 3. Jan.* dictum eſt: Tu ô Sponſa Numinis, aquæ in vitam æternam ſalientis, atque vitam eandem in cunctos homines derivantis, publicum quoddam Labrum, Umbraculumque fontanum exiſtis. *Ex quo ſequitur quod 17. Jan. S. Theoph dixit:* Mariæ immaculatæ, & omnium Sanctiſsimæ Virgini fauſtâ plaudamus acclamatione: ex ipſa enim donorum cœleſtium quæ mentem humanam excedunt ſcaturigo nobis promanat, ut quæ eſt Torrens quidam bonitatis Divinæ. Ex ipſo etiam cultu Conceptæ ſine macula Virginis, quinque bonorum fontes emanare docet *Joannes Herolt. r.* Veram contritionem 2. Conſolationem in tribulatione. 3. Quòd Prælati hoc feſtum devotè celebrantes ab honoribus & gradibus ſuis nunquàm cum confuſione deponentur. Uti teſtatur *S. Anſelmus* cùm dicit. Quisquis Præſul, aut Abbas aut Prælatus es, recole diligenter hanc feſtivitatem, & à cunctis jube eam coli, quòd ſi eam toto corde amaveris, nunquam de tuo gradu cum confuſione deponeris. 4. Quòd fœtus imprægnatarum mulierum in utero cuſtoditur. 5. Quòd talis in exitu animæ ſuæ de corpore, nunquam à B. Virgine deſeretur. Quartum bonum è Virgine procedens graviſsimè *Paulus Groſius S. Auguſtini diſcipulus epiſt. ad Euſtochium aſſerit.* Coram Deo novi, & in veritate comperi, quòd nulla mulier in partu periclitatur, ſupra quam devotè Mariæ gratia imploratur, & dies Conceptionis ejus celebratur. Facit hoc quod dicit *Gregorius Chartophilax orat. in Deip. Præſent.* Pretioſum illud reverà Donarium atque venerabile, ſupremum, ac mundiſsimum illud Cimelium Virgo in quo theſauri gratiæ fuerunt depoſiti, in quo œconomiæ opes ineffabili ratione repoſitæ erant, in quo noſtræ ſalutis erant condita pignora: Vas inquam illud impollutum, locum illum luminis, conceptaculum, ex quo ſalutis radij orbi univerſo illuxerunt. Impollutum verò probat in hunc modum *S. Ildef. Tolet. Archiepiſc. qui vixit anno 650. lib. de Virginis partu.* Quomodò Spiritu S. replente eam, nõ ſine peccato originali fuit, cujus etiam Nativitas glorioſa Catholicè in omni Eccleſia Chriſti ab omnibus felix, & beata prædicatur? Enimverò ſi non beata eſſet, & glorioſa, nequaquam tam feſtiva celebraretur ab univerſis; ſed quia tam ſolenniter colitur, conſtat ex authoritate Eccleſiæ, quòd nullis quando nata eſt ſubjacuit delictis,

nec contraxit in utero sanctificata originale delictum. *Et rursus.* Nullius igitur Nativitas celebratur in mundo, nisi Christi & ejus, atque B. Joannis. Joannes autem quia & ipse in utero sanctificatus legitur: sic & B. Virgo Maria nisi in utero sanctificata esset, minimè ejus Nativitas colenda esset: nunc autem quia ex authoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat eam ab omni peccato originali immunem fuisse. *Bernardin. de Busto serm. 6. de Concept. p. 2.* Ezech. 44. dicitur. *Porta hæc erit clausa, & vir non transibit per eam:* turpius autem fuisset, si diabolus per peccatum transivisset per eam. *S. Thom: de Villan. serm. 3. de Nativ. B. V.* Non decebat Urnam mannæ cœlestis aliquam in se habere labem propter quod anima cùm infusa est, nullam habuit ex carne neque contraxit labem peccati. *De Busto l. c.* Arca Noe præservata fuit ab aquis diluvij, & ferebatur super aquas, ut habetur *Gen. 7.* per quod dabatur intelligi, quòd S. Maria Arca Dei præservata fuit à diluvio peccati originalis. *S. Ludov. Bertrandus serm. de Concept.* In Arca Noe omnia animantia, adeoq; ea quæ naturæ impulsu inter se maximè inimica sunt, quasi perculsâ novâ amicitiâ, & pacis fœdere, pacatissimè cohabitârunt, hanc verò Arcam, quam furibundi diluvij fluctus nunquam ingurgitârunt Mariam esse non ineptè arbitramur, ab aquis utpotè diluvij semper immunem. *De Busto l. c.* Sicut supernaturaliter facta est Mater Dei, ita condecens fuit, ut in sua Conceptione haberet prærogativam singularem. *Sanctius à Porta.* B. Virgo in hoc paradiso comparatur, quia in ea nunquàm fuit aliquid corruptum, nec peccati maculâ infectũ. *Et postea.* Ille paradisus apertus fuit serpenti, qui seduxit Evam, iste noster gloriosus Paradisus, clausus fuit serpenti, nec potuit ingredi ad eam, imò ipsa est illa, quæ contrivit caput serpentis. *Ioan. Senia. Aliodianus in 1. 2. D. Th. q. 81. a. 3.* Speciali privilegio exempta fuit à lege communi, secundum quam omnes solo Christo excepto, peccatum originale contrahunt. Quod explicari potest exemplo sumpto *Gen. 7.* ex quo constat aquis diluvij fuisse opertos omnes montes, & universos homines mortuos excepto Noe, & qui cum eo erant in arca, quo tamen non obstante probabile est paradisum terrestrem adhuc stare, & ibi servatum fuisse, & non fuisse mortuum Enoch. Quid ergo mirum si B. Virginem quam *Damasc. orat. de dormit. B. V.* appellat novum Adami Paradisum, excipiamus ab universali inundatione peccati originalis, non obstante exceptione illâ, omnes præter Christum. *S. Thom. in exposit. Salut. Ang.* Ipsa purissima fuit quantum ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. *Anton. Navarrus serm. de Concept. adductus à Maraccio in notis supra S. Ioseph.* Si DEUS Angelos fecit spiritu mundissimos, cur non eorum Reginam puriorem faceret? Vas mundum elegit

Elisæus

Elisæus in quo mitteretur sal sanaturum aquas Jericho: ita & Vas mundissimũ & ornatum omni lapide precioso fuit B. Virgo, in quo reconderetur Christus Salus vera populorum, qui in aquis figurãtur juxta illud Joannis: *Aquæ multæ populi multi*, in malevolam animam non introibit Spiritus sapientiæ, nec habitabit in corpore subdito peccatis, alioquin derideret & subsannaret diabolus in voce exultationis, quòd prius possederit in suam, quam postea Deus in Matrem elegit. Non sivit Deus ut dœmon columbam assumeret ad decipiendum Evam (sub columbina enim specie sicut sub vestimentis ovium melius contegeretur simulata fraus quam sub serpentis pelle) quia columbã assumpturus erat Spiritus S. in Baptismo Christi; ita nec illam de qua nasciturus erat Filius Dei, decebat sedem unquam fuisse sathanæ.

Argumentatur pro hoc ipso & *Anselmus serm. de Concept.* Angelos alijs peccãtibus à peccato servavit, & Fœminam Matrem suam ab aliorum peccatis exortam servare non potuit? in æternitate consilij sui statuit eam Dominatricem & Reginam fore Angelorum, & tunc inferiorem gratiam Angelis datam, in consortium conceptam esse credimus hominum peccatorum? Existimet hoc qui vult, argumentis suis probet qui vult, ijs quæ dicimus adversetur qui vult, ego donec ostendat mihi Deus aliquid digniùs excellentiâ Dominæ meæ posse dici, quæ dixi dico, quæ scripsi non muto. *Guilielmus Parisiensis Iunior seu Bitontinus in Postill. major. de Concept. quæst.* 3. Virgo Maria in Matrem Dei electa, erat exaltata super Angelos, sed omnes Angeli fuerunt præservati ab omni peccato, ergo à ratione fortiori & ista quæ erat superior. S. *Bernard. Senen. serm.* 49. *de amore glorioso ex Bartholomæo Suido sic idem deducit.* Credendum est, quod voluit sumere carnem ex carne purissima, & quòd Mater ejus fuerit plùs quàm Eva, & Adam qui creati fuerunt sine peccato originali. Addi potest hic ex *Bernardino de Busto serm. de Concept.* Cùm omnes credant B. V. Mariam fuisse idoneam Matrem Dei, debent etiam ipsam credere fuisse immunem ab omni labe peccati: quia aliter non fuisset congrua Mater Christi. *Barthol. Pisanus de laud. B. Virg. Fructu* 7. Non fuit conveniens Matrem Dei addici morti æternali, pro quacunque mensura, ergò originali caruit. Item, Christus elegit Matrem incorruptam corporaliter, quarè & spiritualiter. *Ioann. Vigerius cap. de peccato orig. lib. institut. sic habet*: Si dicatur quòd D. Virgo peccatum non habuit originale, licet processerit ab Adam secundum rationem seminalem, dicendum est quòd ipsa sola speciali gratia præventa fuit, & præservata, eò quòd fuit prævisa Mater Dei. S. *Ioseph Hymnographus in Theotocicis & aliàs sepius*, vocat Virginem ab omni macula immunem. *Anton. Navarrus serm.* 1. *de Concept.* Si venialis culpa in

B. Virgine à fidelibus denegatur, quantò magis originalis ab ea ſemovenda: venialis quippe Dei gratiam non tollit, originalis verò cœli portas in æternum claudit. *Bernard. de Buſto in Mariali ſerm. 7. de Concept.* Optabilius eſt animam non polluj, quàm corpus non incinerari, quia anima pretioſior eſt corpore, ſed B. Virgo obtinuit de corpore, quòd non incineraretur, ergò & credendum eſt quòd multò magis obtinuit animæ impollutionem. *Idem l. c. ſer. 8. p. 1.* Cùm Deus elegerit integritatem, & puritatem uteri Virginalis, quem nunquam voluit pollui, ſed ſemper intactum ab omni pollutione ſervari, ut in ſpiritu vidit *Ezechiel Propheta ſui libri 44. cap.* ergò à fortiori credendum eſt ipſum elegiſſe in Virgine puritatem internalem animæ ejus innocentis. Ideò *Ambr. ſuper Lucam ait de B. V.* Virgo erat non ſolùm corpore ſed & mente, quod falſum eſt ſi anima ejus per peccatum originale eſſet fornicata. *Marſilius illa verba, Tota pulchra es applicãs Eccleſiæ 2. ſent. q. 29. 4.* Sponſa in aliqua ſui parte debet eſſe tota pulchra, & non eſſet hoc in aliqua parte, niſi Virgo ab originali fuiſſet præſervata, ergò. Minor patet. Quia ſi fuiſſet aliquo tempore ſub peccato originali, tunc illo tempore fuiſſet maculata, ergo non eſſet Sponſa tota pulchra in Virgine, nec in Chriſto, quia ille eſt Sponſus. Undè illi canit *Petrus Apollinaris de Nativit.*

Salve Virgo Parens labes quam nulla vetuſti,
Per tot ducta gradus criminis implicuit.

Marſil. 2. ſent. q. 20. a. 2. Magis decuit Deum Virginem Matrem præſervare à macula mentis, quàm à dolore corporis. Patet. Quia anima hominis eſt præſtantior corpore, item quia anima eſt expreſsior imago Trinitatis, item quia macula mentis ſine proportione gravior eſt dolore carnis.

Sed rurſus Bernardin. de Buſto ſerm. 6. de Concept. p. 1. argumentatur. Locus debet eſſe proportionatus locato, ut ait *Philoſophus, & Com. in 2. de anima & 4. Phy.* Facit ad hoc illud quod inquit *gloſſa in c. dudum de dec. 1. dicens.* Qualia ſunt prædicata, talia convenit eſſe ſubjecta: ſed Virgo glorioſa habitatio Filij Dei, undè ipſa inquit Eccles. 24. *Et qui creavit me requievit in tabernaculo meo*: ergo debuit eſſe proportionata ipſi habitatori, qui fuit ſine ulla peccati macula, puriſsimo ergò Filio non debuit eſſe Mater niſi puriſsima, nec decuit Dei ſapientiam ſordidatum à peccato, & contaminatum ſibi habitaculum deputare. *Barthol. Piſanus de laud. Virg. lib. 1 fructu 7.* Chriſtus dedit majora dona, & minùs neceſſaria Virgini, patet, quia eam ſuam Matrem fecit, ergò & minora dedit, ſcilicet præſervationem ab originali. Item præſervavit Virginem à pœna Evæ, ergò & à culpa. *Paulus de Luca.*

B. Virgo

B. Virgo non fuit resoluta in pulverem, ergò nec concepta per originalem culpam: nam cõstat quod tabernaculo Christi plus derogat peccati corruptio, quàm in pulverem resolutio, *Leonardus Jenogarolis in epist. ded: effic. sui de immac. Concept. ad Sixtum* IV. Nullus in Mariæ laudes prorumpens Matrem eam dicet Dei, simulque fuisse quondam Filiam diaboli: Num Matrem dices eam gratiæ, quæ antea inimica largitori gratiæ? nunquid viam ad vitam, quæ & ipsa quandoque ignoravit viam? spemne peccantium & medium attollendo omnia peccata, quæ peccatum gustaverit? *Armandus Richelius Card. in Catechismo lect.* 24. B. Virgo dicitur benedicta in mulieribus, quia nulla fuit, nec unquã erit sine peccati macula concepta, cum plenitudine gratiæ, sicut ipsa. *Catechism. Clem.* 8. Gratiâ plena, quia quoad primũ gratiæ effectum, scilicet peccati deletionẽ Virgo sanctissima nunquam habuit maculam peccati originalis, aut actualis, mortalis vel venialis. *Granatensis in Catechismo Trigesbomiliario hom.* 27. Gratiâ plena, hoc est singulariter ab æterno electa Deo omnipotenti, atque in Conceptione tua custodita admirando & singulari modo ab omni macula peccati, tam originalis quàm tuæ ipsius personæ. *S. Bonav. tom.* 3. *serm.* 2. *de B. Virgine.* Domina nostra fuit plena gratiâ præveniente in sua sanctificatione, gratiâ scilicet præservativâ contra fœditatem culpæ.

Barth. Pisanus de laud. B.V. lib. 1. *fructu* 7. Non minùs est digna Maria, quàm aliquis qui in puris naturalibus crearetur, sed ille non haberet peccatum, igitur nec Maria habuit. *Bern. de Busto serm.* 5. *de Concept. p.* 1. Cùm Angelis Dominus dederit innocentiam in creatione illorum, ut habet 2. *sent. d.* 4. *& per Aug.* 8. *de civit.* & similiter primi parentes fuerunt originali vestitu decorati, ut habetur *à Theologis in* 2. *d.* 29. *& ab Anselm. lib.* 1. *de Conceptu*, sequitur quòd si dicta gratia non fuisset data B. Virgini, suis servis inferior illa extitisset. *Pisanus l. c.* Sapiens debet eligere quod est melius & perfectius: sed Christus est Sapientia increata, & cùm melius sit & eligibilius habere Matrem sine omni macula, quàm cum macula, & potuit eam sic habere, igitur &c. *De Busto l. c.* Cùm Christus ab æterno elegerit B.V. in Matrem juxta illud quod canitur: *Elegit eam Deus, & præelegit eam.* Concludendum est, quòd ipse cui omnia futura erant præsentia, à cunctis malis & damnis peccati originalis eã voluit præservare ut boni Filij debitum adimpleret &c. Quos Deus ad aliquid elegit, ita præparat, & disponit, ut ad illud ad quod eliguntur inveniantur idonei, juxta illud 2. ad Cor. 3. *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti*, sapiens enim regulator ea quæ sunt ad finem aliquem regulare debet secundum ordinem ipsius finis juxta dictum *Philos.* 2. *Metaph.* & probatur per *c. Prodest.*

23. 4. Quia Princeps assumendo aliquem ad officium suum, dicitur cum eo dispensare velle, meliori modo quo potest, idem qui vult consequens, vult etiam omne necessarium antecedens, & crimen est sacrilegij dubitare an is dignus sit, quem Imperator elegerit: sed gloriosa Virgo Maria fuit electa Divinitùs ab æterno ut esset Mater Dei, ipsa dicente Eccl. 24. *Ab initio & ante sæcula creata sum.* Et Prov. 8. *Ab æterno ordinata sum &c.* Quæ omnia attribuit Ecclesia B. Virgini, ergo Deus per gratiam suam, eam ad tam mirabile opus præservavit. *Bernardin. de Busto serm. 2. de Concept. p. 3.* Quis hominum qui si posset sponsam suam facere, illam non absq; omni macula procrearet. *S. Th. de Villan. serm. 3. de Nativ. Dom.* In utero sanctissima & in Conceptione sanctissima. Num enim decebat Sanctuarium Dei, Domum sapientiæ, Reliquiarium Spiritûs S. Urnam mannæ cœlestis, aliquam in se habere labem? *Proclus orat. 6.* ait Mariam ex puro formatam luto, & si quid valet argumentatio S. *Aug.* hoc probat *lib. 5. contr. Julianum cap. 9.* Illud sanè magnum verumque duxisti cùm posuisses testimonium Apostoli dicentis: *Qui peccatum non fecit,* norandum esse quòd judicaverit Apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit nullum eum fecisse peccatum, ut doceret inquit, quia qui non fecit, habere non potuit, omninò verissimum est. Profectò enim peccatum major fecisset si parvulus habuisset: nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu. *Bern. de Busto serm. 7. de Concept. p. 1.* Decens fuit & consonum rationi, ut Sponsa castissima Dei nunquàm careret Sponsi sui gratiâ, ita ut nè per momentum inter ipsum & ipsam inimicitiæ invenirentur, si autem in originali peccato fuisset benedicta Virgo concepta, pro illo tunc non fuisset ejus amica sed inimica. *S. Chrysologus serm. de Annunt.* 140. Maria Christo pignorata dum fieret in utero. *De Busto l. c.* Si Deus præservavit, & defendit Virginem gloriosam à veniali peccato, quod non privat gratiâ Dei, & stare potest cum charitate, ut dicunt *Theologi in 4. d. 21.* & hoc ut esset idonea Mater sua, & ob amorem quem ipse ab æterno portavit: ergò inconveniens videtur credere quòd permiserit eam labi in originali peccato privante gratiâ Divinâ, non enim esset verus amor, si quis defenderet amicum suum nè vel modicùm leviter verberaretur, quem tamen pergulam suspendi vel capite permitteret detruncari. *S. Th. 3. p. q. 27. a. 2. locum Job 3. de diabolo exponit.* Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ. Lucem id est Christum & nõ videat quia nihil inquinatum incurrit in Sapientiam, quæ est Christus ut dicitur *Sap. 7.* Nec ortum surgentis Auroræ id est B. Virginis, quæ in

suo

suo ortu à peccato originali fuit immunis. Ortum etiam vult dici Conceptionem in cap. 1. *Matthæi*. Nam si de Nativitate intelligit, nihil illi supra *Jeremiam* aut *Joannem* tribuit, imò infra. *S. Thom. de Villan. serm. 3. de Nativ. B.V.* Non decebat Domum sapientiæ aliquâ in se habere labem, propter quod animæ cùm infunderetur nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati. *De Busto l. c.* Quis in lecto sordido, & immunditijs pleno jacere potiùs assentiret, quàm in strato mundissimo, & ab omnibus immunditijs elongato, nemo autem præsumitur carnem suam odio habere, ut inquit *Glossa in Rubrica parag. in jus voc.* B. igitur Maria quia Thalamus fuit Divinæ gloriæ, non fuit aliqua peccati sorde polluta.

S. Ludov. Bertrandus serm. 4. de Concept. pag. 4. Domina nostra in sua Conceptione ab originali labe præservata fuit: Hæc est itaque Rubus ille Moysis, qui ardebat & non consumebatur, ardebat hæc more reliquorum ab Adamo descendentium ex semine virili, & ardore concupiscentiæ fuit concepta, verùm incombusta ac de communi peccati originalis incendio remansit illæsa. *Ambr. Catharius disp. de Concept. B.V. lib. 1. ita habet.* Tu Virgo Rubus ille ardens & incombustus, quem Moysẽs videns admiratur, in qua re non minùs corporis, quam mentis perpetuam tuam ac laudabilem Virginitatem agnovit Ecclesia. *Hieron. Lunxa sic argumentatur.* Populo antiquo, quia ex illo erat nasciturus Deus, abstulit occasiones peccatorum, ut essent sancti, adeò ut pedes sanctorum servaverit, eò ipse illis præiverit mundando iter, & hoc solùm, quia ex illis nasciturus erat, multò id magis valet in Virgine. *Guiliel. Bitontinus l. c.* Virgo Maria debebat fieri speciale habitaculum Dei, ergo debebat specialiùs præparari, sed si concepta fuisset in peccato originali, non fuisset specialiter præparata. Oratio est Ecclesiæ: *Corpus & animam Spiritu S. cooperante præparâsti. Catharius lib. 2. disp. de immac. Concept.* Audi quæso orationem quam cõsultò & ex certa scientia recipit jam Ecclesia, & agnosce quàm perspicuè declaret, quod dicimus. *Deus qui per immaculatam Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum &c. De Busto ser. 8. de Concept. p. 1. additis S. Antonini verbis.* Ordinans vas ad sacrificium altaris, conservat ipsum à maculis, hoc enim valde decens, sed Virgo Maria fuit Vas Deitatis. Ergò. *Th. Argentinensis lib. 3. d. 3. c. 1.* Præceptum Divinum (in hunc sensum ait) ut Filius à malis liberet Parentes si posit ergo. *Ambr. Tancisinus in sabbatis consid. 2. concl. 3.* Servavit Deus populũ suum ab aquis maris rubri &c. & quomodo Mariam Matrem propriam ab omni culpa non præservavisset propter dignitatem Maternitatis suæ? *S. Bonav. in 4. d. 3. a. 3. q. 1.* Congruum fuit ut illa quæ placuit Altissimo, adeò ut fieret Sponsa, & Mater Filij Unigeniti, sic esset immaculata mente, sicut est intemerata carne. *Hermannus de*

Schildis

Schildis tract. de Concept. Peccatum originale tres habet maculas. Prima est quæ facit hominem naturâ filium iræ, ideò secundum Apost. ad Ephes. 2. *Omnes natsimur filij iræ.* Si igitur B. Virgo contraxisset peccatum originale, tunc per tempus vel instans fuisset filia iræ, quod est inconveniens. Secunda macula est, quæ facit hominem sub potestate Sathanæ, quod patet, quia per exorcismum repellitur sathanas à baptizandis, antequàm per baptismum tollatur originale peccatum. Undè *Greg. hom.* 28. dicit, quòd sacerdotes in exorcismo dœmonia ejiciunt: sed si fuisset B. V. in peccato originali concepta, tunc fuisset pro aliquo momento in potestate Sathanæ. *De Busto l. c.* Quod est omni laude dignissimum, nullâ contumeliâ est afficiendum, nec illi laus innocentiæ deneganda, sed B. Virgo: ergo. Item Ezech. 44. dicitur: *Porta hæc clausa erit & non aperietur*, quod verum non esset si aliquando peccato fuisset aperta.

Restat, quod præstabimus ubi recitaverimus certum, per inquisitiones probatissimum, per juramenta testatissimum miraculum, per quod Virgo à mortuis jussit redire hominem, ut prædicaret suam gloriam, quod refert *Joan. Serrenus Episcopus Acernensis lib. 2. de Concept. cap. 13.* Occisus fuit quidam Manresæ in Catalonia Hispaniæ provincia Virgini devotissimus, sed minùs bene de illius puritate Conceptionis sentiens, dictus Franciscus Mulet in Jure Baccalaureus, hic antequàm humaretur resurrexit, & novem horas vixit, quo tempore sæpiùs testatus est, se ad hoc fuisse iterum ad vitam vocatũ, ut immaculatæ Deip. Conceptionis veritatem testaretur, cui in vita adversatus fuerat. Proximum huic ex India affero, quod accidit anno 1531. in Mexico in loco dicto Topejacac Episcopatum Mexicanum administrante Joanne Zumarraga. Historiam refert *Nieremberg. in dissertationibus Epistolicis*, imaginem appellant Hispani, Virginis Mexicanæ de Guadalupe. Indo Christiano, Joanni Didaco homini pauperi, quodam loco Virgo se conspicuam dedit, addito ut moneret Episcopum, ut eo loci sibi templum extrueret: retulit Indus Episcopo, sed fides negabatur afferenti, nisi aliquo signo probaret. Retulit id ipsum Indus Virgini eodem loci comparenti: jussit ergo Virgo Indum carpere rosas, & pulcherrimos flores, quos subitò manu Divinâ in colle sterili produxit, decerpere & Episcopo deferre. Paret Indus, & floribus pallíolum implet, defertque Episcopo, famuli accurrentes Episcopi, mirati flores, sed nemo quidquam contingere poterat, veluti ex aëre formati fuissent. Indus tandem pervenit ad Episcopum, & dum aperit pallium, ut in pavimentum flores effundat, apparuit in ipso pallio cœlesti manu depicta imago Conceptionis pulcherrima, quam & Episcopus, & domestici statim profundè venerati. Imago longitudine

sex

sex palmos excedit, colore quoad faciem triticeo, & albicante, manus junctæ ad pectus, calcei pars quæ apparet, fusca est, cingulum ferrugineum purpurascens, tunica talaris colore roseo candenti cum densioribus umbris stringitur, ad collum fibula aurea, intra quam circulus niger, & in medio ejus crucis figura, pallium Virginis cæruleum, & planè cœlestis coloris circumquaq; aurea extremitate clausum, ac stellulis consperlum, quæ numerantur 46. in capite corona aurea, sub pedibus luna semiplena, tota imago aureis radijs veluti soli immersa, lunæ subest Angelus stans, ac veluti imaginem sustentans. Omnes radij centum, & ex ijs duodecim majores qui caput cingunt, hæc deinde per miracula plura beneficia in mortales spargit manu plena.

Potest hic locum habere quod scripsit *Maraccius in Martino V.* etsi judiciorum Dei nolimus agere interpretem. Tempore Martini V. quidam Tolosani studij Doctor determinavit Virginem originali peccato fuisse corruptam, & coram Pontifice voluit hoc publicâ disputatione tueri, & jam venit dies indicta, sed ille repertus mortuus, interiora in ventre non habens. Ut docet *August. lib. de gratia & natura.* Non decuit B.V. peccare venialiter, etiamsi statim fuisset ab ipso liberanda, itaq; nec decuit peccare originaliter. Pulchrè idem *August. serm. de Assumpt.* Dandum est B. Virgini quod congruit rationi, & tantæ sanctitati, & sicut licet tanquàm speciale dixerit de Christo Psalmista: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, etiam de hoc Virgo participavit. Ita licet: Non est qui faciat bonum usque ad Christum, etiam Virginem sinamus in hoc gaudere. Adducunt aliqui verba *Cteſiphontis discipuli s. Jacobi*, ex Arabico in latinum traducta, quæ ob certas causas omittimus, & illi substituimus. *Presbyteri Achaiæ* in Vita S. Andreæ referunt, quòd is è cruce jam biduò pendens inter cætera hæc etiam de B. Virgine dixerit: Sicut primus homo ex terra immaculata formatus, ita & Christus ex Virgine immaculata. Hæc refert *Cancell. in Annal. Virg. anno Christi* 69. Item *August. contra Julianum lib.* 5. dat hoc axioma: Qui non peccavit actualiter, non peccavit originaliter. *Et lib. contra* 5. *hæreses hæresi* 3. Originale repugnat fini propter quem facta B. Virgo. *Et ibid.* Sicut B. V. non potuit inquinare Filium, ita nec inquinari dum fieret. *Et serm. de Nativit. Virg.* Mox ut in mundum venit Virgo, omnis boni virtute perfectè resplenduit, quòd non videtur locutus de Nativitate, quia ante illam resplenduisset sanctificata, etiamsi contraxisset originale. *Ethogut*, aut potiùs apud eum *Sophronius serm. de Assumpt. B. Virg.* Totum ad gloriam laudis Christi pertinet, quidquid impenditur Genitrici. *Et Ambr. in Luc.* 1. Maluit Christus sibi aliquid derogari, quàm Matri suæ. Undè *Anselmus ad Episcopos Angliæ.* Non est verus ama-

tor Virginis, qui celebrare respuit festum Conceptionis. Versus aliquot Poëta Anonymi apponere loco epiphonematis liceat.

Ducet Jessæam primævo crimine prolem,
Communiq; ream nascentum lege teneri,
Qui putet obscurum solem, cui cynthia surgat
Decolor, & puro vitiatum lumen Eoo,
Qui nivibus candorem adimat, gemmisq; nitorem,
Et cum nocte diem velo confundat eodem.
Pupula par cœlo, Solymis prælata puellis
Conciperis meliore satu, dum labis acutæ
Nescia, calcatis ad vitæ limina noxis
Pergis ovans, stygiosq; premis secura dracones.

Purior Virgo est Joanne Baptistâ, & Jeremiâ. Undè *S. Patriarchs Dominicus tract. Corp. Christi cont. Albingen. themate Tota pulchra es, ait.* Sicut primus Adam fuit ex terra Virginea, & nunquam maledicta formatus, ita decuit secundo Adam fieri. *Ambrosij est illud lib. de Virgin.* In qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit. Sed & *S. Vincentij ser. 2. de Nativit.* Non credatis quòd fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in cœlo celebrârunt festum Conceptionis. *S. Th. p. q. 27. a. 2.* Tota pulchra es, & macula non est in te, ergò in ea nullius peccati fuit macula. *Et ante S. Thom. M. sentent. in 3. d. 3. ita dixit:* Credi oportet juxta sanctorum attestationis convenientiam, carnem Verbi priusquàm conciperetur fuisse peccato obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro: Spiritus S. operatione mundatam, ita ut ab omni contagio immunis uniretur Verbo. Mariam quoque totam Spiritus S. præveniens à peccato prorsùs purgavit. *Hieron. ad cap. 10. Ecclesiast.* Beata Virgo ob omnimodam à peccato immunitatem, omnibus ingenuis & verè liberis, quibus peccatum non est dominatum, liberior fuit. Et certè Virgo ut *Alb. M. super Missus est*, in causa, in substantia, in efficientia tàm activa, quàm passiva fuit omninò liberrima. *Dion. Carth. lib. 1. de laud. Virg. art. 1.* Per Virginem universum genus humanum à servitute peccati, à jugo & subjectione diaboli, à conceptionibus ex peccato originali secutis, atque ab obligationibus æternæ damnationis est liberatum, si enim verè liberi sunt quos Filius liberavit, quantò magis verè est libera, quæ Mater est tanti Liberatoris? & si ex laudatissima *Apostoli ad Corinthios* voce, Ubi Spiritus Domini, ibi libertas, quomodò à servitute omnis peccati libera non

non fuit? (*inquit Anselmus*) quæ olim peccatorum Propitiatori Aula, in qua, & ex qua homo fieret, Spiritûs S. præsentiâ & operatione constructa est? Pro immaculata Virgine est authoritas Pontificum. *Innocentius VII.* Joannem Montesonem qui in suis concionibus conceptam in peccato prædicavit, jussit psalmodiam recantare, ut scribit *Maraccius in Innoc. VII. Ibid. in Martino Julius II. anno* 1511. *Septemb.*10. Monialium sub titulo Conceptionis Immaculatæ instituit Religionem. *Ibid. in Julio II. Leo X.* plurima ædificavit templa, in honorem hujus mysterij, & indulgentias non solùm Fratribus minoribus, & Monialibus Conceptionis, sed etiam alijs Religionibus impendit. *Ibid. Clemens* VII. Officium Conceptionis Immaculatæ à Francisco Quinnonio Cardinali ordinatum approbavit. *Idem Pius V.* cùm alia festa sustulisset, festum Immaculatæ Conceptionis per universam Ecclesiam celebrari præcepit, missâlique, breviario, & calendario à se publicatis inseruit. *Ibid. Sixtus V.* omnibus ac singulis Ordinis Immaculatæ Conceptionis Monialibus & utriusq; sexûs fidelibus, visitantibus Ecclesias monasteriorum prædictarum Monialium in festo Conceptionis Virginis Mariæ Indulgentiam plenariam perpetuam est elargitus. *Ibid. Paulus V.* voluit omnibus sabbatis non impeditis dici officium, & Missam à Minoritis de Immac. Concept. & indulgentias concessit omnibus fidelibus recitantibus antiphonam: *Hæc est Virga in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit, cum sua oratione ibid.* Undè optimè *Cajet. in opusculo Leoni X. dicato.* Ut ad salvandum illum scripturæ locum: *Mors in omnes transiit*, sufficit intelligere mortis debitum, etsi quis actu non moriatur: ita sufficere ad salvandum illum scripturæ locum: *In quo omnes peccaverunt*, debitum contrahendi in anima peccati, etsi ob protectionem gratiæ Christi, actu non contrahatur. Et certè ut est apud *Hyppolitum Maratium in lib. de Pontificibus Marianis, Romæ edito cum approb. Adrianus* IV. de Immaculata Concept. ad Petrum Pontiniacum scripsit. *Alexander* V. Conceptionem immaculatam antequàm fuisset Pontifex calamo defendit, & pro eadem constitutionem edidit factus Pontifex. Defendit eandem *Nicolaus* V. & *Sixtus* IV. qui missam & officium ejusdem approbavit, quæ etiam confirmavit *Innocentius* VII., & *Alexander* VI. Sanctimoniales immaculatæ Conceptionis *Julius* II. confirmat. *Leo* X. eidem Immaculatæ Conceptæ multa templa extruxit. *Adrianus* VI. approbavit Confraternitatem Immaculatæ Conceptionis. *Clemens* VII. Officium Immaculatæ Conceptionis approbavit, quod ipsum fecit *Paulus* III. *Julius* III. *Paulus* IV. *Pius* IV. Similibus favoribus Conceptionem Immaculatam testati *Greg.* XIII. *Sixtus* V. *Clemens* VIII. *Paulus* V. *Gregorius* XV. *Urbanus* VIII. *Clemens* IX. Numismata ejus cum inscriptione *Beata*

Maria sine originali macula concepta, distribuit, & Octavam Conceptionis celebrandam ferè toti Ecclesiæ imposuit.

Verùm favores omnium Antecessorum quasi in compendium collegit ac firmavit anno 1661. Octob. 8. *Alex.* VII. bullâ incipiente. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Ubi testatur non novam esse quampiam, sed antiquâ sententiam, in primo instanti creationis & infusionis animæ in corpus SS. Virginis fuisse gratiâ speciali præservatam ab originali macula, idque intuitu meritorum Christi. Quem pium sensum cultumque crevisse post editas *Sixti* IV. constitutiones, post datas approbationes, & indulgentias Religionibus ac Confraternitatibus sub nomine Immaculatæ Conceptionis erectis, accessisse huic piæ sententiæ multas Academias præcipuas, ac ferè omnes Catholicas ibidem testatur ex occasione sententiæ oppositæ, scandala non absque magna Dei offensa fuisse exorta, addit idem Pontifex, hunc cultum immaculatè conceptæ semel in Ecclesia institutum, fuisse nunquam mutatum, eumque ipsemet laudat, & omnia innovat à Sede Apostolica, & Concilio Tridentino edita in favorem piæ sententiæ, ac ejus festivitatis. Quod verò attinet *Concilium Tridentinum*, quid illud in suis actis originalibus non impressis de hac re habeat, qui velit legat. Illud tertiò deniq; omitti *Romanæ Basilicæ S. Petri* eximium in Virginem immaculatè conceptam non debuit. Capellam Conceptioni Virgineæ sacram habet, uti scribitur *in directorio ejus Ecclesiæ quotannis à Magistro ceremoniarum edi solito*, quid autem velit nomen sibi Capella, facilè intelliget, qui sciverit Papam & Cardinales jam pro hoc, jam pro illo festo solere Capellam habere, cùm scilicet festum illud singulari & publico exornant conventu. Canit denique tota Ecclesia Immaculatè Conceptam. Cæterùm de Immaculata Concept. opinionis piæ, quæ nunc est ubi sensum attingit *S. Thom. in 1. sent. dist. 44. a. 3. ad 3. ut est in omnibus editionibus excepta Antverpiensi anni 1613.* sic ait. Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius potest esse in rebus creatis sine ulla contagione peccati, & talis fuit puritas B. Mariæ Virginis, quæ à peccato originali & actuali fuit immunis. *Anno* 1480. *Beatrix de Sylva* erexit Congregationem Sororum sub nomine Virginis Immaculatæ, deferebant imaginem in pallio S. Virginis, radijs amictam, stellis coronatam, quæ in ulnis infantulum suum deferebat: etenim Virgo sole statim ab initio amicta, statim stellis coronata. *Gregorius* XV. confirmavit Congregationem Equitum sub titulo Conceptionis, *Ibid. Urbanus* VIII. Christianæ militiæ Religiosum Ordinem sub eodem titulo instituit, *Ibid. Sed etiam Græca Eccles. laudat Jo. Geometram qui sic canit. hym. 3.*

Gaudi

Gaude concretum ſublimi corpus olympo,
Et vitij noſtri crimine Virgo carens.
Gaude quæ Chriſto corpus mortale dediſti,
Gaude primævi libera labe Patris.

Iſid. Theſſalonicen. orat. de Præſent. Sola puriſsima Propheticum illud evitare poſſet: In iniquitatibus conceptus ſum, poſſetque de ſe ipſa affirmare. Non in peccatis concepit me mater mea. *Emmanuel Paleologus Imp. orat. de dormit. B. Virg.* Simul atque concepta fuit B. Virgo, Deus illam gratiâ implebat, qui ſibi futuram Matrem præſtituerat: imò verò cum illa erat ipſe, antequàm nata eſſet, nunquâ illi non fuit conjunctus; ſtatim atque in ſterilis Matris utero cœpit eſſe &c. Maria fuit ſemper ab omni peccato immunis. Ad hoc fortè reſpexit *S. Germanus Conſtantinop.* cùm *orat. in Annunt.* appellat S. Virginem, Superintemeratam & Superimmaculatam omni ex parte. *Et rurſus.* Macula non eſt in te. *S. Bonav. in Pſalt. M. quinqu.* 1. Non eſt Virgo in ortu ſuo defloratа, ſcuto Dei eſt obumbrata. *Exod.* 7. tulit Aaron virgam coram Pharaone, & ſervis ejus, quæ verſa eſt in colubrum. S. Virginem paſsim P. P. Virgam Aaronis vocant, hæc non devoratur à ſerpentibus Pharaonis, ſed ipſa devorat ſerpentes. *Ipſa conteret caput tuum.* Ita neque figuram Virginis permiſit devorari, de qua erat Flos exiturus Chriſtus. 4. Reg. 19. oranti pro Jeruſalem Ezechiæ, ſic Deus reſpondit: *Quæ deprecatus es me ſuper Sennacheribo Rege Aſſyriorum audivi.* Deindè ſic de Sennacheribo dicit Sioni & Jeroſolymæ. *Quia ſprevit te & ſubſannavit te, Virgo Filia Sion, poſt tergum tuum caput movet Filia Jeruſalem. Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus. Quare protegam urbem hanc propter me, & propter David ſervum meum.* Virgo eſt Jeruſalem, hanc Deus protexit propter ſe ipſum, quia non decuerat Matrem ſubjici ulli poteſtati hoſtium, ullâ infamiâ notari. *Athanas. Alex. in ſerm. deſcript. S. Virg. Deip.* Hæc eſt Virgo incorrupta, atque ab omni labe pura, hæc eſt Cœlum ſecundum nunquâ coinquinatũ. Profectò Ephes. 5. S. Paulus ait Epheſijs. *Turpitudo nec nominetur in vobis*, ita eorum dilexit puritatem, dedecet ſanctos turpiloquium, an Matrem deceret peccati turpitudo? *S. Chryſoſt. in Liturgia* vocat eam Dominam incontaminatam. *Bernard. in Salve* Sanctam Sanctorum. Cantic. 2. *Læva ejus ſub capite meo & dextra ejus amplexabitur me.* Quid eſt læva? *Caſſian: collat. 6.* In læva ſcribuntur & conduntur peccata, in læva murmurant pœnæ, & officinæ pœnarum. Caput Virginis erat Conceptio, ſub capite non ſupra caput erat læva, quia dextera in qua delectationes uſq; in finem amplexata. *Guilielm. ſerm. de Con-*

cept. ad illud Cantic.8. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, velut virgula fumi*, quod legit *S. Ambrosius*. Sicut vitis propago fumo incensa. *Addit.* Vitis dum floret solo odore fugat, & occidit serpentes, ita & hæc Virgo sanctissima in sua intemerata Conceptione, tantam redolevit charismatam abundantiam, quòd in ea penitùs fuerit extinctum venenum antiqui serpentis, videlicet peccatum originale, à quo penitùs præservata fuit ex specialissimo Dei dono. *Anselm. cur Deus hom. cap.* 16. Indiguit tamen Virgo redemptione, & passione Christi, non propter peccatum quod ei infuerit, sed propter peccatum quod infuisset; nisi ipsemet ex speciali privilegio illam præservavisset.

Claudatur hic discursus eo sensu quem reliquit nobis *Tostatus Abulensis paradoxo 1. cap. 24. Ibid. cap.* 58. Domina nostra Virgo maculam originalem nullatenus contraxit. Fuit B. Virgo à peccati originalis macula prorsùs immunis. *Et paulo post, postquam retulit lites in hac materia inter quosdam, neq; rem esse definitam ita concludit.* Consulerem cuilibet Catholico bonæ affectionis de disputativa hujus quæstionis investigatione, se nullatenùs intromittere. Et quia in rebus dubijs quod tutius & favorabilius est eligendum: & cùm tutiùs sit atque favorabilius, & sine præjudicio alicujus veritatis cognitæ, aut apparentis Dominam nostram prorsùs ab omni originali labe fuisse immunem, rectè eligere debemus, asserere eam sine originali peccato fuisse conceptam.

3. Quia tuo felicissimo Natali non solùm Parentes tuos consolata es, sed etiam omnes peccatores.

Nativitas tua Dei Genitrix gaudium annuntiavit universo mundo, canit *Ecclesia latina*. Nam ut *S. Method. in hyppap.* Cum Maria indesinens lætitia venit. *Vincent. Beluac. lib.6. cap. 65. in spec. historiæ* narrat quendam Eremitam sanctum certa nocte harmoniam audivisse Angelorum, requisivit causam: Angelus respondit: hanc noctem præcedere illum diem, quo nata Mater Dei, hæc vobis hominibus licet ignota, (non enim ibi tunc Nativitatis Virgineæ colebatur festum) nota nobis Angelis. *S. Damasc. lib.4. de fide cap.*15. *ex veteri traditione* narrat in ovili natam, quia sicut ovicula est *Virgo singularis inter omnes mitis*, & non solùm mitis ipsa, sed & Filium mitem Agnum dedit. *Idem orat. de Nativit. B. Virg.* Virgo est Agna et qua pastor ovem induit, veteris mortalitatis tunicis laceratis. Ita ut monet *Sergius Hieropolita: orat. in Nativit. B.V.* In hoc Nativitatis festo spirituali buccina clangamus, etenim quæ præsenti die ex Davidico semine nascitur, vitæ Mater est, Eva

Revo-

Revocatrix, per quam Divinæ naturæ participatores translati sumus, atq; à morte liberati. S. *Ildefons. serm. de Nat.* Honorabilis dies, & sacra festivitas, in qua nata est Virgo Maria, Dei Genitrix, hoc est gaudium nostrum, hæc est felicitas nostra: quia quandò voluit fecit Deus, ut nos per suam magnam misericordiam per Virginem visitaret. Exultemus & lætemur omnes, in celebratione hodiernæ festivitatis, in qua inchoavit Redemptor omnium visitationem mirabilem, & nos de captivitate ad pristinum locum revocare dignatus est. Et statim revocavit S. Joachimum, Patrem S. Virginis. S. *Hieron. tom. 4. lib. de ortu Virg. Epiph. Damasc. de Nativit. B. Virginis*, sic referunt. Cùm S. Joachimus ad altare munus suum deferret, ab altari jussu summi Sacerdotis repulsus, ob sterilitatem ut non nulli tradunt, ad montem secessit, in quo greges ejus pascebantur. Hoc audito Anna, se domestico horto inclusit, & ambo orationibus vacârunt: tum Angelus utrique denuntiavit nascituram illis Filiam. *Hanc historiam refert his verbis* S. *Vincent. Ferr. conc. de S. Anna.* Joachim & Anna venerunt de Nazareth in Jerusalem ad templum ut offerrent secundum consuetudinem: Joachim qui erat nobilis Raro voluit offerre, sacerdos respexit eum dicens: Et quis estis vos? Respondit Pater. Ego sum Joachim servitor vester qui veni offerre. Et sacerdos. Certè non accipiam oblationem vestram, quia vos estis maledictus à Deo, quia non habetis prolem: signum ergò est quod aliquod peccatum secretum est in vobis. Et ait illi Joachim. Pater, nescio in me aliquod magnum peccatum. Et ait Sacerdos. Recedatis à templo. Et Joachim ait. Pater non faciatis mihi istam verecundiam. Et ait Sacerdos. Certè nisi recesseritis, ego non faciam officium nec sacrificium. Joachim patienter recessit & non ivit ad domum ex verecundia vicinorum, sed ivit ad Pastores suos ad sylvam & ibi flens orabat: Anna verò ivit domum, & oravit pro viro suo. Dum autem sic orat Joachim, apparuit illi Archangelus Gabriel dicens sibi. Ecce orationes tuæ sunt exauditæ, ex illa patientia quam habuisti, Deus me misit ad te, ut nuntiem tibi, quòd tu de uxore tua habebis Filiam unam, quæ erit Mater Messiæ, & in signum hujus vade in Jerusalem, & in porta deaurata invenies Annam uxorem tuam: quia ego etiam ista nunciabo sibi. Et Angelus recessit, & apparuit Annæ in domo flenti, quia nihil sciebat de viro.

Seruit hic quod dixit S. *German. Patriarcha Constantinop. hom. de Nativit. B. Virg.* Commune totius mundi Gaudium ex justis hominibus Joachim & Anna nobis exortum est, laudatissima nimirum illa Virgo, quæ sola propter eximiæ dignitatis præstantiam verè, rectéque animatum Dei Templum facta est. Ecce confusus in templo Joachim recipit Templum pro præmio. Et ita ut *Beda in Vigilia Bapt.* Annæ

partus

partus non est ablatus, sed per sterilitatem dilatus, donec transiret tempus carnis, & cupiditatis, castissimusque uterus Virgini concipiendæ pararetur. S. *Antonin. p. 4. tit. 15. c. 21.* Tempus quod Virginem præcessit habuit Deum in signo Leonis sedentem, postea in signum Virginis transivit. Quæ Virgo ut *Bonav. in spec. cap. 5.* in oculis Dei hanc gratiam invenit, ut ipsas spicas, id est animas à messoribus derelictas colligere ad vesperam posit. *Alludit ad historiam Ruth.* Nata est sexto idus Septembris, qui mensis Hebræis maximè festus est, in eo tubarū clangores, Tysri nēomenia, solemnioris expiationis solennitas, scenopegia, seu tabernaculorum festivitas, feriæ dedicationis templi, collectio pecuniarum, in usus templi, festum cœtûs legis datæ, memoria Godoliæ, jejunium & alia quædam. De forma ejus ita habet *Richard. lib. 5. de Deip.* Si quis quærit de pulchritudine corporali Divæ Virginis, congruentissimè mihi videtur posse dici & credi, eam præ filiabus hominum speciosam, quæ speciosum formâ nō solùm præ filijs hominum, sed etiam præ millibus Angelorum, suæ carnis substantiâ vestivit, Unigenitum Dei: non enim convenienter tota pulchra, & sine macula appellaretur, nisi secundum dispositionem & figuram corporis, & colorem faciei pulcherrima, & sine macula appareret.

Aliam rationem pulchritudinis innuit *Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt:* dum vocat illam rectè descriptam vivi Archetypi Imaginem, quo die nomen indictum incertum est. *Nicephorus lib. 1. cap. 7.* vult statim à Nativitate. *Jacob Canisius parte 3. parag. 3.* die 9. *Alij* pro die 15. afferunt argumenta. *Alij* pro alijs. Divinitùs tamen præscriptum nomen docet *Fulbertus serm. 3. de Nat. B. Virg.* Et Gabrieli Archangelo commissam fuisse custodiæ innuit *Emissenus hom. in Nativ. & Damiani serm. 1. de Nat. B.V.* Data itaq; Virgo: & quia certè data est, ex sterilibus nata Parentibus. Namut *Castro in hist. Deip. c. 2.* docet. Uterq; Parens fuit sexagenarius circiter: & qui jam annis 20. vixerunt in matrimonio juxta *Hieron. lib. de ortu B.V.* Undè *Damasc. orat. 1. de Nativ. Virg.* Ex matre sterili satis convenienter orta fuit Virgo, ut ad Incarnationis summum miraculum per aliud sterilitatis miraculum fieret gradus. Aliud est quia non ex voluptate, sed ex obedientia Dei genita. *Ita ipsa apud S. Brigitt. lib. 6. revel.* Alij conjuges conveniunt ex voluptate carnali, mei verò parentes convenerunt ex obedientia & præcepto Dei. Tertium, quia fuit accelerata ejus animatio, uti docet *Jacob Granadus tr. de Concept. disp. 3. cap. 1. sect. 2. ex revelatione facta Helvino Abbati.* Insuper ab instanti suæ animationis B. Virgo habuit usum rationis; fuitq; capax menti, ut ostendit *Soares tom. 2. in 3. p. d. 4. s. 7. n. 1. Salmeron tom. 2. tract. 22. post medium.* Et ante illos *S. Bernardinus tom. 1. serm. 61. a. 30. c. 3.* Et ipsa *B. Virgo apud S. Bri-*

S. Brigittam, apud Dion. Carth. lib. de laud. Virg. a. 12. tom. 1. operum minorum. Cùm anima mea sanctificabatur, & suo corpori jungebatur, tanta animæ meæ advenit lætitia, ut impossibile sit effatu: proindè necesse fuit humores ita attemperari, ut usui rationis servirent. Exercebat autem Virgo suum intellectum independenter à phantasmate, idcircò *S. Bernardinus tom. 2. serm. 22. cap. 2. de Virg.* dixit. Magis in contemplatione Dei excessit dormiendo, quàm aliquis alius vigilando, sicut ipsa Cant. 5. testatur. *Ego dormio, cor meum vigilat.* Forma Virginis, si quæras qualis fuerit? Respondebit *Richard. à S. Vict. cap. 26. in Cant.* Virginem fuisse vultu Angelico, tàm corpore, quàm mente. Et *S. Brigitta revel. lib. 1. cap. 50.* Quòd fuerit similima Filio. Filius verò ex *Chrysost. hom. 18. in Matth.* gratiosissimus visu. *Et hom. 13. in Marc.* In vultu Salvatoris aliquid fuit Divinum, quod videntes homines sequebantur. *Et alibi.* In humana specie Christi Domini fulgor, & Divina Majestas, & quiddam sidereum ita fulgebat, quòd ex primo aspectu videntes ad se trahere poterat. Idem in Virgine eveniebat, ut *S. Dionys. Areopag.* eâ conspectâ dixerit, ut si non sciviſſet Deum illam esse Deum credidisset. Quòd verò suo aspectu castitatem afflârit: *vide cap. 6. num. 9. quæ diximus ex S. Patribus*, quòd etiam suavissimum exhalârit odorem docet *Carthus. lib. de Virg. art. 36.* Et certè id est consentaneum, benè temperatis corporibus. Docet *Plut. in Alex. Suarez. l. c. d. 19 sect. 3.* docet Virg. non solùm simplicem fidem, sed etiam sapientiam Theologicam habuisse: item cognitionem rerum naturalium, ac moralium. *Et Sect. 6.* Nullum habuisse errorem, aut ignorantiam, vitam totam absq; dolore exegit, ut idem *Suar. disp. 2. Sect. 2.*

Verùm jam ad alteram partem propositi transeamus, in qua videamus quomodò Virgo alios facit Deo renasci. Sed Virgo nata ad auroram ut docet *Rupert. in Cant.* ut quos de nocte colligit, proferat in lucem. *Innocent. III. serm. de Assumpt.* Qui jacet in nocte culpæ, respiciat lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte invocavit eam, & non auditus ab ipsa est. Qui verò ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad satis faciendum illuminet. *Philipp. Berg.* Dum Virgo sacra nasceretur, Romæ signum Minervæ quod orientem solem spectabat nullo movente exteriùs versus occidentem faciem convertit. *S. Gertrudis ut est in ejus vita*, vidit Virginem amplissimo amictam pallio, sub quod bestiolæ & mures, feles & ejusmodi catervatim confugiebant, quas illa omnes amantissimè protegebat, & intellexit per hanc visionem significari, quòd S. Virgo indiscriminatim omnes recipiat peccatores, sed quòd pallium? amicta

sole sub hoc pallium de tenebris culparum recipit. Meritò dixit *Guerricus Abbas, serm. 1. de Assumpt.* Nequaquam crediderim majoris esse fœlicitatis, & gloriæ in sinu Abrahæ, quàm in sinu Mariæ degere. Pallium tam vastum Virginis, ut illum texerit, quem cœlum & terra non capit. Habet etiam pro illis annonam uberem. Apud *Surium 3. Jan.* Theodosius Abbas in nomine Virginis unum granum dedit amico suo Martiano, quod ita multiplicatum est, ut horreo capi non potuerit. Habet & vinum. *In annalibus Servitarum scriptum, quod sequitur.* Die natali Virginis Ordinem Servitarum Bonfilius concepit, erat verò vitis propè consita sub tempus vernum die Annuntiationis, simul protulit florem, gemmam, uvam. *S. Bernard. in salve ita orat.* Ciba hodiè pauperes tuos Domina, ipsi quoque catelli de micis tuis edunt. *S. Gaudent.* Contendite pulli generosi ad sacram offam, in qua est vita, ex cœlesti cibo mica non cadat. Vel sic transeundum per undas. Virgo S. *ut S. Bonav. de laud. Virg. num. 4.* est Arca Noe, in qua est provisio victualium, pro omni specie animalium. Extendit se hoc pallium, etiam ad cœlum, & ad purgatorium. *Alanus in Paneg. B.V. serm. 1.* Virgo nata ubi creverit, diffundet suæ charitatis flammam, sole altiùs, quia ad Deum ipsum, quem cinere mortalitatis operiet: sole latiùs, quia extra mundi fines suis gratijs fulgurabit: sole profundiùs, quia non aurum, neque adamantes, sed omni auro, atque adamantibus pretiosiores animas, in purgatorijs carceribus detentas, dignas thesauris Dei gemmas educet. Et ideò sole vestita, tanquàm pallio. Jer. 31. *Novum fecit Dominus foemina circumdabit virum. Nyssenus hom. 9. in Cant.* Fons hortorum est Virgo, quia non sibi tantùm accepit gratiarum plenitudinem, sed in omnes omninò electos Dei, de hoc Fonte innumeri cœlestium rivuli effunduntur, ut à Matre vitæ omnibus vita defflueret.

4. Quia non solùm ipsa religiosè scalas templi dum præsentaretis, conscendisti: sed etiam facta es Scala nostræ salutis.

Tulerunt sancti Parentes Virginem Sanctam in templum, ut juxta Psal. 91. *plantata in domo Dei, in atrijs domus Dei nostri floreat. Damascen. lib. 4. de fide cap. 15.* In domo Domini plantata, & impinguata spiritu velut Oliva fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est. *Bernard. hom. 2. de adventu.* Crevit in lignum vitæ, quod solùm fuit dignum portare fructum salutis. Dum in templo Virgo moratur, ut docet *S. Greg. Archiep. Nicomedien. orat. de Oblat. Mariæ.* Ambrosiæ nutrimentum per Angelos accipiebat, & de esca quam de manu Angeli accipiebat, reficiebatur ipsa:

ipsa: quam verò à Pontificibus templi accipiebat, pauperibus erogabat. Quotidiè Angelus ei videbatur loqui, & quasi charissimæ Sorori, Sanctæ Matri obtemperabat. Similia apud *Andr. Cret. German. Constantinop.* Hic jam cantemus Virgini nostræ canticum graduum, conscendit scalas templi, & in capite scalæ se Deo offert: sed illam vicissim Deus facit nostræ salutis Scalam, sed tantillùm ad historiam redeamus. Adductam igitur in templum nondum expleto triennio Infantem, testimonio S. *Germ. Constantinop. orat. de Oblat. Deip.* Zacharias Sacerdos Pater S. Joan. Bapt. excepit, ubi deinde per annos undecim teste *Gnodio* clausa permansit procul à Parentum externorumque consortio, inter alias puellas. Tum ut *Andr. Cret. orat. 1. de dormit:* assiduò in rerum cœlestium conversatione versabatur, ubi subinde ab Angelis cibo reficiebatur, pro qua re affert *Cedrenum & Gregor. Nicomed. Canisius Marialis lib. 1. cap. 13.* Ubi ut scripsit *Origines hom. 6. in Luc.* quotidie Prophetarum meditabatur oracula. Ibi juxta *Anselm. in ejus vita, Cedrenum in compend:* literas Hebraicas didicit, & inter omnes sodales quod scripsit *Epiph. in ejus vita* præcelluit ingenio, & quidem Divina mysteria explicabat illi Gabriel Angelus ut docet *Suar. 3. p. disp. 19.* Vacavit etiam lanæ & lino, & ut ait *Mantuan. lib. 1*

Nunc lanam pingebat acu, nunc pensa trahebat
Serica, & immissis per licia pendula filis
Vela sacerdotum sacros texebat in usus.

Distributionem temporis hanc fuisse vult S. *Bonav. medit. vitæ Christi cap. 3.* A prima luce ad horam diei tertiam, rebus Divinis operam dabat, indè ad meridiem operi externo intendit, vespertinas horas sacrâ lectione transegit, idem sentit *Sabellius lib. 2.* Undecimo verò anno ætatis suæ Patrem octogenarium, matrem uno anno juniorem ut scribit *Cedrenus*, qui sancti Parentes sine prole annos sexaginta superârant. Id tota *Ecclesia* ipsi accinit, cùm eam Scalam cœli canit, nobiliorem profectò quàm illa fuerit Jacobi, per quam Angeli ascendebant, & descendebant. Et certè ait *Aug. serm. 15. de tempore.* Facta est Maria Scala cœlestis, per quam Christus descendit ad terras. Addit *Fulgentius de laud. Virg.* Facta est Maria Scala cœlestis, quia, per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad cœlos. Complexus utrumque *Joannes Geometra in Græco Parnasso disticho quod sic nostra lingua habet.*

Salve Scala polum penetrans & sydera tangens,
Quæq; Deum nobis nos revehisq; Deo.

Undè nos cum *Joann. Damasc. 27. Jan. ode 7.* salutemus dicendo: Salve Scala per quam è terra in cœlum, & ab interitu ascendimus ad vitam.

Viderat quondam S. *Franciscus* duas scalas, unam candidam misericordiæ, per quam facillimo nisu multos in cœlum ascendere, qui omnes ex rubea justitiæ scala miserandum in modum cadebant, rubeæ Christus, albæ Virgo diva incubabat. Num ut *S. Sabbas. 28. Jan. ode 1.* docet, Virgo est Porta ad vitam. Cujus rei causa habetur, apud S. *Antonin. 4. p. tit. 15. c. 20. num. 12.* Quoniam per eam exivit de cœlis, quidquid unquam gratiæ venit in mundum: secundò quidquid boni de terris intravit in cœlum (ut Sancti omnes) per ipsam ut portam intravit. Aliis verbis S. *Sophron. 18. Februar.* Agnoscimus te Domina pro Fonte vitæ æternæ. *Anatol. 15. Martij.* Salve profunditas, quæ contemplationis acie penetrari non potest, salve Pons qui transitum præbes ad cœlum, salve Scala sublimis à Jacobo spectata. *Eccles. Græca Men. 2. April.* Te velut Introitum nostrum ad regnum cœleste, omni clientum confusione seu repulsa carentem agnoscimus: igitur quàm enixissimè petimus, ut per tuas Maternas ad Filium preces efficias, nè aliquando spe tantâ excidere permittamur. Item S. *Joseph. Confess. ibid. 5. Aprilis.* Te tanquàm Pontem ferentem ad cœlum, qui magna facilitate transitur laude magnificâ, ac perillustri colamus. S. *Damiani hom. in Nativit. Virg.* Hodie nata est Regina mundi, Fenestra cœli, Janua Paradisi, Tabernaculum Dei, Stella maris, Scala cœlestis, per quam supremus Rex humiliatus ad ima descendit, & homo qui prostratus jacebat, ad superna exaltatus ascendit. *August. serm. 15. de temp.* Facta est certè Maria Scala cœlestis, per quam Christus descendit ad terras, ut per ipsam homines mereantur ascendere ad cœlos. *Richard. Vict. cap. 26. in Cantic.* Omnium salutem Maria desideravit, quæsivit, & obtinuit, imò & salus omnium per ipsam facta est, undè & Salus mundi dicta est. S. *Damasc. orat. de dormit. Virg.* Salve ô Deipara, tu Paradisi claustrum nobis aperuisti, tu aditum nobis ad cœlum patefecisti, tu Filio ac Deo familiares nos reddidisti. Iturus in Paradisum *Elias* pertransit *Jordanem*, qui juxta *S. Hieron. Epist. ad Fabiolam* erat typus Virginis. Illa est Sponsa Dei, sponsæ tradebantur jure Romanorum, & ritu, claves domûs, *teste Beyerlinck in theatro fol. 597. S. Fulgent. serm. de laud. Virg.* Facta est Maria Fenestra cœli, quia per ipsam Deus verum fudit sæculi lumen. Facta est Maria Scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines mereantur scandere ad cœlum. *Ephrem de laud. B.V.* Scala, Ascensusque omnium. *Buteo in hym. Græco* Scala omnes è terra ad gratiam elevans. *Geomet. apud Corder. in 1. Luc.* Scala per quam descendit Deus, sed ascendit homo, à terra quidem incipiens, sed ad cœlum pertingens. Sancta

hæc

hæc Scala, in templo esse vult. Postquàm templum Judæorum profanum factum est, transijt ad orientalem Ecclesiam, postquàm & ea per schisma polluta: Scala nostra vult esse omninò in occidente, res ut habet propono. Annus erat à nato Christo 1200. Durabat Photij, & aliorum Græcorum obstinatissimum schisma: quaterdecies reducta fuit unio, & toties pervicaciâ orientalium rupta: tradita est vindici gladio Saracenorum Græcia, non ut antea sæpiò ad brevem correctionem, sed fortè ad perenne servitium & ruinam, ubi jam ultima arx Ptolemais, vulgò Acon est amissa: Tum ut *Philo* loquitur Verbum Dei choros duxit: & Prussia respexit fidem & in ea statim B. Mater Lindæ sua effundere cœpit beneficia. Respexit Livonia, respexit Lithuania, & illi statim aliquæ imagines illius favoribus clarere cœperunt, comparuit Dominicus, & Franciscus, per eam qui labantem suffulcirent occidentem. Tum anno 1291. uti *Tursellinus*, domus Lauretana à Galilæa primò in Dalmatiam, & ut lustraret sedem Ecclesiæ paulò post aliquot locos Italiæ prætergressa, stabilem fixit sedem Laureti apud Picenos. Sub idem tempus Belgio domus B. V. Hallensis benefacere cœpit, apud Hannonios: imaginem illam S. Elisabeth olim dederat filiæ, quæ tunc tandem anno 1267. scilicet templo illata. Sub idem tempus apud Sylvam ducis miracula prodiêre in Belgio. Sub idem tempus apud Francones in Germania Diva Uvegerensis, & Vilvordiæ Diva Consolatrix, Nicopeja etiam sic dicta imago B. Virginis, quòd Imperatoribus non dubias solita facere victorias, qua duce Heraclius Persas, Narsetes. Totilam, Commenus Scythas, alter Commenus Ungaros, Justinianus, Justinus, Tyberius varios hostes præter spem orbis profligârunt, à Dandolo Venetorum Duce Venetias deduci se permisit, *ut Ramusius lib. 3. fol. 129. scripsit*: ubi hactenùs veluti Palladium asservatur. Anno 1081. apud Tungros Divinitùs allata est imago B. V., clara miraculis, quæ undè allata nemo conjecerit: de favore Divæ nemo dubitaverit. Oetingana imago anno Christi 1489. ob miracula per Europam increbuit, Celensis initium accepit anno 1157. Anno verò 1286. Venetijs dicta de Schola, & reliquæ imagines in Europa pleræq, post annum 1200. clarere miraculis cœperunt. Sub idem defectionis Græcæ tempus anno 1187. Jerosolima pulsis Christianis in Saladini Ægyptij potestatem abijt, nec unquam ad nos redijt. Tum etiam imago B. V. Vicarten'sis in Ecclesia illustrior fieri gratijs cœpit: nempe anno 1341. quandò quingenta millia Tartarorum alias Regiones Christianas populati, ibi demùm metam invenerunt. Tot deindè è Moschovia orientalium miraculosæ imagines in Poloniam translatæ, ut centenæ numerari possint. Ipsa Cestochovien'sis ad illa ferè tempora, si non in Græcia, saltem in Græcorum sacerdotũ Belzij cultu fuit, à quo

tum primum abijt Anno 1403. In Lusitania comparuit ex ebore imago B. Virginis dictæ de Ademis à pastoribus reperta, & miraculis cœpit coruscare. *Gonzaga in hist. seraph. pag. 200.*

5. Quia non solùm ipsa in tua glorioſissima Annuntiatione DEum recepisti: sed etiam eundem mundo impendisti.

Joannis 5. fuit Jerosolymis Piscina probatica inter porticus Salomonis templo vicina, in quam Angelus semel quot annis descendebat, & turbabat aquam, quo tempore, qui primus ægrorum in aquam descendit, sanabatur. *Petrus Blesensis* B. Virginem dixit Piscinam probaticam, ad quam Angelus descendit in Annuntiatione, & turbata est in sermone ejus. Quot in hac Piscina salvati! *Ex annal. Hannon. volum. 3. cap. 19. describo, quod sequitur.* In partibus Hannoniæ fuit Comes Gosceguinus, qui egit sceleratissimam vitam: sed tandem omnibus abdicatis se inclusit monasterio, hanc gratiam consecutus propter hoc solum, quia quotidiè verbis Angelicis Virginem salutabat. Theodoricus Comes prædicti Comitis cognatus, mirificè vexabat bona Monialium, vidit tandem duas Moniales orantes B. Virginem, ut à Filio impetraret mortem Theodorico, respondit S. Virgo id se orare non posse, cùm uxor Theodorici quotidie sexaginta salutationes Angelicas recitet, sed nihilominùs expectarent aliquantulùm daturum Comitem pœnas: interea facit Comes divortium cum sua uxore, & ecce cùm venationi indulget, capitur ab hostibus, & occiditur. Hinc fortè *S. Ildef. serm. 4. de Assumpt.* vocat Virginem magnam Misericordiam Dei, ut possit quisque dicere: *Miserere mei Deus secundùm magnam Misericordiam tuam*, est magna Misericordia, quia ut *Bernard. serm. 4. de Assumpt.* totius mundi reparationem obtinuit, & salutem omnium impetravit. Christum nobis datum, & nos, & Angeli fontem beneficiorum, verum accepimus, ab illius autem consensu Incarnatio pendebat. Testis *Guilielm. in 4. Cantic.* Deus misit Gabrielem ad B. Virginem, ut ei Mysterium Incarnationis, & Redemptionis panderet, atque ejus consensum flagitaret: nolebat enim Omnipotens carnem sumere ex ipsa, non dante ipsâ, insuper meruit illum de congruo, ut docent *Theologi.* Undè *Damasc. orat. 1. de Nativit.* ait dignam fuisse B. Virginē Filium habere Creatorem. Adhuc annum ætatis duodecimum agebat Virgo, cùm promissum accepit se Matrem Dei olim futuram. *Verba in Marial. ex Cedreno affert hujusmodi Canisius.* Ad annum ætatis suæ duodecimum Virgo Sacra pervenerat, cùm mediâ nocte pijs precationibus incumbens vocem Divinitùs ad se prolatam audivit: *Paries Filium*

ans meum. Anno secundo post, Virgo egressa è templo, cùm enim ad hanc ætatem veniſſet, viſum eſt Sacerdotibus, ut eſt in hiſtoria *S. Hieronymo* adſcripta, ut domum adulta reverteretur, & nuptijs ſecundùm morem gentis, ac ætatis maturitatem operam daret, ſed cùm illis aperuiſſet, votum ſe caſtitatis feciſſe, ait *Niſſenus orat. de human. Chriſti gen.* conſilium iniviſſe, ut virum eligeret, qui eſſet illius cuſtos, nam innuptam relinquere credebant eſſe contra leges, & quidē docet S. *Germanus*, quòd B. Virgo Verbum Divinum conceperit in æde Nazarena, teſtata eſt ipſa per viſum Alexandro Epiſcopo Ferſactenſi. (*Turſell. hiſt. lib. 1. c. 3.* cùm dixiſſet de ſua æde, quæ nunc eſt Laureti:) Hic ego Archangeli Gabrielis nuntio, Spiritûs S. operâ, Divinam concepi Sobolem, hic Verbum caro factum: ſalutatione acceptâ poſt biduum vel triduum ad Elizabetham profecta eſt. *Orat. de Virg. obl.* Dei nutu & Sacerdotum conſilio datam fuiſſe ſortem. Et quidem *Cedrenus* explicat ſortem, dum ait duodenos Virginis affines vocatos, ac à ſingulis ramos arborum acceptos in ara collocatos, ac Deo invocato, Joſephi floruiſſe virgam, & Deum de propitiatorio dixiſſe, ut eum acciperent in virum, cujus virga floruiſſet. Hanc hiſtoriam admittunt *Caſtius*, & *Caniſius*. Annulus ſponſalitius Virginis Peruſij aſſervatur, alij aliqui alibi. De ſponſatio contigit initio Decembris, poſtquàm accepit Joſeph Virginem Nazarethum: quarto poſt menſe id eſt 25. Martij Angelus ingreſſus ad Virginem per portā inſtar hominis, linguâ Hebræâ allocutus Sap. 18. *Cum quietum ſilentium continerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet*, quanquam S. *Bonav.* putat veſpere. *Alb. M. Marial. c.* 10. mane. *Bernard. hom. 4. ſuper Miſſus.* Expectat Angelus reſponſum, expectamus & nos ô Domina verbum miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis. *Et paulo poſt.* Hoc ſupplicat à te pia Virgo, flebilis Adam cum miſera ſobole ſua, exul de paradiſo, hoc Abraham, hoc David, hoc cæteri flagitant Patres SS. hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat: ipſe quoque omnium Rex, & Dominus quantùm concupivit decorem tuum, tantum deſiderat & reſponſionis aſſenſum, *& Auguſt. ſerm. cit.* Fides tua modò (Virgo) aut aperit cælum, aut claudit. S. *Thom. 3. p. q. 30. a. 1.* Per Annuntiationem expectabatur conſenſus Virginis loco totius humanæ naturæ.

Quòd verò etiam impetraverit Incarnationem *Albert. M. in Luc. 1. docet.* Dicitur Dominus eſſe cum illa plùs quàm cum alijs: oravit enim ut dicunt Patres redemptionem Iſrael, & ipſe Dominus exaudivit orationem ejus. Cum ipſa enim eſſe Dominum vocat conſentire Dominum votis ejus, orationi & operibus ejus, ita ut verum quod dicitur 2. Reg. 7. *Omne quod eſt in corde tuo vade & fac, quia Dominus tecum eſt.* Similiter dicitur Joſue 1. *Ego ero tecum, & non te deſeram, neq; derelinquam.*

linquam. Oportuit ergò ut præ alijs, votis ejus consentiret Dominus, quia sic sibi eum attraxit, ut visceribus ejus se infunderet. *Bernard. serm. 4. de Assumpt.* Hæc est quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit, constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est. *Non timeas Maria, invenisti gratiam*, utique, quam quærebas. *Richard. lib. 4. Christi erga nos benignitatem Virgini adscribit, hoc modo.* Charitas Mariæ ad nos apparuit in Annuntiatione Filij, quandò respondit. *Ecce Ancilla Domini* Luc. 1. Cupiens Filium procreare, qui noster servus fieret, & ideo se nominavit Ancillam, quia partus ventrem sequitur. Quod etiam innuit Filius Patri dicens Psal. 115. *Servus tuus ego sum, & Filius Ancillæ tuæ.* Servivit enim nobis Filius Virginis de beneplacito Matris usque ad ablutionem pedum, imò usque ad tolerantiam passionis, quia Filius hominis (Ancillæ Servus) non venit ministrari, sed ministrare. Dicitur in Psalmo: *Oblationem pro peccato non postulâsti, aures autem perfeciſti:* Alia versio legit *perforâsti*, ut apud Judæos servo eligenti servitutem, cùm potuisset esse liber, aures ad portam subulâ perforabantur. Job 39. *Nunquid ad præceptum elevabitur Aquila &c.* Ad hoc alludens *Richard. lib. 1. cap. 5.* Humilitas Mariæ Regem cœli attraxit ad terram, & velut Aquilam odor prædæ concupitæ illectam, carni immaculatissimæ copulavit. Simile quid *August. serm. 35. de Sanctis.* O verè beata humilitas! quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberavit. *Bern. hom. 4. in Missus.* In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, & ecce morimur, in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. *Et serm. 5. de Assumpt.* Propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, (id est Christus non est natus) quòd nondum intercederet is, de quo loquimur (Maria) desiderabilis Aquæ ductus: sicut non consentiente Eva spiritui qui loquebatur in serpente non secuta fuisset humani generis ruina, ita non consentiente Virgine, non fuisset secuta reparatio. *Chrysol. serm. 142.* Ut homo cursibus ijsdem, quibus delapsus fuerat ad mortem rediret ad vitam, agit cum Maria Angelus, quia cum Eva Angelus egerat de ruina.

August. serm. 17. de Nativit. Respondè jam Virgo, assensum tuum Angelus præstolabatur: Deus in porta est, Angelus quem moratis expectat, ô Beata Maria sæculum omne captivum, tuum deprecatur assensum, te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te parentum suorum injurias abstergi deprecatur. Undè illud Cantic. 4. quod vulgata habet. *Vulnerâsti cor meum in uno crine colli tui*, LXX. legunt: *Abstuliſti cor meum*, id est Filium cordis mei, quando suâ humilitate ita se extenua-

vit,

vit, acsi unus crinis esset. *Rupert. lib. 3. in Cant. paulo ante finem.* Crinis unus vix comparet, humilitas vix consentit, quòd computari possit inter homines. *August. serm. de Nativit. Virg.* Quæris à me (inquit Maria) quod obtulerim munus, & undè Mater effecta sim Creatoris ? Oblatio mea fuit humilitas mea. Meritò Abac. 3. *Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharan.* LXX. verterunt. *Et Sanctus de monte umbroso.* Maria enim Mons in vertice montium, sed Spiritus S. superveniens obumbravit, seu etiam ipsius humilitas. Et *Ecclesia Catholica* non diversum cani de Virgine quam à Deo ita præparatam confitetur, ut dignum Filio tuo (Dei) habitaculum effici mereretur. *August. etiam serm. de Nativit. Domini,* sic Virginem affatur. Recole in lib: Isaiæ Virginem quam legisti, & gaude quia tu esse meruisti. *Idem ibid.* Talis eligitur Virgo de toto mũdo, quæ tantum haberet meritum, ut Filium Dei in se susciperet. *Chrysost. serm. de Christi Præsent.* Beata Mater ultra omnem naturæ humanæ modum, modestiam, ac temperamentum excoluit, & ob id universorum Dominum in utero gestare promeruit. *Hieron. Epist. ad Eustoch.* aliud meritum Divæ Matris advertit, dum scribit. Tantæ puritatis Maria extitit, ut mereretur effici Mater Dei. *Greg. in L. 1. Reg. cap. 1.* An non sublimis Maria, quæ ut ad Conceptionem Verbi Dei pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit. S. *Joseph Confessor in Men. 17. Martij ode 1.* Filius æque increatus ac Pater, in te Virgo sola reperit causam, cur similem nobis naturam indueret: Te enim reperit solam puritate super omnes creaturas fulgentem. Ipsam verò nos adhortantem sic loqui facit *S. Eulogius Alexand. hom. in Ramis palm.* Nè dedecores ô homo quã ex me Deus sumpsit vestem, nè ei qui illam induit contumeliam irroget, nè injuriâ afficias Tabernaculum, revera enim nullâ manuum operâ in eo fuit cõsutum, nè lumen à carnali mea lampade separes, ut nè malè Solem extinguas, qui illuxit mundo, qui sine homine homo factus est.

Ob has causas *Theodorus Abucara opusc. 1. in fine* Virginem appellat Januam & Aditum peregrinationis Verbi ad nos. *Nicetas Coloseñsis Imperatorum Logotheta in Thes. orthodoxæ fidei lib. 3. cap. 38.* Jam ante mundi constitutionem ut Deus humanam carnem assumeret, constitutum erat: nunquam autem ante SSmam Mariam Divinæ carnis assumptione dignum est repertum domicilium: ubi autem repertum est humanam carnem assumpsit Deus. *Guilielm. in 1. Cantic.* Nolebat Omnipotens suæ Incarnationis miraculum operari in Maria, non cooperante ipsâ: itaque non tantùm ex ipsa carnem susci pere volebat, sed etiam ab ipsa, non sic olim, non sic quandò soporem immisit in Adam, ut de corpore nescientis tolleret, undè

ille mulierem formaret. Itaq; cum *August. serm. 1. in Annunt.* dicendum. O B. Maria quis tibi dignè valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito. Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat? quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit. Incarnatio Dominica à Psalmista Psal. 71. appellatur Pluvia: *Descendet sicut pluvia in vellus*, D. Virgo est Nubes, juxta *Ambros: exhort: ad viduas* quæ nobis hanc Pluviam attulit. Sed quod hæc meruerit, testatur etiam *Angelus in serm. de excell. Virg. quem dictavit S. Brigittæ cap. 5.* Tu ô Felix Maria virtutum plenissima, post tuam creationem Divinâ opitulante gratiâ, omnia quæ tecum Deus facere dignatus est, cum omnium virtutum perfectione dignissimè meruisti. *Chrysost. hom. de Interdict. Adam.* Consensus Mariæ peperit mundo Salvatorem, restauratur per Mariam, quod per Evam perierat. *Et paulo post.* Redditur per Mariam Vita, quæ per Evam fuit interrupta. Denique ut *Bernard. serm. super Signum magnum.* Vehementer nobis vir unus & mulier una nocuêre, sed gratias Deo per unum nihilominus Virum, & Mulierem omnia restaurantur, cum magno fœnore gratiarum, neque enim ficut delictum, ita & donum, sed excedit damni æstimationem beneficij magnitudo. *S. Bernardinus serm: 51. a. 1. cap. 3.* Et charitatis quoque ardore etiam humanæ salvationis toto affectu desiderabat Incarnationem Filij Dei, nam & totus impetus primæ sanctificationis mentem hujus SSmæ Virginis impellebat ad hoc desiderandum pro salute omnium electorum: proindè omnes virtutes ardentissimæ mentis in id, quod postea factum fuit, in ea toto conamine inflammabant animam ejus. *Et postea.* Ideò nobis est inexpressibile illud desiderium fervidum, & languentis orationis suspirium, quo suspirabat ad Deum, ut Filium suum mittere dignaretur ad nostrã assumendam naturam. Et *S. Bernardus sub allegoria Aquæ ductûs serm. de Nativitate Virg.* sic loquitur. Sed quomodo hic noster Aquæ ductus fontẽ illum attigit tam sublimem? Quomodo putas nisi vehementiâ desiderij, nisi fervore orationis? ad hæc ergò omnia, ut ad metam collimabat Deus Filium missurus.

6. Quia in Visitatione E. Isabethæ, non solùm ipsa humilitate plena fuisti; quâ Deum Joanni attulisti, sed mundum ad Deum attraxisti.

Benè *S. Bonavent. in Psalt. quinqu:* 1. Virginem S. appellat Finem iræ Dei, ecce statim ut intravit ad Joannem fecit Filium gratiæ. In cœlo ponitur signum Virginis inter Leonem, & Libram, talem nostram Virginem, id est Astræam vocat *S. Hieron.*

S. Hieron. epist. ad Principiam. Quoniam ipsa inter Deum Judicem, & hominem judicandum media intercedit. Ubi legit Vulgata *Requiescit super eum* (Messiam) *Spiritus sapientiæ, & intellectus*, Nazaræi legũt. *Descendet super eum omnis fons Spiritꝰ S.* Fons verò non solet se continere, sed effunditur, ita Christus transfudit se in Joannem. *Ambros. in Psal.* 118. Labia Sponsæ dicuntur coccinea, id est rubore quodam sanguineo cum dignitate suffusa, quia hæc tincta sunt Christi sanguine. Et certè sanguinis CHristi effectum locata Joanni. *Ambros. in Luc.* 2. Exultavit Joannes auditâ Dei Verbi voce, sed & Virgo uncta oleo exultationis præ participibus suis sic dulcedine æternorum imbuta est, ut omnium creaturarum gaudijs quasi oleum cœteris liquoribus supernataret: ideò exultavit spiritus Mariæ in Deo. Vox Virginis, vox adducens Spiritum S. Luc. 1. *Factum est ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero, & repleta est Spiritu S. Elizabeth. Toletus & Baronius* civitatem in qua convenit Elizabetham, volunt Hebronem vel Chebronem, iter confecit milliarium Italicorum centum duorum circiter. Memoriam facti Ecclesia celebrat, non in fine Martij quandò iter susceptum est, sed ineunte Julio, quandò Virgo domi redux istetit, & tum Joseph advertit gravidam, ac sollicitudinem concepit. Quandò Virgo dedit vocem: *Ecce Ancilla Domini*, Spiritus S. formavit corpus Christo. *Cum eo eram cuncta componens.* Prov. 8. Ecce Joannem rursum componit cum Christo. *S. German. orat. de Præsent. B. Virginis.* Virgo est Collectrix malè consonantium, & Conjunctrix jam olim disjunctorum. *August. lib. de S. Virg. c. 6.* Maria & spiritu, & corpore Christum peperit. Corpore Christum ut caput nostrum, spiritu autem, quia nos ejus membra computamur. *S. Sabbas mihi testis & per eum tota Græca Ecclesia, quomodo id Virgo præstet.* Ad misericordiam tuam omni admiratione majorem, atque ad tuam ardentem pro nobis intercedendi cupiditatem confugio miserrimus. *Rupert.* in Cant. 5. *Adjuro vos &c.* Quid efficit hæc adjuratio! ego nimirum, ut percussa percutiat, vulnerata vulneret Mater Filias salubriumque vulnerum suorum, aliquod etsi non statim omnibus, at saltem jam aliquibus eorum experimentum faciat. (Vulnerasti enim cor meum præcesit) ut audientes filiæ, vel sentientes in Matre tantum vitæ futuræ quæ non videtur desiderium in mẽte, præsentiant & ipsæ talem illum esse dilectum, ut jure propter eum fastidiat quivis, vel quævis hoc præsens sæculum.

Quàm multa conferre possem exempla desiderij istius. Quò enim spectant aliò tot imagines, quas Virgo obtrusit ferè populis, ut earum cultu ipsa ad orandum pro illis invitaretur? quò tot templa ejus jussu, delineatione, imò impensis ejus nomini erecta? Tungrensem in Hannonia imaginem, quæ teste *Roberto*

Hautport. anno 1581. in clara nube spectantibus populis & cantū Angelorum percipientibus: in hortum Hectoris Dynastæ ejusdem loci Tungrensis delata: & ex eo loco cùm in templum iteratò ac tertiò transportaretur, per eosdem Angelos restituta, spectantibus & audiētibus ad eam rem deputatis Commissarijs à Joanne Episcopo Cameracensi: viderunt promoveri per aëra, conspexerunt, quâ ferebatur, nubem candidam, suavem, cœlestemque sonum audiērunt: aërem senserūt. Nè graventur homines in Dei atque ejus cultu impensas, aliquandò provident, uti legitur apud *Joann. Bapt. Albes.* Vixit Eremita quidā in Tremitoria maris Adriatici insula, huic Domina nostra impetravit, ut templum Deo in sui memoriam magnificum extrueret, interea pauperiem suam Eremita oppositit: Non procul indè ostendit illi Virgo locum, ubi esset thesaurum reperturus fabricæ suffecturum, sepulchrum id erat Diomedis terrâ obrutum, in quo & corona, & thesauri reperti. Sed amplius Virgo procedit & ad cultum Dei subindè populos videtur compellere, unum sit instar plurium quod ex *Alano de Rupe Psal.* 3. Laborabat in partibus Tolossanis S. Dominicus: qui postea Fundator Ord. Prædic. circa conversionem hæreticorum, sed ferè nullo successu recepit itaque se in silvam, ut ibi liberius quâ orationibus, quâ sui afflictione opem Numinis imploraret: adfuit illi Virgo Sacra, & monuit, ut conversionem hæreticorum inciperet à suasione cultus sui per recitationem Rosarij: redit Tolossam, & omnes campanæ spontaneo cœperunt convocare pulsu ad ædem S. Romani populum, ibi incipit commendare devotionem S. Dominicus, sed audita minus in animos descendebant, Juvat Virgo Sacra. Tempestatem jubet cooriri terribilem tonitruis, ac fulminibus, ut nundum ruere crederes. His perculsus populus, promisit omnia Sancto Viro, dum tempestatem coercuerit, quod utrumque præstitum. Mons etenim est Virgo, qui non sibi pluviam cœlestem conservat, sed in nos valles humiles derivare conatur. Est *Virgula fumi ex aromatibus descendentis* Cantic. 3. Aromata enim non occultant intra se odorem suum. Est Virgo Paradisus, uti S. *Bernardus serm. 3. in Salve Regina loquitur.* Sed de hoc Paradiso quatuor flumina egredientia, quatuor orbis plagas irrigant. *Guiliel. Durandus in Rationali lib. 7. cap. 7.* Omni tempore memoriam in Mariam habere debemus, quæ omni tempore ad Filium suum pro nobis peccatoribus intercedit.

7. Quia non solùm ipsa es humillimè purificata, sed etiam nos Deo purificas.

S. Thom. de Villanov. ſerm. de Purif. deſcribit Virginem S. Deo Patri ſuum Filium offerentem. Poſtquàm ad altare ventum eſt, Virgo Sacra genibus flexis Divino inflammata ſpiritu plùs quàm Seraphim Filium manibus tenens offert ipſum Domino munus, & oblationem acceptabilem Deo in hunc modum orans: Suſcipe Pater Omnipotens, ſuſcipe oblationem hanc quam tibi offero pro toto orbe Ancilla tua, ſuſcipe communem Filium, tuum ab æterno, meum in tempore. *Petrus Damiani ſerm. de Aſſumpt.* illud Eccles. 24. Virgini S. attribuit. *Ego feci in coelis ut oriretur lumen indeficiens, & ſubdit.* Nihil habuit Spiritus S. in viſibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis, præter ſolem compararet: Luna enim non obſcurat dum lucet ſidera, ſol autem cum ſplendet & lunam & ſtellas quaſi non ſint, abſcondit, ſimiliter Virga Jeſſe veri prævia Luminis, in illa inacceſsibili luce prælucens, ſic utrorumq; ſpirituum habebat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec poſsint, nec debeant comparere. Venit hoc Lumen in templum, Lumen ad revelationem gentium, illuminat Sol ut diſcernamus lunas, ut diſcernamus vias; nociva, utilia. Ubi Cantic. 8. Vulgata habet. *Lampades ejus, lampades ignis.* LXX. legunt. *Alæ ejus, alæ ignis.* De lampadibus ad alas tranſitur; quia & illuſtrat, & portat. Hic eſt Rubus Moyſis, in quo Deus loquitur Moyſem in novam terram ducturus. Portavit hic Rubus ignem in templum, hoc eſt Deum, qui eſt Ignis conſumens & emundans conſcientias noſtras; imò templum ipſum emundavit. *S. Theodor. Studita ode 5. proſs: imaginibus.* Tu Virgo es Lucernarium auro exornatũ, quod Lumen intellectuale mundo peperit, & tenebroſum nubilum diſparuit. Alio ſenſu nos admonet circa idem *B. Laur. Juſtinianus ſerm. de Purif.* Mariam anima fidelis imitare, ut ſpiritualiter purificeris, & à delictorum valeas emundari contagijs, in templum cordis tui ingredere, & Deo per orationis ſtudium, ac contemplationis vacare contende. S. *Hedvigis Ducissa Poloniæ, ut eſt apud Sur. 15. Octobr.* vivens ipſa multis ſanitatem reſtituit, applicatâ capiti eorum icunculâ D. Virginis: multis autem ab obitu annis inventa eſt in tumulo tres primos digitos habens incorruptos, quibus imago Virginis inſerta erat. Hoc videtur Virgo dediſſe Hedvigi poſt mortem teſtimonium, quæ Simeoni dedit Filium, quod utriq; fuiſſet Ala ad cœlum. Certè *Exod. 2.* Moyſes per fiſcellam ſalvatur. *Ambros. in cap. 6. Apoc.* ait. Per Fiſcellam ſcirpeam B. Virgo Maria deſignata eſt. Ramum olivæ in diluvio attulit columba Noemo, nunc accipit gladium doloris Maria à Simeone, ut compati nobis noverit. *Petrus de Natalibus 21. in vita S. Danielis Abbatis narrat.* Vidit S. Daniel Latomum quẽdam in pauperes liberaliſsimum, oravit B. Virginem, ut illi opes ſuppeditaret, quas tantò magis expenderet. Cui Virgo parata ait ſum

tuo voto obsequi: dum spondeas eum opibus non abusurum. Spondet Daniel pro Latomo: & ecce Latomus dum frangit saxa, invenit thesaurum, sed in pauperes durus efficitur. B. Virgo sponsorem urget: qui agnovit errorem & deprecatur. Tum Virgo, noli tam facilè spondere; illius etiam animam servabo, & opes interea cœperunt evanescere, & rediit Latomus ad primam sortem, & misericordiam. *Bonav. in spec.* Advocata generis humani, Virga quidem, nam in tempore punit, aut nos puniri orat, quos summa felicitas sternit, directionis autem Virga, quoniam ipsa est Directrix dubitationis nostræ. Direxit certè præter alios S. Patriarcham nostrum Ignatium, ut est apud *Ribaden*, qui cùm opus Constitutionum Societatis nostræ meditaretur, sæpissimè solitus est conferre cum Virgine, et preces, ac sacrificia jam sua, jam aliorum præsentans, quo factum est, ut non raro illi apparente, & lucem conferente, lux ejus fieret lux ad vitam. Caput Virginis ut Carmelus *Cant. 7. S. Thom. in Cant.* Carmelus significat scientiam circumcisionis. Virginis nomen ut aliqui ex Syriaco deducunt, significat Domina. *Cribri in Chronico S. Dominici habetur.* Margarita à Sabaudia Montis ferrati Marchioni nupta, gravibus podagræ afficiebatur doloribus, dum pro illis levandis S. Virgini supplicat, audit voluntatis suæ esse, ut hanc crucem usque ad obitum perferret. Virgo Domina Cribri in quo Sathanas expetijt, ut cribraret Apostolos, & nos aliquando cribrabit, & fortè multi in cribrum accepti tunc, cùm ei dictum. *Tuam ipsius animam gladius pertransibit, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Expetierat quondam dœmon ut monasterium S. Gertrudis cribraret *lib. 4. Insi. c. 9.*, sed Virgo mandavit Angelorum choro, ut illud custodiret. Quando Daniel cribravit cineres *cap. 14.* super pavimentum templi, revelatæ sunt multæ fraudes, cujus hæc vestigia? boni, an mali? quid isti & isti hic?

8. Quia non solùm ipsa es mirabiliter in cœlum assumpta, sed etiam nobis ad cœlum præivisti.

Narrationem hujus triumphi ordiemur verbis *melliflui Patris Divi Bernardi, quæ Romana Ecclesia in Brev. 21. Aug. lect. 4. ponit.* Tempus loquendi est omni carni, cùm assumitur Incarnati Verbi Mater in cœlum; nec cessare debet à laudibus, humana mortalitas, cùm hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in homine: sed de ejus gloria nec silere devotio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut inerudita locutio potest parturire; hinc est quòd & ipsi cœlestis curiæ Principes in consideratione tantæ novitatis clamant non sine admira-

miratione. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens.* Ascendit hoc modo, quê S. *Sabbas in Men. 15. Augusti* ponit. Cùm jam jam hora appareret, quâ Deus noster Christus ex animi sententia decreverat Matrem suâ transferre ad Superos, tùm verò per Angelum tribus ante diebus hanc ei migrationem de terra significandam curavit, hoc internuntio utens. Tempus est, inquit quo Matrem meam ad me in cœlis fruendum assumam: quare ò Genitrix mea indicium istud hilaris accipe, nec metum, aut sollicitudinem ullam admitte, nunc enim apud me immortalitate potieris. Virgo itineris, ad Filium suscipiendi mox desiderio flagrans, in montem olivarum ascendit, precibus accuratè fundendis intenta: hoc enim solemne jam habuerat, ut in eo monte jugiter orationis studium continuaret. Verùm id loci inopinatum quiddam evenisse tunc perhibent: quippe arbores istæ in monte plantatæ, spontaneo motu inclinârunt se Virgini, planè ceu vivo tantæ Dominæ serviendi affectu, pollerent. Oratione peractâ, domum regreditur Virgo, eamque totam repentè concuti sensit. Tum deindè magnam vim luminum præparat, simulque gratijs agendis Deum venerata, everrendo mox domicilio vacat, lectulumque suum componit, ac denique cuncta sepulturæ idonea in anteccessum procurat. Addit *Cedrenus in compendio hist.* Quindecim diebus ante suũ obitum cognovit, triduoque ante, ad eam Archangelus venit, palmam portans. Quod ipsum paulò fusiùs *Metaphrastes orat. de vita & dormit. Virg. cap. 39.* Cùm ætate provectâ ad multam senectam perveniset, & peregrinationis tempus esset præsens, per Angelum se migraturam à Filio edocta est, sicut & antea, quo tempore in ejus ventrem ingressurus erat, nuntiatum illi fuerat. Cùm igitur excessûs sui mysterium didicisset, eam rem lætitiæ tantæ, quanta verbis explicari non potest, materiam judicans (quid enim ei suaviùs evenire poterat, quàm cum Filio suo esse unà & regnare?) statim jussit plurima domum lumina afferri, idque factum. *Pelbartus lib. 10. p. 1. a. 1. adducit Cosmam Vestitorem ex vitis SS. Coloniæ editis, qui Cosmes ea quæ narrat, dicit se ab eorum posteris, qui dormitioni Virginis interfuerant, certâ relatione didicisse. Summa autem narrationis hujus hæc est:* Christum per Angelum consuetum, is erat Gabriel, dormitionem suam ei prænuntiâsse, palmam ei misisse per eundem ex paradisi propagine, ad certitudinem victoriæ & incorruptibilitatis. De eadem palma habet & *Barthol. Pisanus de vita, ac laudibus B. Virginis. lib. 5. fructu 7.* Dominus in signum præfatorum, (videlicet consolationis futuræ & finem corruptionis carnis) & recreationis Virginis Matris ramum palmæ de paradiso eidem dirigit, fragrantiæ singularis & splendoris indicibilis, cujus aspectu recrearetur ad visum, & ejus odore, quoad olfactum reficeretur. *Joannes Episc. Thessalon. orat.*

orat. in dormit. SS. Virg. Deiparæ. Cùm igitur sacratissima & innocentissima Mater Domini & Dei nostri terram naturali fine esset relictura, ante tres dies venit ad eam Gabriel Angelus dicens: Maria, surge & accipe hanc palmam, quam dedit mihi ille, qui paradisum plantavit, & trade illam Apostolis, ut hanc tenentes hymnos canant ante te. De hac palma *Pelbartus Stellarij lib. 11. p. 5. a. 3. cap. 2. ex Cæsa Vestitore.* Palma verò illa nimia charitate splendebat, & erat quidem virgæ viriditati consimilis, sed folia ipsius ut stella matutina fulgebant: & ego fateor me vidisse apud quendam Comitem Regium particulam quandam, quæ dicebatur esse de illa palma, & pro certo erat fulgentissima ad modum micantis stellæ, quasi coloris argentei fulgentissimi, cujus intuitus devotionem ingerebat intuentibus.

Pergit S. *Sabbas* 18. *Augusti.* Porrò convocat Virgo cognatos, ac vicinos, & unà denuntiat, quid de sua in cœlos profectione, ex Dei mandatis ad se per Angelum delatis comperisset, inque suæ contestationis fidem, bravium Divinitùs missum ostendit, palmæ ramum videlicet. *Et* 15. *Augusti.* Mulieres intellecto Deiparæ abitum imminere, in tantam omninò complorationem erupêre, ut totæ in luctum lachrymasque diffluerent: at ubi paulùm à primo doloris ictu se collegerunt; mox, ut nè orbatæ à Matre sua relinquerentur, orare cœperunt. Tum Virgo non illas modò, sed omnem quoque orbem terrarum, ubi ad Deum migrâsset, clementi patrocinio suo protecturam affirmavit: simul alijs quibusdam fomentis solatio plenis vim illam doloris in pectoribus circumstantium mitigavit. Hæc Sancti verba recepit *Græca Ecclesia*, inter libros, qui publicè decantantur, etsi horum etiam aliqua contineat libellus apocryphus, quem non ob hæc, sed ob alias putidas fabellas *Baron. anno* 48. meritò rejicit, ut scripsit *P. Simon Uvagnerecius in pietate Græcorum.* Sed pergit S. *Sabbas ibidem.* Porrò de duabus tunicis suis negotium dedit, ut eæ duabus indigentibus viduis dono traderentur: quas quidem longâ consuetudine cognitas, alimentis quotidianis adjuverat. His ita compositis vehemens repentè tonitru aures percussit, simul ex omni parte terrarum ingens vis nubium præsto fuit, quæ discipulos Christi ad Deiparæ domum quasi quâdam conspiratione adduxerunt. Apparebat inter illos Dionysius quoq; Areopagita, Hierotheus atque Timotheus, ut Antistites intelligentiâ rerum Divinarum illustres; hi omnes cognito qua de causa in unum vi Divinâ collecti fuissent, ad hunc denique modum allocuti sunt Virginem. Te ô Domina hoc in mundo degentem adeò semper avidè vidimus, ut indè non minorem lætitiæ fructum caperemus, quàm si Magister ipse noster, ac Dominus versaretur nobiscum:

nunc

nunc verò tàm acerbum de tuo discessu dolorem, quo tandem pacto solabimur? Quandoquidem tamen ex Filij tui, Deique decreto ad regnum augustius mundo profectionem adornas: gaudemus de providentia Numinis, quam in rebus tuis gubernandis usurpat, simul inter loquendum lachrymas ubertim fundebant. Tum subjungit S. *Sabbas*. Ad rationem decori pertinebat, ut qui ministri ac spectatores Verbi Divini fuissent, etiam Matris, è qua illud incarnatum erat, obdormitionem præsentes inspicerent, velut ultimum (quod in ea peragendum erat,) Mysterium: quo scilicet, non modò Servatorem de terra in cœlum ascendentem coram spectarent: verùm etiam de Genitrice ejus ad Superos translata oculati existerent testes. Quapropter omnibus è locis vi quâdam Divinâ, per tot terrarum spatia transportati convenerunt in Syon, & deduxerunt quodammodò Virginem ad cœlum ingrediendum properantẽ. *Idem Ecclesia Romana legit in Breviario 18. Augusti lect. 6. quam fecit ex Damasc: suam orat. 2. de dormit. B. Virginis.* Ex antiqua accepimus traditione, quòd tempore gloriosæ dormitionis B. Virginis universi quidem sancti Apostoli, qui orbem terræ ad salutem gentium peragrabant, momento temporis in sublime elati convenerint Jerosolymis, & aderant tunc cum Apostolis sanctissimus Timotheus primus Episcopus Ephesiorum, & Dionysius Areopagita sicut ipse testatur, in his quæ de B. Hierotheo, (qui ipse quoque tunc aderat (scripsit, ad prædictum Timotheum sic dicens: Nam etiam apud ipsos à Deo afflatos sacrorum Antistites, quandò nos quoque ut nosti, & multi ex sanctis nostris Fratribus ad contuendum corpus, quod vitæ principium dedit, & Deum suscepit, convenissemus: aderat autem & Domini Frater Jacobus & Petrus suprema, & antiquissima Theologorum Summitas. In eundem sensum scriptum reliquit *Juvenalis Jerosolymorum Episcopus in hist. Euthymica lib. 3. cap. 40.* In sancta quidem & Divinitùs inspirata Scriptura, de decessu sanctæ Deiparæ Mariæ nihil traditur: ex antiqua autem & verissima accepimus traditione, quòd tempore ejus gloriosæ dormitionis, universi quidem sancti Apostoli, qui orbem terræ ad salutem gentium obibant, momento temporis in sublime sublati convenerunt Jerosolymis: tunc autem aderant cum Apostolis sanctissimus Timotheus Apostolus, & primus Episcopus &c.

Sed ipsum *S. Dionysium Areopagitam cap. 3. de Divinis nominibus* audiamus: Nam & apud ipsos Divino spiritu plenos Pontifices nostros, cùm & nos & plerique ex sanctis fratribus nostris ad contuendum corpus illud, quod Authorem vitæ Deumq; conceperat, convenissemus, aderat autẽ & Frater Domini Jacobus, & Petrus supremum Decus, & antiquissimum Theologorum Columen: ubi post in-

tuitum placuit, ut infinitè potentem Divinæ virtutis bonitatem Pontifices laudarent. *Laur. Miselli. 6. de B.V. c. l. 1.* ait. Beatam Virginem morti proximam sacras reliquias, quas apud se conservabat Joanni dedisse, ut fasciam Christi, sindonem Domini, zonam item, velum quod suo cultui dum nuberet deservijt, pectinem, annulum sponsalitium, coronam spineã, & sui capitis velum, capillos & lac uberum suorum. *Isidorus Thes: Salonicen:* ait, ingressam esse in sepulchro totam figuram purissimi illius corporis. Sed pergit *Ecclesia Græca loco citato ex Scriptore.* At verò illa (Virgo) consolans, ô Amici inquit, atque Discipuli Christi, qui meus est Filius, simul & Deus, nè quæso in luctum convertite lætitiam meam, sed potiùs corpus meum ita efferte, prout à me jam jam exspirante compositum cernetis. Hoc ejus sermone finito properavit Paulus ille Divinus: illud nimirum Vas electionis, prævenire morientem officio suo: nam ad Divinæ Matris pedes procumbens, eamque adorantium ritu veneratus, copiosis encomijs palàm affecit. Valè ajebat: ô Genitrix vitæ! valè primaria prædicationis meæ Materia, licet enim Christum in hac vita degentem non viderim, tamen tuus aspectus abundè eum mihi repræsentat. Quid verò alij Apostoli egerint dixerintq; *in Men. 14. Augst. ode 4. 5. 6. s. Joseph. Confess. aperit.* Domus illa, quâ comprehenditur omnia comprehendens, jam modò ad cœlos transitum facit, ipsa quoque cœlum existens. Cæterùm Apostoli velut alarum remigio in nubibus vecti, & tanquam Verbi Divini Aquilæ quædam altivolantes, uno repentè cætu, abituræ Virgini superverunt, quos tu ô Domina, veluti Filius Filij tui benedictione prosecuta es. At illi: Valè Thesaure exclamabant, in quo Divini fœderis Manna repositum fuit, valè ô Gloria Christianorum. Simul his dictis totus Apostolorum chorus tam subitò âfinibus terræ collectus in lacrymas solvitur, simul ingens admiratio, ac veluti extasis Mistas hosce Verbi Divini oppressit, dum ipsius vocis Genitricem mortuam & omni voce privatam aspiciunt. *Germ. Constantinop. orat. de dormit.* Lumen illud Hierosolymorum Apostoli accesserunt, ad te ô Deipara, sicut & Abacuc Propheta è partibus Osrhoenæ unius horæ spatio per nubes raptus &c. qui postquàm apud Virginem steterunt ait *Pelbartus Stellarij cap. 10. part. 5. art: 1.* in hunc modum salutârunt; Ave Dei Mater gratiâ plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. At ipsa: Avete Discipuli Unigeniti Filij mei. Sed Apostoli ut *Damasc. orat. 2. de Assumpt:* cum alijs fidelibus qui aderant. Mane nobiscum quæ es nostra Consolatio, quæ es nobis unicum in terra Solatium, nè nos relinquas orphanos, quæ es Mater misericordiæ: venientem in periculum habeamus te, laborum requiem, & sudorum refrigerationem. Tibi enim est ma-

nere

nere volenti potestas, in promptu est, & abire constituenti nemo est, qui impedimentum afferat. Si abis ô Dei Arca, unà quoque nobis qui populus tuus, ob Filium tuum vocati sumus, abire liceat. Tu sola nobis in terra Consolatio relicta es, & te vivente, simul vivere, & te moriente simul mori beatum est. Quid autem dicimus? tibi enim mors quoque ipsa vita est, at vita præstantior, atque hanc vitam incomparabiliter antecellens, nobis autem quæ tandem vita esse queat tua consuetudine orbatis? Tum S. Virgo *ut est apud Metaphr. orat. de vita & obitu B.M.* Vos valete Filij, meum autem discessum hinc, non luctu, sed lætitiâ potiùs prosequimini, quādoquidem vobis est persuasum, nos pergere ad gaudium, *vel ut apud Amed. raptu* 8. Ad Genitorem Genitrix pergo, à vobis Filioli hodie discedo corpore nunc vos dimitto, & animo non derelinquo, panem sanctum pariter frangamus, carnem Filij mei simul comedamus. Postquàm verò finita est sancta communio, dixit eadem Virgo: Ecce cibum accepistis, non esurietis, neq; sitietis, quousque me sepelietis, & in cœlum ascendere me videbitis. Meum corpus in medio vallis Josaphat sepelite. Benedicat vobis omnibus Deus Pater, benedicat vos Deus Filius, & benedicat vos Spiritus S. *Damasc. l. c.* Cùm autem ad excessum è vita properantem, ejus cupiditate flagrantem Dei Genitricem conspexissent Apostoli: tum denique ad ea, quæ ad exitum pertinent, sese converterunt: floridamque ei, ac multiplicem sanctorum hymnorum corollam texuerunt, Dei potentiam, sapientiam, bonitatem, in ipsa laudantes. *Pelbartus Stell. lib.* 10. *p.* 5. *a.* 1. *ex Cosma* putant quòd dixerint illam antiphonam. *AVe Regina cœlorum. Menæa* 15. *Aug. ex Anonymo in Vesperis minoribus.* Quàm tremendæ venerationis fuerunt hæc cantica, ô Virgo! quæ præsentârunt tibi, lectulum tuum per orbem circumstantes Apostoli! quippè admirabundi, hæc omninò verba cantârunt. Nunc à nobis proficiscitur Palatium Regis æterni, in altum quoque deportatur sanctificationis Arca. Elevamini jam portæ cœlorum, per vos enim ingreditur modò Numinis Porta cum gaudio, ad misericordiæ Divinæ magnitudinem pro mundo sine fine poscendam. Sed tamen ut scripsit S. *Joannes Damascenus receptus in Men.* 15. *Aug. ode* 5. Vas electionis (*Paulus*) super omnes collegas tum excelluit hymnis abeunti tibi canendis, ô Virgo! tunc quippe totus Paulus in hac re una erat absorptus, velut animo extra se rapto, totus in te laudanda Numini dedicatus, fervebat simul hoc in negotio afflatu Divinissimo præditus, & reverà tum fuit, & ab omnibus tum illic præsentibus, ut talis agnoscebatur.

Jam ergò *cum Græca Ecclesia ex S. Sabba* 14. *Augusti in Vesperis* canemus: Resonemus in cymbalis, & jubilemus in canticis festum excedentis è Vita Virginis,

cum præparatione quadam inchoantes, unaque sepulchralia cantica modulemur, cum gaudio vocibus sonoris utentes : quippe Genitrix Dei, & illa Virginis Arca, undique aurea nunc jam accingitur, ut à terrenis ad Cœlestia transeat, dum nimirum ad alterius vitæ claritatem Divinam transfertur. *Et quod ibid. ex eod. subdit,* Apostolorum chorus per inopinatum prodigium collectus est è finibus terræ, nam Dei super res omnes creatas dominantis, animata, & Regia Civitas proficiscitur jam nunc ad vitam meliorem festinat, ut nimirum Regina cum Filio suo gloriosas plaudat choreas concelebret: ad cujus modò exequias Divinâ voluptate refertas sociato cum superis legionibus plausu, itinerantium quæso hymnum cantate. Sacerdotum ô cœtus! unaque Reges, & Principes, cum agminibus Virginum, adeste nunc maturè populi, denique omnes concurrite, ut odam sepulchralem unanimi voce in cœlum mittatis, nam rerum omnium Domina paulò post animam suam in manus filij tradet, ad sempiternam in cœlos ædem translata. Tandem omnibus quæ aliorum curæ commendata volebat, *inquiunt Menæa* 15. *Aug.* expositis, denuò procumbit in lectum, & universa purissimi corporis membra, ad suæ modestiæ votum componit: addit subindè preces ad Deum pro felici statu mundi, proque pacifica vita mortalium: mox benedictionem adstantibus abundantem impertit, unaque spiritum suum in manus Filij Deique sui resignat. *Addit Niceph. hist. lib. 2. cap. 22.* Sub hæc vis lachrymarum ingens ex oculis profluit, orbitatem suam migratione illius complorantium quos suaviter consolans, unicuiq; quæ optaret precatur, benedictione omnes dignatur, & extremis illis vocibus valedicens, compellat, migrationemque suam non luctu eos, sed potiùs gaudio prosequi jubet, & quæ ad exequias sepulturamque ejus pertinerent, suaviter & lætè exponit. *Metaphrastes vero oratione supra citata.* Cùm rursus dixisset. Fiat mihi secundum verbum tuum; emittit tanquam in somno spiritum, & eam in amicis Filij manibus deponit, *quod ipsum SS. Virgo narravit Sanctæ Brigittæ lib. 4. Revel. cap. 23.* Ego quasi obdormivi in separatione animæ, & corporis, & evigilavi in gaudio perpetuo. Circa tēpus obdormitionis adnotat *Niceph. lib. 2. cap. 21.* Eo tempore quo Claudius quintum imperaret annū, & immaculatā Dei Matrem obire oportebat (quandoquidem & Filius ejus verum se hominem probans atque confirmans ad grandiorem expletæ senectutis ætatē non pervenit) undè sexagesimū illa agēs annū, nuntium à Filio per Angelum de migratione, & adventu ad sē, ejus, ita ut antea cùm ipse ad eam venturus fuerat, accipit: itaque migratione sua in hunc modum cognitâ, immensâ repletur lætitiâ. Quid enim dulcius ei, quàm ut cum Filio, & Rege suo esset, contingeret? *S. Meliton narrat*: Postquam Virgo obdormivit, cœperunt illud

illud sanctum corpus oculis venerari. Sed expressiùs *Damasc. de dormit. Virg.* Qui aderant metu, & desiderio, & lachrymis exultationis, Divinissimum & sanctissimum Tabernaculum circunsiltentes, complectebantur, osculabantur. *Et Metaphr.* Cùm in Orbem sanctum Virginis corpus circumdedisset Apostolorum chorus, & quidquid erat electum ex viris & mulieribus, omnia membra reverenter amplexabantur, non solùm suum ostendentes desiderium, sed vel ex tactu credentes percipere utilitatem.

Sed ad eundem locum Menæorum quem reliquimus redeamus. Tum verò quasi aperta miraculis Porta. Illuminari incipiunt cœci, audire surdi, rectis incedere gressibus claudi, ac denique genus omne morborum inopinatâ felicitate salvari, interhæc mira, psalmodiam educendo funeri aptam inchoat Petrus; & Apostolorum alij, Virginis lectulum portant in humeris, alij cum lampadibus, & hymnorum cantu præcedunt, ut corpus illud, quod Deus incoluit, cum pompa deducant, tunc certè, tunc & Angeli suas de cœlo voces dedêre, ordinumq; cœlestium modulis, aër id loci totus personuit. *Similia narrat Latina Ecclesia loco citato.* Viso sacro corpore, placuit omnibus, prout (ex collectis Divinitùs) quisque poterat, hymnis celebrare infinitam potentiæ Divinæ bonitatem. *Et paulo ante.* Audita est psalmodia cœlestium potestatum, & sic cum Divina gloria in manus Dei suam tradidit animam: ejus autem Corpus quod Deum ineffabili quâdam ratione suscepit, cum Angelica, & Apostolica hymnodia elatum. Meminit & facum ab Apostolis deportatarum. *Nicephorus hist. cap. 22.* Sed *Græcam* rursus audiamus 15. *Augusti.* Quibus omnino signis irritati Judæorum Principes, concitârunt quosdam de plebe, ut lecticam, in qua corpus, origo ipsius vitæ quondam jacebat, evertere, humiq; affligere conarentur: at verò Numinis vindicta sacrilegas audacium manus prævertit, omnesque tanto facinori perpetrando intentos, oculorum cœcitate multavit, unum autem istorum summâ furentem insaniâ, & jam ipsas sacrosancto lectulo manus injicientem, dextrâ non minus, quàm sinistrâ privavit, quas tantæ insolentiæ conscias, per ultionis Divinæ gladium suo sibi malo reus ipso momento abscissas, deque feretro suspensas reliquit, miserabile cunctis spectaculum factus, quoad toto corde Religionem Christianam amplexus, impetrato tanti mali remedio, integritati pristinæ redditus fuit. Sic & reliquis cæcitate percussis, ubi post fidem Christi susceptam, pars pallij quo tegebatur lectica admota fuisset, repentino Virginis dono, antiqua incolumitas redit. *Menæa. 15. Augusti ex S. Sabba hæc subjiciunt.* Tum ô rem miram! & omni expectationi hominum contrariam! Virgo, Fons vitæ, reponitur in tumulo: cæterùm eminentissimæ cœlo-

rum virtutes, cum Domino suo in terras delapsæ, illud Dei hospitio nobile & contaminatissimum corpus susceperunt, deducendum ad cœlos: illudque reverenti singulari portantes, summa cum magnificentia, iter fecerunt; & ad residuos supra cœlitum ordines, in hos identidem modulos ora laxârunt. Jam tandem illa omnium nostrûm Regina, quæ est singularis Dei Filia, in cœlum adventat. Attollite portas, atq; istam Luminis æterni Genitricem admittite: per hanc enim Dominus noster omnigena mortalium Salus nasci voluit, in quem ipsum nemo se nobis obtutum defigere valet, & hujus Matri dignas ut grates referamus, fieri non potest: ejus enim meritorum excessus, omnem creatam cogitandi facultatem longissimè superat. Atque hic jure meretur locum monitum *Eckij hom. 4. de Assumpt.* Non igitur pingi illa debet habitu & facie ægrotantis decumbens, sed ita sicut inter manus Apostolorum tradidit spiritum. *Elichtovius vero addit lib. de Assumpt. ejusdem cap. 6.* Quin potiùs crediderim tam sanctam Virginem, tunc admirandâ perfusam dulcedine spiritûs, & gaudio inenarrabili sanctissimum sum spiritum Deo reddidisse inter psalmos, & cantica adstantium spiritualia Apostolorum, inter harmonias, laudes, & cantus cœlestium spirituum, neque eandem decubuisse lecto, more ægrotantium, & qui morbo pressi hanc claudunt vitam putem; cùm neque infirmitate vexata credi potiùs debeat, neque debilitate prostrata. Similia habet *Molanus lib. 3. hist. sacrarum Imaginum cap. 32.*

Sed hic cum *Græca Ecclesia 14. Augusti ex Anonymo* exclamemus. *O* novam peregrinationem miraculi planè monstrosi! nam quomodò vitam parturiens Virgo sustinet mortem, tumuloque reconditur? nihilo seriùs universa terrigenarum multitudo per choros exultet, nunc enim quilibet recogitet animo, istum omnino Virginis lectulum choris Apostolorum circumdatum, qui proficiscentibus solito plausu beatum Virgini egressum gratulantur. Exclamemus & cum *S. Josepho Confessore 14. Augusti, ode 1. & 3.* Salve ô ad ipsos usque fines terræ vitam omnibus per tuam obdormitionem largita! Quippe cœlum & terra propter translitum hunc tuum lætantur, quia inexpectatum conjunctionis mutuæ vinculum, per tua in cœlis patrocinia consequuntur. Tu quoque ipsa perfectionem istam magnis gressibus accelerabas, ut tantò citiùs glorioso nunc Filij tui pulchritudinem cerneres, atque mirâ ejus amœnitate fruereris. *At vero idem S. Joseph 14. Aug. ode 3. & 6. dixerat.* Cùm te è terris avectam susciperent Angeli, miris accesserunt lætitijs: & quæ nam ista, inquirebant, quæ ascendit è convallibus mundi? quæ nam hæc tam incognita nobis deductio pompæ, quæ de terra in cœlum usque procedit? quàm est immensum illud mysterium, quod intuemur nunc jam!

jam? nimirum ascendit modò nostra omnium Regina, Decus & Domina. In Diurno Græcorum inventam vocem *Panagia*, *Grets. in Curopal.* cùm exponit, refert illam ad Virginem quam tertio post obitum die, visam ab Apostolis meminit. In quam rem facit *Horologium Græcorum*, quod in hunc sensũ ait. Apostoli post Christi resurrectionem mensâ communi uti soliti, relinquebant locum vacuum pro Christo, & partem panis, quam mox frangebant, ac singulis distribuebant, idem faciebant Christo incœlum digresso, additâ prece: Domine Jesu Christe adjuva nos. Idem continuârunt defunctâ Virgine, & ecce die tertia dum idem faciunt Virgo illis inter lucidissimas nubes apparet, & salutat: *Avete, ego vobiscum sum omnibus diebus.* Respondent Apostoli *Panagia* (hoc est omni modo sancta) *adjuva nos Deipara.* Deinde ad sepulchrum Deiparæ digressi, corpus ampliùs non invenerunt. Quos hymnos Virgini cecinerint Apostoli difficile est assequi, eos tamen in hunc sensum proponit *Andr. Cret. orat. 2. de dormit* B. V. Hæc est Finis testamentorum, quæ fecit Deus: hæc est Declaratio occultorum ac profundorum Divinæ incomprehensibilitatis, hæc est Scopus, qui excogitatus fuit ante sæcula, hæc est Summa Divinorum oraculorum, hæc est ineffabile, & quod planè cognosci non potest ejus quæ est ante principium curationis hominum Consilium, Primitiæ communionis & conjunctionis, omnium Genitoris Dei cum suo figmento, hæc est Divinarum reconciliationum, quæ pignore dato fit fidejussio, eximia Pulchritudo, à Deo sculpta Statua, rectè descripta Divini Archetypi Imago, totius contemplationis, & ascensûs Sustentaculum, sanctissimi Verbi omnium Creatoris Tabernaculum, quæ Deum suscepit, Sapientiæ, quæ non potest exinaniri, Crater, vitæ cui nihil potest auferri, Penarium, Fons qui non potest exhauriri Divinarum illuminationum, Potentia quæ nequit labefactari, quatenùs nequaquam vincebatur ab animi perturbationibus, ut quæ erat puritate omnibus superior, per hanc fuêre nobis data pignora salutis &c. O Filia Adam! O Mater Dei! ô Mater sine viro! & Virgo quæ Filium paris, ô Opus ejus qui in te factus est temporaliter! & non excessit à sua æternitate, de te resonârunt omnes Spiritus S. Interpretes &c. Quod nã sepulchrum te teget? quæ nam terra te accipiet? quæ cœli & cœlorum naturam superâsti sanctitate? Tu verè es, quæ es revera pulchra, & macula non est in te &c. Tu es nova Theca vngventi, quòd minimè exinanitur, tu es olei vnctionis Exultatio, tu es aromatum quæ intelligentiâ apprehenduntur, Suffitus, tu es Flos incorruptionis, Terra quæ fert aromata, Lucerna luminosa &c. Prosequamur reliqua *cum Ecclesia orientali, ex* S. *Sabba* 15. *Augusti*. Cæterùm Apostoli pompâ funeris ad locum Gethsemani dictum, perductâ, illud mortuum corpus, è quo Vita

progenita:

progenita fuit, humârunt id loci, triduoq; ibi hæserunt, assiduis canentium, eò loci, Angelorum delitijs audiendis defixi. Quoniam verò dispositione Divinâ de Apostolorum collegio vnus ab ipso funere âbsens, tertio primùm die adveniens ægro ille animo tulit, cœpitq; pudore suffundi, quòd non eâdem tanti spectaculi felicitate, vt cæteri sui collegæ, potitus fuisset: quarè alii nè carissimi sodalis desiderium videretur negligere, Virginale sepulchrum consensu aperiunt, vt loci scilicet, hujus sacratissimi, & omnium intaminatissimi Tabernaculi, piè adorandi copiam facerent: sed illos vel primus monumenti retecti conspectus, in extasim propè conjecit; nam ablato Virginis corpore, nihil nisi sindonem conspexerunt, quæ simul & solatio foret, in tanti thesauri jactura, & Virginei corporis ad cœlos translati certissimo apud omnes Christianos argumento: nam & nunc excisum illud in petra sepulchrum, magna cum veneratione spectatur, quod in gloriam, & honorem Dominæ nostræ, & super omnes creaturas benedictæ, indieq; vacuum spectatur

Eadem habet & latina Ecclesia in suo Breviario infrà Octav. Assumpt. Ejus corpus in loculo fuit depositum Gethsemani; quo loco Angelorum cantus mansit tres dies continuos: post tres autem dies Angelico cantu cessante, qui aderant Apostoli (cùm vnus Thomas qui âbfuerat post tertium diem venisset, & quod Deum susceperat corpus adorare voluisset) tumulum aperuerunt, sed ex omni parte corpus ejus sacrum nequaquàm invenire potuerunt; cùm ea autem tantùm inveniissent, in quibus fuerat compositum, & ineffabili, qui ex ijs proficiscebatur odore essent repleti, loculum clauserunt. Ejus mysterij obstupefacti miraculo, hoc solum cogitare potuerunt, quòd cui placuit ex Maria Virgine carnem sumere, & hominem fieri, & nasci cùm Deus esset Verbum, & Dominus gloriæ quique post partum, ejus incorruptam servavit Virginitatem, eidem etiam placuit, & ipsius, postquam migravit immaculatum corpus, incorruptum servatum, translatione honorare, ante communem, & universalem Resurrectionem. *Et Lect. 5. in festo.* Non in terram reversa est, sed cùm esset animatum Cœlum in cœlestibus tabernaculis collocatur, cedit legi latæ ab eo quem genuit, vt Filia veteris Adam, veterem subijt sententiam: vt autem Dei viventis Mater ad illam ipsum dignè assumitur. *Et versiculo ante Evangelium ibid.* Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum in quo Rex Regum stellato sedet solio. *Damasc. vid. 1. de Dormit B. V.* Incorruptionem ejus post mortem ita adstruit: Cujus in partu incolumis Virginitas mansit, eâdem è vita migrante corpus ita conservatum est, & non dissolutum, sed ad præstantiorem, & Diviniorem vitam, quæque jam

morte

morte non interrumpitur, verùm in infinita sæculorum sæcula perduret, translatum est. Accinamus jam hic verbis quæ *S. Joseph Confes. 2. Jul. od. 8. & 9.* reliquit. Sacro reliquiarum tuarum contactu indignos famulos tuos non omninò privandos putâsti, ô Virgo! nam loco vivifici corporis tui, vestimenta saltem tua omnibus veneranda, mirificè reliquisti: jamque in istis religiosè colendis, tanti se nobis gaudij collegas ostendunt virtutum omnes cœlestium chori, Prophetæ item, ac Martyres, universa denique Sanctorum multitudo, atque justorum. *Et 15. Aug. ode 7.* Tumulus ille Divinus corpore tuo quidem vacuus manet, miraculorum tamen gratiâ scatet: nam medicinarum nobis flumina pandit, malorum autem torrentes suffocat.

Convocemus ad hanc celebritatem *cum S. Theophane in Men. 15. Aug. in majoribus Vesperis* universos. Adeste totam celebritatem istam colentium multitudo, adeste ut nobiscum sacra instituatis tripudia, adeste ut sertis canticorum coronemus Ecclesiam, propter Arcam Dei in æterna tandem sede collocatam. Jam omne cœlum totos expandit sinus ad excipiendâ Puerperam capacem Dei omnibus hucusque cœlis incomprehensi: sed terra hunc vitæ restituens Fontem Deo, benedictione velut amictu, tota contegitur; item Angeli cum Apostolis in unum chorum collecti, oculis sacrâ veneratione defixis intuentur transeuntem de vita in vitam, Matrem illius, qui Auctor est vitæ. *Admiratur hic Romana Ecclesia in Respons. lect. 3. Noctur. 1. de hoc festo.* Quæ est ista quæ processit sicut sol, & formosa tanquam Jerusalem? viderunt eam Filiæ Syon & beatam dixerunt, & Reginæ laudaverunt eam, & sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. *Lect. vero 4. de festo hoc pompam Assumptionis in hunc modum describit,* David exultat ejus Parens, & cum eo choros ducunt Angeli, celebrant Archangeli, Virtutes glorificant. Principatus exultant, Potestates collætantur, gaudent Dominationes, Throni festum diem agunt, laudant Cherubim, gloriam ejus prædicant Seraphim. *Et die 5. infra Octav. lect. 5. ex S. Bernardo serm. 1. de Assumpt.* Sed illud quis cogitare sufficiat quàm gloriosa hodie Regina mundi processerit, & quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium legionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta? quàm placido vultu, quàm serenâ facie: quàm Divinis amplexibus susceptа sit à Filio & super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit cum ea gloria quæ tantum Filium decuit? *Sed hic quiddam mirum accidit, si Amædeo fidem damus, rapta* 8. E sepulchro ad Apostolos regressa S. Virginis anima, Apostolis sole fulgentior comparuit, eosque allocuta. Ubi multa more suo *Amædeus* ostensa

sibi, & à se audita narrat. Sed hanc ipsam Virginis apparitionem *ex Græcorum Horologio* describit *Laur. Lantmeter lib. 2. cap. 46.* Post Christi resurrectionem ac Spiritûs S. descensum, Apostoli vivebant in commune, hi dabant locum vacuum in mensa Christo, eamque sternebant, ac fragmentum panis apponebant: hoc idem cùm fecissent post mortem S. Virginis, Christo panem seponendo, quæ mortua fuerat viventis instar nubibus & lucidissimis choris circumdata in sublimi apparebat. Ave, inquiens ego vobiscum sum omnibus diebus. Apostoli autem miraculo obstupefacti, (*loco ejus Domine JEsu Christe* Orationis consuetæ) exclamant *Panagia* suavissima Deipara adjuva nos. Oremus Virginem. *cum Græca Ecclesia voce S. Sabbæ 15. ante matutinas.* Cùm ad quietem æternam transires, à te mundus tamen desertus non est, quippe tuis apud DEUM patrocinijs nostris nihilominùs animas liberare non desinis: proindè nobis suppedita vires, ut ab omni posthac jejunemus nequitia. Miremur cum *S. Damasceno 15. Aug. ode. 8. &* O ingentia Deiparæ miracula, quorum magnitudinem nullius ingenij acies penetrat! quippe Dei Mater sepulta, paradisum fecit ex sepulchro. Venite Christiani, ac simul omnes ad Virginis tumulum curramus, illudque monumentum omni pietate complexi, ejusdem contactu corda nostra, labia, frontem, oculos, affectu sincero teramus: sicque hauriemus inde abundantes gratiarum ac remediorum divitias ex Maria, ut scaturigine sempiterna manantes.

Sed cujus Verbis sumus exorsi ejusdem claudamus narrationem. *S. Bernardum in Breviario Romano in Octavam Assumpt. lect. 6.* Ecce jam quibus potuimus votis ascendentem te ad Filium deduximus, & prosecuti sumus, saltem à longe Virgo Benedicta. Sit pietatis tuæ ipsam, quam apud Deum gratiam invenisti notam facere mundo: reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die solemnitatis, & lætitiæ, dulcissimum Mariæ nomen invocantibus servulis, per te Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur JEsus Christus, Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula Amen.

9. Quia non solùm ipsa est in cœlo coronata, sed etiam ex nobis coronam sibi fecit.

Ecclesia Romana in Vigilia Assumptionis orat in Missa. Munera nostra Domine apud tuam clementiam Dei Genitricis commendet oratio, quam idcircò de præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.

Bernard.

Bernard. ſerm.1. de Aſſumpt. Advocatam præmiſit (in cœlos) peregrinatio noſtra, quæ tanquam Judicis Mater miſericordiæ ſimpliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit. *Ergo cum Anſelm. de excell. Virg. cap.12.* Cur non juvabis nos peccatores, quandò propter nos in tantam celſitudinem es levata. *Andr. Cret. orat. de Aſſumpt.* Ex quo translata es à terra, te univerſus mundus continet Propitiatorium. Videtur alludere ad veterem arcam, ſupra quam propitiatorium collocatum erat. De ſua Eſthere dixit Mardochæus cap. 4. *Quis novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris? Abſalon Abbas ſerm. 41.* Illa ſedet Regina beatorum Spirituum, & Mediatrix peccatorum ſemper interpellans pro nobis. *Amed. hom. 8.* Ex quo cœlos cum Filio ſuo regnatura conſcendit, induta decore, induta pariter fortitudine præcinxit ſe mirabiles elationes maris ſolo nutu compeſcitura. Undè ſpe ingenti concepta ſic Virginē alloquitur *Damiani ſerm. 2. Nativ. Virg.* Nunquid quia Deificata ideo noſtræ ſalutis oblita es? nequaquam Domina, ſcis in quo nos diſcrimine reliqueris: ubi jaceant, quantùm deliquerint ſervi tui, neque enim ita es impaſsibilis, ut ſis incompaſsibilis. *Juvenalis Jeroſol. ut refert Glycas 3. parte annaliū:* poſtquā comparâſſet Virginem cum Arca, & Chriſti Reſurrectionem deſcripſiſſet applicat verba Pſalmi: *Surge Domine, tu & Arca ſanctificationis tuæ,* & ait. Nam quia David norat eam, quæ Chriſtum utero geſtâſſet, ac illam ipſam ob cauſam, Arca ſanctitatis eſſet, ac nuncuparetur, eodem pacto reſurrecturam è ſepulchro, quo & natus ex ipſa Dei Filius: idcirco utriusque reſuſcitationem expreſsit. Undè Chriſtus aſcendit, ut Mediator aſsiſtat lateri Patris, & ipſa Mediatrix, ut oret aſſumpta. *Bernard. ſerm. 1. de Aſſumpt.* Aſcendens in altum dabit ipſa quoque dona hominibus. Quid ni daret? ſiquidem nec facultas illi deeſſe poterit, nec voluntas. *Bonav. ſpec. c. 8.* Magna fuit erga miſeros, ejus miſericordia nondum regnantis in cœlo: majorem per beneficia innumerabilia nunc oſtendit hominibus miſericordiam, quia magis nunc videt hominum miſeriam, præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut illis prior ſe oſtendat. *Beda tom. 7. ſerm. de S. Maria.*

Hodie fratres chariſsimi celebramus feſtivitatem Mariæ, quæ hodie translata eſt de mundo in cœlum, ut pro nobis oret filium, quia mundus deletus eſſet, niſi per preces S. Mariæ ſuſtineretur. *Rupert. in Cant. lib. 6.* Quandò de hoc mundo aſſumpta, atque ad æthereum thalamum translata es tunc tu, & ex tunc electa ut ſol, electa inquam nobis: quia ſicut ex te natum Dei Filium, Solem verum æternum adoramus, & colimus ut Deum verum, ſic & te honoramus, atque veneramur ut Dei Genitricem: quia nimirum undè ut ſol in terras, ita illa per ſuas preces influxus ſalvificos demittit. *Petrus Damiani ſerm. de Aſſumpt.* Electa ut ſol. Quoniam ſol lucidius incandeſcens, ita ſibi ſiderum & lunæ rapit poſitionem, ut ſint quaſi non ſint, & videri non poſsint: ſimiliter & Virga Jeſſe veri

prævia luminis, in illa inaccessibili luce prælucens, sic utrorumque spiritum habebat dignitatem, ut sint quasi non sint, & comparatione illius nec possint, nec debeant apparere.

Bernardinus tom.1. serm.16. art.3. cap.3. Adamavit Rex Deus super omnes mulieres, & posuit diadema regni super caput ejus (*alluditur ad Esther 2.*) & voluit eam esse Reginam, istud est diadema speciei, & gloriæ corona, quâ Virgo super Angelos coronatur, ut intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit evecta, ac plus SS. Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat, ac fruatur, quàm omnis alia pura creatura simul sumpta, de cujus gloria post Filium participiant universi. *Et paulo post.* Tantum differt gloria Virginis à gloria omnium B.B. quantum sol à cæteris luminibus cœli, & quodammodò sicut cætera luminaria irradiantur à sole, sic tota cœlestis curia à gloriosa Virgine lætificatur. *Et cap.8.* Quidquid est gloriæ in omni inferiore glorificata natura, tam Angelica, quàm humana, multò præcellentius esse in Virgine Matre. *S.Bonav. spec. cap.8.* Benedicta Filia priorem misericordiam, posteriore superâsti. Magna fuit erga miseros misericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo, sed multò major erga miseros est misericordia ejus jam regnantis in cœlo: majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam. Vidè pro splendore prioris misericordiæ fuit Maria pulchra ut Luna: pro splendore verò posterioris misericordiæ est electa ut Sol, nam quemadmodùm sol lunam superat magnitudine splendoris, sic priorem Mariæ misericordiam superat magnitudo posterioris. Quis est super quem non luceat? Quis est super quem misericordia Matris non resplendeat. *Gerson. in Magnificat citatus à Raulino tom.2. serm. de SS.45.* Piè creditur Dei privilegio in Virginis Assumptione evacuatum esse purgatorium, dum enim Princeps coronatur, aperiuntur carceres, quantò magis in coronatione Deiparæ. Sed quæ sit corona Virginis, decet investigare. *Paulus* olim suos Discipulos coronam suam dicebat: Sponsus autem Virginis coronam agnoscit esse nos peccatores Cantic.4. *Veni de libano Sponsa mea, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum. Rupert. lib. 3. in Cant.* Undè coronaberis? de capite Amana, quod interpretatur nocturna avis, de vertice Sanir quod interpretatur dens vigiliarum, & Hermon, quod interpretatur Anathema, venies de libano, quod interpretatur candidatio, id est de corpore isto migrabis, corpore candido, corpore Virgineo, & coronaberis de omnibus his, id est de corpore, vel membris illius, quæ nominibus istis rectè denotantur, de regnis mundi hujus: regna namque mundi hujus

quædam

quædam capita, vel quidam vertices rectè dicuntur nocturnæ avis, & dentis vigiliarum, & verè anathematizati diaboli, qui cùm sit Princeps tenebrarum, & tanquam leo circumeat quærens quem devoret; rectè & nocturna avis: & dens vigiliarum dicitur. *Et rursus.* Coronabitur, quia credent gentes in Fructum ventris sui, & eorum credentium salus, Corona Virginis erit. *Richard. à S. Laur. lib.* 12. Ideò dicitur ipsa coronari de cubilibus Leonum, *Cant.* 4. Leones isti sunt dæmones, quorum cubilia sunt peccatores, pro quibus orat assiduè. Vel certè id quod *Apoc.* 12. de muliere habente in capite coronam duodecim stellarum: sicut DEus Abrahæ promisit ejus prolem ut stellas cœli fore, sive etiam stellas duodecim signorum Zodiaci, quæ sunt symbola variarum virtutum. *Amedeus Lausanens. hom. 6. de laud. Mariæ.* Vallata Sanctorum liliis Redemptoris Mater, aptissimè hunc illi congruentem poterit proferre sermonem: Gaudium meum, & Corona mea omnes vos estis, acquisiti sanguine meo, & carne sumpta de carne mea.

MONITUM
Ad Cultorem Virginis.

ID non meis verbis, sed uti cœtera ut majus habeant pondus verbis Doctorum formabo. Itaque *Richardus à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg.* ita monet. Debent quantum possunt (*Virginem*) in virtutibus imitari, & saltem à longè currere in odorem unguentorum ejus, quia sicut dicit Authoritas *Greg. hom.* 18. *in Evang.* Venerari Sanctos, & non imitari: nihil est aliud, quàm mendaciter adulari: Virgini siquidem multò magis placet devotus imitator, quàm laudator otiosus: & vera laudatio cordis, & oris, imitatio operis est, & tunc veri laudatores Sanctorum existimus, si ea sectemur, quæ & ipsi sectati sunt. Igitur dilectissimi amate quam colitis, & colite quam amatis, quia tunc verè eam amatis, & colitis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis. *Jmo Chrysost. in cap.* 24. *Matth.* Quæ est ista Justitia sanctos colere, & sanctitatem contemnere? Primus gradus est pietatis, sanctitatem diligere, postea sanctos, quia non sancti ante sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante eos. *Jdeo Greg. lib.* 11. *Epist.* 47. Pone finem in voluntate peccandi, & invenies Mariam, indubitanter promitto, promptiorem carnali Matre, ac mitiorem in tui dilectione. D. *Damasc. de Assumpt. B. V. orat.* 2. Curemus ut mentem, memoriamque nostram Genitricis DEI promptuarium efficiamus. Quonam autem modo id assequemur? Et Virgo ipsa est: & Virginum amans,

pura est: & purorum amans: quocirca si & corporis & animi castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur, siquidem omne lutum fugit, ac cœnosas affectiones aversatur, ingluviem execratur, fœdissimæ fornicationis vitijs infesta est, hujus impuras & sceleſtas cogitationes non secùs ac viperarum fœtus fugit, sermones fœdos ac scurriles propellit, cantusque ac meretricia unguenta submovet, iræ tumorem odio habet: inhumanitatem & invidiam, ac simultates non admittit, inanem gloriam vanis laboribus se frangentem, rejicit, superbiæ fœtui animo hostili resistit: injuriarum memoriam tanquã salutis hostem odio sectatur, vitium denique omne, tanquam lethale venenum, execrationi habet. Horum autem contrarijs delectatur: contraria enim contrariorum medicamenta sunt. Jejunio & parsimoniâ, psalmorumque cantibus gaudet, cum puritate ac Virginitate, ac pudicitia pulchrè illi convenit, sempiternamque pacem cum illis colit, easque humanè, & comiter exosculatur, pacem animique lenitatem complectitur, charitatem & misericordiam, atque humilitatem, tanquam alumnas suas fovet, atque ut breviter perstringam, quolibet vitio offenditur, ac discruciatur, quâlibet autem virtute ut peculiari nota sua lætatur & exultat: quamobrem si vitia prompto ac alacri animo vitemus, virtutes autem omni studio atque amore complectamur, easque socias adhibeamus, frequens ipsa ad famulos suos veniet, ac secum omnium bonorum agmen trahet, Christum Filium suum, omniumque Regem ac Dominum in cordibus nostris habitantem assumet, cui gloria, honor, robur, majestas, & magnificentia cum Patre principij experte, ac Sanctissimo Spiritu, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum Amen.

Bernard. super Salve. Agnoscit Virgo & diligit, diligentes se, & propè est in veritate invocantibus se, præsertim hos quos videt conformes sibi factos in castitate, & humilitate si totam spem suam in ea post Filium suum posuerint, et toto corde quæsierint. *Honorius Augustonensis in Sigillo Mariæ cap.* 4. Collum Virginis sunt de ea scribentes, qui quasi collum cibum verba Dei deglutiunt, & in alios quasi in corpus transmittunt. Labia Virginis sunt, qui de ea secreta Dei aperiunt, qui ut favus distillant, quia omnes sermones de ea dulcedine distillant. Lingua Virginis dicuntur, qui ejus præconia loquuntur, de quibus mel & lac manat, quia eorum doctrina sapientes & insipientes satiat. *S. Bonav. Stim. Div. cap.* 7. Ipsam Matrem Dei tanquam bonus & devotus Filius in omnibus pro posse studeas imitari, tunc enim proculdubio te sibi tanquam Matri veraciter exhibebis, & ipsa te tanquam suum Filium veraciter adiuvabit & quæ dignè ab ea petieris, tibi dabit, & in omnibus tibi necessarijs ad salutem simpliciter ministrabit, & tandem

tandem in cœlesti gloria te apud se feliciter collocabit. *Sophron. inter opera S. Hieron: serm. de Assumpt.* Dilectissimi amate Mariam, quam colitis, colite quam amatis, quia tunc verè colitis & amatis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis. *Bernard. hom. super Missus* 2. Ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras ejus conversationis exemplum. *Et hom.* 1. Si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, æmulemini modestiam ejus. *S. Ildefonsus serm.* 1. *de Assumpt.* Imitemini Matrem Virginem, & Sanctos omnes, quos laudatis, quoniam non tantùm illis prodest nostra laudatio, quantum nobis eorum imitatio, undè Sponso magis placet imitator devotus, quàm otiosus laudator, vera laudatio cordis est imitatio operis. *Anonymus in Biblioth. Vaticana num.* 305. Debent, qui dignè cupiunt ministrare B. Virgini, ipsam quantum possunt in virtutibus imitari, & saltem à longè currere in odorem unguentorum ejus, quia sicut dicit Authoritas: Venerari Sanctos & non imitari, nihil est aliud quàm mendaciter adulari. Quocirca *S. Bonav. Epist.* 25. Ut tua devotio sit B. Virgini accepta, & reverentia grata, ipsius puritatem, & munditiam, omni virtute, mente, & corpore illibatè in te ipso servando, toto conatu nitaris humilitate & mansuetudine ejus vestigia imitari. *S. Germ. orat. de zona.* Illis delectatur Virgo ab omni penitùs macula aliena, qui virtutibus & secundum Deum vitæ pio instituto renovantur. *Dion. Carthus. serm.* 5. *in Concept.* B. V. Ut purissimæ Virgini complaceamus, omni carnalitati, fœditati, impuritati renunciemus, atque quotidie magis ac magis mundi, casti, ac spirituales esse condignè nitamur. *Ut est in Menologio Cistercienstum.* Apparuit B. Gulielmæ S. Virgo, cum hoc monito: Quando me salutas Angelica Salutatione, noli, si vis mihi placere, & magis tibi proficere, amodò illam Salutationem tam citò proferre. *B. Eustochia Messanensis*, ita in ejus vita scripsit *Cæsar Lanza*, fuit à sua matre edocta, quinquies recitare Salutationem Angelicam, quodam die pensi hujus oblita, ab eadem Sanctissima levi fuit alapâ percussa, & de omissa precatione correpta. Levia hæc nobis viderentur, sed Sanctæ Virgini tanta ut non indignum judicaverit, propter illa de cœlo descendisse.

EPILO-

EPILOGUS OPERIS.

OS ego aperiens, Intemerata ô Domina, tuas modulari laudes promiseram, quia genuisti Sapientiam à se ipsa subsistentem, verùm quoniam immundus ego, te omnium intaminatissimam, hymnis ut par foret, nequeo prædicare; unde perficiendo conatui meo auxilium tuum imploro, cum S. *Sophronio Patriarch. Mon.* 18. *Jan. ode* 1. Fateor cum *Theophane* 16. *Jan. ode* 1. lectissimæ puritatis tuæ innocentem normam vivendi inquinatus ego, & minimè purus nequeo ritè hymnis colere, ô nunquam nuptialem thorum experta! quare in conflatoria fornace Spiritûs S. expurgandum me cura, ut tuis laudibus aptior fiam. Cum *Joanne Euchaita* 30. *Jan. ode* 9. Maximarum laudum tuarum potentissimus carnem me in angustias redigit ô Domina! & orationem meam ubertate rerum dicendarum suffocat: sicque mihi præter omnem modum, & morem, ipsa paupertas et abundantia nascitur. Sed ut S. *Germ. Patriar. Orat. de dormit. B.V.* Quemadmodum gutta nihil mari adjicit, ita nemo tuarum celsitudinem laudum satis extollet. *Eccles. Græca in Men. 6. Apr.* Animatus vi gratiæ tuæ, quas ego laudes modulabar, ea medullitùs tibi maxima cum voluntate mea sacravi, quarè istud jam munus dignanter accepta, mihique vicissim repone multiplicem gratiæ tuæ lucem, quam tu ô virgo ex thesauris immortalibus promis, ut quam summâ Deus inter omnes sanctitate donavit. *Et cum eadem* 12. *Maij.* Fateor libens, & profiteor, quòd omnes Rhetorum leges ad ritè laudandum inventæ, magnitudine gloriæ tuæ vincuntur ô Genitrix Dei! nihilominùs clementer accepta, quas tibi deferimus laudes, stimuli ad te laudandam indigni, sed bonâ tamen voluntate permoti. *Sed contingit idem quod Anselm. orat. ad Mariam.* O nimis exaltata, quam sequi conatur affectus animæ meæ: quò aufugis aciem mentis meæ, ô pulchra ad intuendum! amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quò evadis capacitatem cordis mei! *Bernard. serm.* 4. *de Assumpt.* Sed de ejus Virginis gloria nec silere devotio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut inerudita potest locutio parturire. *Anselm. lib de excell. Virg. cap.* 2. Ea quæ incunctanter de B. Virg. vera existunt, tanta laudis materiâ sunt referta, ut quicunque in laudando eam vult morari, necesse est ut facultas ejus magnitudini rei succumbat. *Petrus Damiani serm. de Nativit. B.V.* Quia impar est illi omnis humanæ linguæ præconium. Imò *Damasc. orat.* 1. *de Assumpt:* Eam non hominum lingua, non mundo sublimior Angelorum mens, sat dignis laudibus efferre potest. Undè bene *Basil. Seleuc. orat. de Annunt. B.V.* Qui omnia illustria & gloriosa dixerit, nusquam is à veritatis scopo aberrabit. Attamen dignitatis magnitudinem nullâ unquam oratione æquabit,

æquabit. Sed tamen ut *Damasc. proximè l. c.* Quid ergo? an quia eam pro dignitate minimè laudare possumus, idcircò metu reprehensi conticescemus? minimè sanè: quin potiùs temperatâ metu cupiditate, contextâque unâ & utrâque corollâ, cũ sacra reverentia, tremente manu, ac cupido animo viles ingenij nostri primitias, Regiæ Matri de universa natura benemeritæ, candidoque animo tanquam debitum quoddam persolvemus. *August. in Magnif. tom. 9.* Audacter pronuncio, quòd nec ipsa plane explicare potuit, quod capere potuit. *Andr. Cret. orat. 1. de dormit. V. Mariæ.* Quam Dei tantum est laudare pro dignitate. *Epiph. serm. de laudib. Deip.* Exili voce sum, tardâque linguâ, & minimè disertus, ut sic verba facere possim de percelebri, sancta & Deipara Virgine Maria, de qua leviter non debet loqui lingua humana.

Terret quidem quod *Bernard. serm. supra Missus* dixit: Licet de Maria loquigestiant omnes, tamen quidquid dicitur, de indicibili, eò ipso quòd dici potuit, minùs gratum est, minùs placet, minùs acceptatur, quænam etenim poterit lingua, etiamsi Angelica sit, dignis extollere laudibus V. Matrem, non cujuscunque sed Dei? Jam verò *Aug. serm 2. de Assumpt.* Quid nos tantilli? quid actione pusilli? quid in ejus laudibus referemus? cùm etsi omnium nostrûm membra verterentur in linguam, eam laudare sufficeret nullus, altior cœlo est, de qua loquimur, abysso profundior, cui laudes dicere conamur. *Et Ambros. lib. de Virg.* Tanta est hujus Virginis excellentia, ut in ejus narratione omnes balbutiant linguæ, cæcutiant omnes intelligentiæ. *Germanus Constantinop. orat. de Præsent. B. V. non impressa, habetur in bibliotheca Vaticana, num. 79.* In Mariam si quis innumera dicat elogia, nunquam sequetur scopum, tantum abest ut illum attingat, & propositum in ea laudanda assequatur, cùm illa superet omnem disertam linguam, & omnem mentis aciem prætergrediatur, etenim illius magnalia vastissimum pelagus fecit illa gutta cœlestis, quæ ab illa manavit, idcircò immensitatis ejus divitiæ nulla vi comprehendi possunt, nec absumi delitiæ, & in quavis quidem aliâ re, datur satietas, in laudanda verò & celebranda Virgine non est præ jucunditate voluptatis epulantium modus, hinc fit, ut laudationum ansæ, quas ipsa porrigit, conjici mente non possint, & quia indeficiens est fons, & hauriendo non exhauritur, imò quò plus hauritur, eò majorem centies aut millies aquarum copiam effundit, ideò fieri non potest, ut desinant qui hauriunt, siquidem dum hauriunt, aquæ mysteriorum redundant, & redundatio etiam mentes vincit incorporeas, quantò magis immersas corporibus? tanta est beatissima & immaculatissima Virgo! *S. Theodorus novus Confessor orat. de Nativ. B. V. quæ Græcè in biblioth. Vaticana.*

Ave Maria quasi dicas Myrias latinè, innumera enim propter innumerabilem tuorum enconomiorum copiam: innumera enim si quis de te scribat, nunquam te dignè collaudaverit. *Petrus Cellensis. lib 1. epist. 10.* Credo & confiteor plura esse apud nos ignota de Virgine Sacrosancta, quàm nota, quia confortata est, & gratiâ & gloriâ, & non possumus ad eam. Illa est Bravium felicitatis, donorum Arbitra, novum Miraculum, Capitolium felicitatis, æquidans Forum, quietis Asylum, Gentium omnium Corona, gloriæ Lineamentum, Simulachrum virtutis, lucis Origo, Sequestra mortalitatis, Divinorum operum Compendium, Filia nobilissima, faustitatis Ara, virtutis Augustale, uno Deo minor, Solis justitiæ exorientis Aurora, cadentis mortalitatis Columna, immortalitatis Inventrix, Magistra vitæ, nunquam antea visa Heroina, animata virtutum Lex, tranquillitatis humanæ Nuntia, in mundi naufragio Cynosura, in periculo imminente Ala, hominum apud Deum Oratrix, amplissima Liberalitas cœli, DEI totius Effectoris Parens, suprema Domina, gratissimum Deo Templum. *Ibid. orat. de Præsent. S. Virg.* Est Donarium honorabilissimum ac Divinum, cujus exprimendæ dignitati impar est universa creatura. *Apud Hieron. de Assumpt.* Timeo satis, & valde pertimesco, nè dum vestris cupio parere profectibus, fortè sicut improbus, ita & indignus laudator inveniar, profectò cùm nec sanctitas, vel facundia suppeditet, ut B. & Gloriosam Virginem Mariam dignè laudare queam.

Jam verò adhuc horridiùs est, quod *Anselmus de se loquitur lib. de excell. Virg. cap. 1.* Supereminentem omni quod post hominem Deum creatum est, excellentiam B. Matris Dei quomodocunque, & saltem lippienti oculo cordis contemplari anhelans, & quod mihi indè capere conceditur, ad communem notitiam proferre desiderans, horreo; peccatorum quibus premor enormitatem, & valdè timeo, nè mihi tam alta petenti, non objiciatur hoc Sacræ Scripturæ dictum: *Tollatur impius nè videat gloriam Dei. Damiani serm. 2. de Nativit. Virg.* Cùm Bmæ Genitricis Dei laudes scribere volumus, quia nova & inaudita sunt, quæ tractanda suscipimus, nulla invenimus verba, quibus ad hæc dignè exprimenda sufficere valeamus: tollit enim facultatem sermonis materia singularis. *S. Epiph. Orat. de laud. Virg.* Tibi prædicandæ cœlestis ac terrestris lingua minimè sufficit: imò verò nec Angelorum, etenim etsi quidem ipsi hymnum, laudem, honorẽ protulerunt: non tamen eo modo pro dignitate eloqui potuerunt. Quia ut *S. Germ. Patr. fragmento 13.* Ineffabilis Virgo Angelis, & hominibus magnum, & à sæculo oraculis proditum, Mysterium admirandum. *S. Ephrem. de laud. Virg.* Quid proloquar? quo pacto prædicabo gloriæ Radicem? solo enim Deo excepto cunctis superior existis: naturâ formosior es, ipsis Cherubim ac Seraphim, & omni Exercitu Angelico, cui præ-

prædicandæ cœlestis,& terrena lingua minimè sufficit,imò verò nec Angelorum. *Rursus S. Aug. tom. 10. serm. 35. de SS. ante medium.* O felix Maria,& omni laude dignissima! ô Virgo Dei Genitrix gloriosa! ô sublimis Puerpera, sed quid dicam pauper ingenio? cùm de te quidquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua meretur! si Cœlum te vocem? altior es, si Matrem Gentium dicam? præcedis, si Formam Dei appellem? digna existis; si Dominam Angelorum vocitem? per omnia probaris: quid ergò de te dignè dicam? quid referam? cùm non sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes. *Bernard. serm. 2. super Salve* Elevata est magnificentia tua super cœlos Maria,& super omnem terram gloria tua, ita ut nec in cœlo inveniatur creatura,quæ tuam dignè laudare queat magnificentiam, nec in terra sit,quæ gloriam tuam exprimere valeat: Nemo enim nec in cœlo, nec in terra inventus est dignus aperire librum prærogativarum tuarum,& dignè solvere septem signacula ejus: Plenitudinem gratiæ, Adventum Spiritûs S. in te, virtutis Altissimi obumbrationem &c. Si linguæ centum resonarent, oraq; centum,ferrea vox mihi esset,Maria: nil dignũ tibi dicere possum, Stella maris, quæ Virgo Beata vocaris, ô quam te memorem Virgo, quibus laudibus efferam? infantissima lingua mea, quæ coinquinata est cum mortuis, incircumcisa labijs, nec purgata igne altaris: inquietum malum, habens in naribus spiritum, rimis effluens undique quid dignum laudibus tuis poterit immolare? *Petrus Comestor in fine libri de laud. B. Virginis.*

Si fieri posset, quot arenæ pulvis, & undæ,
Undarum guttæ, rosa, gemmæ, lilia, flammæ,
Æthera, Cœlicolæ, nix, grando, sexus uterq;,
Ventorum pennæ, volucrum, pecudum genus omne,
Silvarum rami. frondes, avium quoq; pennæ,
Gramina, ros, stellæ, pisces, angues & aristæ,
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,
Linguæ cuncta forent, minimè depromere possent,
Quæ sit, vel quanta est Virgo Regina Maria,
Quæ tua sit pietas, nec litera, nec dabit ætas.

Epiph. de laud. V. Quid dicam? aut quid proferam de præclara ac S. Virgine? desiderium me trahit, ut de Deipara verba faciam, & formido retinet in silentio: ipsi enim prædicandæ cœlestis,ac terrena lingua minimè sufficit, imò verò nec Angelorum. *Sophron. Jerosol. orat. de Assumpt.* Tametsi ad laudandam Virginem nemo idoneus, votis tamen omnibus cessare non debet, quilibet

etiam peccator à laudibus, quamvis explere non queat, quod sentit. *Bonav. in Psal. major. Ps.* 92. O Domina ineffabilia merita tua, & valdè stupenda mirabilia tua, & innumerabiles sunt virtutes tuæ, quis sufficiet enarrare opera tua. Nam Virgo est ut *Andr. Jerosolymit. orat. in Salut. Angel.* Ager æterni Dei, cujus flores, & virtutũ fructus nullus nisi ipse Deus dinumerare potest. *Andr. Cret. orat. de dorm. V.* Virginem, tantùm est Dei laudare pro dignitate. *Idem*, si quid quod nos superat, in ea Divina operata est gratia nemo miretur intuens ad novum & inæstimabile quod in ea peractũ est mysterium ab omni finitate infimties infinitè exemptum. *S. August. aut quisquis alius initio lib: de Assumpt. Virg.* De tanta sanctitate loqui totum ut est, impossibile est omni creaturæ humanæ: quocirca excusatam habere, & nostram audaciam, quâ de Virgine loqui præsumpsimus: & tenuitatem, quâ non pro dignitate locuti sumus, velit quisque habere, quæ omnia judicio S. Matris Ecclesiæ, ac cujusquè doctioris esse volumus.

Ad M. D. O. M. Gloriam
B. M. V. Honorem.

Petrus Damiani Epistola 63.

Si quid in his Catholicæ regulæ dissonum, si quid Sacrarum Scripturarum authoritati reperitur adversum, prout visum fuerit, vel prorsus abscindite, vel ad sanum intellectum, correctam sententiam revocate.

EIVSDEM AVTHORIS

ANAGRAMMATA ET ANAGRAMMATISMI De FIDELI PROPHETISSA & ejus FILIO PROPHETARVM MAXIMO.

Ediderat Author hæc aliquot folia: quæ quia separata facilè interire possunt, ea hic adjungimus. Sed dum citat PP. quos tunc non omnes ad manũ habuit, vsus Nomenclatore Raynaudi, Centuriis Barrij, & nonnullis aliis, è quibus tandem aliquos deprehendit, sensum Patrum non verba adduxisse. Quod adnotandum censuimus si alicubi citatio videretur non respondere, nè Authori imputetur. Advertendum etiam, quòd & Anagrammatismos ponat sub nomine Anagrammatum.

DE VITA CHRISTI.

I. *DE INCARNATIONE CHRISTI.*

Et Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et Homo factus est. — Ex Symbolo Nycæno.

Anagramma.

En IESV, tu et Fons pacis, 1. ac mundi Hostia, — 1. Isaiæ capite 9. versu 6.
2. tu et Rex, 3. et Nectar grati amoris. — 2. Hymnus Eccles.
3. Zachar. 13. V. 7.

II. *DE NATIVITATE IESV.*

Ecce Evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est nobis hodie Salvator, *qui est Christus Dominus*, in civitate David. Et hoc vobis signum. Invenietis Infantem pannis involutum, et positum in praesepio. — Lucæ 2. v. 10.

Anagramma.

Iõ IESV, Tu 1. pius Princeps, et pius es Zelator, — 1. Zach.
2. Tu Origo bonitatis: Thus, Fonsque divinae dulcedinis, Holocaustum vivum, Diademaque beatitudinis: ingens Pelagus omnipotentiae, tuque insignis omnium hominum Vmbo, Vita: ac Corona. — In Litaniis de nomine IESV.

III. DE EADEM.

Puer natus est nobis, cujus imperium super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus magni consilij Angelus. ℣ Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Ex introitu Missæ de Nativitate Domini.

Anagramma.

Mi JESV, Fili vnice: benigne insonsque Agne, Cordium 1. Deliciae: summaque Omnipotentis Patris Bonitas. Ecce tu purum Vas es humilitatis, Arbor vitæ, Fons virtutum ac unicum salutis Bonum. 1 Ioannis 1. V. 16.

IV. DE EADEM.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Joan. 3. 16.

Anagramma.

Dei Filius vt Vinetum, Dux mitis, Lumen gratum, Decus mundi.

V. DE NOMINE JESV.

Emmanuel. *Anagramma.* Mel è manu. *Aliud.* Lumen à me. Isaiæ 7. V. 14.

JESVS. *Anagramma.* Vis es. *Aliud.* Jus es.

VI. DE CIRCVMCISIONE CHRISTI.

Postquàm consummati sunt dies octo, vt circumcideretur Puer: vocatum est nomen eius JESVS, quod vocatum est ab Angelo priùs quàm in vtero conciperetur. Lucæ 2. V. 21.

Anagramma.

Ecce ô Puer Deus, ô JESV, ecce tu quasi Aquila, 1. Ignis, 2. Portus, tu Doctor, tu Petra, Mons, Scutum, Corona: ecce tu Nitor, Pondus, Bonum: atque immensum virtutis Mare. 1. Deut. 32. 11. 2. Deut. 4. 24

VII. De

VII. DE NOMINE SALVATORIS.

Salvator. *Anagramma*. Tu Sol, Ara.

Aliud. Ros lavat.

VIII. DE CRVCE CHRISTI.

O Crux, ave spes vnica: auge piis justitiam, reisque: dona veniam. Ex Hymno Sabbato ante Dominicam Passionis.

Anagramma.

Ave nova Via veniae, Victrix mortis, Idea, Spes, Signumque pacis.

IX. DE RESVRRECTIONE CHRISTI.

Viri Israelitae, et qui timetis Deum, audite: Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit Filium suum JESVM, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti: vos autem sanctum et justum negastis: et petiistis virum homicidam donari vobis, Auctorem verò vitæ interfeciſtis quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus. 1 Actorum 13. à V. 16.

Anagramma.

Ecce JESVM Omnipotentis Dei Patris Filium, Victorem glorioſiſsimum! Ecce in Resurrectione sua sancta triumphavit quasi Samson fortiſſimus: quasi David mitiſſimus devicto Goliath. O JESV, Deus meus, tu mea es Vita: tu es et Ara casta: tu et sancta Sedes: et Adamas: et fidum Diadema virtutum: tu Leo de tribu Juda, tu veniſti, vidiſti, tuq; viciſti mortem, atquè infernum. Tibi laus, tibi decus, et summa sit gloria. 1 Apoc. 5. v. 5.

X. De Ascensione Christi in Coelvm.

Viri Galilaei quid ſtatis aſpicientes in coelum, hic IESVS qui aſſumptus eſt à vobis in coelum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Act. 1. 11.

Anagramma.

O IEſu, DEus meus: Columba mitis, mundi Decus, Viaque mentis ac Vita: 1. ecce triumphas in coelis ſicut Leo. 2. ſummus: ingensque Aquila. 3. Divinitatis.

1. Joan: 11. V. 25.
2. Vt ſupra citatum.
3. vt ſupra.

II. De eadem.

O Rex gloriae, Domine virtutum, qui Triumphator hodie ſuper omnes coelos aſcendiſti, nè derelinquas nos orphanos: ſed mitte promiſſum Patris in nos Spiritum veritatis.

Ex Antiphona in ſecun veſperis Aſcenſionis I mini.

Anagramma.

Mi pijſſime IEſu! Homo Deusque mitis! Dux rei. Splendor & Honor pauperum: Protector noſter: Salus noſtra ſempiterna: ſalva nos, dirigitoque nunc, & in mortis hora.

DE VITA VIRGINIS MATRIS.

I. De nomine Virginis Matris.

MARIA. *Anagramma.* A mari. *Aliud.* Mi Ara. *Aliud.* I, arma.

Maria Virgo. *Anagramma.* Mira Virago. *Aliud.* Mira rogavi.

Maria Deipara. *Anagr.* Prima à DEi ara.

Maria IEſu. *Anagr.* Mira es Via. *Aliud.* Es via mari. *Aliud,* Viſa è mari.

II. De

II. DE IMMACVLATA VIRGINIS CONCEPTIONE.

Ex Responsoriis primae & secundae Lectionis diei secundae infra Octavam Conceptionis B. V.

Conceptionem purissimam purissimae Virginis et DEi Genitricis, Mariae: ex semine Abrahae, ortae de tribu Juda; claram ex stirpe David, solenniter celebremus: ut ipsa intercedat pro nobis ad Dominum IESVM Christum.

Anagramma.

1. B. Hermann. apud Surium 7. Aprilis.
2. Method. in Hypap.
3. Ambros. lib. de instit. Virg. capite. 5.
4. Joann. Geometra.
5. S. Ephrem in laud. B. V.
6. Joann. Geometra.

Ecce Maria. ecce tu Rosa, 1. sine spinis, 2. tu Porta Dei, 3. Dei Propago 4. Dei ignis, 5. Rubus, 6 Imber, 7. nitensque Dei Sidus, 8. Dei Thronus & Corona, 9. Dei miri Candelabrum mirabile, 10. Exemplar Charitatis maximum, & immensum Mare puritatis.

7. Andr. Creten. Orat. de Assumpt. & S. Ephrem de laud. Deipara & Ierem 14. 8. Chrysipptus de B. Virg. 9. Epiph. de Deipara. 10. Andr. Ierosol. Orat. de Salut. Ang.

III. DE EADEM.

Ex libello piorum affectuum erga B. Virginem.

Conceptionem immaculatam, immaculatae Virginis, ac Sanctissimae Matris Iesu, Mariae, corque atque anima mea celebra. Iesum Christum, ejus et Altissimi Patris adora Filium.

Anagramma.

1. Sap. 7. & S. Ildef. serm. 2. de Assumpt. 2. Epiph. orat. de laud. Deip. & Bern. serm. 2. de Assumpt. 3. Cantic. 2. 4. Chrysolog. 5. Ioann. Geometra. 6. Damianus serm. 5. de Nativ. Virg.

Ave Maria, Virgo, et Mater piissima: ejа Speculum es sine macula, 1. Dei summi Columba mitis, 2. Mel charitatis, 3. Nectar castitatis, 4. Manna coeli, 5. Misericordiae summa atque mirifica Ara, 6.

IV. DE NATIVITATE VIRGINIS.

Ex Breviario Romano die Nativ. B. M. lectionis sextae & Responsorium.

Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit vniverso mundo: ex te enim ortus est sol justitiae Christus Deus noster.

Anagramma.

1. Rupertus lib. 1. in Cant. 2. Vasth

Salve Virgo Virginum, 1. tu Radix vitae, 2.

au Vestis innocentiæ, 3. Vas, Sydus, Hortus, et Turrix devotionis, 4. ingens Deitatis Ornamentum. 5.

3. Method. Orat. de Hypa. 4. Adā de S. Victore in Passa Assūpt. 5. Georg. Chrysophilax Orat. de Præs. B. V.

V. DE PRÆSENTATIONE VIRGINIS.

Foelix es sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima, quae à sanctissimis Parentibus tuis, Jochim et Anna, Deo immortali, in templo mortali es præsentata. Fac vt per tuae sacratissimae intercessionis meritum, et virtuosissimae passionis IESV Filij tui precium, in aeterno templo immortalis gloriae praesentari mereamur IESV Filio tuo et Salvatori nostro.

Ex quadam antiqua Oratione.

Anagramma.

O Maria, 1. Virgo dilecta. 2. Mater electa, tu verè Luna es, 3. 4. Sol es mundi amabilis, 5. es Vinea formosa, et pij, 6. amoris Rosa, 7. es mitissimae pacis Lampas, 8. Iris, et, 9. Corona: 10. es Fidei Ratis: Templum divini honoris: 11. Lilium, et 12. Margarita Divinitatis preciosissima. Ora atque exora Jesum tuum Natum, pro me miserrimo peccatore, 13. in te consolatio nostra, 14. in te spes vitae. 15. Fons infinitae salutis.

1. Anselmus alloq. ordeli. 2. Aug. serm. de Nativ. Dn. 3. Anastas. 4. Examin. 4. Richard. à S. Laur. lib. 5. Damian. serm. 3. de Nativ. B. Virg. 6. S. Anselmus lib. de laud. Virg. cap. 22. 7. Ephrem de laud. Deip. 8. Bernardin. tom. 3. 9. suprà cit. 10. Andr. Cret. orat. in salut. B. Virg. 11. Epiph. orat. de laud. Deip. 12. Ephrem de laud. Virg. 13. Hymnus Græc. apud Theon. pag. 118. 14. Ibidem pagina 117. 15. S. Ephrem de laud. B. V.

VI. DE ANNVNTIATIONE VIRGINIS.

Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.

Lucæ 1. 28.

Anagramma.

1. O grata vitae Apis, 2. Mare, 3. Lumen mundi.

1. Ioann. Geom. 2. Epiph. orat. de laud. Deip. 3. Laur. Justin. serm. de Nativ. B. Virg. 1. 2. 3. Geom. 4. Chrysol. de salut. Deip.

ALIVD.

1. Tu Mel: 2. Cor, 3. Magnes, 4: Vva pia, et mira Diana.

ALIVD.

1. Tu mea Rosa, 2. Lumen: 3. tu pia magni Dei Arca.

1. Damasc. orat. de Nativ. B. Virg. 2. vt suprà. 3. Laurent. Justin. serm. de Nativ. B. V.

VII. De

VII. DE EADEM.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. V. 28.

Anagramma.

1. Eja ecce novum Dei Templum, 2. nitida Iris, 3. Luna, 4. Tuba, 5. Nubes, 6. Margarita. 1. Epiph. Orat. de Deip. 2. Anast. 4. Exam. 3. vt sup. 4. Jo. Geom. & Bern. super Salve. 5. Ambr. lib. Instit. cap. 13. 6. Method. Orat. Hypap.

ALIVD.

En 1. cara summi Dei Porta, 2. carumvè Lilium, 3. nitida Tuba, 4. et Nubes ignea. 1. Method. Orat. de laud. Deip. 2. Qui supra. 3. Epiph. Orat. de Deip. 4. Metaphr.

VIII. DE EADEM.

Ave Maria, gratiâ plena Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui IESVS CHristus. Sancta Maria Mater DEi, ora pro nobis peccatoribus, nunc, et in hora mortis nostrae. Amen.

Anagramma.

Ave, 1. Beata Arca Dei, 2. Mons rubi, 3. Turris, 4. Luna, 5. Thronus, 6. Botrus, 7. Turtur, 8. Ignis, 9. Thus, 10. Cedrus, 11. Vita, 12. Spes mundi unica. 13. O Fons pietatis perennem te monstra animae meae! Sana vitij cicatrices: coeli concede brabium. 1. Andr. Jerosol. in Salutat. Ang. 2. Chrysip. Or. de Deip. & Andr. Jerosol. in Sal. Ang. 3. Bern. Serm. 4. supra Salve. 4. vt supra. 5. Chrysip. Or. de Deip. 6. Joan. Geom. 7. Hesich. Orat. 2. & Apon. l. 4. in Cant. 8. Joan. Geom. 9. Andr. Cret. Orat. 2. de Assumpt. & Bern. Serm. 3. sup. Salve. 10. Ildefōs. Serm. 1. de Assumpt. 11. Andr. Cret. Orat. 2. de Deip. 12. Ephrem. de Assūpt. 13. Amed. Lausan. hom. 8. & August. Serm. de Natali.

IX. DE EADEM.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galileae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis MARIA, et ingressus Angelus ad eam dixit. Ave gratiâ plena Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, quae cùm audisset, turbata est in sermone ejus: et cogitabat qualis ista esset salutatio. Et ait Angelus ei, ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries Filium: et

vocabis nomen ejus, IESVM. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum: et regni ejus non erit finis. *Lucæ secundo, à versu vigesimo sexto.*

Anagramma.

Cor & lingua pulsa coelos,
Novum laudis pande melos,
Suavi mentis jubilo.
Castitatis tange tonos,
Charitatis pange sonos,
In hoc mundi nubilo.
Ave Verbi summi Parens,
1. Rosa pulchra dumis carens,
2. Mare DEi mirabile.
Eia, 3. Ave Fons virtutum,
4. Tu Idea, 5. mite Scutum
Castitate amabile.
Eja, tu es Dei 6. Ignis
Rectè et es 7. Flos insignis
8. Regina tu es nobilis.
Eja tu es 9. Lux beata,
10. Dei Magnes, 11. Nubes grata,
12. Tu et Mons immobilis.
Eja ecce, 13. Ratis digna,
Apis Dei, 14. en benigna.
15. Et Cedrus Dei nitida.
Tu insigne 16. vitæ lignum,
Dei vivi 17. Sidus dignum,
Materque es candida.
Veni, veni Mater Dei,
Miserere quaeso mei,
Me miti fove gratiâ.

1. Damasc. apud Lyræum in tryfagio. 2. ut suprà. 3. Andr. Creten. orat. 1. de Assumpt. 4. Ioann. Geom. hymn. 3. 5. Andr. Mediolanen. 6. ut suprà. 7. Greg. Neocæs. orat. 1. de Annun. 8. Andr. Cret. orat. 1. de Assumpt. 9. Laur. Justin. serm. de Nativ. B. Virg. 10. Rich. à S. Laur. lib. 1. cap. 5. 11. Epiph. orat. de laud. Deip. 12. Io. Geom. in Cant. ad 1. Luc. & Bern. serm. 3. super Salve. 13. Hesichius orat. 2. de Deip. 14. Bern. sermone 2. super Salve. 15. Idem ibid. 16. Idem hom. 2. de Adventu. 17. Hymnus Græc. apud Bec. con. pag. 127.

Dei Mater, 18. et Patrona
Mitis 19. Vitis, 20. Dei Zona
Me nunc et in morte satia.

18. Ibid. p. 138.
19. Chrysippus orat. de Deip.
20. in Mæneis Græc. estque allusio ad zonam lineam quâ Levit. 14. Summus Sacerdos, sacrificium expiatorium acturus, cingebatur: ita Christus humanitate sumptâ in utero Virginis, se ad sacrificandum accinxit.

X. DE EADEM FESTIVITATE.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

Anagramma.

Ecce 1 Columba, 2 nitidum Lumen, 3 Vnda, 4 Thus mirificum.

1. Rupertus lib. 3. in Cantic.
2. vt suprà. 3. Bern. serm. 3. de Nativ. 4. Idem Serm. 3. super Salve.

ALIVD.

1 Mel, 2 Flumen, 3 Buccina, 4 nitida Theca, 5 Corvivum summi Dei.

1. Cant. 4. 2. Richà S. Laur. 3. Ioan. Geom. 4. Mænea Græc. 5. Aug.

II. DE VISITANTE ELISABETHAM.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Juda, et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Et factum est, vtaudivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit Infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, et exclamavit voce magnâ et dixit: Benedicta tu inter mulieres. Luc. 1. 39.

Anagramma.

Ah benedicta Dei Genitrix! ah Mater Iesu!
Tu electa es, 1 Patrona,
Tu, et piè coeli Zona, 2.
3 Et Virgo admirabilis,
Tu et nitens 4 Dux salutis
Et invictae 5 Fons virtutis,
Ah 6 Fons adamabilis!
Sancta 7 Tutrix charitate,
Et 8 Adjutrix bonitate,
Et 9 Balsamum mentium.

1. vt suprà.
2. In Mæneis Græc.
3. In Litan. Lauret.
4. Hieron. de Nomin. Hebr.
5. Georg. Metropolita.
6. Hymn. Græc. apud Buteon. pag. 138. 7. Ibid. pag. 117.
8. Hugo de S. Vict. serm. 47.
9. In Mæneis Græc. & Bern. serm. 3. super Salve.

Eja, eja, 10 vitae Flumen
Castae mentis 11 mite Lumen,
Eja 12 tu Nectar, 13 et Vita viventium.

10 Damasc. orat. 2. de Deip.
11 Hieron. de nomin. Hebr.
12 Ioan. Geom.
13 Orat. ad B. V.

XII. DE PARTV VIRGINEO.

Ascendit autem Ioseph à Galilaea, de civitate Nazareth in Judaeam, in civitatem David, quae vocatur Bethleem, eò quòd esset de domo et Familia David, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante. Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, et peperit Filium suum Primogenitum, et pannis eum involuit, et reclinavit eum in praesepio, quia non erat locus ei in diversorio.

Luc. 2. 2. v. 4.

Anagramma.

Ave 1 Mundi coelorumque Princeps. 2 Candidum Angelorum Diadema, et 3 beatum Beatitudinis Templũ. 4 Tu Nubes pietatis, et 5 Fidei Topazion: purusque Fons 6 poenitentium. Mea meae 7 vitae animaevè Anchora, Mea 8 Deivè Gemma, et 9 Delicium. Ah pete, et da, 10 Datrix salutis, salutem vitae praesentis, et futurae, per Filij tui merita cui, et Patri, et Spiritui Sancto, sit honor, decus et gloria.

1 S. Greg. VII. lib. 8. epist. 21.
2 S. Ephrem de laud. Deip.
3 And. Cret. orat. in Sal. Ang.
4 Rich. à S. Laur. lib. 10.
5 Rupert. in 4. Cantic.
6 Rich. à S. Laur. lib. 11.
7 Damasc. or. 1. de dorm. B. Virg. 8 Io. Geom. 9 Idem.
10 Damasc.

ALIVD.

O mirè Omnipotentis Nate! ô Nata et Puerpera! tu Dei peperisti Natum ô Mater dilecta, 1 Fons vitae, et 2 Vita ineffabilis! ô mi Nate, ô Puer candide et rubicunde, electe ex millibus. 3 Tu verè Gemma, et 4 pia Zona pietatis, tu pie, 5 Vitis: 6 Rosa: 7 mitis Leo, et 8 Vnicornis! Quid charius et quid praecellentius fuit, quod Deus dare Mundo potuit? Ah pium gratumvè

1 In Mæneis.
2 Andr. Cret. orat. 1. de Assumpt. 3 Cant. 5. 4. 5. 6. 7. Hymn. Græc. 8. Ps. 28. 6.

gratiarum

gratiarum Donum! ah animae meae sunt deliciae esse cum JEsu et Maria!

XIII. DE VIRGINE PVRIFICANTE.

Postquàm impleti sunt dies Purificationis Mariae secundùm legem Moysi: tulerunt JEsum in Jerusalem, vt sisterent eum Domino, et vt darent hostiam secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Luc. 2 2. v. 22.

Anagramma

O Maria coeli Rosa 1.
2 Stella mundi glorioſa
Candidumque 3 puritatis Speculum.
Virgo, 4 tu es Munimentum
Cordis, Dos et 5 Lenimentum,
6 Et apis, et Mel 7 mentium.
8 Teda, 9 Turtur, 10 Dei Hortus,
11 Tuba, 12. Sydus, 13 Summus Portus,
Dignumque Lumen 14 poenitentium.

1 Ioan. Geom. 2 Petr: Damian. serm. de Assumpt. 3 Laur. Justin. serm. de Nativ. 4 Georg. Cartoph. 5 Amed. hom. 6 Cartoph. orat. de Præsent. 7 Io. Geom. 8 9 Idem. 10 Chrysipp. orat. de Deip. 11 Vt suprà. 12 Vt suprà. 13 Theod. Studita Ode 8. 14 Hieron. de Nom. Hebr.

XIV. DE VIRGINE IN COELOS ASSVMPTA.

Assumpta est Maria in coelum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum. Ex Breuiario de Assumpt. V. ante Iectiones Noct. 2.

Anagramma

DEo tu 1. cara Gemma, 2 Vua benedicta, 3 Luna splendida, 4 ingens salutis Monimentum.

1 Qui suprà. 2 Ioan. Geom. 3 Rich. à S. Laur. lib. 2. & Bern.

His addimus ejusdem generis licet ab alio calamo fluxerint.

I. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui IEsus. Sancta Maria Mater DEi, ora pro nobis peccatoribus, nunc, et in hora mortis nostrae, Amen.

Anagramma.

AD SODALEM CONGREGATISTAM.

Chare Sodalis ama! vt non te peccata morentur
Ingrediare sinum, tuus est, claudèris in isto.
Totus ibi Matrem bibe, saepiùs ubera prensa;
Nam tibi nectar erunt, cordi favus, omnia vincet,
Vincet amor.

II. Alma Redemptoris Mater, quae peruia coeli Porta manes, et Stella maris succurre cadenti: Surgere qui curat populo, tu quae genuisti natura mirante tuum sanctum Genitorem. Virgo priùs ac posteriùs. Gabrielis ab ore sumens illud Ave, peccatorum miserere.

Anagramma.

Ne metuas quamvis cursu pernice procellae — Clarum lucis iter curres, cita prora volabit,
Nutat, et irrugit spumosâ navis in undâ. — Errores pelagi retegam, miserebor egeni.
Teque, tuamque ratem placato fidere ducam, — Euge meos portus intra, sum Ripa salutis.

III. Salve Regina, Mater Misericordiae, Vita, Dulcedo, et Spes nostra salve. Ad te clamamus exules Filij Evae. Ad te suspiramus gementes, et flentes in hac lachrymarum valle: Eja ergo Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende ò clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria.

Anagramma.

Me salvere cupis? venio, tua Virgo, Sodalis, — Arbor erovitae, spes si in me fixa reclinet.
Sic te claudo sinu Mater, Iac accipe nostrum! — Fide Deo! juvat ingenuos mea cura Sodales.
Vbere coelestes destillo mellis honores, — Dein vultu ostenso, mea maxima gloria Christus
Et tergo lacrymas, et vultum amplector amatum. — Te fessum (ò jucunda dies!) in sidera condet.

Adjungamus his etiam 150. Anagrammata Romæ facta
à JOAN. BAPT. Agnense omninò cæco ex verbis:

Ave Maria gratia plena Domin9 tecū.

1. CAno Reginam jure tutam è lapsu Adami
2. Reginam videtis à nota maculae puram?
3. Do Reginam puram, et sine macula auita.
4. Reginam (at naeuo puram) laeti dicamus.
5. Io Regina, pura, munda, et immaculata es.
6. Io, Regina amata: dic tu: En almè Pura sum.
7. Pura animata sum à Rege mei dulci Nato.
8. Pura Vnica ego sum, Mater alma Dei Nati
9. Caro mea pura à malis, Dei Natum genuit.
10. Ego superna, Immaculata Diuina Mater.
11. Templum Dei sum, Arca ignara notae Aui.
12. Regia Munda, & Palatium emicans auro.
13. Ego aurum nitens, Immaculata Deipara.
14. Pia, Munda, Iusta, Alma Creatorem genui.
15. Ego mitis, Pura, Immaculata, veneranda
16. Margarita coeli sum; niuea aptè munda.
17. Sat pura è malo Adami Increatum genui.
18. Vna semper Immaculata, Virgo Dei nata.
19. Deipara augustè Immaculata nominer.
20. Arca pura Nati Dei, eum tegam almo sinu.
21. Aula sum tota munda, ac Regina Empirei.
22. En Virgo, en Deipara sum, at Immaculata.
23. Clarè Purà, ideò Amantis Amatum genui.
24. Ego Eua, armis Paracleti munita munda.
25. Ego amans, mirè pura, Dei Natum lactaui.
26. Casta Mater, pura Diva Anguem elimino.
27. Longè caput trae à summa Diuina Matre.
28. Procul anguis à me, vna Mater Dei amati.
29. Ruat Anguis amarè, immane caput elido.
30. Sum Mater Vnigeniti à Deo pura, ac alma.
31. Tota sine macula Adam, purè germinaui.
32. Pergam inuiolata, ac munda Mater Iesu.
33. Viuam Deo Integra, Immaculata parens.

34. Perijt Anguis coram Eua munda, et alma.
35. Deipara inuenta ſum, ergo Immaculata.
36. Si pariat vna Deum, en ergo Immaculata.
37. Pura, & digna Mater; ſumma coeli Ianua.
38. Digna Mater Ieſu, et pura à macula omni.
39. Sola purè, ac mirè munda animata viget.
40. En Paradiſum, at ignotum irae maculae.
41. Eua, vti Parens, Adami ignoret maculam.
42. Eua ſecunda malum ignorat primae? ità
43. Virgo nè ſemper munda à macula? ità, ità.
44. Vna eſt Deipara Virgo: En Immaculatam.
45. Vna eſt Immaculata Virgo: En Deiparam.
46. Ea pura à malo mira genuit ſanctum Dei.
47. En Regia tota lucida, anima ſummè pura.
48. En Mater amata, Diua pura, ſignum Coeli.
49. Munda mali vigeat ſuper omnia creata.
50. Purè amata, et munda è macula originis.
51. Regina ſummè Diua, purè intacta à malo.
52. Dei ſumma Imago, clara, & pura inuenta.
53. En Virgo Nata Diva, ſemper Immaculata.
54. Regia Nata euadens luctum amari pomi.
55. Alma Dei Virgo ante caſum praemunita.
56. En Virgo pariet Deum, ſana, Immaculata.
57. Niuea Mater Ieſu, culpam ignorat Adam.
58. Virgo eſt, ac praemunita in Adae malum.
59. Iſta Virgo almè, purè, ac mundè animata.
60. Tanta Virgo merè Immunis à culpa Adae.
61. Deipara Magna venit, morſu mali vacet.
62. Ea ſanè tota pura, Miraculum Magni Dei.
63. Iram, maculamuè Adae penitùs ignorat.
64. Purior Angelis, Deum, vnicè amata, amat.
65. Regina mirè tuta à lapſu communi Adae.
66. En pura Domus aurea micat almè ignita.
67. Virgo veneranda, ipſamet Immaculata.
68. Iſta Eua Regina, mundo almè pura micat.
69. Maturè nego in Deipara juſta maculam.
70. Lapſum, ac reatum Adami Niuea ignoret.
71. Iure negamus maculam in tota Deipara.
72. En pura Dei amans, et Immaculata Virgo.
73. Amici, en pura genuit Adam Saluatorem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

74. Ergo ſine macula avita: nam Deum parit.
75. O ſanè claram, et puram Dei viui Gnatam.
76. O Diuam purè genitam ſine atra macula.
77. O Diuam ingenti macula praeſervatam.
78. Age munda, I pura, tota mirè ſine macula.
79. Age Numen paris, ô Diua ter Immaculata.
80. Age Idea ſanè clara omnium puritatum.
81. Purè Immaculata es, nam Virgo Dei Nata.
82. Vna paries Dei Natum, ergo Immaculata.
83. I, age pura à ſorde, et munita in maculam.
84. Munda à macula, I, Ieſum parito, et regna.
85. En Ciuitas alma, purè munda Regi amato.
86. Munda venis, Virgo amata, prima Electa.
87. Ingenua, provida, Mater Immaculata es.
88. Gaude Eua, ſpinâ malorum mirè intacta.
89. Vale pacis Mater, Virgo mundè animata.
90. En Deipara: ergò tuta, immunis à macula,
91. Eua, mundi Regina, almè micas tota pura
92. Eja Pura, mundi Regem amato ſinu lacta.
93. Tu, ô Alma, Specie tua mira, I, regna munda,
94. I, Regum Patrona: en Diua Immaculata es.
95. Iam munda es à culpa Virgo intemerata.
96. Vna Deo Immaculata es, Mater puri Agni.
97. Eja ergo pura, munda Immaculata nites.
98. I Virgo ſanè munda, apertè Immaculata.
99. Eua te dignam juro ſine macula partam.
100. Pura à macula, eſto etiam mundi Regina.
101. Tu Regina pia, ſumma, et munda Coeli Ara.
102. I Virgo almè amata, pura, munda niteſce.
103. Sanè digna, meritouè pura immaculata.
104. Verum Dei Agnum, intacta à malo paries.
105. Agè purè animata, mirè cumulata donis.
106. O Regina ſummè nitida, et pura à macula.
107. Coeli merè Gaudium, Nata pura Amantis
108. Virgo planè munda, ac Mater Ieſu amati.
109. Eja pura, munda, Tu magni electa amoris.
110. Virgo antea Immaculata; en paris Deum.
111. En vacas multâ pomi, Regina diua Mater.
112. Mater Virgo pia, jam vale ſanctè munda.
113. Eua Regina, ſummo amanti Pura dilecta.
114. O vera Immaculata, Dei Gnatum pariens.
115. Tu Parens veri Dei, O magna Immaculata.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

116. Adam, et Euam in macula purè ignorâsti.
117. I alma, intacta, Eua Virgo semper munda.
118. I ergo pura, I sanè munda, & immaculata.
119. Euge mali nescia, pura, munda, mira tota.
120. Euge Porta mirae lucis, animata munda.
121. Age Patrona mundi, jure Immaculata es.
122. En tu Immaculata es, nam Virgo Deipara.
123. Eva secunda, pura Mater Agni Immolati.
124. Magna Deipara vnicè tuta è morsu mali.
125. Tu jure immaculata, ò magna Dei Parens.
126. Tu magna seruata à nece mali duri pomi.
127. Tu Regia purè munda, anima amicta Sole.
128. Eja munda Parens, & Immaculata Virgo.
129. Tu è summo data Pura à nece amari ligni.
130. Tu vera primogenita sine macula Adam.
131. Tu ergo Immaculata; nam Deipara venis.
132. Tu Regia, munda animata, Coelum aperis.
133. Tu, Alma (duce Amoris igne) purè animata.
134. Primatum tenes, ò Diua ignara maculae.
135. Tu paries Virgo, mundè, ac almè animata.
136. Virgo semper munda, intacta à vae mali.
137. Virgo à macula Adae patenter immunis.
138. Tu pia, munda è malo, sacriuè Agni Mater.
139. Sana, et mira, en procul à te jugum Adami.
140. Angelorum Diva, & purè animata micas.
141. Eja pura, munda es, ò Regina, à tactu mali.
142. Tu magna, almè Pura, Diua micans nitore.
143. Tu ergò, I, jam per secula, animata munda.
144. Naevum, et maculam ignorâsti Deipara.
145. Diua Mater genita pura omnis maculae.
146. O Iesu; en digna Mater, Pura Immaculata.
147. O munda à macula per merita Iesu Gnati.
148. Te puram, sine macula genitam adoraui.
149. Roma! En Diva Parens Immaculata viget.
150. Agnita pura maculae à Montium Sidere.

Alluditur ultimo Anagrammate ad Decretum, Immaculatæ Conceptioni faventissimum, editum à Sanctissimo Dno Nostro ALEXANDRO VII. cujus Gentilitia insignia sunt Montes & Sidus.

FINIS.

CONCIONES OCCURRENTES ET FUNEBRES

Cum aliquibus Fragmentis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX CONCIONUM OCCURRENTIUM.

	Num.
IN Baptismo.	*1*
In electione alicujus ad dignitatem.	*2*
In prima Missa Sacerdotis.	*27*
De Eodem.	*30*
Ad habentes curam animarum.	*32*
Ad Sacerdotes.	*37*
Ad Religiosos.	*40*
Ad eos qui Sacramentum Ordinis accedunt.	*45*
In Consecratione Abbatissæ.	*49*
In Consecratione Monialis.	*53*
In Consecratione Monialis.	*56*
Ad Moniales.	*80*
De Benedictione Matrimonii.	*58*
De Benedictione Matrimonii.	*62*
Tempore Nundinarum.	*65*
In die Cœnæ Domini ad homicidas.	*68*
Cum ostenea in cœlo apparent.	*70*
Ad afflictos	*76*
Ad Milites.	*86*

Index Concionum Funebrium.

IN Funere alicujus Nobilis.	*89*
In Funere alicujus adolescentis nobilis.	*90*
In Funere alicujus nobilis.	*109*
In Funere alicujus in dignitate sæculari.	*102*

INDEX

In Funere mulieris nobilis. 118
In Funere mulieris nobilis. 125
In Funere mulieris nobilis. 139
In Funere mulieris nobilis. 148
In Funere viduæ. 145
In Funere cujuslibet. 150
In Funere cujuslibet. 155
In Funere cujuslibet. 157
De Eodem. 158
In Funere cujuslibet. 159
In Funere cujuslibet. 160
In Funere cujuslibet. 161
In Funere cujuslibet. 163

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IN BAPTISMO.

SI haberemus ejusmodi verba quibus prolatis lapides in aurum verteremus, quantum gauderemus: habemus verò talia quibus non solùm amicos DEI, sed etiam Filios, qui jure filiorum cœlum & DEI benedictiones petere possunt, facere valemus. Dignos amicitiâ DEI facit baptismus, quia peccata quæ huic obsunt amicitiæ tollit. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris,* Et quidem non solùm aufert originale peccatum, sed etiam omnia alia si quæ habet qui baptisatur. Aug, lib. de Bapt. parvulorum, *Generante carne tantummodo trahitur peccatum originale, regenerante spiritu non solum Originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum* Insuper ut non solum homo careat maculâ, sed etiam ut coram DEO pulchrê ornatus compareat, facit Baptismus. Quia per baptismum consequimur gratiam sanctificantẽ & virtutes, ut docet S. Th. 3.p.q.69. Et non tantum efficimur amici, sed etiã membra Christi, unde sicut ex capite in membra omne bonum redũdat, sic in nos ex Christo. Hæc docet S. Th. l. c. a. 5. & 7. Incorporatio, scilicet Christo, illuminatio ab eodem, sicut oculi qui sunt in capite illuminant membra, & fæcundatio, ut bonis operibus abundemus, apertio cælestis januæ, sunt effectus baptismi. Sed non tantum efficimur amici sed etiam Filij Jac. 1. *voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Scilicet verbo illo *Ego te baptiso &c.* Quod est verbum Christi, qui est veritas.

hanc filiationem id sequitur quod dicitur 1. Joan. 3. *Nunc Filii DEI sumus & nondum apparuit quid erimus, quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quid faciet hæc filiatio non videmus modò, sed videbimus post mortem, quando non baptisati rejicientur à cœlo, baptisati admittentur: quando sicut Fratres cum Christo considebimus. Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum DEI.*

Nascitur per Baptismum Filius DEI, sed adhuc eget tutoribus, datur in tutorem ille sanctus cujus nomen baptisato imponitur. Unde Amor 6. *Væ qui imponunt nomen suis Filiu Filiorum Gentium.* Datur nomen sancti ut habeat exemplum continuum quomodo tueri debet suam filiationem exemplo sancti apud DEUM, ne illam vitâ malâ amittat, ut semper baptisatus, id est, lotus inveniatur, nunquam inquinatus ut pudeat illum non esse talem qualis nominatur. Dictum est alicui Militi pusillamini, qui se Alexandrum vocabat. Aut nomen muta, aut gere te ut Alexander Epiph. hær. 78. *Ex ipsis nominibus etiam virtutum signa elucent &c.*

CONCIO.

In electione alicujus ad Dignitatem, vel ejus acquisitione.

CUm in cœlo Christus ad suam Dignitatem à Patre proveheretur, factus est triumphus. Apoc. 19. *Audivi quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium, alleluja, laus & gloria & virtus DEO nostro, & iterum dixerunt alleluja, & ceciderunt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adoraverunt DEUM sedentem super thronum, amen, alleluja.* Correspondet & terra. *Et audivi vocem quasi turbæ magnæ, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium alleluja.* Quæ causa? *Quoniam regnavit D. DEUS noster omnipotens.* Pannonius & Anselmus

mus explicant quia collocatus ad dextram Patris in corpore. Cum electus esset Edelpus in Regem Anglorum ut scribit Blondus. lib. 5. & dum in terra, per tres horas caneretur, cecinit tamdiu & cælum. Stellæ choros egerunt, quod idem accidit in Honorio Imp. ut scribit Claudian. Quod Christo accinuerit terra, causa est, quia & terræ est Rex, sed quod cælum Edelpho, vel quia in locum optimi Patris Egberti succedebat: vel quia id ipse Edelphus merebatur. Nam Angliam fecit tributariam Leoni Pontifici ut ex qualibet domo nummulus argenteus ad Sedem Apostolicam pervenirer. Electus est nuper N. poterat qui publicabat uti vĕrbis Hyram. 3. Reg. 5. *Benedictus D. DEUS, qui dedit David. filium sapientissimum super populum hunc plurimum.* Nihil deest in Electo quare Tobiæ 13. verbis uti possumus. *Jerusalem civitas Domini confitere Domino in bonis tuis, & benedic DEO seculorum qui readificavit in te tabernaculũ suum nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabũt in te Dominum, & terram tuam in sanctificationem habebunt. Nomen enim tuum magnum honorabunt in te* Quare omnes DEO canimus hodie, alleluja, & gratias reddimus, quia providit templis Patronum &c. deberet & cœlum concinere, nam succedit in locum viri probi, succedit bonus ipse, & sum certus quod in hac electione consentit cœlum terræ. Et hæc prima erit pars sermonis. Deinde quod cælum signis aliquibus approbet electiones, sicut & modernam. Demum Symphoniam Musicæ cælestis & terrestris producam *Vivat.* Cœlum cum terra ad electiones concurrit. Apoc. 1. c. terra canit alleluja, cælum verò, Amen alleluja. Quia terra eligit, cœlum confirmat. Addit Amen, Fiat. Daniel 4. Nabuchodonosori proponit DEI potentiam. *Scias quod Deminetur Excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit det illud,* Syrus legit. *Cuicumque voluerit adjicet sortem.* Patet in Rudolpho secundo Imp. qui hoc symbolum assumpsit. Sex erant calculi

in mensa, septimus in aëre pendebat. Infer. *Consentientibus*, Sex calculi. Censuit non potuisse Electorum sex vota, nisi de cælo septimum accessisset. Unde Ethnici aliqui dicebant, ut Calimachus, *Ex Jove sunt Reges.* Alii vocabant ex DEO genitos, alii à DEO nutritos ut Homerus, alii non sinebant contingere thronum, nisi DEUS hoc illis indicavisset. Ita Romulus. Alii pro oraculo habebant ut Plin in Paneg. *Principem dat DEUS qui erga genus humanum vice suâ fungitur.* Suos vicarios quisque sibi statuit ipse. Magistratus non solum sunt vicarii, sed etiam participes potestatis DEI, radii solis.

Numidæ ut est in Epitom. var. antiq. Regem appellabant in sua lingvâ Kauriach hoc est, rivum (idem est de quovis Magistratu) Quia habebant fontem dictum Juppiter, cui tempore interregni sacrificabant, orando ut illis Regem indicaret, & cujus faciem ibi Sacerdos vidit, eum appellavit Regem, eam dabant illi quotidie ad lavandum aquam, adjecto, Domine Kauriach, id est, *memineris te rivum.* Hæc superstitio, sed veritas est, à DEO fluere Magistratus ut rivos á fonte. Vidit Apoc. 19. Equitem in veste cruentata multas coronas in capite ferentem, quis est hic? *Verbum DEI.* Quid amplius? *Habebat in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium.* Cur cùm unum caput, multæ coronæ? cur nomen Regis gerit in femore! unam pro se coronam habet, alias pro aliis. Ille enim est quem in medio Regum vidit 4. Esdras 2. *Juvenis statura altus, singulis eorum capitibus imponebat coronas, & exaltatur magis.* Titulum in femore portat, quia ex illo omnes Reges veluti generati procedunt. Quare bene scribunt. *DEI gratiâ* agnoscitis vos rivos, radios. Magistratus in Polonia est Rex Regum, plurium caput caronarum capax, quia à pluribus eligitur qui sunt coronæ capaces, non sex hic calculi. Gratias agit Anna pro Samuele 1. Reg. 2. & post

multa

multa dicit. *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Hugo Card. Dicit hoc Anna, quia non fortunæ agnoscit orbem, sed DEI. & variis nationibus variè providet de Magistratu. Hunc orbem solus DEUS agitat, ita solus dedit Regem David. 1. Reg. 16. ut ibi legitur in longum. Pastorem fecit Regem Jer. 18. *Descendi in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam, & dissipatum est vas quod ipse faciebat è luto manibus suis, conversusque fecit vas alterum, sicut placuerat in oculis suis ut faceret.* Ambiunt multi, Deus unum eligit. Aliquando hunc orbem, hanc rotam DEUS dat in manus hominum, ut per successionem accipiant regna, dignitates, & ipse solùm generalem retinet concursum. & hæc rota potest dici, *Rota nativitatis.* Ita succedebant post Salomonem cui DEUS hanc rotam dedit, ejus successores. Ps. 88. *Ponam in sæculum sæculi semen ejus & thronum ejus sicut dies cœli.* Computavit ut in sphæra solis diem post diem, ita Regem post Regem, Matth. *David ex ea quæ fuit Uriæ, genuit Salomonem &c.* Inter diem & diem media est nox, ita inter Reges mors. Dies alii festi, alii feriæ, Reges alii sancti, alii improbi. Una dies longior quàm alia, unus Rex diutius vivit. Una serena dies &c. DEI gratia, cum fit successio, ex gratia illius fœcundi Parentes, quòd in ventre Matris non mortui. Quod primi, quod ad hanc ætatem pervenerint, quod primogeniti. Alb. M. vidit Venetiis lapidem in templo S. Marci in quo caput hominis coronatum Cui debet hoc caput coronam? non artifici quia à natura, soli DEO. Dat denique DEUS hanc rotam hominibus & cum illis speciali concursu volvit, liberè eligentibus, & potest dici, *Rota in medio rotæ*, siquidem ejus consilia ingrediuntur humana salvâ libertate. Ita electus Saul per sortes ut Rabini narrant, quanquam duodecem tribus se stitissent, cecidit sors super Beniamin, deinde super familiam Metri, tandem perue-

nit ad Saul. Ita fiunt & Reges in Polonia, & multi Magistratus, in quo solia cum Papali & Cæsarea electione consonant. Hic non potentia, non fortuna, sed virtus; non datur in hæreditatem quod per illam non acquisitum, quia sæpè sunt degeneres. Ex Davide natus incæstuosus Amon, rebellis Absalon. Ex Salomone sapiente stultus Roboam, qui stultè decem tribus amisit. Ex Josaphato victore hostium prodiit Joram cæsor Fratrum. Ex Josia zeloso Sedecias Idololatra. His movetur Polonia, nec merita Patrum exemplo Antigoni, de quo Kokerus, in filiis coronat, sed propriam virtutem. Liberum & modo fuit orbem vertere aliò, tamen ad hunc vertit; memineruntvirtutis Majorum, Habuit alios, sed vidit hujus merita.

Et licet Electores hanc rotam agitaverint, tamen primas habuit DEUS, qui ab æterno præordinat quos in tempore eligunt, deinde non factâ vi libertati eligentium ita vota conformat, ut ille eligatur. Electus Saul per sortes, tamen bis illum priùs nominavit DEUS Samueli. Ex primis pridie. 1. Reg. 9. *Hâc ipsa horâ quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & unges illum Ducem super populum meum Israel* Deinde. *Erit vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo* Plura sunt exempla, scribit Krantzius hist. Vand. lib. 1. Quando virgo Libussa in Boemia regnabat, urserunt ut virum acciperet, tandem equum suum optimè ornatum liberè dimisit, adjecto ut Senatus eum sequeretur, & si incidisset in hominem in ferrea mensa vescentem, ibique stitisset, illum equo impositum illi ipsi adducerent. Tandem pervenit ad Prybislaum rusticum supra vomerem prandentem, hic stitit. Imponitur homo equo, hunc Libussa accipit in maritum, & Boemi in Regem, fuit summa pax in ejus regno. Vomer asservatus Pragæ in templo S. Venceslai, & ante novum Regem deinceps præferebatur. Ita DEUS è longinquo prospicit Et te N. ab æterno

terño DEUS ad hanc dignitatem ordinavit, in tempore manifestavit ex equo tuo id ominabamur, qui per varias acies vagatus, ex ferro est. Ipse DEUS nos instruxit cum omnium corda in te inclinavit. Es DEI gratiâ, tu agnoscis, nos agnoscimus, quia in nostrum bonum es electus, & hodie DEO agimus gratias, & precamur ut te servet.

Aliquando DEUS signis externis nuntiat quem velit esse electum. Terra & cœlum sunt libera, liberas habent voces, nec semper consentiunt nec semper terra ad cœlum recurrit, sed ad affinitates &c. Isai 3. *Apprehendet vir Fratrem suum, & domesticum Patris sui, & dicet. Vestimentum tibi est, Princeps esto noster.* Aliquando cœlum electioni terrenæ contradicit ita Oseas. 8. jubetur contradicere. *In guttnre tuo sit tuba quasi aquila, super domum Domini &c. ipsi regnaverunt & non ex me, principes extiterunt & non cognovi.* Aliquando Rex non habet testimonium DEI quia illum permittit solùm propter peccata populi, ut Jeroboam, cui dicit per Ahiam 3. Reg. 21. *Ecce ego scindam Regnum Salomonis & dabo tibi decem tribus* id est, permittam. Quare DEUS dat signa externa illi quem ipse & terra elegit. Aliquando per animalia bruta, sic Martianum ut Baron tom. 5. futurum Genserico ostendit, cum supra incarceratum sæpiùs aquila volitaret. Aliquando à se electum à præsenti periculo liberat, ita non solùm ab Athalia Joas, sed etiam Theodosius à Valente protectus. Valens scire volens quis successurus, hic superstitione usus scripsit in mensa totum Græcum alphabetum, cuique literæ apposuit aliquot grana hordei; immisit gallum, ut si alicujus literæ non tetigisset grana, illum expectaret successorem. Circa literam Th. non attigit. Valens occidit omnes Theobulos, Theodatos, Theodoros &c. DEUS servavit Theodosium. Aliquando defectum terræ circa electionem exhibet, ita in corona-

ronatione Clodovæi, quem unctturus erat S. Remigius, defecit oleum, columba attulit in rostro ampullam chrysmatis. Et in te Electo sunt admiranda.

Commune electionis Divinæ signum dedit Agesilaus RexLacedæmonum, apud Brusan. lib. 7. *Illos Reges Divino nutu dari, qui dicunt optima, agunt honestissima.* Tua verba sunt nota &c. Sed non desunt alia, ut fas sit cum Davide Ps. 117. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Et sunt eadem quæ ostendit DEUS in electione Saulis. Cum DEI nomine Samuel indicastis Saulì quod esset Rex dixit 1. Reg. 10. tale signum. *Cùm abieris hodie à me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel, in finibus Beniamin, dicentque tibi, inventæ sunt asinæ ad quas jeras perquirendas.* Alterum signum. *Cumque abieris inde, & ultrò transieris, & veneris ad quercum Thabor, invenient te tres viri ascendentes ad DEUM, in Bethel, unus portans tres hædos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini, cumque te salutaverint dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum* Tertium signum. *Posthæc venies ad collem DEI, ubi est statio Philistinorum, & cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem Prophetarum &c. & ante eos psalterium & tympanum, & tibiam, & cytharam, ipsosque prophetantes, & insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Hæc signa in electo ostendo & dico. 1. Reg. 10. *Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit illi similis in omni populo.*

Primum signum. *Cùm abieris* &c. Num modo Saul cogitare debet de asinis? digna Principe cogitet. Isai 32. *liberabis populum DEI de manibus inimicorum ejus qui in circuitu ejus sunt.* Inveniat arma, equos &c. Sed DEUS dabit signum, quia futura esset quies in domo Saul repertis asinis, omnes turbabantur. 1. Reg. 9. *Transierunt per terram Salisa & non inven-*

invenerunt, trasierunt & per terram Salim & non erant, & per terram Jemini & non repererunt dictum illi prope sepulchrum, *Inventæ sunt asinæ*, ad sepulchrum Prædecessoris dicam Electo, electio pacifica. Ps. 96. *Manus Domini excelsa & non nostra fecit hæc omnia.* Templum erat unum; locus electionis, de illo quod Jacob. Gen. 32. *Castra DEI sunt hæc, & appellavit nomen loci illius Manahaim.* Hoc est *castra*, non erat ibi tumultus, Templum voco Salomonis 3. Reg. 6. *Malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur domus Domini*, quia ex lapidibus ad hoc paratis. Sed in hac electione mirum, vocabo tamen castra. Cant. 6 *Quid videbis in Sunamitide nisi choros castrorum?* Non pugna sed chori. Templum pacis quod Vespasianus restauravit, ut in eo thesauros Jerosolymis advectos conservaret, ut scribit Fulgos. servavit sub seris, sed hic sine his. Appellabo adhuc turrim David. Cant. 4. *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, omnes arma appenderant. Non est N. in mundo electus. Mundus teste S. Chrysost. orat. de S. Philogomo. *Ubi calumniæ, ubi invidiæ, ubi perturbationes, ubi iræ, ubi cupiditates, ubi innumerabiles insidiæ, ubi quotidianæ sollicitudines, ubi perpetua, sibique succedentia mala sunt, innumeros ex omni parte dolores afferentia.* Causa horum. *Meum ac tuum frigidum illud verbum, & quidquid est malorum in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella.* Contrarium fuit in loco Electionis. *Inventæ sunt asinæ.* Non fuit Meum ac Tuum, quisque suo contētus. Sunt aliqui tales ut Apoc. 6. *Cùm aperuisset agnus sigillum secundum, exivit equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est illi, ut sumeret pacem de terra & ut invicem se interficiant, datus est illi gladius magnus*, potuisset hic eques multa mala facere. Sed factum ut Mich. 4. *Concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones, non sumet gent adversus gentem gladium, sede-*

bit vir subtus vineam suam & non erit qui exterreat. S. Lagviricius, ut est in epist. var. hist. Episc. Hieropolitanus cum esset in Thracia venit ad Morisenos, conquesti coram illo quòd assiduas turbas haberent, dixit illis. *Socialis pax est Morisenis, soror ejus est æquitas, mater sedulitas, filia securitas. Si germanitatem hanc pacis tenueritis, pacem intus incolam habebitis.* Hæc apud illos deerant. Curarunt Pacem depingi cum hac affinitate, sed reipsâ debet esse, sicut fuit in electione Sauli, & in moderna. Soror æquitas, non perierunt asinæ Sauli quia æqui erant illis homines. Aug. in Ps. 84. *Duæ amicæ sunt justitia & pax, ipsæ se osculantur, si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te.* Illum equitem de quo modò diximus qui omnes turbabat, sequebatur alter. Apoc 6. *Cùm aperuisset Agnus sigillum tertium, & ecce equus niger, & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua, & audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium, Bilibris tritici denario uno, & tres bilibres hordei denario uno, & vinum & oleum ne læseris* Justitia clamat, *ne læseris.* Vos fuistis in cavendis damnis. Traiani, in decretis Areopagitæ, in executione Seleuci apud vos Isai. 31. *Erat opus justitiæ pax & cultus justitiæ silentium* excusatio falsa siluit, Jer. 15. *Qui ad gladium ad gladium qui ad mortem ad mortem, qui ad captivitatem ad captivitatem.* Præoculis versabatur Deut 6. *Munera excæcant oculos sapientum, & pervertunt causas justorum.* Pacis *Mater sedulitas.* Saul diligenter quæsivit asinas, sedulitas præcavet damna. Demosth. in 25. proœ. *Nihil est cautis hominibus & circumspectis adeò formidabile, quin diligentia præcaveri possit, nec ullum malum est quin incautis evenire queat.* Si paulatim aquila pennas amittat, fit ut Dan. 7. *Sublatæ sunt aliæ aquilæ, & stetit super pedes quasi homo,* non volavit. Achab loricâ tectus, quia partem non tectam reliquit, periit. 3. Reg. 19. *Quidam tetendit incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israel inter pulmonem.*

monem & ſtomachum. Munitus Goliath. 1. Reg. 18. ſed patuit frons. Judic. 10. Paucos capillos amiſit Samſon robuſtus, factus ludibrium. Prov. 19. *Inſtillicidiis humiliabitur contignatio.* Dan. 4 lapillus ſtatuam Nabuchodonoſor evertit. Parva res micæ. Joan 6. *Colligite fragmenta ne pereant* propter aliquot minuta vetus Calendarium multùm aberravit, & ſi mundus ſtaret 24. millibus annorum Paſcha in ſept. celebraretur. Ad parva attendendum, ne frons nuda, miles egeat, in Patriam ſagitta jaci poſſit, ne gutta lachrymarum incidat, ne micæ pereant, quærat Saul etſi non ipſe amiſit, Eccl. 19. *Minimum pro magno placeat tibi & improperium non audies.* Pacis *filia ſecuritas* repertæ aſinæ. *Dixerunt duo viri in finibus Beniamin, inventa ſunt aſinæ.* Prædia ſunt ut aſini etſi pretioſa, nam & Iſachar Gen. 49. *Aſinus fortis,* Iſai 21. Cyrus *aſcenſor aſini,* id eſt Perſidis; Aſina quam conſcendit Chriſtus Gentes & Judæam notabat. Alex. ab Alex 1. lib. 3. cap. 8. Quadrigæ aſinorum trecentis millibus æſtimate. Apud Indos ex aſinis bellabatur, Ammonius duobus ſuis diſcipulis Origeni & Porphyrio adjunxit aſinum. Val. Pier. Aſinus laborioſus. Eccl. 33. *ſuppoſuit humeros ad portandum* Gen. 49. *Aſinus factus eſt tributis ſerviens,* ruſtici fit vera Democritis fabula. Si te ſcorpio momordit, dic aſino ad aurem hoc ipſum, in illum tranſibit dolor, tranſit in ruſticos cum Domini mordentur. Fecit hanc ſecuritatem Electus.

Concurrentes ad eandem Dignitatem vota dederunt in Electum, hoc eſt alterum miraculum, hoc ſignum Sauli dederat Samuel. invenies cum panibus, vino. Omnes erant Fideles, quia ad eandem in Bethel Eccleſiam ibant, politici quia Saulem ſalutant, liberales ferunt, hædos, panes, vinum, quid hoc ad electionem Sauli? Forte in hoc voluit experiri DEUS an Saul non futurus eſſet rapax? 19. *Auſterus ſum tollens quod non poſui, & metens, quod non ſeminavi.* an non ut Tyberius cum ſingulis

mensibus acciperes tributa menses 14. statuit in anno; & hoc per Licinium libertum, qui ideò dictus *Spongia*, Poterat rapere Saul jam regni certus. Nam 1. Reg. 8. dixit de illo Samuel. *Hoc erit jus Regis, agros vestros & vineas, & oliveta optima tollet à vobis, & dabit servis suis.* Præterea Sauli 1. Reg. 9. *Panis defecit in sit arciis nostris, & sportulam non habemus*, tamen solum quod datum est accepit. Ita Reges legē circumscripti. Ezech. 45. *De terra erit possessio Regi in Israel, & non de populabuntur ultra Principes populum meum. Hæc dicit Dominus, sufficiat vobis Principes Israel, iniquitatem & rapinas intermittite, separate confinia vestra in populo meo.* Ita de Electo nemo conqueſtus: Minerva ædificavit sibi domum, Manus dedit illi vitium, quia ex uno loco non posset transferri in alium, si vicinus potentior juxta esset. Ita Svaris nobilii confossus inter cadavera jacuit, vidit eum Ladislaus Locticus Rex, compassus, at ille, plus me affligit vicinus malus. Liberavit eum à vicino Rex, & quia bona Regia erant ex altera parte qualibet hebdomadâ curavit interrogari, an etiam nunc haberet vicinum malum? sic tu es justus Electe. Tres viri Sauli occurrunt cum rebus tribus veluti futuri regni symbolis, DEUS bellantem Persam cum Græco Dan. 7. ostendit per Arietem pugnantem cum hædo. *Aries quem vidisti Rex Medorum est atque Persarum, porro hircus caprarum Rex Græcorum est.* Justin. Cranaus Græcus quærebat jussu oraculi sedem in Macedonia cum Aemathiam accessisset propter nebulam & tempestatem nescivit quò se verterer, gregem caprarum secutus intravit Edessam, occupavit, in sceptro deinde gessit caprum: ita hædus symbolum regni. Sed etiam panis. Guieciardin refert. DicebatChristiernus. *Vectigal regnorum est nervus, panis remus.* Joseph Antiq. Jud. Propositionis panes tegebat corona, in mappa erant aut picta Regum capita, Quarè Christiernus fa-

ctus

ctus Rex Danorum, habuit pro symbolo, naviculam in qua erat remus cum pane. Cùm daret panem Christus Joan. 6. *Tunc cognovit quia venturi essent ut raperent, & facerent eum Regem.* Isai 3. excusat se à Regno, *Non sum Medicus & in domo mea non est panis.* Curt. Cum Alexander invasurus esset Tyrum, parabant Tyrii arma. Quæ dum quidam faber cuderet, sangvis è ferro ubertim prosiliit. Eodem tempore in Castris Alexandri panem quidam scidit, & ex eo sangvis fluxit, territa utraque pars sed Alexander ex hoc auguratus suis victoriam, Tyriis exitium. Consumentur ut panis qui in sangvinem vertitur. Vinum etiam regnum significat Jud. 9. *Locuta sunt ligna ad vitem, veni & impera nobis.* Visa est vitis ex Astiage prodire & totam inumbrare Asiam. Xenophon. Prodiit nepos Cyrus qui totam occupavit. Guicciard. Pro stemmate habuit Hernandus Dux Mantuæ vitem circa platanum crescentem, Inscript. *Surgitur annisu,* non surgit Rex sine populi subsidio. Prov. 28. *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.* Sed amplexatur vitis suum fulcrum. Prov. 20. *Clementiâ Regis roboratur thronus.* Per hæc omnia innuitur Sauli ejus regnum Chrysol. sic alloquitur Christum die Epiph. *Aspice terna ista, quæ tibi trium ab oriente virorum servitus exhibet munerum simulachra: plura tibi apparent numero sed unum quod præfigurant regnum: plura signo, unum voto.* veniunt ad vos Competitores, qui jam sunt unum, unio voluntatum facit unum. 1. Reg. 11. *Egressa sunt trecenta actriginta millia virorum, quasi vir unus.* Sed sint tres, cum sint plures ferunt signa Magistratûs, & apprecationes. Magnum miraculum hic consensus. Post mortem Philippi Mariæ Ducis sui elegerunt Mediolanenses duodecem viros. Concurrit ad Ducatum Fridericus IV. Imp. missis Legatis: concurrit & Alphonsus Rex Aragonum, & Carolus Dux Aurelianensis

anensis, & Franciscus Sfortia Vicecomes, nihil effectum. Legati audiuntur, & Ducatus discerpitur. Veneti accipiunt Placentiam, Cremam, Laupam, Ludovicus Dux Sabaudie Valentiam & Florentiam. Astia Carolo Aurelianensi adhæsit, Papia interneis discordiis corruit. Parma confæderavit se cum aliis civitatibus, scimus quid in Electionibus & apud nos fiat, Ambr. *Indomabilis est regnandi cupiditas, ad imperii jus cui id natura negavit, fortunæ pedibus ambitio procurrit.* Hic consensus. Instant qui ipsi hac dignitate sunt digni, Fratres reperti qui in utero secum rixati de primatu. Gen. 25. Patriarcha. *Ecce in ipsis materni uteri augustiis, non discordes tantum Fratres legimus sed bellantes estnè igitur novum quod faciunt armati, quod solent necdum nati?* Fuerunt isti Esau & Jacob reperti Fratres qui se propter regnum occiderunt. *Vetus urbs Romæ sed vetustior urbis infamia est, fraterno sangvine maduisse.* Romulus occidit Remum, Getam Caracolla, & permisit Fratrem esse Divum dum non esset vivus. Reperti Gemelli, Etheocles & Polmices qui alternis regnabant annis, se denique mutuò confecerunt, & dum urerentur, flamma divisa fuit, de quo Statius. Reperti in Aquitania Fratres qui alternis mensibus dominabantur, & ne errarent, retinebant ad hoc Astreum lyricinem, cui oculi cum luna mutabantur. Causin scribit, in novilunio nihil videbat & tum alter succedebat. Reperti qui regnum inter se discerpserunt. Ita tres Filii Targirrai Regis Tartarorum, de quo Herodot. sed ut uni torum daret DEUS demisit è cœlo aratrum, securim, jugum, craterem. Hæc dum major levat, omnia aurea erant, igne ex illis erumpente absumitur. Idem accidit medio, accepit securè Minimus & totum regnum possedit. Hic concordia. Eccl. 23. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ probata sunt coram DEO & hominibus.* Inter hæc præcedit, *concordia Fratrum.* Canendum cum Ps. 132. *Ecce quam bonum*

bonum & quàm jucundum, habitare Fratres in unum? Pudeat Adoniam qui tentat Fratrem Salomonem supplantare. 4. Reg. 11. & te pudeat Abimelech qui Jud. 9. Septuaginta Fratres occidisti ut solus regnares. Crescite concordes ut Siluri sagittæ. Hoc idem pro Electo vicini petebant. Illi tres qui occurrerant Sauli circa quærcum montis Thabor id fecerunt. In eo facta postea Christi transfiguratio forte innuebant Sauli, futurum illum ex Pastore Regem. Vocabo locum electionis hanc quercum, & hic volebas aliquem transfigurari, apparuit ibi Petrus, Jacobus & Joannes, hic multi, & clamant. *Bonum nobis hic esse*, sub regimine nimirum Electi. ibi apparuerunt alterius ævi Moyses & Elias, hic ex aliis Districtibus. *Loquebantur de excessu* de morte præteriti, eligendo novo. Vox DEI in cordibus sonat eligentium. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite.*

Tertium miraculum, velox omnium concordia in Electum N. Cuneum Prophetarum pro signo dedit Samuel Sauli, quid ad hoc rem? cur non Aulicos? Quia prius opus sapientiâ. Cicero *Parum sunt arma foris nisi sit consilium domi.* De Aulicis Alanus de planctu naturæ. *Isti sunt fabri laudis, figuli falsitatis; hi sunt qui magniloquâ commendationis tubâ in Divinum aures cytharisant, qui modicæ adulationis favos foras eructant, qui ut emungant munera caput adulationis oleo inungunt, Principum auribus pulvinaria laudum subjiciunt ab eorũ palliis aut fictitium pulverem excutiunt aut vestem fictitiè deplumant implumem.* Sed, *Qui adulationi auscultant, amphoris similes sunt quæ auribus circumaguntur.* Sed cur non occurrerunt Sauli milites? quia ut Stobæus, *Milites plus valent ad veritatem eliciendam quàm dicendam.* Cur non Oeconomi, hi sæpe in rationibus falsi. Luc. 16. Reo de centum, dicunt, *scribe quinquaginta.* Prophetæ verum dicunt. Opus fortitudine. Dicet Mich. 3. *Verum tamen ego repletus*

pletus sum fortitudine spiritûs. Opus bono judicio. Eccl. 37. *Anima viri sancti enuntiat vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso. Et sic in hù omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.* Sæpiùs dicebat Ludovicus XI. Rex Galliæ *Omnibus in regno abundo excepta veritate.* Omnia membra vestiunt rosis, solum & spinis. Bene quòd Saul incurrit in Prophetas, & quidem multos, nam unus posset tacere. Isai 6. *Væ mihi quia tacui.* Elisæus risu excepit, 4. Reg. 8 Misit Benadad Rex Syriæ Asaelem ad illum *si sanari potero de infirmitate mea hac?* respondit. *Vade dic ei sanaberis* & ubi ille abiit. *Porrò ostendit mihi Dominus quia morte morietur.* Sed cuneus ibit ut cuneus, unde tot Prophetæ? DEUS ordinavit, nam aliàs 1. Reg. 3. *In diebus illis non erat Propheta in Israel, & erat pretiosus sermo Domini.* Olim solus Moyses Propheta. Unde Num 11. scandalisati cum Prophetarent Eldad & Medad novi, & Aarou dixit Moysi. *Domine mi Moyses prohibe eos.* Sed ille? *quid æmularis? quis tribuat ut omnis populus prophetet? & det eis Dominus spiritum suum?* Sed apud nos in electionibus multi Prophetæ. Prophetare tria significat 1. Tractare res Divinas, Joël 2. *Prophetabunt Filii vestri & Filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, & Juvenes vestri visiones videbunt.* Tales sunt multi ut in regno Achab, dum non sint Sedeciæ, sed à DEO constituti Micheæ. Jer. 23. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar illis, at ipsi prophetabant*, tales qui immunitatem Ecclesiæ impugnant. Jer. 22. *Visionem cordis sui loquuntur, & non de ore Domini*, Ista est *statio Philistinorum.* Supra arcam Domini jurisdictionem sibi usurpant contra tales Ezech. 13. *Decipiebant populum meum dicentes pax pax, & non erat pax.* Talis pax similis illi quam 1. Reg. 11. fecit Nahas cum Galaaditis. Illi petunt. *Habeto nos fœderatos.* At Nahas. *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrùm oculos dextros.* Talis qui fidem

eripit,

eripit, qui zelum. Cur Ezech. 13. Pax non erat pax? *Dic ad eos, quia liniunt parietem absque temperatura.* Sine calce non coeunt lapides; fit quod 1. Cor. 11. *Audio scissuras esse inter vos.* Ruet totum. Cur Jeroboam regnum non duravit? quia Ahias in partes concisum dedit illi pallium tradendo decem tribus. Si consuerit, erit cento, talis non decet Sponsam Christi. *Tunica inconsutilis est*, religio. 2. Prophetare idem est quod futura prædicere: Ita Eliseus prædixit Josaphato victoriam de Moabitis, ipsi Joas de Syria. Isajas sanitatem Ezechiæ, Jeremias libertatem Jerosolymæ, tales pauci, sed ut Procop. in Genes. *Vulgare & planum prophetiæ genus est prænuntiare ex bona semente bonam frugem, ex secundo ventorum flatu prosperam navigationem, ex apta cheli & apta manu cantum suavem.* Taliter multi de hoc electo prophetârunt ex ejus Majoribus, ex propriis ejus meritis. Dicebat Trasyllus. *Boni omnes Prophetæ, optimi Chyromantæ*, ex operibus, tum ex utilitate publica & cuiusque privata. Unde hic spiritus? accusatus Romæ Cajus Furius maleficii, quia semper bonam messem habuit. Ille ad curiam attulit occam & aratrum, ista sunt mea maleficia. Ita quivis coram Electo reddet suæ prophetiæ rationem, mea intererat te esse Electum. 3. Prophetare, est idem, quod Dominum nominare, de Joanne Bapt. *Et tu Puer Propheta Altissimi vocaberis*, quia Joan 1. ostendit. *Ecce Agnus DEI ecce qui tollit peccata mundi.* Magna res hæc. Salvian. de Providentia lib. 4. *Quanta ista Joannis dignatio est, illum emulgatoria palam significâsse voce, quem Pater cælestis æternali fudit mente, temporali circumfudit carne.* Tales Prophetæ apud nos sunt omnes Electores, nominant quem DEUS ab æterno elegit. In Ecclesia 1. Cor. 12. *Nunquid omnes Prophetæ, nunquid omnes linguis loquuntur, nunquid omnes interpretantur?* Apud Indos occidentales eligunt Regem sex viri, apud Sinenses tres, Apud vos *cuneus*

Prophetarum qui frangit factiones. Aliis Rex datur, idemde aliis, moriendo. David 3. Reg. 1. Salomonem nominat, *ipse sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me, illique præcipiam ut sit Dux super Israel, & super Judam.* Debuit populus acceptare. *Et respondet Banajas filius Joiadæ Regi, dicens Amen. Sic loquatur D. DEUS Domini mei Regis.* In Polonia liberè, possumus Electo dicere Prov. 31. *Quid dilecte mi? quid dilecte uteri mei? quid dilecte votorum meorum?* Alii pro Magistratibus sic orant. Ps. 65. *Posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.* Nos pro nostris 4. Esdræ 7. *Deaisti nobis virum consiliarum, quem præsentavimus tibi à principio.* Sumus ut Aves Judicæ dictæ pupulæ, quæ earum volatum ex suo genere sequuntur, cujus ipsæ cristas erexerunt. Sed Electus potest sibi usurpare Lotarii Imp. *A vobis, præ vobis, pro vobis.* Quærebat ab Eligentibus Patria Cant. 5. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto ò pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto quia adjuraſti?* Alter textus, *quia suspendisti me?* Quem viduata Dignitas vult habere sponsam? Ruth. 3. *Extende pallium tuum super me quia propinquus es mihi.*

Duo Sauli à Samuele reduncti acciderunt. 1. Vix inter Prophetas comparuit, factus est Propheta, quorsum id? Quilibet Magistratus debet esse Propheta. Campanus in vita Plusii, dicebat hic. *Ego cùm divinos oderim, illum tamen divinum velim, cui interſit pericula populis impendentia præsentire, prævertere, præcavere.* Quia Jer. 1. *Ego constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas & destruas, & dissperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Doceat populum legem DEI ut Joiadas sacerdos cum gladio. *Ego autem constitutus sum Rex ab & super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus, & testimonia ejus* Sed cur subito factus Saul Propheta? Ita hunc elegerunt, num ita circa alium concordes? Similes sumus Aquilæ illi 4. Esdræ. 12. Habemus alas multas, & de ventre vox exit, propter convivia,

vivia. Posset pingi apud nos quod in Capitolio & Vaticani horris, teste Pierio, Roma pingebat. Policletes funes facit, & asellus dissipat. Prudentes faciunt, sed modo istæ alæ. Ezech. 1. *Ubi erat impetus spiritus gradiebantur nec revertebantur cum ambularent.* Aug. in Joan. tr. 9. *Si uno flatu impletæ duæ tibiæ consonant, quomodo poterunt impletæ plures linguæ uno DEI Spiritu dissonare?* & hic Spiritus S. descendit. Electus N. concorditer, & quod Ezech. 17. *Hæc dicit Dominus, aut ego assumam lignum Joseph quod est in manu Ephraim, & tribus Israel quæ sunt ei adjunctæ, & dabo eas patiter cum ligno Juda, & faciam eos in lignum unum & erunt unum in manu ejus.* Alterum Sauli accidit quòd Musica illi occurrit, triumphant quia illis Saul accessit, major lætitia apud nos. Plus ex Electo nobis accessit. Deerat nauclerus, caput, sol. Acquisimus famam. Prov. 29. *Vir justus erigit terram.* Arcem munitam. Sap. 6. *Rex Sapiens stabilimentum populi est.* In dubiis oraculum. Prov. 16. *Divinatio in labiis Regis, in judicio non errabit os ejus.* Vitam, Eccles. 10. *In hilaritate vultus Regis vita.* Omnem benedictionem. *Beata terra cujus Rex nobilis est.* Securitatem, Prov. 20. *Rex qui sedet in solio judicii dissipat omne malum intuitu suo.* læti omnes, Musica. Fiat Electo quod Samuel prædixit Sauli. *Quando venerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunque invenerit manus tua quia Dominus tecum est.*

Jam Electo accinit cœlum & terra. Mos erat Græcorum ut scribit Sigon. lib. 11. ut Electus mitteret ad eligentes imaginem suam, illi acclamabant. *Vivat.* Sed imagine non eget Electus? Maximus. *Melior est pictura morum quàm colorum, venustiores sunt oris lineæ quas nullæ depravant moris tineæ.* Depinxit se coloribus Majorum suorum. Meritò cùm ad electionem concurrerit cælum cum terra, utrumque plaudat. *Vivat.* Quamvis abundet utriusque Musica, tamen nihil aliud repe-

rit, quàm *vivat.* Frostardus & Leoniserus sedecim regna numerat, quæ hac voce utuntur, *vivat.* Sed & 1. Reg. 10. *Certè videtis quem elegit Dominus quoniam non sit illi similes in omni populo, clamavit omnis populus & ait, Vivat Rex.* Ita & Salomoni acclamatum 3. Reg. 1. *Sumpsit Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem, & cecinerunt buccinis, & dixit omnis populus, Vivat Rex Salomon.* Joas similiter 4. Reg. 11. *Produxit Jojada filium Regis, & posuit super eum diadema, & testimonium, feceruntque eum Regem & unxerunt, & plaudentes manibus dixerunt, Vivat Rex.* Sed Rex non solâ vitâ eget, cur plura non apprecatur?

Prima causa est licet omnia precentur Electo tamen cum solo vivat prodeunt, quia alia ipse potest acquirere si vitam habeat pro lætitia &c. vita à sola DEO petitur. Narratur Jacobo quòd Filius ejus in Ægypto dominetur, afferuntur frumenta, at ille. *Sufficit mihi si adhuc filius meus Joseph vivit,* Nunquid Jacob aliis non eguit, & ipse Joseph? alia ipse acquiret. Evardus secundus Rex Anglorum habuit pro symbolo Apem coronatam, Inscript. *Vitalis cælitùs aura,* circumvolabant minores apes omnes laborantes. Inscript. *Agmina dant reliquum.* Ita in Farrag. symbol. Vita de cælo, ita & Charondas Imp: apud Sabell: dicebat *Vivere cura DEI est, nobis sint cætera curæ.* Macedones cum ad Perseum ultimum suum Regem afferent statuam auream, ut Politian. in Miscell. Idem dicebant *Dent superi vitam nos fortunam:* Petimus à DEO vitam, quia illam dare non possumus. Quare Bactriani in anniversario natalis sui Regis, ut scribit Epictetus var. hist. funebres urebant cupressos, cedros & myrthos immortales soli exponebant, acclamando. *Pluant vitales Regibus ignes:* Ut tibi Electo id acclamemus, multa exiguut. Scribit Strabo quod Amon in Ægypto prope templum Serapidis erexerit ita artificio

ficiosam statuam, ut receptis solis Orientis radiis dulciter caneret, solem salutando. Tales statuæ sumus, tibi Orienti occinimus *Vivat*. Nisi malim Patriam appellare, de qua Plin. lib. 36. c. 15. Cameram Olympiæ dictam heptaphonon quæ septies Echo reddebat. Vivat ubique resonat. Ps. 60. *Dies super dies Regis adjicias, & annos ejus in generationem, & generationem.*

Altera causa cur acclamatur *Vivat*, quia vita Principis totam animat Patriam, Quare Virg. ait tres animas habuisse Herilum Regem Prænestinum, quia tribus Provinciis præerat. Moyses moriturus ita orat. Num. 27. *Provideat D. DEUS spiritum omnis carnis, hominem qui super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos.* Josue successorem appellat spiritum, & quidem omnis corporis, utique unum corpus habet, omnis caro est toties Israel qui spiritu Josve victurus erat. Cùm Elisæus mittit unum ex filiis Prophetarum in Ramoth. Galaad cum oleo ut Jephte ungat in Regem. 4 Reg. 9. ita monet. *Cùm veneris illuc videbis Jehu filium Josaphat filii Namsi, introduces eum in interius cubiculum, tenensque lenticulam olei fundes super caput ejus, & dices. Hæc dicit Dominus. Unxit te Regem super Israel, aperiesque ostium, & fugies, & non ibi subsistes.* Cur clam? cur fugit? potiùs aliquid à Jehu petendum erat. Sed cur post se non clausit portam? Titus Bostrensis. *Quem Propheta clauso ostio unxit, spiritu prosereplevit: sed fugiens ostium aperuit, ut spiritus Regis foras in regnum prorumperet, tacitus admonuit.* Auditò quod Jehu Rex, Principes ex suis palliis faciunt ei tribual: Quia deinceps spiritus Jehu illos calefacturus erat, quare illud *Regnavit Jehu.* Angelomus exponit. *Anima Regni Jehu.* Cor est primum vivens, hoc est Rex; deinde membra omnia non unum alit, & si unum, morbi sequuntur. Dan. 10. *Dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me virium remansit &c. Sed & halitus meus intercluditur.* Venit paralysis.

Sed & phtysis venit, Ps. 21. *Aruit tanquam testa virtus mea.* Succedit spasmus Job. 7. *Cutis mea aruit, & contracta est,* Chyragra 1. Cor. 7. *Nemo militat suis stipendiis unquam.* Succedit cacochymia, murmur ventris Matth. 20. *Nos portavimus pondus diei & æstus. Nonne hi novissimi venerunt?* cur iste? &c. cur ille, cur vellus Gedeonis? His occinit S. Paulus Rom. 14. *Is qui manducat non manducantem non spernat* &c. Vide ibi sed rara hæc virtus, potius anima provideat, & faciet Electus. Sed quomodo una anima tot populis sufficiet? Cum electus esset Alphonsus Rex Castellæ, acclamabant, *Vivat Rex*; ille addebat, *vivat Grex. vivat lex.* Tum vivit Grex quando vivit lex. Archidamas dedit causam cur apud Lacedæmonios viveret lex per 700. annos, dixit quia non in libris sed in cordibus servaretur. Sigis. Augustus Rex Poloniæ pro symbolo habuit calvariam incumbentem legibus, intra quam ardebat lampas. Inscript. *Lex vult vivas*: Sed hîc nihil vivit. Sed ut vivat, nesciat Judex cujus illa sit Calvaria, Affinis &c? Deut. 11. *Quod justum est judicate, sive Civis ille sit, sive peregrinus, nulla erit distantia Personarum, ita parvum audietis ut magnum, non accipietis cujusquam personam, quia DEI judicium est.* Lampas bene causam illustres. Charondas dicebat. *Volo Judices urinatores non piscatores.* Turbat aquam piscator ut pisces capiat, urinator oleum ex ore dimittit ut illustret. Exod. 23. *Non facies conturbationem in judicio si fuerit causa inter aliquos & interpellavit judices quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt.* Sed lex liber cur clausa? Apoc. 9. *Locuta sunt tonitrua, & ego scripturus eram, & dixit Angelus, noli scribere, sed signa tantum.* Solent esse tonitrua cùm lèges scribuntur, minæ &c. Electus animabit leges. Plin. scribit. Cum Tiberius in thronum intraret, partes viarum se in contraria transtulerunt, faciet Electus. Isai 40. *Erunt prava in directa. Et aspera in vias planas,* siquidem ut Ammian. lib. 30. *Cum rectè procedunt judicia delubra sunt æquita-*

aquitatis; cùm depravatè, foveæ fallaces & cæcæ, in quas si captus inciderit quispiam, nonnisi per multa exiliet lustra usque ad ipsas medullas exsuctus. Vivat Grex. vivet dum Rex illum nutriet. Alphonsus Rex Castellæ de quo supra, tale symbolum assumpsit. Pelicanus coronatos tres inæquales staturâ pullos suo sangvine nutrit. Deserit corvus pullos, perdix dat alteri excludendos. Sed non Pelicanus, talis Electus. Non dicet cum sicu Judic. 9. *Quomodo deseram dulcedinem meam?* nec cum vite. *Quomodo deseram vinum meum* nec cum olea. *quomodo deseram pingvedinem meam?* Sangvinem dedit. Gens in qua Electus es trahitur clementiâ & liberalitate. Plin. dicit lapidem esse in Thracia qui magna vi moveri non potest, agitatur levi impulsu. Sunt multi aridi, *Viventnè ossa ista?* Dic. *Ego intromittam in vos spiritum & vivetis, & dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnem.* Tum fiet, *ingressus est in eos spiritus, & revixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde?* Sed aliquando accidit ut Gen. 28. Nascebantur ex Thamar gemelli, unus emisit manum, & hanc ligârunt funiculo rubro, retraxit ille manum, & alter prius natus. Unus habet spem, alter accipit. Accidit ut apud Assuerum Esther: 5. Aman cum Rege bibit &c. Mardochæus vitam. Regis curatus gladio, tamen hic post portam, ille ad mensam. Tandem Rex insomnis legit acta Mardochæi, petit an remuneratus? Si ita fieret. Conscriberentur, legerentur. Accidit ut in Babilone Dan. 14. Rex putabat quòd Bel data comederet: alii absumebant. Daniel monet *Ecce pavimentum, aspice cujus vestigia sunt.* Rex. *Video vestigia virorum & mulierum, & infantium. Vivat.*

Accinit & cœlum *Vivat.* Job. 28. *Concentum cœli quis dormire faciet?* Pythagoras putabat cœlos suo motu edere melos. Plato cuique cœlo attribuit sirenem, fabulæ. Canunt in-

in cœlis Angeli, hoc est, quatuor animalia. Aquila, leo, bos, homo & 24. seniores. Apoc. 65. *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem & Divinitatem* &c. Superiores habent cum DEO connexionem, Angeli terræ præsunt, quare etiam terrestribus bonis viris gratulantur ex amore, & orant ut vivant non solùm terræ sed & cœlo. Vivunt verò cœlo per internam perfectionem, per externam erga Ecclesiam pietatem proximis. Triplices cœli Cantores hanc triplicem precantur vitam.

Primi sunt Angeli Apoc. 5. *Audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni* &c. Sunt enim *Administratorii spiritus in adjutorium missi his qui hæreditatem capiunt salutis.* Maximè illis attendunt à quibus alii dependent, illustrando intellectum, voluntatem incitando, affectum ad virtutem excitando, Hi primi canunt Electo *Vivat*, precantur Amorem DEI, humilitatem, temperantiam &c. pietatem. Epaminondæ Duci Thebanorum, ut est apud Plut. reliquit Pater clypeum quem ita amavit, ut è bello vix vivus redux solum quæsivit, *Num scutum Patris superesset?* audito, quòd sit. *Bene est, quo tutus vixi, tutus morior.* Hunc Clypeum Electe appella. Difficilè inter magna negotia esse valdè devotum. S. Maxim. *Animum quem per varias cogitationes, multiplices sermones, omnigenas actiones, curas, negotiositas dispergit, una sancta intentio, unum in omnibus placendi DEO studium, indidem colligit.* Cum benedicit Moyses filiis Jacob, Deut 38. ita primogenito Ruben. *Vivat Ruben & non moriatur, & sit parvus in numero* Quid hoc? cur parvus? in oeconomia, famulis &c, parvus. Optatur in parvum se colligat, sicut lineæ circuli in centrum, in DEUM. Comparatur cor Magistratuum fluminibus. Prov. 21. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini.* Dividunt se flumina, tamen in unum mare influunt, ita Magistratus dum

se

se per multa dissipant, redeant ad unum DEUM. Jovinianus Imp. habuit pro symbolo Crucifixum. Inscr. *Scopus vitæ meæ est Christus.* Felix talis, est ut Jonathas 2. Reg. 1. *Sagitta Jonathæ nunquam redit retrorsum.* id est, intentio. Sap. 6. *Audite Reges & intelligite, discite Judices finium terræ, præbete omnes vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in verbu nationum, quoniam data est a Domino potestas vobis & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur.* Hoc Vivat tibi Electe precantur Angeli, ut te in uno colligas.

Alii cæli Cantores sunt quatuor animalia Apoc. 5. *In circuitu sedis quatuor animalia stabant &c.* naturæ diversæ Homo, leo, aquila, bos, quæ potest esse consonantia? Sed quia hoc in cœlo; debet esse. Musica movet affectus. Cassiod. *Cantus Dorius prudentiæ largitor est, & castitatis effector. Cantus Phrygius pugnas excitat, votum furoris inflammat. Æolius animi tempestates tranquillat. Lydius intellectum obtusis acuit, & terreno desiderio gravatu cælestium appetentiam inducit. Cantus est in anima bonorum eximius operator.* Hæc animalia serviunt Ecclesiæ, quia quatuor Evangelistas exprimunt, Quatuor status figurant; aquila contemplativos, bos laboriosos, leo milites, homo pacatos. Quatuor virtutes indicant ad conservationem Ecclesiæ necessarias. Homo humanitatem erga Clerum, leo fortitudinem contra hæreses, aquila perspicacitatem contra pseudopoliticos, bos laborem ad alendos Ecclesiæ servos. Hæc animalia serviunt Ecclesiæ, itaque & Agno, & Magistratibus, qui sunt participes potestatis Agni. Ac tibi Electe; Vive quatuor Evangeliis, Religioni, agnoscat in te Sacerdos humanitatem, hæreses severitatem &c. Chrysost in Joël cap. 13. *Egrediatur fons de Domo Domini, ut spinas nostras, vitia atque peccata nullam frugem justitiæ habentia commutet in Domini novalia, & ariditatem no-*

ſtram rigat aquis largiſſimis, ut pro ſpinis ac vepribus flores multiplices germinemus, & in & loco ubi quondam iſraël initiatus eſt Beelphegor, lilia caſtitatis, roſæ pudoris, violæ virginitatis exuberent. Vivat, Vivat, Electus.

Tertius chorus cœleſtis conſtat 24. Senioribus. Apoc. 5. *Viginti quatuor Seniores ceciderunt* &c. Hæc Muſica, gravis, ſonora, Regia; ſed inſtrumenta coronæ, caduut infaciem, tenent cytharas, phialas odoramentorum. Non miror cytharas, ſed cur deponunt coronas? Locus ibi pompæ alii cantores hoc non faciunt. Petitiones à terra acceptas afferunt Agno. *Orationes Sanctorum.* Similes illis quas populus ab Holoferne afflictus Judith. 6. faciebant. *Ceciderunt in facies ſuas adorantes Dominum, & preces effuderuut dicentes. Domine DEUS cœli & terræ reſpice ad noſtram humilitatem, & facies Sanctorum tuorum attende, oſtende quoniam non derelinquis præſumentes de te.* Quare exempla ſunt Principibus ut ab afflictis recipiant ſupplices libellos. Eſtis de terra ut & illi, reponite ad tempus Majeſtatem, recreate veſtris cytharis, hæ ſunt ita gratæ ut dicantur *Orationes Sanctorum.* Eccl. 29. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo,* Tibi ergo Electe iſti Senes canunt *Vivat*, hoc conſiſtit in miſericordia erga afflictos. Tob. 4. *Quoniam miſericordia à morte liberat, & facit invenire vitam æternam.* Rex Galliæ tactu manus & verbis illis. *Rex te tangit, Chriſtus te ſanat* ſtrumas depellit. Utinam & tua manu tangas non committendo aliis, afflictos ſanes: juvabunt cantare *Vivat.* Clauſula hujus cantici. *Dicebant quatuor animalia Amen.* Et vos alii cum Sacerdotes orant pro Electo Dicatis Amen. Det ipſi DEUS &c. Amen.

In

In Prima Missa Sacerdotis.

SI DEUS alicui optionem offerret, ut fieret, vel Angelus, vel Sacerdos: quid illi suaderetis? non dubito, quòd plurimi suaderent ut eligeret naturam Angelicam. Sicut enim melius est esse hominem quàm bovem, ita melius est esse Angelum quàm hominem; Sacerdos verò non desinit esse homo. Quid ego in hac re sentiam, explicabo.

Angelus non habet alium Patrem quàm DEUM, quia quæ sunt immortalia non generantur, generatio enim est instituta ad reparandum quod mortuum est, ideò in cœlo & inferno, & post diem judicii quando jam cùm corporibus erunt animæ, *Non nubent neque nubentur*, neque majus desiderium erit prolis quàm in lapide. Sacerdos etiam à solo DEO est. Orta fuit contentio num. 17. quis deberet fieri Sacerdos. Constitutum est. Deponantur virgæ ab arboribus recisæ, cujus floruerit, ille sit Sacerdos. Cur recisæ? quia virga arida recisa non floret nisi id DEUS ipse in illa faciat, procul est ab arbore, à terra, humore: ita Sacerdos. Deut. 12. *Non habebunt suam hæreditatem.* 2. Tim. 2. *Nemo militans DEO implicat se negotiis sæcularibus.* Dan. 3. *Benedicite Sacerdotes Domini Domino.* Non sine mysterio dicuntur *Domini*, quia non nepotum, non affinium, non negotiorum sæculi. Heb. 7. *Melchisedech* Sacerdos *sine Patre, sine Matre, sine genealogia.* Quomodo id? Solus Adam sine Patre &c. certè non creatus à DEO Melchisedech; imò Ambr. Anselm. & Epiph. hæres. 51. Patrem ejus dicunt fuisse Heraclem, Matrem Asteriam. Habuit ille Patrem ut homo, sed non ut Sacerdos. Recordamini quòd Christus Matri suæ dixerit in Cana Galilæa & Cruce, non vocavit Matrem sed Mulierem, absit dicere, quòd filialis observantia defuerit. Sed quid? Iren lib. 3. c. 18. Quia *in*

Cana & Cruce gerebat personam Sacerdotis non appellat matrem sed vulgari voce utitur *Mulier*. Jam tuus Pater & Mater ò Sacerdos est DEUS; illius es. *Dominus pars hæreditatis tuæ*, jam cum Abraham, *egressus es de terra & cognatione tua*. Jam es factus Angelus, & ut Angelus vivere debes. Angelus semper in conspectu DEI dignè versatur, & hoc tibi incumbit. Angelus est immortalis, & tuus character Sacerdotalis nunquam morietur, Angelus non infirmatur & tu licet ut homo sis ægritudini subjectus, nunqnam tamen in tuo Sacerdotio morbus appareat, hoc indicatum est Levit. 21. *Omnis qui habuerit maculam, non accedat offerre hostiam*. Ideò ut observat S. Aug. quæst. 82. in Levit. Summus in lege Sacerdos nunquam infirmabatur. Angeli sunt hominum custodes, & Sacerdos Pastor. Angeli preces nostras DEO offerunt & suas addunt, hoc idem præstat Sacerdos. De Sacerdote dicitur Malach. 7. *Angelus Domini exercituum est*. Apoc. 1. Sacerdotes vocantur Angeli Ecclesiarum. Cyrill. Alex in Levit. 6. *In Angelorum ordinem transeat & jam non erit homo*. Prævaleat in illo spiritus & opera spiritûs, ut vocari possit spiritus, etsi habeat corpus; sicut vocatur vinum etsi in illo sit gutta aquæ, quia multò plus est vini. Ideò cum nos in Missa salutat dicendo, *Dominus vobiscum* Spiritum illum appellamus, respondendo, *Et cum Spiritu tuo*. Damian. Quia *totus debet à spiritu denominari*. Jam ergo est Angelo æqualis.

Sed nemo dicet quòd B. Virgo non sit major Angelis, quia cum dixit. *Ecce ancilla* &c. dedit esse Christo, Sacerdos etiam dat cùm dicit. *Hoc est Corpus* &c. Quod nullus Angelus præstare potest. Angelus est servus Christi, Sacerdos est genitor. Quomodo ergo debet S. Virginis humilitatem & castitatem imitari? Est Christus *Mediator DEI & hominum*, Sacerdos hanc personam Christi gerit. Ideo, *qui vos tangit*,

git, me tangit. Loco Christi sedes in tribunali, arbitrio ejus stat Christus. *Quodcunque solveritis super tertam.* Idcircò cùm Christus sit Patris Sapientia, dixit DEUS cuidam Osee. 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te nè Sacerdotio fungaris mihi.* Sine scientia poterit fungi, sed sibi, non DEO. Super Christum requievit Siritus S. Ilai 6. *Spiritus Domini super me* &c. Et in Sacerdote esse debet. Exod. 19. *Qui accedunt ad Dominum sanctificentur ne percutiat eos.* Christi corpus tam Sanctum est ut dignè in eo DEUS habitet: in Sacerdotis corpus venit homo DEUS, quanta sanctitas rnquiritur! S. Vincent. Conc. de S. Marco. *Qui projiciunt Corpus Christi in latrinam luxuriæ*, Idem de aliis peccatis *majus peccatum est quàm si projicerent S. Sepulchrum Christi in cloacam.* S. Vincent. conc. 1. in festo Corporis Christi. *Non displicebit Mariæ Virgini si dico veritatem, quia Virgo aperiendo cœlum debuit dicere octo verba. Ecce ancilla &c. Et Sacerdos solum dicit quinque verba & quando dicit ultimum verbum scilicet meum*, in verbis, Hoc est Corpus meum, *tunc cœlum aperitur, & Christus est in hostia. Item Virgo Maria semel aperuit cœlum, sed Sacerdos quotidie. Item in utero Virginis descendit parvus, &c. passibilis & mortalis, sed in hostia ita descendit magnus ut est in cœlo, ut fuit in cruce, nec passibilis, nec mortalis, sed gloriosus & impassibilis.* Hinc si bonus Sacerdos, *dicunt Angeli, ô benedicte majorem gratiam habes quàm nos. Si malus, luxuriosus, concubinarius, lusor &c. dicunt Angeli Christo, Domine vultis ut occidamus istum proditorem?* Et tamen tam ad verba mali quam boni descendit Christus, sicut fluit aqua tam per aureum quàm ligneum canalem. *Christus autem in fine faciet ut Dominus horti, qui postquam est usus canalibus, canale aureum ponit in thesauro, canale ligni putridi ponit in ignem ad comburendum in inferno* hæc S. Vinc.

Primitias hodie reddis Domino Sacerdos, illæ fuerunt

gratissimæ de omni terræ fructu, reddis de pane & vino. *Obtulit panem & vinum Melchisedech &* benedixit Abrahamo, Tu mitte nobis benedictionem. Mediator & DEI & hominum age nostram causam apud DEum; multorum rei sumus, multis egemus. Simeon Luc. 2. *Accipiens in manus benedixit Domino*, & simul gentibus lumen annuntiavit & gloriam plebi Israël, impetra nobis lumen, ora pro gloria. De Josepho Patriarcha scribitur, quòd habuerit scyphum, de quo augurari solebat, hoc est, bona precari: habes in manu calicem, augurare nobis. *Hic est calix novum testamentum* in sangvine Christi, proinde calix gratiæ, calix redemptionis captivorum, calix salutaris Domini, calix JESU. Augurare nobis hæc omnia. hic calix unionis, quia ex multis uvis conficitur unum vinum, sicut unus panis ex multis granis, impetra nobis pacem cum DEO & inter nos ipsos. Hic calix in pignus amoris nobis relictus, precare ut sicut à Christo amamur, ita illum vicissim amemus. Augurare & hæc & plurima alia & dum illum sumendo dices, *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Etiam pro nobis hoc nomen Sanctum invoca, ut in nomine illius prosternamus inimicos, ut nomen Domini sit nobis turris fortitudinis, nomen ejus sit in nobis benedictum.

De Eadem Fragmentum.

DEUS cujusvis rei amat offerri sibi primitias. Multò magis gratum erit illi primum Sacrificium. Proinde si ob primitias fructuum benedicebat, ob primam Missam multò magis, maximè cùm Sacerdoti magnus aliundè ad DEUM pateat accessus. Ad hoc enim illum DEUS destinavit, ut nobis benefaciat, & benefacit. Ille enim nos à peccato originali per Baptismum liberat, peccata actualia post Baptismum contracta,

ta, quod non potest facere Angelus, dimittit, ex quo, plus est quàm si nobis DEUS visibilem daret Angelum ut ad eum in nostris necessitatibus recurramus. Pascit verbo DEI & cibo Angelorum. Ipse claves regni cœlorum habet, cui aperit, ille ingreditur. Quodsi honorandi sunt Parentes qui nobis fuerunt causa nascendi. Et Exod. 21. *Qui maledixerit Patri vel Matri, morte moriatur*, quantò magis Sacerdotes? Similes sunt B. Virgini. sicut illa dictis verbis, *Ecce ancilla Domini* fecit Christum incarnari, ita Sacerdos dictis verbis. *Hoc est Corpus meum*, &c. Facit Christum subintare species panis & vini. Hinc dæmon coram S. Remigio genua flectebat, & idle facere fassus propter honorem Sacerdotis, quòd in eo erat. Num. 16. Consumebetur populus igne à DEO misso, *& dixit Moyses ad Aaron tolle thuribulum, & hausto igne de Altari mitte incensum desuper pergens citò ad populum ut roges pro eis.* Ipse Moyses recurrit ad Sacerdotem. Josve 3. Cùm ingressis Jordanem Sacerdotibus stetit aqua. Origen. in Josve 4. non solùm aream reverita, sed & Sacerdotes. Designavit DEUS pro asylo reis urbes Sacerdotum. Philo lib. 3. de vita Moysis. ut hinc pateret honor Sacerdotum. Præscripsit illis pro ornamento capitum cydarim, genus diadematis tanquam Regibus ut. Philo. l. c. *Quia Sacerdos non solùm cunctis hominibus est eminentior, sed & Regibus* Hinc etiam vitia Sacerdotum tantopere DEUS æstimat, ut dixerit Hieron. Epist. ad Sabinianum. *Propter Heli filios locus tabernaculi subversus est, & propter vitia Sacerdotum, DEI tabernaculum destitutum est.* Vicissim ita illorum honorem tuetur, ut Cyp. Epist. 3, lib. 1. in illa Matth. 5. Qui dixerit Fratri suo fatue &c. *Quomodo possunt censuram DEI ultoris evadere, qui talia ingerunt non solùm Fratribus, sed & Sacerdotibus, quibus honor tantus de DEI dignatione conceditur, ut quisquis Sacerdoti ejus non obtemperaret statim necaretur*

retur Deut 17. *Quicunque non exaudiet Sacerdotem morte moriatur.* Unde Samueli dicit 1. Reg. 8. *Non te spreverunt sed me.* Et ratio potest esse ex Ambr. lib. 3. de Virginibus. *Ubi ergo Christus quæritur? in pectore prudentis, id est, Sacerdotis.* Angelus est Sacerdos. Greg. hom. 7. *Utinam non ad judicium nostrum dicamus, quia omnes qui Sacerdotis nomine censentur, Angeli vocantur Malach. 1. Labia Sacerdotis* &c. Sed & Angeli ministrant Sacerdoti. Ita scribit de S. Ghrysostomo S. Nilus Epist. ad Anastas. Episc. *Joannes Sacerdos Ecclesiæ Constantinop. videbat domum DEI refertam Angelorum cœtu & tum inprimis cum Divinum & incruentum Sacrificium offerebatur: Cum capisset Sacerdos Sanctum Sacrificium, plurimæ statim ex beatis illis virtutibus de cœlo descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis pronæ, Altare magno cum silentio & reverentiâ, quoad venerandum illud mysterium expletum fuit, circumsteterunt. Deinde huc illuc per totam Domum diffusæ, Episcopis, & Presbyteris & Diaconibus distributionem corporis & pretiosi sanguinis administrantibus adhæserunt, satagentes & sedulò adjuvantes.*

Ad Curam habentes Animarum.

DEscribit Ezech. 11. malum Pastorem Dominus. *Sume tibi vasa Pastoris stulti, pro pastorali gladium, pro esca ventum.* Et ibidem addit. *O Pastor & idolum derelinquens gregem, gladius super humerum ejus.* Talis pastor erat Cain Gen. 4. *Nunquid ego sum custos Fratris mei?* Custos es qui curam suscepisti *Custos quid de nocte?* dum alii velut in nocte dormiunt in peccatis tu *Clama, ne cesses, quasi tuba ex alta vocem tuam,* si non clamaveris, anima tua erit in periculo si quæpiam anima perierit nullius te authoritas deterreat ne contingat quod scribit

ſcribit S. Greg. Paſtoral. p. 2. c. 4. *Sæpe Rectores animarum improvidi humanam gratiam amittere formidantes loqui liberè recta pertimeſcunt, & juxta veritatis vocem, nequaquam jam gregis cuſtodiæ Paſtorum ſtudio, ſed mercenariorum viæ deſ rviunt, quia veniente lupo fugiunt, dum ſe ſub ſilentio abſcondunt. Iſai. 56. Canes muti non valentes latrare.* Sed non fruſtra Act. 2. in primos Paſtores Spiritus S. in ſpecie lingvarum deſcendit. Non fruſtra in lege Exod. 28. *Mala punica in veſtibus jungebant voci concordiam,* Greg. l. c. quid enim prodeſſet lingvâ clamare, & clamorem moribus retractare? Idem planè fieret atque ſi quis diceret alteri veni ad me, interim à ſe lapidibus repelleret, portam clauderet. Interea dum clamat, dum reprehendit, ex corde amet. Greg. Moral. 26. c. 5. *Sancti Doctores dum hoc agunt,* dum arguunt, increpant, *charitatis amore ſæviunt, non inflatione elationis intumeſcunt, mori enim pro ipſis parati ſunt, quos quaſi uſque ad mortem ſævientes affligunt.* Primò dicendum eſt *Pax huic domui.* Filii Zebedæi petebant fulmina mitti in Samariam, non ſunt exauditi. Sed de quibuſdam quæritur Greg. hom. 17. *Cùm regiminis jura ſuſcipiunt, ad lacerandos ſubditos inardeſcunt, terrorem poteſtatis exhibent, & quibus prodeſſe deberent, nocent: & quia Charitatis viſcera non habent, Domini videri appetunt, Patres ſe eſſe minimè recognoſcunt.* &c. Non ita res tractanda quam Chriſtus dignam ſuo ſangvine æſtimavit. Pergit Greg. *de quibus veritas dicit Matth. 7. veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intùs autem lupi ſunt rapaces.* Dicebat Propheta. *O Paſtor & idolum.* Vis adorari ut idolum, & gregis curam non habes. Paſtor in una Provincia, grex in alia. Tantùm te agnoſcunt Paſtorem, cùm mercedem Paſtoris recipis. Greg. l. c. *Sed quid nos, quod tamen ſine dolore dicere non poſſimus, quid nos ò Paſtores agimus? qui mercedem conſequimur, & Operarii nequaquam ſumus. Fructus*

quidem S. Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia in prædicatione non laboramus. Pensemus cujus damnationis sit &c. Vide homilias per octavam S. Adalberti E. M. Contractu nos quodam obligavimus, Fideles dant nobis bona, ut pro illorum peccatis satisfaciamus, quidsi nec pro suis aliquis satisfaciat? quidsi qui placare DEUM debebat pro alienis, irritet propriis? Pergit Greg. *Veniet, veniet profecto illa dies, in quo Pastorum Pastor appareat, & unicuique facta in publicum deducat, & qui modò subditorum culpas per Præpositos ulciscitur, tunc Præpositorum mala per semetipsum sæviens damnet.* Onus curæ animarum descripsit Job. 26. *Ecce gygantes sub aquis gemunt.* Juxta Apoc. autem aquæ populi sunt. Sed potest contingere quod populo Israëlitico Exod. 15. ut sicco pede per maris medium transeant. Et Isai 43. *Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te.* Dum intret ovile Pastor ostiario illius Spiritu S. aperiente & si plures ad DEUM adduxerit Greg. epist. 27. *Aversionis culpa* (quisquis peccat graviter, à DEO avertitur) *nulli imputabitur, qui revertens, lucrum* animarum à se conversarum *reportat.* Bona ipsa & proventus in animarum bonum impendendi non in vitia, ne simile quid dici possit illi Ambrosiano lib. 5. epist. 29. *De Christianorum censu reædificabitur Judæorum Synagoga, ut sit locus in quo Christus negetur. Erit locus perfidiæ de exuviis pietatis factus?* Pretio quod datum est pro redimendis peccatis ementur peccata? Christus vobis animas concredidit. Bern. epist. 4. *Magna res anima quæ Christi sanguine redempta est* videte quâ curâ servanda est. Aug. in Ps. 102. *O anima tanti vales!* Bene Christus animam à se redimi suo cruciatu toto putavit, hanc pastori custodiendam tradit ut illam lucretur, dæmon nova subire supplicia non refugit, nam quoties animam deducit ad damnationem nova illi pœna accre-

accreſcit. Salvian. *Qui furor eſt viles à vobis animas haberi, quas etiam ille vobis caras ſe habere dicit* dæmon, *qui viles facere conatur? quas etiam diabolus putat eſſe pretioſas? ac per hoc quicunque animas negligunt, etiam infra iudicium diaboli illas amant.* Sed veniet, qui dicit. *De manu veſtra ſanguinem animarum requiram. In aleis veſtris* in vanitatibus veſtris, *eſt ſanguis animarum.* Templum vobis ſuum concredidit DEUS, curam illius habere. S. Ephrem lib. de Judicio. *Anima habens in ſe Deum, templum DEI eſt, & ſanctum, & puriſſimum. Divina etiam myſteria celebrantur in ea, & Angeli & Archangeli lætantur in ea & frequenter viſitant eam, quia habitante DEO in anima, Angeli feſtinant honorare eam utpote templum DEI effectam.* Quis nollet cooperari ut hâc lætitia impleat Angelos? ut DEUS in templo ſuo ſedeat? & quâ pœnâ dignus eſſet ſi hoc negligeret, cùm ad hoc faciendum ſe obligaverit & quidem accepto pretio? quidſi etiam ſuâ culpâ, pravo exemplo, ex hoc templo DEUM exturbaverit? Qui non pavit eſurientem, non veſtivit nudum &c. Damnatur, licet ad hoc ſolùm ex communi charitate fuit obligatus: quid ille, qui non pavit animam &c. Et ad hoc ſe obligaverit ſpecialiter? Non accipiebat tantos proventus Paulus qui pro animabus, *in mortibus frequenter* &c. qui *optabat eſſe anathema pro Fratribus.* Imò plurima, ab illis paſſus: Chryſoſt. hom 7. de laud. Pauli. *Dum Paulus vinctus per vaſtum pelagus ad Cæſarem ducitur ita gaudet tanquam in maximum ducatur imperium, etenim non parvum ulli præmium, urbis Romæ converſio proponebatur.* S. Ignatius Soc. JESU Fundator dicebat. *Si optio daretur, malle ſe beatitudinis incertum vivere, & interim DEO inſervire & proximorum ſaluti, quàm certum ejusdem gloriæ ſtatim mori,* & tamen neuter horum juraverat curam animarum. Si damnatum poſſes ex inferno reducere, an negligeres? leves pœnæ inferni

respectu peccati ex quo animam potes educere. Si Fratrem tuum posses resuscitare à mortuis, an nolles? Chrysost tom. 4. hom. 4. *Mortuam animam instaurare, excellentius est, quàm corpus.* Et rationem dat Aug. de verbis Dom. Serm. 44. *Corpus vitæ redditur iterum casuræ, anima nunquam defitura.* Ex hoc concludit Greg. 3 Dialog. c. 17. *Plurus est conversio Pauli Christum persequentis, quàm suscitatio Lazari quatriduani.* Præmium hujus laboris est ingens. Misereris aliorum miserebitur tui DEUS, qui in eadem mensura remetietur in qua mensus fueris. S. Hor ab Angelo hæc audivit, ut est in vitis PP. *Quantoscunque in hac vita positus converteris ad salutem, super tantos principatum accipies in faturum.* Qui negligit animas, reus est sangvinis eorum, ut à contrario patet ex verbis S. Pauli. Act. 20. *Conteslor vos hodiernâ die quia mundus sum à sangvine omnium non enim supterfugi quò minùs annunciarem omne consilium DEI vobis.* Greg. Pastor. parte 3. Legitur Apoc. 22. *Qui audit, dicat veni ut nimirum ipse cui se vox interna insinuat, illuc etiam, clamando, alios, quo ipse rapitur, trahat: ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat.* Ilai. 6. *Væ mihi quia tacui.* Prov. 11. *Anima quæ benedicit impingvabitur, qui inebriat ipse quoque inebriabitur.* Crescit enim in nobis virtus & devotio dum alios ad illam incitamus. Greg. l. c. in hæc Ilai. *Qui exteriùs prædicando benedicit, interioris augmenti pingvedinem recipit, & dum vino eloquii mentes Auditorum debriare non desinit, potu multiplicati muneris debriatus excrescit &c. Moyses illos denunciavit à parte DEI existere Exod. 32. qui delinquentium scelera incunctanter ferirent &c. Si ergo ille DEI dicitur qui ad ferienda vitia zelo Divini amoris excitatur, profectò se esse DEI denegat, qui in quantum sufficit, increpare vitam carnalium recusat.*

Ad

Ad Sacerdotes.

VIr erat carus DEO Moyses, & tamen cùm sæviret plaga supra populum Num. 16. dixit ad Aaronem sacerdotem. *Tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper pergens citò ad populum ut roges pro eo.* Et additur, *quem erubuit Angelus vastator,* Ex quo colligitur pejores esse tali Angelo, id est dæmone, qui non reverentur legatum Principis. Sacerdos est Legatus, ut ait Paulus. *Legatione fungimur pro Christo,* hoc ut magna est dignitas, ita requirit, ne quis Principi pro quo est Legatus, faciat contra honorem & hoc ipsum severè vindicat DEUS. Malach 2. *Et nunc ad vos mandatum hoc, ô sacerdotes: si nolueritis audire, & nolueritis ponere supra cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum mittam vos in egestatem, & maledicam benedictionibus vestris &c. Vos autem recessistis de via & scandalisatis plurimos in lege: irritum fecistis pactum meum, dicit Dominus exercituum. Propter quod ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis.* Hæc prima pœna est, ut contemnantur à populo, ut contra eos insurgant sæculares. Quia sacerdos debet esse sine culpa. In vitis PP. lib. 2. *Abbas Mothues factus per vim Sacerdos, abstinuit sacru, dicebat enim. Confido in DEO meo, non habeo grande judicium propter ordinationem hanc, quia oblationem non præsumpsi facere. Nam ordinatio hæc illorum est, qui sine culpa sunt: ego autem me bene cognosco,* Altera pœna est, DEUS negat beneficia sua populo propter malos sacerdotes. Isai. 6. *Et factum est anno quo mortuus est, videbam Dominum sedentem in solio excelso.* Quid conjungitur Prophetia cum morte Oziæ Regis? quia Oziam non ejecerunt sacerdotes, cùm esset leprosus, Chrysost. hom. 4. *Vetus erat mos, omnem leprosum e civitate ejicere,*

nunc verò non idem fit; exivit ergo Rex cum lepra, non tamen ejecerunt eum ex civitate, dignitatem ejus Regiam diademaque reveriti, & DEUS irascens interrupit prophetiam &c. venit mors impuri & solvit illam. Peccat interim populus dum agit contra sacerdotes. Cypr. Epist. 9. dicit cuidam, Inquiris in mores meos. *Et post DEUM Judicem qui sacerdotes facit, te velle, non dicam de me, sed de DEI & Christi judicio iudicare. Hoc est in DEUM non credere: hoc est, rebellem adversus Christum, & adversus Evangelium ejus existere, & dum ille dicat, Nonne dico pastores &c. Nam credere quod indigni sunt & incerti qui ordinantur, quid aliud est, quàm credere, quòd non à DEO, nec per DEUM sacerdotes ejus in Ecclesia constituantur?* Sed tamen ut Greg. lib. 5. in Reg. cap. 2. *Sacerdos indignus qui meritò suæ inquinationis abjicitur, cùm ministrare præsumit, ad tantæ gloriæ culmen damnandus ascendit.* Greg. Epist. 24. *Quid Antistes ad Dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur? quâ itaque fiduciâ ad DEUM pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de propriis securus non sum? Si fortasse quispiam apud potentem virum, qui & sibi iratus esset & mihi incognitus, intercessorem suum me fieri quæreret, protinùs dicerem, ad intercedendum venire nequeo, quia ejus notitiam ex sedula familiaritate non habeo. Si igitur rectè homo apud hominem de quo minimè præsumpsissem fieri intercessor erubescerem, quantæ hoc audaciæ, quòd ad DEUM pro populo intercessoris locum obtineo, cui me familiarem esse per mea merita non agnosco? Cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati ad deteriora animus provocatur, & valdè pertimesco ne commissa mihi plebi Fidelium, reatûs mei additamento depereat cujus nunc usque delicta Dominus tolerabat.* Et Epist. 3. *Cùm sit scriptum 1. Tim. 3. ut quis priùs probetur & sic ministret, multò magis antea probandus est qui populi intercessor assumitur, ne fiant causa ruinæ sacerdotes mali.* Quidsi adhuc deventum fuerit de

quo

quo idem epist. 30. *Rex superbiæ prope est, & quod diei nefas est, Sacerdotum properatus est exitus, quia cervici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant qui ducatum præberent humilitatis.* Quid si ad hoc de quo Bern. Serm. 33. in Cant. *Serpit hodie putredines per omne corpus Ecclesiæ, & quò latiùs, eò periculosiùs, & desperatiùs quo interiùs. Nam si insurgeret apertus inimicus Hæreticus, foras mitteretur & arescceret; si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc verò quem ejiciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici & omnes inimici, omnes necessarii & omnes adversarii, omnes domestici & nulli pacifici, omnes proximi & omnes quæ sua sunt quærunt. Ministri Christi sunt & serviunt Antichristo, honorati incedunt de bonis Domini cùm Domino honorem non deferunt, inde est quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, Regius apparatus. Inde aurum in frænis & sellis & calcaribus, Plùs calcaria nitent quàm altaria.* Et rursus idem declamat. *Non extollet de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos aut neptes, ne filias dixerim, nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegii crimen dignoscitur. Sunt patrimonia pauperum facultates Ecclesiarum: & sacrilegâ illis crudelitate surripitur, quidquid sibi Ministri & Dispensatores, non utique Domini vel possessores, ultra victum accipiunt vel vestitum.* Inde judicium gravissimum Sacerdotibus incumbit. Idem ibid. *Misereamur impio & non discet facere justitiam, in terra Sanctorum iniqua gessit, in Ecclesiasticis possessionibus quæ Sanctorum usibus erant destinatæ, in domo Domini cœleste gessit officium, Angelus Domini exercituum factus est, tanquam Angelus aut eligitur aut reprobatur inventa quippe in Angelis pravitas, & districtiùs judicetur necesse est, & intolerabiliùs quàm humana.* Sacerdos enim quasi sacer dux est. Greg. Pastor. part. 2. cap. 7. *Sacerdotes jure vocati sunt, qui ut sacrum ducatum prabeant, Fidelibus præsunt.* Quomodo ducet, si ipse in foveam cadit? omnium

est

est reus quos suo decipit ducatu, S. Ephrem Parenæsi 15. *Oportet Majores minoribus formam præbere atque exemplum ad omnem virtutem ut non det occasionem, quærentibus occasionem.* Res est Sacra Sacerdos, res sacræ non violantur absque sacrilegio. Plura possunt legi in meo Opusculo. *Jugum grave.*

Ad Religiosos.

THeodosius Imp. ut est in vitis PP. lib. 2. visitans Abbatem Pastorem ait. *Beati estis vos Monachi quia securi ac liberi de negotiis sæculi, tranquillâ & quietâ perfruimini vitâ, ac solummodò de salute animarum vestrarum habetis sollicitudinem, quomodo ad vitam æternam & cœlestia regna perveniatis. In veritate enim dico tibi, quia certè in regno natus sum, & nunc in regno dego, & nunquam sine sollicitudine cibum capio.* Hic & scopum, & felicitatem Religiosi hic magnus imperator descripsit. Æstimabant hanc suam felicitatem veteres Monachi, ideoque, non ex invidia, sed ut acuerent æstimationem illius in ingressuris Monasterium, ita procedebant ut est 3. p. Vitarum PP. *Cùm quis renunciaturus sæculi negotiis in Monasterium se suscipi rogaverit, non antè admittitur quàm diebus decem, vel eò amplius, præforibus monasterii excubans, indicium perseverantiæ suæ pariter humilitatis ac patientiæ demonstraverit. Cùmque omnium Fratrum prætereuntium genibus provoluus, & ab omnibus refutatus, & despectus sit, quasi qui non causâ Religionis, sed necessitatis obtentu, monasterium optet intrare, multis injuriis affectus experimentum dederit constantiæ &c. Diligentiâ summâ perquiritur, ne de facultatibus suis inhæserit ei vel unius nummi contagio.* Hanc æstimationem status monastici habuit. S. Joan. Eleemosynarius, ut scribitur in vita S. Serapionis, *ut accusationem qualemcunque sive mendacem sive veracem non susciperet contra*

contra aliquem circum amictum monachali habitu. Habuit verò jus illam reciendi cùm esset Patriarcha, Magna felicitas Religiosi, Bern. Epist. 108. *Vobis datum est nosse mysterium regni, quibus & loquitur, nolite timere pusillus grex quoniam Patri complacuit vobis dare regnum. Qui sunt hi? utique quos præscivit & prædestinavit &c. Magnum secretumque innotuit Consilium. Novit Dominus qui sunt ejus. Sed quod notum erat DEI, manifestum est hominibus, nec alios sanè dignatur tanti participatione mysterii nisi eos ipsos quos præscivit & prædestinavit.* Et hanc certitudinem salutis Religiosorum idem ait se reipsâ expertum Serm. de quatrupl. debito. *In veritate dico vobis quòd in veritate estis in via sancta, quæ perducat ad Sancta Sanctorum. Mentior si non ex manibus hujus peccatoris* (de seipso loquitur) *Monachorum, Novitiorum, & Conversorum animæ ad cælestia gaudia volaverunt tam liberæ quàm liberatæ de carcere nostræ mortalitatis.* Et Serm. ad F.F. de monte DEI. *A cella sæpe in cœlum ascenditur & vix moriens aliquis aut nunquam à cella in infernum descendit, quia vix unquam aliquis nisi in cælo prædestinatus in ea usque ad mortem persistit. Filium enim gratiæ, fructum ventris sui cella nutrit, fovet, amplectitur: &c. morticinum mortuarum affectionum, vel hominem mortuum à corde, locus sanctus, vel terra sancta, nequaquam diu patitur.* In judicio Religiosi non judicabuntur sed potiùs alios judicabunt. Greg. 26. Moral. 20. *Non judicantur & regnant, qui etiam præcepta legis perfectione virtutum tanscendunt, quia nequaquam hoc solum quòd Divina lex cunctis præcipit, implere contenti sunt: sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt, quàm præceptis generalibus audire potuerunt. Matth. 29. Qui reliquists omnia &c. De quibus Propheta ait Isai 3. Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui. De quibus Salomon Prov. 31. Cùm de S. Ecclesiæ sponso loqueretur. Nobilis in portis vir ejus quando sederit*

cum senatoribus terræ. Hi itaque in extremo judicio non judicantur & regnant.

Jam verò vitam Religiosi consideremus ab oratione incipiendo, nam in vitis PP. lib. 2. dixit S. Epiphan. *Eum qui verus monachus est oportet sine intermissione orare, aut certè psallere in corde suo.* Jam verò de Oratione hoc documentum dat. S. Nilus. cap. 42. *Si tempore Orationis mens tua circumspicit, nondum intellexisti te ut Monachum orare, quin potiùs adhuc ex mundo es, & scenam extrinsecùs ornas.* S. Ephrem lib. 1. de compunct. cordis. *Quid est quod os tuum orat DEUM, & quæ sunt quæ poscis ab eo? fortè sæculi hujus requiem & vitam? Si hæc temporalia & marentia requiris, meliores te sunt fornicator & latro, hi enim deprecantur ut salvi fiant, & te beatificant quòd in hac bona conversatione fallaciter militare conspiciunt.* Sola æterna debent esse materia Orationis religiosi. Jam quod attinet vota quæ faciunt Religiosum, in his prima, est Paupertas. Cùm S. Macarius vidisset apud Theodorum Monachum Codices sacros dixit lib. 5. vit. PP. *Boni sunt quidem actus, sed majus est nihil possidere.* In libro Ex hort. SS. PP. *Agathon dicebat discipulo. Ne aliquid tale tibi acquiras, quod Fratri tepenti dare pigeat, & per hoc inveniaris mandata DEI transgrediens.* S. Macar. in Epist. ut cùm multo navis undarum ictu obruitur, *sic multa possidens Monachus non salvatur.* S. Marcus Abbas consultatione cùm anima sua. *Quidam Divites cum divitiarum suarum minimè amore tenerentùr, DEO placuerunt, ut S. Abraham, Job, & David. Nos verò sine divitiis avaritia vitium in materia abjectissima nutrimus. Ex quo sumus divitibus multò infeliciores, qui, cùm ea quæ plerique cupiunt & admirantur videamus despicere, occultâ tamen, quasi DEUM latere possimus, eorum cupidine laboramus. Non cumulamus aurum sed res vilissimas congerimus.* S. Francisci Seraph. sunt verba in

schola

Schola Patrum. *Pecunia servis DEI nihil est aliud quàm diabolus. Monachus cupidus miserrimus, quia caret mundo & DEO.* Ibid. SS. Patres hanc sententiam repetebant. *Monachus aliquid in vita possidens proprium, in morte non merebitur DEI proprium, quod est, misereri.* Jam ad Castitatem veniamus. Tertul. de pudicit. *Terrenum templum DEI citiùs spelunca latronum appellari potuit à Domino quàm Mechorum & fornicatorum.* Greg. in 1. Reg. c. 7. *Velut Agni partem sacrificio surripit qui puritatem cordis corporis continentiæ non conjungit &c. Hinc etiam fatuæ Virgines in Evangelio notantur, quæ lampades paraverunt & oleum non paraverunt, lampades enim paratas habent qui bonum pudicitiæ servant in corpore: oleum quoq; habent qui nitorem puritatis tenent in circumspectione mentis suæ.* Ultimum votum est Obedientiæ. Ipericius Abbas lib. 4 vit. SS. PP. *Ministerium Monachi est Obedientia, quam quis possidet quidquid poscit exauditur, & cum fiducia Crucifixo adstabit; etenim sic Dominus venit ad Crucem, scilicet factus obediens usque ad mortem.* Saul obedivit Patri ut quæreret asinas, factus est Rex. S. Pachomius juxta Regulam ab Angelo dictatam, *Universos Monachos promptos esse ad obedientiam commonebat, ut hoc compendio facilè perfectionis apprehenderent celsa fastigia, cordaque sua in timore Christi diligenter excolerent.* Alioqui ut ait S. Posthumius in nomine DEI. *Dilectio sine obedientia faciet criminosum, & conscientiâ ægrum.* Idem addit. *Quodsi calor solis exarserit & volueris bibere, & Abbas ad te domandum prohibuerit, si vel mente murmuraveris, deliquisti. Deinde si in via calcaverit spinam, non est educenda donec Abbas præceperit.* Similis doctrina in vita S. Pauli simplicis data à S. Antonio. *Quodsi quis citò ad perfectionem venire vellet, non sibi ipsi fieret Magister, nec propriis voluntatibus obediret etiamsi rectum esse videatur quod velit.* Et in vita S. Eugeniæ, *Pronuntiant nullatenùs posse Monachum prævalere,*

vel iræ, vèt tristitiæ, vel spiritui fornicationis, nisi priùs didicerit mortificare per obedientiam propriæ voluntates. E contra si quis non obediat, adducit DEUS in memoriam etiam priora peccata. Quando populus repudiavit Samuelem, ait DEUS non te abjecerunt sed me, in quod Greg. lib. 4. in 1. Reg. cap. 8. *Ubi etiam aliquid gravius cernitur, quia cùm abjectum Pastorem conqueritur, abjicientium peccata omnia, & Parentum etiam mala memorantur. Juxta omnia, inquit, opera sua quæ fecerunt à die quâ eduxi eos de terra Ægypti. Summum namque crimen agnoscitur, ad cujus discussionem, in DEI momoria præterita reducuntur.* Et quidem nec specie pietatis contra obedientiam licet agere. In vita S. Ephrem scripsit S. Greg. Nyssen. *Orabat morituras S. Ephrem ne corpus suum pretiosâ veste ornatum sepelirent &c. Unus igitur eorum qui aderant, sanè quam nobilu, cùm magni pretii vestimentum paravisset, quo Divini senis Corpus induum afficeret sepultura, neglecto quod audiverat mandato. Quare protinùs à malo dæmone percussus quòd mandato non obtemperasset, acerbissimas pœnas dabat, seque ante lectulum in quo vir sanctus jacebat, ore ferventes spumas agens dilaniabat.*

Sed si Religiosus agat vitam non religiosam, audite quid dicat B. Isaias Abbas Orat. 38. *Maledictus qui facit opera DEI negligenter. Vides quomodo DEUS eos qui in servitutem se ejus dedicant, & tamen propriæ voluntati deserviunt, non adjuvat. Sed deserat, & tradat in manus inimicorum; ex quo fit ut loco honoris quem ab hominibus aucupantur, in dedecus & ignominiam recidant.* Et S. Ephrem Parænesi 13. *Quomodo auti sumus nobis remissionem priorum peccatorum à DEO efflagitare, si ipsi non obliviscimur conversationis pristinæ?* Descripsit verum Monachum S. Greg. 1. Dial. initio. *Labentia illi cuncta subtererant, rebus omnibus quæ voluuntur eminebat, quòd nulla nisi cælestia cogitare consueverat: quòd etiam retentus corpore animus*

ipsa

ipsa jam carnis claustra contemplatione transibat, quòd mortem quoque quæ cunctis pœna est, videlicet ut expressum vitæ ac laboris sui pramium amabat. Descripsit & malum Monachum S. Anton. de Padva in Dom. 2. Advent. *Quid existis in desertum videre arundinem vento agitatam? Nota quòd arundo radicem habet in luto, in quo gula', & luxuria; vacua interius, pulchra exteriùs &c. In quo mentis instabilitas designatur, infelix & maledictum illud claustrum in quo talis arbor plantatus, & crescit.* Sed notandum quod S. Basil. in Institut. *Contingit aliquando ut qualescunque in nobis culpæ, aut quantula, humanaque tentatio, iis qui extra cernuntur improbè meditantibus, pro maximis censeatur &c. Qui nihil experitur facilem putat omnibus victoriam &c.*

Ad eos qui Sacramentum Ordinis accedunt.

QUI accedunt ad sumendam S. Eucharistiam, monet Apostolus ut se probent. Quidsi etiam se probare debeant qui ad conficiendam accedunt, qui Personam Christi gesturi, qui ejus potestate usuri, qui Mediatores inter Christum & populum futuri? &c. Greg. lib. 6. in 1. Reg. c. 3. *Samuel ait, sanctificamini & venite mecum ut immolemus. Si interesse sacrificiis non audent nisi sanctificati, quid de sacrificandis censendum?* Ante videre debent an à DEO vocati veniant, quia, ut docet Paulus. *Nemo sibi sumit honorem* Sacerdotii *sed qui vocatur à DEO sicut Aaron.* Si autem DEUS non vocat, non faciat idoneum Ministrum Evangelii, non dabit auxilia & gratias ut hoc ministerium ad salutem animæ suæ & aliorum obeat. Si enim etiam aliquando vocatis justo suo judicio hæc subtrahit, quomodo non vocatus potest illa sperare? Bern. Epist. 109. *O Judiciorum DEI abyssus multa, o terribilis in consiliis DEUS Super filios hominum! Spiritum donavit quem erat denuò*

ablaturus, ut esset supra modum peccans peccatum, & gratia subintravit ut abundaret delictum, quod tamen non fuit culpa damni sed addendi prævaricationem, sui nimirum arbitrii erat, qui male liber liberum habuit contristare spiritum, contemnere gratiam &c. Vocatio non est à DEO quæ non est propter DEUM tales nimirum vocat Mammona, vocat otium &c. Probat seipsum an possit mundum contemnere? Bern. in declamat. *Clericus qui partem habet in terra non habet partem in cœlo. Itaque Clericus si quidpiam habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus, v. g. si aurum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis pars ejus fieri non dignatur*, &c. Videat an possit castè vivere? Malach. 1. *O Sacerdotes qui despicitis nomen meum! & dixistis, in quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum. Manibus impuris meum sacrificium tractatis.* Mallet Christus poni in sterquilinio quàm tractari manu incontinentis. Pares an sitis ferendis oneribus ad quæ vos disponitis. Si aliquis se Medicum profiteri velit, aut Causarum Advocatum, & sit artium illarum non satis gnarus, peccat graviter, quanto magis sacerdos cujus ignorantia majora creat pericula? Nemo mittens ad aratrum & retrò aspiciens aptus est regno DEI, quia moram facit in aratione. Quidsi ignarus arandi susciperet negotium Aratoris? An possit non quæ sua sunt, sed quæ Christi quærere! Isai. 22. *Hæc dicit Dominus DEUS exercituum. Vade ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum? Quid tu hic, aut quasi quis hic: quia excidisti tibi hic sepulchrum in petra tabernacula tibi?* Pro me nihil fecisti. *Ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sublevabit te. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam, ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domûs Domini tui.*

Et

Et expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te. Audite iterum vocem DEI apud Ezech. 34. *Fili hominis propheta de Paſtoribus Iſraël, propheta, & dices Paſtoribus. Hæc dicit Dominus DEUS. Væ Paſtoribus Iſraël qui paſcebant ſemetipſos non greges, nonne greges à Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis quod infirmum fuit non conſolidâſtis, & quod ægrotum non ſanâſtis, quod confractum eſt non alligâſtis &c. &c. Ecce ego ipſe ſuper Paſtores, requiram gregem meum de manu eorum &c. &c.* Sciant magnum eſſe meritum Sacerdotis, magnum & demeritum. Durum enim eſt ſacerdotum judicium, Bern. in declamat. *Cùm cœperint reſurgere homines unuſquisque in ordine ſuo, ubi putas generatio iſta clericorum locabitur? Si ad milites forte diverterint, exſufflabunt eos qui minimè ſecum labores aut pericula tolerârint. Sic Agricolæ, ſic negotiatores, & ſinguli quique ordines hominum à ſuis eos ſimiliter arcebunt finibus, utpotè qui in labore hominum non fuerint. Quid igitur reſtat, niſi ut quos omnis ordo repellit pariter & accuſat, eum ſortiantur locum ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Hæc de otioſis Clericis, quòd de ſcandoloſis? Cogitet ergo an tale exemplum poſſit dare ut jure de illo dici poſſit. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Sed Greg. Moral. 33. *An non prædicatores ſimulationis Antichriſti ſunt, qui cùm ſacros ordines DEI obtinent, fugientem totis deſideriis mundum tenent?* Ponemini in candelabro, qui hactenus fuiſtis ſub modio. *Sic luceat lux veſtra* &c. Oportebit populum ambulare in luce veſtra, cavete ne lumen veſtrum fiant tenebræ. Vos eritis ſal, videte ne infatuemini, quia & ab hominibus & à beſtiis, ſi fueritis infatuati, calcabimini. Sal naſcitur ex aqua Sacerdos ex muliere, ſed ſi ſal attigerit aquam difluit, & in terram cadit; & fit lutum. Iſai. 52. *Mundamini qui fertis*

vaſ

vasa Domini. De quo Greg. 2. Pastor. 2. *Quantùm debeant mundari conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ sponsionis portant.* Malach. 1. *Labia Sacerdotis custodient legem.* De hoc Greg. hom. 6. *Nemo dicat, admonere non sufficio, exhortari idoneus non sum: quantum potes exhibe, ne malè servatum quod acceperas talentum, in tormentis pendere exigaris.* Talentum est quod Sacerdotio adjungitur, & confertur à DEO iis qui ab eo sunt vocati, Munus docendi populum; ne lamentari possit ut suis temporibus lamentabatur, Greg. hom. 17. *Ad pœnam nostram ut video, Episcopi Sacerdotes vocamur qui honoris nomen non virtutem tenemus,* &c. Ad pœnam, ut scilicet gravius judicemur, ac damnemur. Pergit idem. *Nullum puto ab aliis majus præjudicium quàm à Sacerdotibus tolerat DEUS, quando eorum quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se pravitatis exempla cernit, quando ipsi peccamus qui compescere peccata debuimus* &c. *Nos pereunti populo æuthores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad vitam.* Scitis qualis cibus Sacerdotum. *Peccata populi comedes,* ut ciconia serpentem ut ab iis purget prata. Alter cibus libri, dictum Ezechieli Sacerdoti, *Comede volumen,* idem dictum Joanni in Apoc. Potus, dictum filiis Zebedæi. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Persecutiones propter veritatem, occupatio, oratio. Sed contra quendam Sacerdotem Cypr. Epist. 64. *Quam hic precem in conspectu DEI pro Fratribus faciet, cùm DEUS peccatores non audit? Contrectat pudorem incestus, fidem perfidus, religionem profanus, Divina terrenus, Sancta sacrilegus.* Lectus quis Sacerdotis? Vulnus lateris Christi, ex illo prodiit Ecclesia, in illo quiescat Sacerdos, & in illo dum quæritur inveniatur. Sed fortasse quærentibus contingit aliquando quod contigit Nunciis Saul dum quærerent in lecto Davidem, invenerunt pro eo statuam, cum pellibus caprinis & quidem

quidem in latere Christi, sed ut idolum, ut abominatio in loco sancto. Contingit fortè quod Petro & Joanni qui cum quærerent Christum in sepulchro, non invenerunt nisi linteamina: non invenitur nisi vestis, deest res ipsa. Memores sitis quàm frequentissimè sacrificium Domino offerre. B. Laur. Justinian. dicebat de omittentibus celebrationem Missæ. *Qui cùm possit Domino suo frui, & non frueretur, facile se declarat Domini sui caram non habere.* Accedite jam qui vocati estis à DEO, sed accedite, in puritate, sanctitate, nota sit modestia vestra hominibus, videant opera vestra & glorificent Parrem vestrum. Nunquam à vobis recedat timor DEI, non dominetur peccatum in vestro corpore. Sancta tractate sanctè, alioqui dicet vobis DEUS. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? plenus sum, holocausta arietum & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui, cùm veniretis ante conspectum meum quis quasivit hæc de manibus vestris, cum ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultrà sacrificium frustrà, incensum abominatio est mihi. Neomeniam & sabbatum, & festivitates alias non feram; iniqui sunt cætus vestri. Kalendas vestras & solennitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens & cum extenderitis manus vestras, avertam oculos à vobis.*

In Consecratione Abbatissæ.

DUO munia accipit in se Præfecta Monialium, & ut custodiat Virgines, & ut regat Religiosas. Utrumque est sublime. Virgines sunt Christi sponsæ: Religiosæ sunt vasa Christo consecrata. In quocunque horum defecerit grande instar judicium, & tanquam proderet Christi thesauros vapulabit: pro utraque ingens præmium. Si enim seipsum

custodienti Religioso promittitur centuplum, & vita æterna, quid tot alios Conservanti?

Quod virginitatem attinet, crebro illud Hieron ad Eustochium meditetur. *Rectius fuerat homini subiisse conjugium, ambulâsse per plana, quàm ad altiora tendentem in profundum inferni cadere. Ne fiat obsecro Civitas meretrix. Isai* 1. *Ne post Trinitatis hospitium, dæmones ibi saltent, & Sirenes nidificent & ericii.* Proinde attendat ne in aliquam cadat reprehensio. Bern. epist. 115. *Cur velum in capite mentiebatur reverentiam, & subinde petulans oculus exhibebat impudentiam?* Attendat ne se aliqua nimis comat. Basil. orat. ad nepotes de libris Græcorum legendis. cap. 12. *Occupatum esse in corporis ornatu non minùs turpe dicendum arbitror, quàm aut pellicem esse aut adulteram &c. Neque enim minùs turpe est, cum qui verè hoc cognoverit scire dignus existat nimiam corporis curam habere, quàm ad aliam quamvis passionem effæminatum esse &c.* Moneat ut quo amore castitatis eam voverunt, illam semper augeant. Basil. l. c. *Si flammantem Spiritum, quo nunc recaluit sine dubio cor tuum intra te, & meditationibus tuis exardescentem ignem Divinum jam extingvi permiseris, quid restat nisi ut te illi servandum noveris igni qui non possit extingvi?* Non sint colloquia cum sæcularibus etiam affinibus. Basil. ad Chilonem. *Si simul cum Christo mortuus, ac à tua generatione ac prosapia secùndum carnem disjunctus, quid rursus cum eisdem involui cupis. Si enim, quæ ob Christum semel dimisisti, hæc rursus ob tuos propinquos adificas, promissis minimè stabis, inconstantiæ damnaberis.* Amèplius Tertul. lib. de velandis virginib. *Vera & tota & pura virginitas nihil magis timet quàm semetipsam, etiam fœminarum* (ipsa fœmina) *oculos pati non vult.* Et Ambr. lib. 3. de virginib. *Deesse virgini sermonem quàm superesse malo.* Cogitent se habere thesaurum in vasis fictilibus.

Jam

Jam ad regimen. Intelligat se non mancipiis sed Christi filiabus præesse: proinde Matrem agat non Despotam, non veluti victor captivis imperet. Quod solent facere, ut ait Adrian. Gallus; qui domi suæ sordium captivi erant, & in Religione velut mundum invenissent, regimen acceperunt. Reges gentium dominantur eorum, vos vero non sic. Voluntariè tibi obedit, qui si mansissetis in sæculo forte coactus serviviſſes. Propter Christum paret, imperet ut Christus, & hoc imperium maximè sit in eo quod Petrus præcipit, *Forma gregis facti, exemplo fac bonos.* Nescis Christi dictum *Oderint dum metuant.* In charitate non in metu perfectio. Sunt qui dum, ait idem, si omnes in cœnobio tristes fecerint, perfectos se perorant feciſſe. At ubi illud, Dulcis Domine Spiritus tuus? flagella & rigores augent, & charitatem velut hostes expugnant quæ est vinculum perfectionis. Planè agunt sicut illi de quibus Historicus, qui ubi solitudinem fecerint, pacem appellant. Hactenus ille. E contra Subditæ crebro non illud quod dixit S. Ephrem Paræneſi. 35. *Recordare quòd mundo renunciasti & propriæ voluntati, & verbum non sustines?* & Paræn. 38. *Itane Monache professus es te Christo placere velle, ut tribulationes & tentationes, quæ ingeruntur ab Adversariis non fortiter sustineas; neque correctiones & admonitiones à tuo Præfecto suscipere? Cum Apostolus dicat. Quodsi extra disciplinam estis cujus participes facti sunt omnes; ergo adulterini & non filii estis. Cæsus es? gaude, te cæsum verberibus, verum & erratum corrige. Injustè verberatus est, gaude quia mercès tua magna.* Ferè in cœnobiis impatientiores sunt, ait Gal. ut qui in sæculo plura sustinuissent Videte ne in aliquem cadant querelæ S. Ephrem. cap. Eorum correctio. *Attendite obsecro quid dicam qui vitam hanc Monasticam sustuliſtis, & contremiscite. Angelicum ferentes habitum cum diabolo militamus. Habitus est Angelicus sed vitâ sæcularis. Num*

inter Angelos viget contentio ac zelus quemadmodum nunc inter Monachos cernimus? &c. *Vix tertius est dies ex quo Mundo renunciâruut & cum illis, qui in habitu consenuêre, contendunt, nec volunt redigi in ordinem aut cuiquam obtemperare, sed excusationes excogitant, & ne corpus fatigent alius alium respicit. Subiit obedientiæ jugum & vult imperare, irascitur si admonetur, non faciam respondeo nisi ille veniat &c. Sæpè qui domi suæ fuerat operarius & ignorabat quæ illius esset dextra vel sinistra, in monasterio studiosus & interpres, ac doctor incedit, &c. Mundo specie duntaxat renunciavimus re autem ipsâ quæ mundi sunt amplectimur. Excessat mendax excusatio. Habitu Monachi sumus moribus crudeles quidam & inhumani. Habitu humiles, moribus pestilentes. Habitu Religiosi, moribus pernicioſi. Habitu dilecti moribus inimici, habiti chari &c. Nolite putare in cinguli & veste longa consistere vitam perfectam aut in eo salutem esse positam, quòd manus habet mundas, quòd eloquens sit, quòd scripturas interpretetur, quòd capite incedat raso, aut comam nutriat. In virtute, in bonis operibus sita est. Hæc autem dico non ut habitui detraham, absit sed ut ostendam habitui debere mores & opera congruere. Habitus enim sine operibus nihil est.*

Ad hæc attendat Abbatissa, ut claustrum servetur, ut regulæ impleantur, silentium vigeat &c. Et Materno inducat affectu ut noverint Filiæ ab amore non odio correptionem procedere, itaque uni se Matrem alteri novercam exhibeat, & malit ut de suo errore quælibet sponte pæniteat, quàm ut puniatur. Habent blanda verba vim magnam etsi dulcem, emolliunt cor, ut in eo quod volunt inprimerere possint, dura è contra faciunt obdurari. Omnia perfecit Paulus etsi totus dixerit, Filioli mei, viscera mea, corona mea, &c. neque tradidit Sathanæ inter tot millia nisi unum, idq; propter enorme & notorium scelus adjuncto simul amore ejus salutis,

salutis, & ad utilitatem omnium. Christus non coegit ullum pœnis ut suus esset discipulus; Antichristi id erit, non taceant, tamen si lupum venientem videant, prospiciant ne aberret ovis; Meminerint illius quod Greg. 2. Pastor 6. monet. *Qui cum curare corporalia funditus negligunt, subditorum necessitatibus minimè concurrunt, quorum prædicatio plerumque despicitur, quia dum delinquentium facta corripiunt, sed tamen eis necessaria præsentis vitæ non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur. Egentis etenim mentem sermo doctrinæ non penetrat, si hunc apud ejus animum manus misericordiæ non commendat, tunc autem semen verbi facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat.* Claudat hunc sermonem monitum synodi Syscovianæ Cracovien. cap. 4. ubi &c. Monet Parochos, quod omnibus curam animarum habentibus servit. *Ad bonæ gubernationis modum pertinet in rebus agendis dexteritas, suavitas, affabilitas, compassio, non indignatio, non pauperum contemptus, non avaritia. Ut facilè agnoscant Parochiani Pastorem suum jure officio fungi idque ex mera cahritate, quæ est medium efficacissimum ad lucrandas hominum voluntates.*

In Consecratione Monialis.

Ecce Sponsus venit exite obviam ei. Matth. 25.

ALiquos DEUS ipse transeundo vocat, ut Apostolos, *Sequere me*; ad aliquos misit Angelum ut ad Centurionem in actis Apost. ad aliquos virum aliquem sanctum ut ad Davidem Nathan Prophetam. Sed ad virgines ex proposito ipse venit. Nam pro SS. Virginibus legitur Evangelium vel de thesauro, ad hunc venit homo & emit agrum illum: vel de Margarita, *dedit omnia sua & comparavit*; vel de decem virginibus.

ginibus. *Ecce ſponſus venit.* Dicam de hujus Margaritæ ac theſauri pretio ut tantò alacriorem hanc virginem quæ conſecratur faciam ad occurrendum Chriſto.

Poſtquam creaviſſet DEUS primum hominem, dixit. *Non eſt bonum ſolum eſſe, dedit adjutorium ſimile.* Similis Chriſtus primo homini, unde & ſecundus Adam, quod habet adjutorium? Apoc. *Virgines ſequuntur Agnum quocunque ierit.* Sed quomodo ſimiles Chriſto, Cant. *Veni columba mea* vocat ad ſe Virginem, Chryſol. ſerm. 143. *Semper Angelis cognata eſt virginitas.* Non per terram ambulat, cum Angelis ſubvolat. Cùm S. Georgia virgo ſepeliretur, grex columbarum ſupra funus comparuit, & eâ ſepultâ in cœlum evolavit, ut ſcribit Greg. Turonen. de gloria Confeſſ. cap. 34. Chriſtus etiam ſub ſpeciebus panis non in alio vaſe olim apud Græcos ſervabatur, ut ſcribit Baron. quàm quod fuit in ſpeciem columbæ conformatum, unde S. Baſil. Chriſtum vocat *columbam Euchariſticam.* Columbæ Chriſti ſunt virgines, ſunt dilectæ, unicæ & propterea ſunt ejus theſaurus & Margaritæ. Theſaurus latet in terra, nulli notus, Virgo ſic in clauſtro latet, Conchæ ſoli rori ora ſua aperiunt, Virgo ſoli orationi ut ſic rorem cæleſtem attrahat. *Os meum aperui & attraxi ſpiritum* Pſ. Quod mare in quo hic unio? quis ager in quo hic theſaurus? quod columbarium? Templum, clauſtrum. Poſtquam Salomon ædificavit templum, extruxit etiam clauſtrum Virginum inter altare & parietem templi, ut eſt apud Nyſſen. de humana Chriſti gener. de his 2. Machab. 5. *Virgines quæ concluſæ erant ob tumultum exortum ad Oniam ſummum Sacerdotem confugerunt.* Ecce quàm res antiqua virginis DEO ſacræ! Sed non tum primò cæperunt. Exod. 38. *Fecit labrum æneum cum vaſe ſuo de ſpeculis mulierum quæ excubabant in oſtio tabernaculi.* Hæ mulieres dicibantur exercitus Domini ut teſta-

testatur Rabbi Abemacara in l. c. Sed quando hic exercitus primò institutus, à nemine scriptum. Quia sunt thesaurus inventus, qui ut sit talis, opus est ut nesciatur à quo sit in agrò depositus. In lege Christi primam Monialem consecravit S. Mathæus Evang. deinde quæ erant ejusmodi vocabantur aliquando *Diaconissæ*, ut est apud S. Clem. l. 2. constit. *Nonnæ*, ut apud S. Hieron. epist. ad Eustoch. *Sanctimoniales* ut est apud Aug. in Ps. 83. His primus publicos reditus constituit Constant. Magn. ut est apud Niceph. l. 8. hist. cap. 26. His regulas apud Græcos conscripsit Basilius magnus. Hic thesaurus Christi sanctus, quare & vestes quibus teguntur benedictæ sunt. Pro his orat Ecclesia. *Sint hæ vestes salutis protectio, cognitio religionis, initium sanctitatis, contra omnia tela inimici robusta defensio.* Hæ Christo desponsantur per annulum; coronantur ut Reginæ, & uxores. Orat Ecclesia, *ut supra vos permaneat Spiritus S.* Vos dicere potestis Cant. 8. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Vos quia Christi estis non solùm sponsæ, sed etiam ut Ecclesia dicit uxores, estis Affines DEI Patris & Spiritus S. & quia uxor in domo mariti supra omnes plus potest, vos apud Christum præ aliis sanctis, siquidem illi serui sunt, imò supra Angelos, nam & illi sunt administranorii spiritus, potestis. Vobis in cœlo thronus proximus Christo, *Sequuntur Agnum* canticum canetis, quod nemo alius cantare potest. Hinc S. Hieron. contra Jovin. *In omni genere hominum optimus virgo fuit* ut patet in Christo inter viros, in B. Virgine inter mulieres: inter Apostolos eminet Virgo Paulus: inter Martyres Stephanus: inter Evangelistas Joannes &c. S. Aug Conjugatos comparat stellis, viduas Lunæ, Virgines Soli; hinc similitudo cum Christo.

Margaritæ ex rore concipiuntur, virgines ex illo rore, de quo *Rorate cæli desuper.* Hinc Ecclesia tantam circa illas adhi-

adhibet curam, tantoperè illas vult conservatas, ut nihil magis, hostes illarum, tot maledictionibus obruit ut nullos magis. Audite enim quid dicat hodie. *Authoritate Omnipotentis DEI, & beatorum Petri ac Pauli Apostolorum ejus &c. ut est in Pontificali.* Has in custodiam tradit Abbatissæ. *Vide quomodo istas consecratas DEO serves & repræsentes immaculatas, redditura pro eis rationem ante tribunal sponsi eorum venturi Judicis* Collaboret illa omni suavitate ut dulce hoc Christi conjugium vobis reddat: collaborate vos omni humilitate & obedientiâ ut illi vos regere non sit amarum, exuistis omnem affectum ac terrena, nolite illum resuscitare per amorem vel minimæ rei temporalis. Memineritis vos habere thesaurum in vasis fictilibus, cavete ne hoc vas in terram decidat & frangatur, ventus ipse, scilicet colloquium incautum, fictilia ad terram dejicit, maximè si in feneſtra illi exponatur, non impetatur lapillis munusculorum. Custos illius humilitas, sic enim non habebit quò cadat.

De Eadem Consecratione.

Virginitatis est dignitas, quia Christus voluit nasci ex Virgine. Ambr. lib. de virginit. *Bona est continentia conjugalis, melior continentia vidualis, optima mundities virginalis.* Prima trigesimum, secunda sexagesimum, tertia centesimum affert fructum. In cœlo Angeli sunt virgines. Adam ante peccatum in paradiso fuit virgo. Matrimonio uti cæpit post peccatum & exul. Rursus, est meriti maximi quia, ut Bonav. in 3. dist. 39. *Ubi est major difficultas ibi ratio virtutis est majoris præmii & meriti.* Ac verò Aug. de Christiano agone, *Inter omnia Christianorum certamina, duriora sunt prælia castitatis, ubi continua pugna & rara victoria.* Bern. serm.

Serm. ad Monachos. *Cum mulieribus habitare & de mulieribus non cogitare, majus est quàm mortuos suscitare.* Virginitas soli DEO vocat. Hieron. ad S. Virgines. *O Felix virgo in cujus corde, præter amorem Christi, nullus aliu versatur amor.* Hæc est virtus maxima, quia ut docet S. Th. 2. 2. q. 152. a. 6. *Tantò virtus est major quantò per eam aliquis Christo magis conformatur.* Virgines autem seqvuntur Agnum quocunque jerit. Greg. in Pastorali. *Canticum novum cum Agno singulariter cantare, est cum DEO in perpetuum de incorruptione carnis gaudere.* Consecratio, rei prophanæ, efficit sacram, & honore dignatur vestra virginitas, hodie DEO consecratur, ut jam non sit vestra sed DEI, sicut qui dat calicem templo jam non est ejus, & qui illum auferre vellet, jam non furtum, sed sacrilegium committit, imò etsi illum auferat quem ipse dedit, ut docet S. Ephrem adhort 1. Jam dicere potestis *Dilectus meus mihi & ego illi.* Dilectus immortalis, cum quo desponsatio non finietur per mortem, tota mens in hoc dilecto. Unde S. Nilus Abbas de oratione. *Si Orationis tempore mens tua vagatur, te nondum esse Monachum, sed mundi studiosum judicat & ea quæ sunt extrinsecus attendentem.* Et quia in vobis Virginitas non est ut in sæculo sed sacra, & cui votum obedientiæ adnexum, hinc alterum Martyrium & ejus corona. Hieron. in vita Paulæ. *Non solùm effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum Martyrium est. Illa corona de rosis & violis plectitur, ista de liliis.* Quia verò sponsæ Christi estis, ut sponsarum curam habet. Dixit quidam senex in vitis PP. lib. 2. *Sicut nemo potest lædere eum, qui ad latus Imperatoris est, ita neque Sathanas potest nobis nocere si anima nostra adhæserit DEO.* Hodie Religiosæ efficimini. Audite B. Isaiam Abbatem Orat 9. *Si mundo renunciasti, teque DEO per pœnitentiam addixisti, ne sinas te affligi cogitatione*

quasi verorum peccatorum veniam non impetrandam. Iterum ratione Religioni factæ estis Christi Sponsæ, idem Orat. 15. *Qui ea quæ mundi sunt, reliquerunt, digni facti sunt, ut D. JESU Sponsæ sint, & in ejus unitate permaneant. Propter hoc,* inquit *Apost. Ephes. 5. Relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ.* Ita ut si Christus posset relinquere Patrem & Matrem, vos non desereret. De salute vestra certus vos facit S. Bern. Serm. ad FF. de monte DEI. *Cellæ & cœli habitatio cognatæ sunt, quia sicut cœlum & cella ad invicem videntur habere aliquam cognationem nominis, ita & pietatis.* &c. *Propter quod secundùm formam propositi verbi laborantes potiùs in cœlis quam in cellis &c. Quod geritur in cœlis, hoc & in cellis, quodnam est hoc? Vacare & frui DEO, quòd cum secundùm Ordinem & piè celebratur in cellis, audeo dicere, S. Angeli DEI cellas habent præcelis, & aquè delectantur in cellis atque in cœlis &c. Acalo sæpe in cœlum ascenditur, & vix moriens aliquis, aut nunquam, è cella in infernum descendit, quia vix unquam aliquis nisi in cœlo prædestinatus, in ea usque ad mortem persistit.* Omnium horum est ratio. Quia inprimis omnia peccata quæ in sæculo fecit Religiosus, per ingressum ad Religionem veluti per Baptismum tolluntur. Hæc doctrina est Hieron. Damiani. Bern. Odilo. Cluniacem coll. 2. ubi ait. *Eadem gratia datur in Monastico habitu quæ in albis Baptismi.* Et hanc gratiam dantur maxima media conservandi.

In Benedictione Matrimonii.

FOrtasse non quisque cogitat etiam in cœlo esse Matrimonium, siquidem quid ibi opus illo, ubi nemo moritur. Nam ideò res nascuntur novæ, quia antiquæ intereunt, Ideò flores novi, aviculæ &c. homines, quia Pater moritur.

At in cœlo id non est, ideo *neque nubent, neque nubentur.* At verò etiam in cœlo fuit semel magna pestis. Tertia pars Angelorum cum Lucifero mortua, opus supplere quod periit, non quidem per matrimonium carnale, *neque enim ibi nubent aut nubentur,* sed per spirituale, quod Christus habet cum Ecclesia, ex quo tamen nascuntur verè Filii; tale Matrimonium cum sit præstantissimum, proponam vobis pro exemplo quod novi Conjuges imitemini.

De quatriplici lego Matrimonio in scriptura. Primum est, Christi cum Ecclesia. *Sacramentum est magnum, hoc autem dico in Christo & Ecclesia,* ait S. Paulus. Secundum etiam Spirituale, sed jam non totius Ecclesiæ cum Christo, sed unjuscuiusque nostrum singulariter, de quo idem Paulus. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Tertium hominis cum homine, cui Christus interfuit in Cana Galilææ. Sed nullum horum Matrimonium fuit cui se non immiscerent Angeli. Contrahebat Christus Matrimonium cum natura humana, parabat cum Ecclesia. *Missus est Gabriel Angelus ad virginem* &c. Deinde Angeli alii accinuerunt. *Gloria in excelsis DEO* &c. Contrahit Christus cum Anima. *Gaudent in cœlis Angeli super uno peccatore pœnitentiam agente.* Fiebat tertium Matrimonium in paradiso, præerat illi Michaël; de illo canit Ecclesia, *Michaël præpositus Paradisi.* Contrahebat junior Tobias cum Sara, cociliavit hoc Matrimonium Raphaël. Contrahebat Assuerus cum Esthere. Ecce Zach. 1. *Respondérunt Angeli qui stabant inter myrteta.* Myrthus ut scribit Plin. lib. 5. est arbor nuptiis sacra, & ipsa Esther alio nomine vocabatur Edissa, hoc est, myrthus. Sed etiam ipse Christus ubi est sermo de suis nuptiis in Apoc. *Uxor nuptiarum Agni,* se vocat Angelum. *Mensura hominis Christi, quæ est Angeli.* Itaque nihil meliùs conjugibus quàm si vivant inter se, ut vi-

vunt nobiſcum Angeli, & eorum monita audiant, & hoc eſt quartum Matrimonium, adhæret enim relicto cœlo animæ noſtræ Angelus ut vir uxori, ſunt duo in carne una, non deſerit uſque ad mortem.

Imprimis Angeli non ſuſpicantur de nobis. Venerunt ſemel tres ad Abrahamum, unum ille adoravit, num alii duo ſuſpicati ſunt per hoc ſe contemptos? Imò cogitârunt id Abrahamum prudenter facere clamabant peccata Sodomorum, jam hic non ſolùm ſuſpicari ſed credere oportebat, at verò Angeli antequam puniant, prius deſcendunt, ut videant an ita ſit. Didicit hanc virtutem ab Angelis, & in conjugio Abraham ſervavit. Accepta fuit illius uxor à Pharaone, nihil mali de illa ſuſpicatus. Poſuerat Michol in lecto Davidis ſui mariti ſtatuam illi ſimilem, quid hic ſuſpicax diceret? At Michol hoc modo à morte Davidem eripuit. Quàm miſer ſtatus, cùm ſe nec movere loco, nec proſpicere ſine ſuſpicione conjux poteſt, cùm toties illud in detorto ſenſu auditur *Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum* &c. Quoties aſpicis per feneſtram, toties vulneras.

Angeli nos in tribulatione ſolantur. De Matrimonio dictum. *Verumtamen ejusmodi tribulationem carnis habebunt.* Eſt ſatis afflictionum. 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum.* Quid in tribulatione loqui ſoleant homines, ſcimus. Sed quid Angeli? audite repleta erat tota domus fumo, Iſai 6. At illi clamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.* Debet ſolari maritus uxorem, ita non ſolum patienter adverſa ferat, ſed etiam ut iis laudet DEUM, ita fecit Manue Judic. 13. Ita Job.

Angelus ad bona opera inducit. Jacebat ſub Junipero Elias, venit Angelus, excitavit, *Surge, comede, ambula.* Excitet vir uxorem ad S. Communionem, ad Orationem Zach. 4.

Angelus

Angelus ſuſcitavit me quaſi virum qui ſuſcitatur de ſomno ſuo. Suſciter uxor virum in cultu DEI ſommolentum. *Per uxorem fidelem ſanctificatur vir infidelis,* & econtra, ſed quidſi à bono avocet! *vade retro Sathana,* ſicut Tobias reprehendit uxorem quando alienam rem accepit. Sed id modo ſuavi faciat ut Angelus, authoritatem ſuam ſervet ad judicia, tribunalia. Prov. 31. *Nobilis in portis vir ejus quando ſederit cum ſenatoribus terræ,* In portis olim fiebant judicia, in iis ſe oſtendat Senatorem, ſed domi ſit maritus. Angeli nos docent, corrigunt, ſed quomodo? Job Angelos vocat *aſtra matutina,* aſtra dum oriuntur, non ſtatim ſunt in altiſſima parte cœli, illuminant primò viles vapores terreos, paulatim calorem exerunt, nullum cum altero certat ut priùs mundo compareat. Apoc. 5. vidit *Agnum ſtantem tanquam occiſum habentem oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus DEI.* Angeli ſunt oculi, ſed ſimul aſpiciunt Agnum occiſum. Sit uxoris oculus maritus, ſit cuſtos: ſed ſimul ipſe reſpiciat quantum debeat Agno. Ita uxorem reprehendat, qualiter ſe optat reprehendi ab Agno ad cujus mortem concurrit.

Amorem mutuum ſervent Conjuges. Pſ. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ignem urentem.* Ignei ſunt Angeli propter amorem, ignis convertit in ſe lignum, imò & ferrum, amor in ſe omnia, hinc quæ amamus & pulchra & jucunda putamus, & nobis digna, & nobis æqualia. Cant. *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus.* Hoc ſponſa dicit, nihil illi pulchrum præter Sponſum. Eſt ipſi columna nubis & ignis dilectus, columna quæ duxit populum DEI, & hæc columna eſt ab exemplo Angelorum ſumpta, quia in illa columna populi fuit Michaël. Sponſa nubes in æſtu ſponſa, ſponſa illuminat per diem. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te.* Angeli oppreſſerunt Pharaonem, & ſponſa,

nemo ditior, nemo magis militaris quàm meus ſponſus, illa ut Abigail defendit maritum, etſi fuerit Nabal, id eſt, ſtultus. *Equitatui meo aſſimilavi.* Id eſt, Angelis qui involantes in currus Pharaonis eos demerſerunt. Angeli amantes populum DEI.

Si ita fueritis imitati Angelos, erit *Angelus pacis vobiſcum.* Eritis ſicut *duæ Olivæ in domo DEI & Filii veſtri ſicut novellæ olivarum. Eritis ſicut duo candelabra lucentia.* Erit Apoc. 1. *Gratia vobis & pax à ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu DEI ſunt.* Quod dum vobis apprecor, verbis illis Tob. 5. utor. *Benè ambuletis, & Dominus ſit in itinere veſtro, & Angelus ejus comitetur vobiſcum.*

De Eadem Benedictione.

QUalis eſt differentia inter ablutionem corporis cùm balneator affundit aquam, & inter ablutionem baptiſmalem: talis inter Matrimonium Ethnicorum & Chriſtianorum. Lotio balnei abluit corpus ſed non tangit animam: lotio baptiſmi abluit animam. Matrimonium Ethnici eſt contractus, qualem facimus quando cùm convenimus, da mihi pannum v. g. ego tibo dabo pecuniam: fac iſtud pro me, ego pro te viciſſim faciam. At inter Chriſtianos ſicut baptiſmus eſt Sacramentum ita Matrimonium. Baptiſmus eſt ſignum viſibile inviſibilis gratiæ, eſt & Matrimonium; illo confert gratiam ex Chriſti meritis, confert & iſtud; gratia verò DEI eſt talis, ut in quo reperitur, DEUS illi det cœlum. Præterea attrahit auxilia quædam dum per Sacramentum accipitur, ut ope illorum homo plurimùm juvetur ad vitanda peccata, virtutum profectum. Propterea debet ad Matrimonium quiſque ſanctè accedere, eo fiet ut numerus ſervorum

rum DEI augeatur: accedant ſanè Ethnici *ſicut mulus & equus quibus non eſt intellectus*, quia illorum Matrimorum tam ſanctum eſt atque mulum vel equum emere. At non licet ad noſtrum in peccato accedere, & ſi hoc fiat, novum committitur peccatum, & auxilia quæ aliàs conferret non confert. Et quia ipſi ſponſi & conficiunt hoc (non Sacerdos qui ſolùm teſtis eſt & benedicit) & ſuſcipiunt Sacramentum, ex utroque capite obligantur ut ſanctè ad illud accedant.

Quoniam verò quoduis Sacramentum occultat in ſe aliquod DEI myſterium, ſic, in ſpeciebus Euchariſticis latet corpus & ſangvis Chriſti. In Baptiſmo regeneratio in Filios DEI &c. In Matrimonio, Chriſti cum Eccleſia matrimonium. Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Magnum eſt, quia aliorum Sacramentorum materia eſt aqua, vinum, panis, oleum; hujus verò ipſi vivi homines. Magnum, quia alia conficit homo unus, hic duo. Magnum quia alia poſſunt fieri in occulto & ſecretè, iſtud nonniſi publicè & cum aſſiſtentia non cujuſcunque ſed proprii Parochi. In baptiſmo latet regeneratio in Filios DEI, in iſto ipſum matrimonium Chriſti cum Eccleſia, per quod fit regeneratio. Hæ dignitates ſunt Matrimonii, etſi ab aliis Sacramentis quoad aliqua etiam ſuperetur, ſiſtamus interim in hac, quòd Matrimonium Chriſti cum Eccleſia ſignificet, hinc enim ſument conjuges vivendi in conjugio exempla. Ab initio ſtatim mundi hoc Chriſti matrimonium deſcribebatur, apparabatur. Sumpta prima uxor de latere viri prænunciabat naſcituram Eccleſiam de latere transfoſſi Chriſti. Salomon Epithalamium ſcribebat. David cytharam parabat *Audi filia & vide* &c. Parochum in hoc Matrimonio agit S. Paulus. *Deſponsi vos uni viro*, idem ergo Paulus docet. *Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, vir mulieris.*

Eſt

Est caput, non manus, quia manu percutimus: non pedes, quia hæc pars ignobilior, non oculus, quia nihil aliud faceret nisi uxorem observaret. Est caput, habet omnes sensus, caput, sed non in sui unius commodum verùm totius corporis. Maritus videat, audiat, non solùm quod sibi soli utile sed quod etiam uxori, illa verò obediat, nam si corpus vellet imperare capiti quis esset ordo? Talis certè, ac si vellet Ecclesia regere Christum.

Rursus idem Paulus *Viri diligite uxores vestras sicut Christus Ecclesiam.* Nunquid pauci sunt in Ecclesia mali, num ideò malam appellat Christus Ecclesiam? Imò *Maculam non habentem neque rugam, neque aliquid hujusmodi.* Quia non respicit maculas, *Nescio ves*, & illos convertit in sanctos, quæ corona Ecclesiæ? *Veni coronaberis de capite Amana, de vertice sancto & Hermon, de cubilibus leonum* &c. Sunt montes anathemata, speluncæ fœtentes. Sed videte dum hanc coronam imponit sponsæ. *In capite ejus corona duodecem stellarum* dissimulet maritus quædam, & alia corrigat in charitate, & meminerit quòd *charitas operit multitudinem peccatorum.* Apud Judæos concessum fuerat dare libellum repudii, Sanctius apud nos est Matrimonium, Christus regit Ecclesiam sed in omni amore, errare non permittit sed non pedibus proterit. Exprobravitne unquam Ecclesiæ inæqualitatem generis? Imò *tradidit semetipsum pro ea.* Fuerit uxor mancipium antea, si est uxor jam est amore & honore digna. Mancipium fuit Esther sed postquam nupsit Assvero, jam summus Princeps Aman nihil est præ illa. Conjugium à jugo dicitur, quia apud Romanos in desponsatione jugum imponebatur, jam conjuges in eodem sunt jugo. Dives maritus jam & uxor dives, ita Christus sponsæ. *Multæ Filiæ congregaverunt divitias tu supergressa es universas.* Volat in gloria maritus ut nubat, connubium

bium à nubibus dicitur, jam & uxor volat. Thesaurus uxoris vir, viri uxor, ad hoc annulos sumitis quibus vos obsignetis, annulus datus est filio prodigo & statim ex indigno factus est dignus. Hic Amor non debet habere finem sicut neque annulus habet: Jam uxor est viri corpus, jam dolori si accidet, idem sensus: jam pars una juvat alteram: accipiat vulnus pars una cùm quanta lenitate applicat emplastrum alia? In Christo unum est & Divinitas & Anima. *Et erunt duo in carne una*, duæ animæ, etsi una caro, tamen summa in Christo consensio Divinitatis cum anima, licet utraque suam liberam habeat voluntatem summa tamen est concordia, neque natura dignior improperat viliori, neque vilior in formidine cohabitat.

Superest ut vobis dem Benedictionem, do illam ipsam quam dat Ecclesia &c.

Tempore Nundinarum.

DUM homines suas nundinas exercent, etiam Dæmones, & DEUS suas, sed dæmon adhibet merces quæ patent sensibus nostris, id est voluptates visûs, auditûs &c. DEUS illas quæ intellectu solùm conspici possunt, cælum, gratiam, virtutem. Uterque non aliam requirit pro mercibus suis pecuniam quàm nostram animam.

Dum voluptates sensuum prohibitas à dæmone emimus, animam nostram illi in servitutem tradimus, nec enim illam si emerit, tractare aliter novit quàm mancipium, ut si Barbari capiant filiam Principis, illa vult speculum, jubetur accipere scopas ut verrat stabulum: vult in lecto quiescere, jubetur in nuda humo: vult cibos exquisitos, jubetur scapulas nudare ad plagas &c. Aug. prop. 42. in epist. ad Romanos

in illa verba. Ego carnalis homo venundatus sum sub peccato ita ait, *Quod intelligitur perinde quasi unusquisque peccando animam diabolo vendat, accepto tanquam pretio ipsâ voluptatis dulcedine.* Sic animam suam vendidit Acham pro auro quod tulit de anathemate Jericho. &c. Jam ergo non remanet homo juris sui. Si Barbaro te vendetes, solùm corporis tui esses Dominus, dæmon autem animæ, & si putes te esse liberum. Vide annon sit servus cui dæmon suos præsides imponit? An liber est ille cui mulier imperat, à quo si aliquid poscat dandum est illi, si vocat veniendum, si ejicit abeundum; si minetur extimescendum? Ita jubet libido, fac, facit &c. Illi sunt vicarii quos dæmon emptæ à se imponit animæ. Sed nulla servitus turpior quàm illa in quam se quis sponte vendit cùm esset liber, quidsi insuper pessimo se vendat Domino qualis est dæmon? qui domum vendit cogitur ex illa exire, quid qui seipsum? Exulet inde recta ratio &c. Poterant per leges, ut scribit Hali lib. 2. antiquit. Roman. filios vendere: poterant Athenienses ut Plutarch. in Solone, his sustulit hanc legem Solon. Constantinus Romanos prohibuit vendere in perpetuam servitutem. Quod tandem in totum abrogatum est. Et nos vendemus nos ipsos? Christus eos qui vendebant columbas in templo ejicit, quid faciet de iis qui vendunt animas? Maximè cùm hæc venditio animæ toties confirmetur quoties peccatur. Avidè huic emptioni dæmon inhiat, quia tanti unam æstimat animam ut pro illa daret omnia regna mundi, ut patet in Christo, cui offerebat si ille peccaret, & nos eam pro una voluptate, & quidem cujus nos pudet, vendimus? Planè agimus ut Judas. *Quid vultis mihi dare ut eum vobis tradam?* Arbitrio emptoris pretium committimus, DEUS ita animam æstimat, ut dixerit, *Quid prodest homini si universum mundum lucratur & animam*

animam ſuam perdiderit? Lyra in Matth. 16. *Anima rationalis imagine Trinitatis inſignita pretioſior eſt omnibus terrenis.* Vita noſtra eſt nobis tanti ut Chryſoſt. in 16. Matth. apud Lyran. dicat. *Etſi decem millia diademata corpori inſanabiliter ægroto circumpoſueris, non curat: ſed & ſi decem millia diademata corpori offeras & circumponas hâc conditione ut lethaliter vulneretur, nullus homo ea curat.* Hæc omninò ſunt vera, ita amamus vitam. Anima verò eſt hujus vitæ principium, cur illam viliſſimo pretio in mortem æternam vendimus? Chriſtus pro hac margarita omnia ſua dedit. Si tibi dæmon daret pro anima omnia regna mundi, adhuc parvo illam venderes. Job. 2. ait dæmon. *cuncta dabit homo pro anima ſua ita ille judicat & facimus hæc pro vita temporali, cur non pro æterna?* Proverb. 26. *Pretium ſcorti vix eſt unius panis.* Idem de aliis peccatis, quia delectatio tam brevis atque dum panis per guttur tranſit & finis utriuſque idem. Avaritiæ voluptas tota eſt in ſolis oculis, aut in memoria quia cogitat ſe habere. Honores toti in eo quia te alii vident, uno verbo Iſai 52. *Gratis venundati eſtis* & Pſ. 45. *Vendidiſti populum abſque pretio.*

Vendamus potiùs Chriſto. *Apud Dominum copioſa redemptio*: Solus poteſt dare pretium quòd animæ noſtræ æquivaleat & ſuperet. Se ipſum dabit, cujus imago tam pretioſam facit animam, dabit ut per illum vivamus, eâdem felicitate cum illo fruamur. DEUS ſe dat pro tua anima tibi, quem quia vident Angeli beati ſunt, DEUS cujus opes nulla explicare lingva poteſt. Chriſtus dat ſe tibi ut ſerviat tibi. *Tranſiens miniſtrabit ipſis.* Dominus mancipio. DEUS qui dæmonem cruciat in æternum & voluntate ſolâ poteſt in nihilum redigere, & modò agit ante ſe in triumpho. Abac. *Egredietur diabolus ante pedes ejus.* Ubi tunc erit precium pro quo te emebat dæmon? *Viri divitiarum dormierunt ſomnum ſuum & nihil invenerunt in manibus ſuis.* Videbis eos qui ſe dæmoni

vendiderunt factos veluti locuſtas. Apoc. 9. *De fumo putei exiérunt locuſtæ Facies earum quaſi facies hominum*, videntur homines ſed ſunt beſtiæ. *Habebant capillos ſicut capillos mulierum* Ecce luxurioſi, capilli ſunt cogitationes juxta Aug Greg Hæc de mulieribus. *Dentes eorum dentes leonum*, Ecce rapaces. *Vox alarum earum ſicut vox currum, equorum multorum currentium in bellum*, ecce iracundi. *Habebant caudas ſimiles ſcorpionum*, ecce adulatores. *Habebant ſupra ſe regem, Angelum abyſſi cui nomen exterminans.* Ecce emptor illorum. Quo fructu empti? exterminati ut ſint extra terminos omnis boni, ò quæ lamentatio illorum? O quoties, *Ergo erravimus?* Nazianz, *Ætas vitæ dies eſt mercaturæ magnæ.* O miſeri venditores? Si tibi DEUS daret pro te aliquod regnum, dares te ipſi forſitan, nunc dat ſe pro te: ita ut eo vivas. Aug. in Pſ. 70. conc. 2. *Sicut vita corporis eſt anima, ſic vita animæ DEUS.* Ex eo fit quod quidem minus eſt, ſed tamen magnum, quod Chryſoſt. hom. 56. in Geneſ. *Adveniens Chriſtus eam virtutem in hominibus plantavit ut ex hominibus Angelos faceret.*

In die Cœnæ Domini ad Homicidas.

QUO titulo vos compellabo? dicam Filios prodigos, ſed ille propriam ſubſtantiam, vos alienum ſangvinem & vitam prodigaſtis. Dicam oves Chriſti errabundas, vos lupi diſcerpſiſtis oves Chriſti, dicam rebelles DEO qui illius imaginem concerpſiſtis, *ad imaginem quippe DEI factus eſt homo*, quodſi illi regulæ inſiſtam. *Non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum*, vos nunquam ad vitam revocabitis eos, quos occidiſtis, quibus vitam abſtuliſtis. Cælum nobis ſub imagine ſcalæ Jacob DEUS propoſuit, voletis aſcendere ex illa vos deturbabunt quos interemiſtis, & clamabunt, tu

mc,

me occidisti, tu me in sepulchrum misisti, ego te in infernum detrudam, Orabitis, sed effusus sangvis clamabit contra vos de terra, sicut Abel sangvis, & clamore suo vestras orationes obruet. Levabitis manus in cœlum, *Sed manus vestræ plenæ sunt sangvinum.* Oculos attolletis, attolit illos ad Crucifixum, cui dixit ille, *non pepercit non parcam.* Nolo tamen ut dicatis cum Caino. Major est iniquitas mea quàm ut illam mihi dimittat DEUS. Ascendite scalam Jacob. *In quacunque hora ingemuerit peccator* dimittentur ei peccata, restituite quæ debitis propter homicidium. In vertice scalæ vidit Jacob DEUM. DEO Patri obligatus ille, qui contra omnipotentiam peccavit per fragilitatem; Filio quæ fecit per insipientiam: spiritui S. quæ per malitiam. Obligatus Christo qui ejus occidit Fratrem: B. Virgini, Sanctis, quos offendit. Manus vestras impleviſtis alieno sangvine per cædem, implete vestro per flagellationes, oculos vestros lacrymis implete. Leo est Christus Apoc. 5. vindicabit, sed super obstinatos qualis fuit Pharao, cum pœnitentibus aget mitius; quercus securi scinditur, flores manu decerpuntur. Propterea Isai. 1. *Va genti peccatrici.* Idem væ intonat Jer. 4. Ezech. 13. Oseæ 7. Micheæ 1. Abacuc 2. & in Sophonia. At verò aliis, 2. Tim. 4. *Obsecra, argve, increpa.* 1. Cor. 10. *Obsecro vos.* Ambr. in Luc. 9. *Alii sunt terrores Prophetici, alia suasiones Apostolicæ.* DEUS in igne apparebat. Philo lib. de Decalogo Ignis *malos urit bonos illuminat.* Propterea Isai. 11. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet* virga non verè penitentibus, flos contritis corde. Aug. serm. 69 de tempore. *Qui verberibus indiget, ad eum egreditur in virga, qui autem proficit ad justitiam ascendit et in florem.* Dicit de peccato dolentibus, *Beati* dicet obstinatis, *væ vobis.* Audient pœnitentes Ps. 7. *Qui salvos facit rectos corde.* Audient obstinati *Nisi conversi*

fueritis gladeum ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit. Expectatis ut vos percutiat virgâ ſicut Moyſes petram, ut ſic tandem fluant aquæ lacrymarum Exod. 17. Percutiet & confringet oſſa veſtra, percutiet ut Pharaonem & in mari demerget. Non fecit Jeroſolyma Prophetis monentibus quod fecit Ninius & periit. Vertetur hæc vobis in ſerpentem virga, ſicut verſa eſt virga Moyſis Pharaoni. Occidiſtis, ſangvinem effudiſtis, ſangvis de manu veſtra exquiritur. O pœnitentes percutimini virgâ Epiſcopi Jer. 5. *Percuſiſti eos & non doluerunt, attriviſti eos & noluerunt accipere diſciplinam, induraverunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reverti.* Sicut Baltaſar erſi viderer ſcribi, *Mane Thecel, Phares.* Peribunt ſicut Balthaſar, non reſtituitis DEO quæ abſtuliſtis ipſe ſibi de vobis, de vita veſtra, de ſubſtantia veſtra, reſtituet. *Convertimini ad Dominum DEUM veſtrum.*

Cùm oſtenta in cœlo apparent, v. g. Cometa.

IAM de cœlo nobis DEUS concionatur, non verbis, ſed ſignis, hic poſſum dicere. *Qui habet aures audiendi audiat.* Explicabo hac voces.

Non ſemper damni ſigna ſunt Cometa. Apparuit inſtar Cometæ, ſtella cum Chriſtus naſceretur. Tempore Auguſti Imp. ut ſcribit Sueton. fuit inſignis Cometa, & accepit ex conſilio ſapientum illum in omen fortunæ, & ſecuta eſt pax univerſalis. Idem ſcribit Feſtus, nam Cometa ex ſe cur potiùs mala prænuntiet? fiunt alia ſigna in aëre quæ clariùs prænuntiant mala, circa annum 1610. ignes in aëre & columnæ mala belli prædixerunt, venti inſoliti, diluvia, afferunt, non ſolum

solùm significant mala, cur non ita sunt terrori ut Cometa? quia causa eorum scitur. Causa Cometæ in aëre est vapor terreus accensus. Cometæ qui est in cœlo alicujus Planetæ, est fumus ejusdem planetæ in nubem coactus, per quem transit radius solaris, & sicut in densiore apparet. (vide meam Meteorologiam) Si ergo est inferior Cometa, materia illius priùs fuit in terra, & si tunc non nocet, multò minùs ita elevata nocebit. Superioris Cometæ est materia eadem quæ Planetæ, itaque nihil diversum à suo Planeta efficiet. Præterea, inferior ardet, omne verò venenum ignis absumit, si verò essent fumi magni cùm ardet, iique nocivi, utique eos videremus de die. Si pars materiæ noxiæ in terra manet, certè pars major abivit in altum. Tamen Cometa ut à DEO assùmitur, potest varia significare, nam DEUS nihil frustra fecit; Solem & lunam non solùm ad ornatum, sed etiam *in signa & in tempora fecit*, ut sint ejus beneficentiæ signa, unde Psal. *Cœli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum* & quidem adeò, ut dixerit. *Non sunt loquelæ neque sermones eorum, quorum non audiuntur voces eorum.* Et quidem non per voces sed per signa loqvuntur ut ab omnibus intelligantur, & si quotidiani Planetæ sic loqvuntur, quid Cometæ rari? Eclipsis terret, quid novæ stellæ? certe aliquid insoliti, ante pœnam solet DEUS præmonere.

Nos advertimus quòd in nobis sint multa digna pœnâ, quomodo non timebimus? Creatura est pro Creatura. *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos*, quæ modò ad illius amorem ducit, docet ut Magistra, postea punit, & hoc cæleste flagrum est vehementius quovis terresti. A nobis tamen fumi prodierunt ex quibus ignes in aëre, & alia ostenta constant. Quare Jeremias ubi monet bonos à signis cœli, ita loquitur. *A signis cæli nolite timere quæ metuunt Gentes* mali. *Timorem*

morem faciant ea facientibus ſuis. In terra faciunt Cometas, ignes, columnas &c. Ex Sodoma aſcendebat materia ignis in cœlum. *Aſcendit ad me clamor Sodomorum. Peccatum eorum aggravatum eſt nimis* non advertunt ſua peccata aſcendere in cœlum. Fortè Cometas deſcribit in Apoc. Cùm oculum Domini pingit emittentem flammas, cum ex ore ejus prodeuntem gladium, unde hæc? Oculi flagrant noſtris peccatis, collegit ex nobis ignem, in nos refundet. Fortè & hic Cometa eſt oculus tuus ardens O Domine: fortè os emittens gladium, nos hæc fecimus, in nos ea vertis, & præmones. *Dedit eis ſignificationem ut fugiant à facie arcûs.* Sed ut verbum DEI non in omni terra facit fructum ita hæ voces reales, alios pœnitet &c. Viſi & aliàs in Polonia, ſed nihil mali attulerunt quia agebatur pœnitentia. Viſus anno 1301. & ſuperata à Polonis Ruſſia. Anno 1314. duo Cometæ viſi, cœpit fides inter infideles ope Crucigerorum. Anno 1362. nihil mali attulit Cometa grandis. Anno 1432. viſus Cometa, & nihil aliud ſecutum præter mortem Ducis Litvaniæ Swidrigieli, qui ſine Cometa mori poterat. Anno 1434. ſecuta mors Jagellonis Cometam, ſed ferè centenarius erat ſenex. Anno 1475. Cometam nihil ſecutum. Fuit Cometa anno 1531. Fuit & Anno 1577. ſed poſt priorem vicimus Moldaviæ Ducem: poſt poſteriorem Moſchos. Unde id? quia ſciendo quòd Cometa non plus poſſit quàm DEUS velit, agebant pœnitentiam, quare facilè ibi erat divinare de bono eventu.

At modo granum cadit ſecùs viam, in petram, in ſpinas Cùm exercitum vincimus animat, jurè timemur. Stellas ſcriptura vocat *Militiam cæli, Cuſtodiam*, exercitum DEUS auget, jungit Cometas ſtellis. Nobis videtur bellum intentari, nobis Cometa ſimilis factus ex debili vapore, fumo. Vita noſtra fumus in nobis contingò conſumitur humiditas, deficit

&

& Cometa. Cometa est stella falsa, lucet, sed nõn diu. Videtur aliquid cùm sit vapor, quare superbis minatur: sunt in se obscuri nitere volunt per ostentationem, hypocrisim, his Cometa dicit. Videtis me, clarior sum quàm Luna, sum terrori, paulò post nec locum meum in cælo invenietis Apoc. ostentatores specie stellarum de cœlo cadentium pingit. *Et visum est aliud signum in cœlo, & ecce draco &c. & in capitibus ejus diademata septem, & cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.* Draco in coronis, stellas detrahit, an ita debiliter affiræ ut non sit opus ungvibus? non erant veræ stellæ, sed veluti Cometæ, vani homines, facilè dejiciuntur. Tales appellat S. Thadæus in Epist. *Fluctus feri maris despumantes suas confusiones* intentio eorum spuma quæ deficit. Sed nitent, videas alium orationes longas texere, alius dat eleemosynas, alius jejunat, doctus, dives, honoratus &c. Quomodo *flutus?* potius stella, est stella, sed falsa. Orat, sed etiam diffamat; largitur, sed est usurarius, jejunat ut videatur, docet non facit, exemplaris est sed ut laudetur. Dives sed ex raptu, honorem digniori præripuit, & eo abutitur, lucet sed ut cometa.

Vilioribus tales comparavit Isaias, misit eum DEUS ad duos Principes, hæret, dicitur ipsi. *Ne timeas à duabus caudis titionum fumigantium.* Non diu lucebunt ut titio fumigans, Fortè Propheta attulit illis titionem, videte. Modò non titio sed Cometa ostenditur, non timent qui cavent ne sint falsæ stellæ, non prodest lucere coram mundo, boni si lucent, non quærunt hoc. *Fulgebunt justi & tanquam stellæ in arundineto discurrent.* Sed ut scintilla, tales se credent. *In arundineo*, recordabuntur se esse arundines fragiles. His non nocebit Cometa, non impugnat humiles sagitta, non dirigetur ad nimis exiguam metam. Cometa quasi stella, Cometa,

unde etiam vocatur crinita ſtella, ex hoc divinaret cum Ezechiele 5. *Sume tibi gladium acutum radentem pilos, & duces eum per caput tuum, & aſſumes tibi ſtateram ponderis, & dividas eos, tertiam partem igni combures in medio civitatis &c. & aſſumes tertiam partem & concides in circuitu ejus, tertiam verò aliam diſperges in ventum, & gladium nudabis poſt eos, & ſumes inde parvum numerum, & ligabis eos in ſummitate palii tui.* Si capilli ſignificabant ignem, carcerem bella: ne tota Cometæ cauda idem ſignificat, niſi reſipiſcamus. Jam id factum in Provinciis hujus Regni. Cauda Cometæ quaſi capilli muliebres, notat degeneres à virtute Majorum maſcula, nitor muliebris intrat. Nolumus audire Concionatores ut convertamus, jam ahi Concionatores ducendi uſque Conſtantinopolim captivos nobis prædicant, pellamus aves quæ devorant in corde noſtro ſemen verbi DEI. Vultur hic eſt corvus Promethei, dirumpamus vincula, pelle ipſe Domine has aves.

Ut horas Index in horologio, ita Cometa oſtendit nobis quid DEO debeamus. Non advertimus ubi primò comparuit Cometa, fortè DEUS abſcondit ut tantò magis timeamus, Dicent Aſtrologi comparuiſſe in tali & tali ſigno, ſed ſæpè hæc divinatio fefellit. Puniet DEUS eos qui malâ vitâ exprimunt tale ſignum cœli, ſunt hæc modò peccata non eſt contractus, non eſt confeſſus abſque peccato. Mittit DEUS Ezechielem ad Judæos ut illis exprobret peccata ut convertat, dat illi modos qui penetrent corda. Imprimis juſſit illum devorare librum, ut quod deinceps prædicaverit, ex intimis prædicet, deinde jubet ut in laterculo depingat Jeroſolymam, & circa eam obſidionem ordinet, deinde per plurimos dies uni incumbat lateri jubet, & per plurimos alteri, & interim non alio veſci pane quàm ſordibus humanis

infecto

infecto Jubet producere bulliens ahenum. Cur ita? quia præmonuit DEUS. Populus hic fallax, doloſus, infidus ut tecum, ita cum DEO agit oſtendit ſe ejus laudatorem, audit conciones in ſpeciem, *Cum ſcorpionibus habitas* alia verſio. *Quoniam ſpinæ & rebelles tecum ſunt.* Nemo ſpinas conjunget, hæ ſpina ſufficant verbum DEI: cum efflorecit maximum eſt gelu, uvas acerbas habet etſi botris ſimiles. Hoc malum invaluit, & contra illud DEUS jam non verbis utitur, & dat ſignum quod nos omni modo puniet. Paſim Judæi, Hæretici Apoc. deſcribit quendam Cometam. *Vidi ſtellam de cælo cecidiſſe, in terram.* Videtur Cometa, qui dum deficit quaſi cadit & moritur, *habebat clavem putei*, id eſt, rerum abſconditarium ſed noxiarum, quia. *Et aperuit puteum abyſſi* &c. *Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas ſicut habent ſcorpiones terræ* ex fumo qui abſcuravit fidem prodierunt. Locuſtæ gregatim volant & incedunt, poſtea ſecum pugnant, & conſumptæ loco in quo erant, abeunt. Talia illarum ſunt comitia. Ita homines & per hoc conſumantur pauperes, in ſcorpio tota vis in cauda, deeſt caput, non incipiunt à DEO. *Et ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis ad prælium.* Quomodo? ſimilitudo eſt pſeudopoliticis, hominis boni per ſortio. *Et ſuper capita eorum tanquam coronæ ſimiles auro.* Quisque jactat libertatem, nullum ſuperiorem volunt, ſed hoc aurum eſt fictum ex ſtramine, ſcintilla exurit, alii afflicti ab illis, putant eos eſſe liberos ſed non Pagani qui eos ligant. *Et facies eorum tanquam facies hominum*, ſpecies & fucus pulcher. *Et habebant capillos ſicut capillos mulierum*, cogitationes muliebres vanitas. *Dentes eorum ſicut dentes leonum*, cùm ſe invicem lacerant, cum pauperem. *Cauda ſcorpionum*, Cavendum nè Cometa talem caudam habeat, projiciat DEUS hos ſcorpiones in oleum,

ut fiat medicina. Sit remedium contra injuſtitiam. *Mendaces Filii hominum in ſtateris ſuis.* Sed in cœlo vera ſtatera in qua appondimur. Quales ſimus Chriſtiani, Judices &c. ſicut Baltaſar. *Numeravit DEUS regnum tuum, appenſus es in ſtatera. Et inventus es minus habens, diviſſum eſt regnum tuum &c.* Tantum effecit apud DEUM abuſus vaſorum ſacrorum, convivium inſolens, an parcet rapienti bona Eccleſiæ, vel iis abutenti? luxui? Appendit juſtitias. In libra cœleſti, in una lance unus ſcorpionis, id eſt in alia alius, & modò ponderant manus, qui plus dedit ille juſtior. Juſtitia eſt ut ſemen in via, calcatur, eſt via ad promotiones, favores, regna quæ ſervant juſtitiam creſcunt, eâ deficiente deficiunt.

Cometa non calefacit, exprobrat nobis frigiditatem in rebus DEI, propterea verbum DEI cadit in petram quæ tactat frigere. *Ab interioribus egredietur tempeſtas & ab arcturo frigus.* Incipit in corde frigus, nam oritur hæreſis, Atheiſmus, Machiavelliſmus, inde turbæ, ſeditiones, quomodo amabit proximum qui non amat DEUM. Poſſent adhuc dici aliqua ex motu veloci vel tardo. Oremus ut Deus omnia convertat in bonum.

Ad Afflictos.

INtravit Eſther ad Aſſuerum, tetigit illam virgâ, dum virgam cogitas, quid malum putas, ſalus fuit Eſtheris, niſi eam tetigiſſet, periiſſet Eſther. Attigit vos ſuâ virgâ DEUS, non aliud cogitate niſi ſalutem Iſai. 11. *Egredietur virga de radice Jeſſe.* Jeſſe ſignificat incendium, ſed amoris Divini; inde iſta virga egreditur. Cant. 1. *Labia ejus diſtillantia myrrham.* Nimirum DEUS ſuos dilectos in hoc mundo labiis ſuis oſculatur myrrham ſtillantibus. Dum affligit nos excolit.

excolit. Joan 15. *Pater meus agricola est, omnem palmitem non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* De quo Greg. lib. 7. Epist. 32. *Palmus infructuosus tollitur, quia peccator funditùs eradicatur, palmes verò fructuosus purgari dicitur, quia per disciplinam reciditur, ut ad uberiorem gratiam perducatur, sic enim spicarum grana tribulis attrita aristis & paleis nudantur, sic olivæ prælo pressæ in olei pinguedinem defluunt, sic botri vinearum tusi calcibus in vinum liquescunt.* Aug. in Ps. 21. *Intelligat homo Medicum esse DEUM, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem, sub medicamento positus, ureris, secaris, clamas, non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.* Solatia sunt istæ afflictiones si bene inspiciantur Greg. 26. Moral. 17. *Nostrum est hic flagella percipere quibus servatur de æternitate gaudere Heb. 12. Flagellat omnem filium quem recipit. Apoc. 3. Ego quos amo, arguo, & castigo.* Deinde nunquam DEUS castigat, quin simul paret solatia, sit exemplo Job. de quo Aug. serm. 224. de tempore. *Pœnâ fugatâ revertitur sanitas, & cicatricibus felicior redditur medicina. Celeriùs curat Dominus quàm vulnerat inimicus, in gaudia gemitus vulnera migravêre, & in fossis vulnerum numerabantur, monumenta victoriæ.* Hæc de solatio temporali, sed majus est, quia injustè afflictus & patienter propter DEUM tolerans, non solùm jus ad cœlum accipit, sed possidere illud in terra incipit. Matth. 8. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, ipsorum enim est regnum cœlorum.* Non dicit, *erit*, sed *est*. Non solùm quia paratum est pro illis ab origine mundi, sed quia cœperunt in possessionem ejus intrare, jam portant thesaurum in vasis fictilibus. Orabant leprosi sanitatem &c. annuit, sed cùm Mater pro filiis Zebedæi Matth. 20. petit thronum, respondit, *non est meum dare vobis.* Quare hoc?

Basil. orat. 24. Dominum sic respondentem inducit. *Si leprosus curationem quærit, virtutem exero: si mortuum ex tumulo resurgere necessum est, potestatem expromo. Quodsi thronum quis petat & regiam potestatem quærat, fusum pro pietate sudorem pro testibus reposco.* Quare hic reposcit? quia jam hic datum cœlum. Tertulli. ad MM. *Animus vester est in cœlo.* Amplius est, quia tribulatio custodit hoc jus cœli. S. Th. in 4 dist. 16 *Tribulationes non solùm peccata purgant, & à peccatis præservant, sed meritum etiam augent.* Quæ duo postrema jus cœli muniunt ac roborant. Hoc ipsum tali similitudine explicat S. Ephrem Orat. de recta vitæ ratione· *Lateres crudi sunt fragiles & invalidi, iidem igne concocti tam validi fiunt, ut igni simul & aquæ resistant.* Propterea dicit scriptura. *Bonum est magis ire ad domum luctûs quàm ad domum convivii.* Rationem hujus dat Bern. in ramis palm. serm. 2. *Licet enim multos frangat adversitas, tamen multò plures extollit prosperitas, sicut scriptum est Ps. 90. Cadent à latere tuo mille, sinistro scilicet, per quod signatur adversitas: & decem millia, id est, multò plures, à dextris tuis, in quibus prosperitas designatur.* Copiosiùs hoc ipsum exponit Greg. Pastor. part. 3. *Qui sanari posse creditur, à multis quæ appetit prohibetur, & pueris nummos subtrahimus, quibus tota simul patrimonia hæredibus reservamus, nisi salvandos in perpetuum cerneret, erudiendos sub disciplinæ regimine Divina dispensatio non frænaret. Plerumque etiam Justis cùm temporalis potentia sustollit, velut in laqueum culpa comprehendit. David DEO amabilis rectior fuit in servitio, quàm cùm pervenit ad regnum. Quis inter hæc sine magni laboris discrimine salvabitur, si ille David in his culpâ interveniente turbatus est, qui ad hæc fuerat DEO eligente præparatus? Salomon &c. nihil in hoc mundo priùsquàm caderet adversitatis habuisse memoratur, sed concessa sapientiâ funditùs cor deseruit, quod nulla vel minima tribulationu*

disci-

disciplina custodivit. Basil. Orat. Quòd non est DEUS author malorum. *Divitias eripit ab iis qui malè iis utebantur, instrumentumque illis injustitiæ fuerunt. Morbum inducit iis quibus magis expediebat habere membra malè impedita*, &c. Hoc signum est quòd piè vivamus, si patimur innocentes. 1. Tim. 3. *Omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Neque circa alios quid boni agimus. Greg. lib. 7. Epist. 27. *Qua in re ego fidenter dico, quia minùs piè vivis, si minùs persecutionem pertuleris. Idem in verbo* 1. *Thessal.* 2. *Ipsi scitis Fratres introitum nostrum, quia non inanis fuit, sed antè passi, & contumeliis affecti. Ecce prædicator sanctus ingressum suum vacuum fuisse perhibuit, si contumelias non pertulisset: & tu dicere bona vis, & mala perpeti recusas? Studium bonæ operationis plus ipsa adversitas augeat, sic semina messium gelu cooperta uberiùs germinant: sic ignis flatu premitur ut crescat, redeat quod Ps.* 180. *Exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te ad aquam contradictionis. Si inter contradicentes quæ DEI sunt egeris, tunc verus operator probaris.* Dum patimini, hoc solùm curate ut laudem DEO reddatis. Aug. 1. Civit. 8. *In eadem afflictione mali DEUM detestantur, atque blasphemant: Boni autem precantur & laudant, tanti interest non qualia sed qualis quisque patiatur; nam pari modo exagitatum exhalat horribiliter cœnum, & suaviter fragrat unguentum.* Febris est peccatum, febris tua avaritia tua est, febris libido, DEUS percutit venam ut sanet, tollit sanguinem divitiarum per hostem &c. Hoc solum superest sanandi te remedium. Aspis mordet, adhibetur ignis. Tertull. adu. Prognos. cap. 5. *Medicus urit & secat ut sanet, licebit & DEO ad perennem vitam per ignes & gladios & acerba quæque curare. Tormentis tormenta discutit, quod sævitiam putas gratia est.* Oremus etiam pro nostris persecutoribus, sicut est apud Tertull. in Apologetico c. 30. *In cœlum suspicentes Christi-*

Christiani manibus expansis, quia innocentes: capite nudo, quia non erubescimus; sine monitore, quia de pectore oramus: precamur semper pro imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum. Quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt. Sic itaque nos ad DEUM expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii detruncent, bestiæ vorent, paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani. Hoc agite boni Præsules, extorquete omnia DEO supplicantem pro Imperatore. Hic erit crimen, ubi veritas & DEI devotio est.

Ad Moniales.

MAgnam consolationem Matribus quæ habent Filias in monasterio, S. Hieron. lib. 1. adu. Jovinian. eruit ex verbis Apostoli. *Mulier salvabitur per filiorum generationem*, ex quo sic. *Nam si salvatur mulier in filiorum generatione, & liberorum numerus Matrum est salus, cur addit, si permanserint Filii in fide & caritate & sanctificatione cum castitate*, vulgata legit, *in sobrietate*, Sed Hieron. ex Græco contendit, legidebere in castitate. *Tunc ergo salvabitur mulier, si eos filios genuerit qui virgines permansuri sunt si quod ipsa perdidit, aquirat in liberis, & damnum radicis & cariem flore compensat pomi.* Hoc maximè locum habet in Monialibus. His est fides maxima, dum relinqvunt omnes opes, quia Christus dixit. *Beati pauperes spiritu* &c. Quia ut Bern. serm. 3. de Nativ. Christi. *Væ vobis divites qui habetis consolationem vestram, ut non mereamini habere cœlestem.* Volucres cœli habent hic nidos, vulpes foveas, sed nihil in cœlo: Filius hominis è contrà non habet ubi caput reclinet, nec domum propriam habet, totum verò habet in cœlis. Hieron. in Luc. 16. ex occasione Divitis Epulonis.

lonis. *Difficile imò impossibile est, ut & præsentibus & futuris quis fruatur bonis, ut & ventrem hic & ibi mentem impleat, ut & de deliciis ad delicias transeat, & in utroque seculo gloriosus appareat,* Unde S. Epictetus Præsbyter ut est in ejus vita. *Aurum hoc, fili quod videtur, non est verum, sed est quædam vanitas phantasiæ, per quam in hoc mundo illuduntur animæ justorum.* Hanc illusionem evadunt pauperes Christi qui nihil habent, & ea, quibus utuntur, non illorum sunt, atque adeò illa æstimant, conservant, tractant ut res Christi ab illo sibi ad usum mutuò datas unde Basil. in instit. Monach. cap. 55. *Qui contemnit res monasterii velut sacrilegus judicandus est: & qui perdit per negligentiam ipse simile crimen incurrit, propterea quòd omnia quæ ad usus servorum DEI deputata sunt, sine dubio consecrata sunt,* B. Jordanus de Saxonia Ord. Eremit. S. August. fusè ostendit, quòd proprietates DEUS malâ & insperatâ morte puniat. Et hujus rei plura adducit exempla, incipiendo à Juda, qui proprium habuit, quia fur erat deinde Act. 5. de Anania & Sapphira. In vitis PP. p. 2. § 20. Apud quendam mortuum reperti sunt centum solidi, S. Macarius &c. Isidorus & cæteri seniores statuerunt, ut cum illo in sepulchrum injicerentur, acclamando. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Ibid. § 64. S. Antonius cùm sciret de quodam Monacho quòd sibi aliquid reliquisset, jussit eum circumligari carnibus, & in eum canes immitti, & dixit. *Quicunque renuntiant sæculo & volunt habere pecunias sic à dæmonibus lacerantur.* Hac cæremoniâ jactandi in sepulchrum pecuniam cum mortuo, & acclamandi. *Pecunia tua tecum sit* &c. Usus S. Augustinus cum Januario Monacho serm. 53. ad Fratres, & Greg. 4. Dialog. c. 55. sepeliebantur autem in sterquilinio & hoc ipsum fieri debere statuit Jus Canonicum in Decretali de statu monachorum cap. *Cùm ad monasterium.* Ubi etiam prohibetur ne pro

talibus offeratur Missæ sacrificium. Plura de hac materia in promptuario Exemplorum Discipuli, & apud Gviliel. Peraldum Episc. Lugdun. in summa Virtutum & vitiorum tom. 2. cap. 19. Et Gerson. speciali tractatu.

De Caritate quod maximam habeant ad DEUM. Moniales constat ex eo, quia quod carissimum, & auro pretiosius habuerunt, scilicet suam libertatem, illi donârunt per Obedientiam. Est charitas mutua, quia per paupertatem ablatum est *Meum ac Tuum* ex quo omnes lites oriuntur, est charitas superiorum erga inferiores, quia Maternâ pietate prospiciunt Inferioribus, memores illius *Esurivi & non dedistis mihi* &c. Si enim damnatur qui non dat pauperi qui aliquando est hostis Christi, quomodo non cum amore dabit sponsæ Christi, pauperi voluntario propter Christum? quomodo non juvabit Inferiorem ut centuplum à Christo se credat recipere si non quoad rem interim, saltem quoad modum? Quomodo non concurret, ut experiatur melius esse habere Matrem spiritualem quàm carnalem? quomodo non callaborabit ut dulce jugum sit Christi? Quomodo non in hoc erit tota ut exprimat quàm maximè Patrem cœlestem, cùm eundem in illa studeat agnoscere Inferior? Gravis est ex se Obedientia sed suavitate imperantis mitigabitur. Charitas in providendo efficiet ne in proprietatem labatur. Bern. serm. 23. in Cant. *Audiant Prælati qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati rarò. Erudimini qui judicatis terram. Discite subditorum Matres vos esse non Dominos studete magis amari quàm metui* Filii Matrisant, si Mater dura, etiam illi durescunt. Rex erat Jerosolymis Herodes, turbatus est, & cum eo turbata est Civitas. Bern. in Epiph. serm. 3. *Misera sanè Civitas in qua regnat Herodes, queniam Herodiana sine dubio particeps erit malitiæ.* Idem serm. 76. in Cantic. *Boni sollicitique Pastores non*

cessant

ceſſant bonis lætisque exemplis impingvare pecus, & ſuis magis quàm alienis. Nam ſi alienis & non ſuis ignominia eſt illis, & pecus non ita proficit. Si enim ego qui inter vos videor Paſtoris gerere curam, appoſuero vobis Moyſi manſuetudinem &c. Ex altera parte conſiderent Inferiores quòd idem Bern. Epiſt. 42. *Certus ſum ego Monachus & Monachorumque qualiſcunque Abbas, ſi mei quandoque Pontificis à propriis cervicibus excutere jugum tentarem, quòd Sathanæ tyrannidi meipſum mox ſubjicio.* Veri Obedientis exemplum ſtatuebat S. Franciſcus Seraph. cadaver quod ſe permittit modo quo voles tractari. Ægydius ejus ſocius in Schola Patrum dixit. *Cùm boves ſunt ſub jugo, in horrea important frumentum, cùm eo ſoluti, ſoluti ſunt nihil faciunt utilitatis, ita Monachi.* Ibid. *Teſtis mendax peribit.* Prov. 21. *Teſtis mendax eſt qui promiſit obedientiam & non ſervat.* Greg. Moral. 35. cap. 10. *Obedientia ſola eſt quæ fidei meritum poſſidet, ſine qua quisque infidelis convincitur eſſe, etſi fidelis eſſe videatur.* Joan. 6. *Eum qui venit ad me non ejiciam foras, quia de cælo deſcendi, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me. Quid enim? ſi ſuam faceret, eos qui ad ſe veniunt, repuliſſet?*

De ſanctificatione Monialium pauca loqui neceſſe, cùm ipſæ conſecrentur qualiter nulli Religioſi. Magna eſt omnium Religioſorum præſtantia quam explicat Bern. ſerm. 2. de altitudine & laſſitudine cordis dum ſuos Monachos alloquitur. *Magnum prophetandi genus cui vos deditos eſſe conſpicio, magnum prophetiæ ſtudium cui vos video mancipatos, quod illud? nempe juxta Apoſtolum non conſiderare quæ videntur, ſed quæ non videntur; ſine dubio prophetare eſt: &c. Sed & profeſſionem Apoſtolicam audiamus. Ecce nos reliquimus omnia, ſi gloriari licet, habemus gloriam, ſed ſi ſapimus, habere curabimus apud DEUM &c. Veritatem dicam, eſſe hic aliquos qui plusquàm retia & naves reliquêre, &c. quia vidiſti Thoma credidiſti, beati qui non vide-*

runt & crediderunt &c. Ubi ergo Angelica in hoc corpore conversatio, in corde prophetica expectatio, quantus cumulus gratiarum! &c. Nunquid non tres cœli sunt quos ascendimus. Sedsupra hæc plurimùm habent Moniales, ut patet ex ritu earum consecrationis. Est sponsa quævis Christi: si sponsa, commune habet cum Christo regnum, ideò ut advertit Philip. Abbas in Cantico tam à sponsa quàm à sponso dici, *vinea nostra, domus nostra* &c. Si sponsa, sicut vir & uxor duo sunt in carne una, ita qui adhæret DEO unus est spiritus cum eo. Apud Bollandum in vita S. Veronicæ Mediolanen. Christus Dominus Moniales appellavit *Christas*. Propterea in illis nullam patitur maculam, rugam. Religio est alter Baptismus, Job. 25. juxta Græcam. *Neque enim quis existimet quòd sit dilatio pyratis.* Isti in mari prædantur, Religiosi scandalosi in Religione. *Non est illis dilatio* pœnæ, subjectum cum Anania & Sapphira, imò cùm DEUS vult alios punire, à domo sua incipit. Ezech. 9. Mittit Angelos ad puniendum. *Non parcat oculus vester, nec misereamini &c. Incipite a Sanctuario meo* Matth. 3. *Baptisabit vos Spiritu S. & igne.* S. Paschas. lib. 2. in Matth., *Quasi non in præsenti Spiritu S. abluit.* Cùm Religionem ingredimur deinceps si qua peccati macula *subrepserit, per ignem conflagrationis ad purum exuret.* Observat enim in Ascet. Nierembergius, Religiosos tepidè viventes, afflictionibus & morbis à DEO exuri, ut dum nihil dignum agunt pro suo statu, saltem patiantur. Imò gravius est quod dicit Oddo Cluniacem collat. 1. *Illos gehenna devorat qui sub habitu Religioso negligenter vivunt.*

In loco Apostoli adducto initio legit Hieron. *Castitate*, alii *sobrietate*. Bene ista cohærent, Castitas sine sobrietate inquam, sine mortificatione carnis. In vita S. Eugeniæ scriptum. *Si quando contigerat aliquam sororem tentari à diabolo*

per

per somnum, mox Abbatissæ pandebat, illa verò cum lachrymis postulabat ut diabolus ab ea recederet. Jubebatque ut lapides portaret, & statim sub sago cinerem super cilicium spargeret, & ita dormiret usque ad decimum diem. S. Ammonius quando desiderium carnis surgebat, & incitabat ad libidinem membra ejus, nunquam pepercit carni suæ, sed ferrum ignitum apponebat membris suis, ut semper vulneratus esset, & ita desiderium passionu compescebat magnitudo doloris. Ut est in lib. 2. Vit. PP. Imò S. Ephrem adhortat 1. ad eos qui in Religionis rudimentis se exercent. *Vis virginitatis in ciborum consistit abstinentia. Monachus autem crapulæ deditus contaminabit carnem suam.* Cassian. coll. 12. cap. 15. *Quisquis extractus à cunctis confabulationibus otiosis, & mortificatus ab omni ira & sollicitudine, curaque mundana; duobus tantùm paximaciis fuerit quotidianâ refectione contentus, & aquæ satietate subtractâ quietem somni trium, sive ut alii statuerunt quatuor horarum spatio terminant, nec tamen laborum aut continentiæ hujus merito, sed miseratione Domine Castitatem se crediderit adepturum non amplius quàm sex mensibus perfectionem illius non impossibilem sibi cognoscet.* Neque censeri debet nimiùm gravis hic esse labor cum magna sit virtus castitas, & in ea supremum locum teneat Virginitas, Hieron. epist. ad Virginem Fustochium. *Quodsi volueris respondere, tenebili stirpe generatam semper in deliciis, semper in plumis, non non posse à vino & esculentioribus cibis abstinere, nec his legibus vivere, districtiùs respondebo. Vive ergo lege tuâ quæ DEI non potes.* Grandis est virtus Virginitas, sed ut idem ibid. Loco Angelorum quos habuit in cœlis, constituit sibi Christus in terris virgines. *Statim ut Filius DEI ingressus est terram novam sibi familiam* Virginum *constituit, ut qui ab Angelis adorabatur, in cœlis, haberet Angelos & in terris.* S. Cypr. de habitu Virg. *Christum continentia sequitur, & regno DEI Virginitas destinatur,*

Ambr. lib. 1. de Virginib. *Virgo DEI donum est, munus parentum, Sacerdotium castitatis. Virgo Matris hostia est, cujus quotidiano sacrificio vis Divina placatur.* Ibid. lib. 2. *Unaquæque in cælo exultabit virgo dicens Ps. 49. Introibo ad altare DEI, immolo DEO sacrificium laudis, & reddo Altissimo vota mea, neque enim vobis dubitaverim patere altaria, quarum mentes altaria DEI. Confidenter dixerim, in quibus pro redemptione corporis Christus immolatur. Nam si corpus Virginis templum est, animus quid est? qui tanquam membrorum cineribus excitatis Sacerdotis æterni recopertus manu vaporem Divini ignis exhalat. Beatæ Virgines quæ tam immortali spiratis gratiâ, ut horti floribus, ut templa religione, ut altaria Sacerdote.* In hoc altari sacrificia suscipit vestra DEUS à vobis pro vestris Parentibus &c.

Ad Milites.

UT victoriam miles obtineat, advertat causas propter quas vinci solet. Ambr. serm. 85. *Civitati nonnisi propter civium peccata infertur excidium, desine peccare, & civitas non peribit. Quid fugis Patriam? si vis salvus esse tua potiùs peccata subterfuge: si tu peccare deseris, victus est inimicus*, &c. *Injustus planè & impius est Filius, qui periclitantem deserit Matrem. Mater enim quodammodo dulcis est Patria quæ te genuit, quæ ut fugere possis divitem te fecit.* Huic incipiendum qui ad bellum procedit peccata extirpanda, hæc militem vinci faciunt, deinde amor erga Patriam assumendus, hæc duo faciunt de victoria certum. Unde audacter Ambr. serm. 86. *Non potest timere Barbarum qui timuerit Salvatorem, nec potest metuere hostis impetum qui præcepta servaverit*, &c. *Arma sunt nostra in quibus nos Salvator instruxit, oratio, misericordia, atque jejunium. Jejunium enim meliùs quàm murus tuetur. Misericordia facilius*

liberat

liberat quam rapina, oratio longiùs vulnerat quàm sagitta, &c. *Scire debet quòd Adversarii magis meritis, quàm virtute* bellicâ *vincuntur.* Peccata sunt duplicia quæ victoriam evertunt, alia militum, clamant ad cœlum peccata, ut regna evertat, ut Milites disperdat. Gen. 18. *Clamor Sodomorum multiplicatus est nimis.* De quo Salvian. lib. de Gubernat. *Pulchre clamorem in se dixit habere peccata, Grandis absque dubio peccantium clamor est. quia terra ascendit ad cœlum, quare autem peccata hominum quasi damnare testatur? Scilicet quia aures suas cadi dicit clamoribus peccatorum ne differatur pœna peccantium. Et verè clamor & quasi grandis clamor quando pietas DEI peccatorum clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur.* Clamabitis ad DEUM, *Adjuva nos,* clamabunt è contra peccata, *Disperde illos,* &c. Sed hoc ipsum ex ore DEI præstat audire, quomodo scilicet propter peccata pereant regna. Michææ 3. *Principes ejus* Jerusalem *in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant, & super Dominum requiescebant dicentes, nunquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala. Propter hoc, causa vestri, Sion quasi ager arabitur,* in eam desolationem venier mox fortissima Sion Jerosolymis. *Et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa sylvarum.* Jam quod attinet peccata militum.

Avaritia & luxuria præcipuè militem invadunt. S. Ambr. serm. 7. *Propter prædam militare peccatum est.* Quid propter oppressiones civium? Quomodo alacriter contra hostem procedet quem ingens sarcina restitutionis gravat? Ad avaritiam ducit luxus. Peccabat avaritiâ Judas, & navicula in qua erant discipuli Christi mergebatur. De quo Ambr. serm. 11. *Videamus qua causa quòd una eademque navicula, hic in tranquillitate doctrinam populis tribuit, ibi in tempestate discipulis*

metum

metum mortis inducit. Hæc autem causa periculi, erat ibi proditor Judas, quamvis Petri fides fundaret naviculam, hujus tamen perfidia conturbabat, unius igitur delicto cunctorum merita quatiuntur. Fur erat & sacrilegus Judas, si in exercitu Judas, etsi optimè instar navis compactus fuerit exercitus, etsi fidem Petri secum habuerit, fluctuabit tanquam navicula in tempestate. Expertus est hoc aliàs victoriosus miles Ducis Josve, qui propter sacrilegium Achan non potuit contra hostem subsistere. Utatur miles ut decet suo stipendio, & non habebit opus aliena invadere. Sed dum unâ nocte anni pretium profunditur, opus est de rapinis supplere. Bern. ad milites templi cap. 2. *Quis ergo ô Milites hic tam non ferendus? &c. Operitis equos sericis, &c. Depingitis hastas, clypeos, & sellas, fræna, calcaria, auro & argento, gemmisque circumornatis, &c. Militaria hæc sunt insignia, an muliebria potiùs ornamenta? Numquid fortè hostilis mucro reverebitur aurum, gemmis parcet, serica penetrare non poterit?* Quid convivia, canes venatici? in hæc sangvis Pauperum exprimitur. Amos 4. *Audite hic qui conteritis pauperem & deficere facitis egenos terræ dicentes. Quando transibit mensis & venundabimus merces? &c. Juravit Dominus in superbiam Jacob. Si oblitus fuero usque in finem omnia opera eorum, & cap. 9. Avaritia in capite omnium, & novissimum eorum in gladio interficiam non erit fuga eis, Fugient, & non salvabitur ex eis qui fugerit.* Bellatis ut liberum servetis populum, & duriùs tractatis quàm si in servitutem redigeretis, ut subinde esse præoptet sub hoste quàm sub defensore. Amos 2. Hæc dicit Dominus. *Super tribus sceleribus Israël, & super quatuor non convertam eum, pro eo quòd vendiderint pro calceamentis, qui conterunt super pulverem terræ capita Pauperum, & viam humilium declinant, & Filius ac Pater ejus jerunt ad puellam ut violarent nomen sanctuum meum, & super vestimentis pignoratis accubu-*

accubuerunt. Quod Castitatem attinet, Tertull. dixit lib. de Monogamia. *Quamdiu causabimur carnem? quia dixit Dominus, caro infirma, sed præmisit, & spiritus promptus ut vincat spiritus carnem, ut cedat quod infirmum est fortiori. Nam & qui potest capere capiat, dixit: idest qui non potest, discedat. Discessit & ille Dives qui non ceperat substantiæ dividendæ egenis præceptum, & dimissus est sententia Domini.* Quare concludo verbis Bern. l. c. *Tria sunt necessaria prælianti, ut scilicet strenuus industriusque miles, & circumspectus sit ad se servandum, & expeditus ad discurrendum, & promptus ad feriendum.* Boni milites ut idem ibid. *Imminente bello, intùs fide non auro se muniunt, quatenus armati & non ornati hostibus metum incutiant, & non provocent avaritiam* &c. Equos habere cupiunt fortes & veloces, non *tamen coloratos aut phaleratos, pugnam quippe non pompam, victoriam non gloriam cogitant, & studeant esse magis formidini quàm admirationi.*

In Funere alicujus Nobilis.

CAlamitates humanæ eodem nobiscum procedunt modo atque Samson cum Philistæis, exurunt agros, amicos tollunt ut ille maxillâ asini, diruunt ædificia ut ille portas civitatis Gasæ, tandem ipsas columnas Reipub. invadunt. *Apprehendit ambas columnas quibus nitebatur tota domus unam dexterâ & alteram lævâ tenens. concussis fortiter columnis cecidit domus super omnes Principes, & cateram multitudinem quæ ibi erat.* Hoc planè hodie nobis accidit, cùm N. cecidit columna cui Principes & populus innitebatur. Non tamen hæc omninò columna cecidit, sed magis stabilita est.

Habet DEUS in hoc mundo columnas majores & minores ut solet fieri in magno palatio. Columna est civis in sua

domo; major, nobilis &c. Aliæ sunt intra domum, aliæ aëri expositæ. Columna fuit N. in domo magna, &c. Fuit statim firmatus in fide vera. Fuit columna propter virtutes in juventute. Eccl. 33. quærit. *Quare dies diem superat, & iterum lux lucem, & annus annum?* Non quærit de die solari, nam ad hoc facilè respondebit Mathematicus, quare sit dies una longior, sed quare unus homo sit clarior altero, una columna superet aliam? ut dies alii profesti, alii solennes, ita homines; inter ipsa festa est distinctio. Respondet sibi scriptura cap. citato. *A Domini scientia sunt facto sole.* Ut dies omnes à sole, ita homines à DEO, tamen quosdam ipse sibi separat. *In multitudine disciplinæ separavit, & immutavit vias eorum, ex ipsis sanctificavit & ad se applicavit.* Fuit N. columna, in virtute, doctrina. *immutat vias eorum,* dat his quos eligit DEUS dona. Benedictio DEI immutat, *dixit & facta sunt.* Providet talibus prudentes & probos Instructores, ita factum cum N. Sed hactenus hæc columna veluti sub velo fuit cum ab Artifice DEO perficeretur, patefecit & ostendit in dignitatibus. Ibi in singulis exercuit pietatem, justitiam, liberalitatem, in adversis fortitudinem. Postea hæc columna firmata est per connubium ex quo multæ secutæ sunt affinitates & proles. Jam vobis valedicit, & inprimis tibi N. *Memineritis filii operum Patris vestri,* quod dixit Matathias ad suos. His verbis vobis Filii Pater, quibus Rex Hispaniæ Philippo tertio suo filio. *Magnam tibi Fili gratiam fecerit DEUS, si te ad illud gloriæ fastigium evexerit, quo me præeuntem habuisti, sed ex animo te obtestor, cùm id assecutus fueris, hujus etiam lecti in quo me vides memineris, hîc ut cernis, subsistit omnis gloria.*

In Funere alicujus Adolescentis Nobilis.

CUM inspicio vineam N. video latitudinem à Majoribus, dico

dico Cant. 8. *Mille pacifici, & ducenti hi qui custodiunt fructus vineæ.* Sed unus botrus deest, N. Mortuus pulchrè inceperat. Si flevit Jerem. Thren. 2. cùm per Nabusardan in Babilonem translatus Israëlis botrus, *Vide Domine & considera quem vindemiaveris.* Et ego id ipsum dicere possum, cæpit hic botrus bene. Lex fuit Athenis ne vindemiarent ante æquinoctium autumnale, hic in vere ætatis decerptus. Servabat tibi hunc botrum Parens. 4. Esdre. 9. *Servetur mihi acinus meus & plantatio mea, quia cum multo labore perfeci*, debes Pater dolere & cum David dicere 2. Reg. 1. *Doleo super te Frater mi Jonatha decore nimis & amabilis.* Et vos affines dicitis. 2. Reg. 1. *Sicut Mater amat unicum Filium suum, ita ego te diligebam.* Juvant hunc dolorem vicini, juvant omnes. Eccli. 33. *Et ego novissimus evigilavi, & quasi qui colligit acinos post vindemiatores in benedictione DEI & ipse speravi.* Quis hunc botrum colligit? Angeli. Apoc. 14. *Exivit Angelus de altari* &c. *Et clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem accutam. Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ, quia maturæ sunt uvæ ejus; & misit.* Unus Angelus ostendit botros, alter secat, horum laborem producam.

Venit ad tuam Pater defuncti domum Angelus, clamat ad alterum, *Mitte falcem tuam, &c. quia maturæ sunt uvæ ejus.* Sed quomodo maturæ? est Adolescens, negant omnes maturum. Sed non eodem tempore ubique botri matureſcunt. Ovetan. lib. 4. cap. 2. scribit in America in Civitate S. Dominici matureſcere in Decembri. Xacumjæ in Æthyopia scribit Franc. Alvarez cap. 2. maturari alios in Jan. alios in Febr. Idem est de hominibus, communiter dicimus maturum senem juxta Ps. 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autem in potentatibus octoginta anni, amplius eorum labor & dolor.* Sed extraordinariè, Sap. 4. *Senectus venerabilis est, non*

diuturna, neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Et ut Ambr. lib. 3 Epist. 21. *Ætas quæ albescit non canis sed meritis, veneranda animæ canities, in canis cogitationibus & operibus effulgens.* Nihil est quod in compendium redigi non possit, homo est parvus mundus. Ezech. 4. Jerosolyma delineatur in latere. culo & integras naves Myrmecides ita contraxit ut alâ muscæ tegerentur. Sic virtus plures annos in paucis claudit. Sap. 4. *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* De Macario Alexandr. scribit Palladius in ejus vita cap. 17. quòd vocaretur παιδαεσογέρων *eò quòd in puerili ætate senex haberetur, citiùsque multò quàm ætas ferret in virtutibus profecisset.* De S. Benedicto Dial. 1. scribit S. Greg. *Ab ipso pueritiæ tempore senile cor gerebat, ac ætatem moribus transibat.* Hoc idem factum in Defuncto N. Tarde matureſcit homo, quia sol interim debet sæpiùs signa Zodiaci transire, & in iis morari. Sed potest quis currere citiùs. Elisæus dum mittit Giezi ad Sunamitidem 4 Reg. 4. *Accinge lumbos tuos & tolle baculum tuum, si occurrerit tibi quispiam non salutes eum, & si te salutaverit non respondeas ei.* Non morare in signis Zodiaci, amphora, libra &c. ut Soli quem nemo incitat. Stitit aliquando Josve. c. 10. Retroëgit Isajas 2. Paralip. 9. *Reversus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.* Omnes volunt solem, ætatem ulteriùs progredi, Ut quis in summam annos reducat, faciat minorem Zodiacum, talem in clypeo curavit describi Alphonsus Dux Calabriæ filio Evardo. Erat Cervus, cum inscript. *DEUM time,* timet tonitrua. Ciconia Inscript. *Parentes reverere.* Hæc suos senes portat. Testudo, *Domum pro cura,* non egreditur domo. Delphinus, *Officia vaca,* prænonet saltu de tempestate. Supra hæc omnia Inscript. *Celer virtutis cursus.* Sunt etiam cœli in terra, Job. 39. *Nunquid nosti ordinem cœli, & pones rationem*

ejus

ejus in terra. Stemmata sunt stellæ hujus cœli; est ortus in eo & occasus, sunt eclipses. Sed hoc cœlo crescunt flores virtutum. Scribit Ambr. Perez. In Africa in civitate Tagodastem si plures surculi vitis simul in terra infigantur, in unum concrescere, & quodcunque signum fuerit singulis inditum, prodire in uvis. Jungunt se per Matrimonia ut surculus, prodeant in filiis stemmata, sub hoc cœlo. Quinque stemmata quæ Poloni adhibent, sint signa totidem Zodiaci, per hæc brevior erit annus in terris, per hunc ivit Defunctus, & ideò citò maturuit.

Zodiacus Nobilium duo habet extrema, à Patre, à Matre. Aliqui incipiunt à Matre, Prov. 3. *Digiti ejus apprehenderunt fusum*, ita fecit Sardamapalus, item ille, de quo Hieron. Epist. ad Heliodorum. *Quid facis in paterna domo delicate miles, ubi vallum? ubi fossa? ubi acta sub pellibus hyems? ecce tuba sonat, hostis expectat, & tu de cubili ad arcem, de umbra prodis ad solem, corpus assuetum tunicæ non fert onus loricæ, caput assuetum linteo galeam recusat, mollem otio manum capulus exasperat.* Puer Achilles etsi à Matre inter sorores muliebri veste occultatus, ad proposita ab Ulisse arma prosiliit. Hostis proponit arma, prosiliunt ingenui. Incipiant hinc nobiles, ita 2. Reg. 1. David. *Præcepit ut docerent filios Juda arcum.* Quia tempore Saul militia non æstimabatur, occiderat David Goliathum, Saul interrogat. *De qua stirpe descendit hic adolescens?* Quid hic de stirpe? da præmia Saul quæ promisisti. Defunctus N juxta Patrem incepit, habuit in memoria Majorum gesta N N. N. utebatur illis ut Themistocles triumphis Miciadis, &c. fuit in castris &c. *Maturæ sunt uvæ ejus.* Transit Defunctus ad aliud signum Zodiaci, ad aliud stemma, ad signum sapientiæ, studuit in Scholis variis & hic bonus iste maturus. Prov. 8. dicit Sapientia. *Melior est fructus meus auro & lapide pretioso,*

pretioso, & genimina mea argento electo. Nam doctrina munit Patriam. 2. Paralip. 17. Rex Josaphat *misit de Principibus suis ut docerent in civitatibus Juda, & cum eis Levitas & Sacerdotes, docebantque populum in Juda, & cum eis Levitas & Sacerdotes, & circuibant omnes urbes ut erudirent populum.* Quid inde secutum? *Crevit Josaphat & magnificatus est usque in sublime, & ædificavit domos turrium.* Turres erant viri à Josaphat edocti & Defunctus N. fuisset turris, expressissetque suos Majores, qui defendebant Patriam per Sapientiam, id est, NNN. Eccl. 28. Sapientia se vocat vitem. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, flores mei fructus honoris & honestatis.* Sed quis fructus? odor, sic defunctus eorum Principibus olebat, applaudebant illi peroranti. Cant. 2. *Vineæ florentes dederunt odorem suum.* Cùm à scholis rediit domum Defunctus, recepit *fructus honoris & honestatis*, dignitates. Bern. ad Theobal. *Multos videas Juvenum super senes intendere moribus, Antiquorum tempora meritis prævenire, & quod ætati deest virtutibus compensare.* Flores in Defuncto erant qui fructus magnos promittebant. Quid de eo dicam quando Judex in Tribunali constitutus? Vinum apud cœlum fuit signum judicii, Prov. 9. *Miscuit vinum & posuit mensam suam.* Et apud sæculum, judicaturis dabatur poculum vini apud Allobroges ut scribit Sabellius, vocabatur *crater judicii*, an quia in fundo veritas? an propter eloquentiam? an propter audaciam? sed nihil horum servit judicio. Idea est judicii vinum, est acre & dulce, talis sit Judex. Prov. 3. *Misericordia & veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe eas in tabulis cordis tui.* Nam vinum 3. Esdr. 3. *Convertit hominis mentem in securitatem & jucunditatem.* Prov. 2. *Securitas & gaudium est justo facere judicium. Non meminit Regem nec Magistratum.* Deut. 1. DEUS ad Judices loquitur. *Quod justum est judicate sive civus ille sit, sive pere-*

ve peregrinus, nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia DEI judicium est. Sed modò factum ut Isai 1. *Vinum tuum mixtum est aquâ, Principes tui infideles & diligunt munera, sequuntur retributiones, non judicant pupillo, & causa viduarum non ingreditur ad illos.* Non ita olim jam factum est quod Joan. 2. *Omnis homo primùm ponit vinum bonum, & cùm inebriati fuerint tunc id quod deterius est.* Sed etiam nunc non desunt Judices recti, talis fuit N. Dan. 13. *Dederat ei DEUS honorem senectutis*, quare *Maturæ sunt uvæ ejus.* Scribit Surius, quod S. Martinus plantaverit vitem, de qua Assidius Presbyter decerpsit uvam & in aquam misit, tota aqua facta est vinum. Ita N. inter Judices. Addit Greg. Turon. de gloria Confess. quòd cùm ex dicto Assidii quidam incurvati oris bibisset, statim fuerit rectum factum, utinam modò essent tales uvæ. Tribunal dicitur brachium Regis, vocetur & Rex, sed non Crivoustus, hoc est, oris intorti. Dicunt. *Juro DEUM quòd non curaverim ut in Judicem eligerer*, tamen maximè curavit. *Juro quòd nullam meam vel Amicorum causam in Tribunali habeam*, & est contrarium. *Juro D. DEUM quòd judicia nisi morbo gravi oppressus non deseram.* Et tamen propter fugiendam invidiam abest. Quis daret uvam S. Martini? Fuit N. defunctus in Legatione, & de illo dici potest. Prov. 25. *Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui miserit eum, animam ejus requiescere facit.* Tempore messis solùm nix cecidit Romæ, cujus memoria est die B. V. ad Nives, de potu loquitur per nives servatas refrigerato. Non sit Legatus ad Comitia ignis, non pertinaciter tueatur injusta, sit frigidior. Talis fuit N, ideò *Maturæ sunt uvæ ejus.* Est avicula Imeronios, hoc est, unius diei, quia manè nascitur vespere moritur, sed interim variorum avium nidos circumvolat, omnium voces exprimit adscribunt ipsi. *Non*

diu

diu sed satis. Talis fuit N. peragravit nationes, lingvis locutus, potest dicere cum Alexandro. *Vixi satis, quia non numero annos sed triumphos, metior me non ætate sed perennitate.* Uno verbo. *Non diu sed satis.*

Aliud signum hujus Zodiaci, id est stemma, notat cœlestia, sub quo etiam N. maturuit, sub hoc signo. Isai 18. *ante messem totus effloruit, & immatura perfectio germinavit.* De Adolescente probo Bern. in Festo SS. Petri & Pauli. Cùm *Adolescens esset, senem induit, relinquens quod erat, assumens quod non erat, non enim respexit ad se, sed ad eum qui est supra se.* Talis fuit N quare *maturæ sunt uvæ ejus.* Quatuor partes Sanctitatis assignat S. Paulus Ephes 5. *Ut possitis comprehendere quæ sit latitudo, longitudo,* &c. In quo respicit partes crucis. Altitudinem Sanctitatis in aula ostendit Andr. Grimanus Dux Venetorum tali symbolo, ut refert Salomon à Carlano Affixit vitem columnæ, Inscript. *Festina lentè.* Clamat genus Catholicum, *festina*, educatio, Dominus, Sed aula ait *lentè*, satis unum sacrum audire, &c. *Latitudo est* Isaac, hic Gen. 28. *Fodit Isaac puteum, & vocavit nomen ejus latitudo dicens, nunc dilatavit me Dominus, & fecit crescere super terram.* Quomodo latus puteus? talis sanctitas aulica, similis vulpium foveis nidis vlucrum Matth. 8. Et hanc latitudinem difficultates obtinuit Isaac, Obruerant Patris ejus puteos Palæstini, ipse in Gerara effudit puteum, & statim incolæ de illo contenderunt sibi usurpantes vocavit illum *Calumnia*, alterum effodit, *pro eo quoque puteo rixati sunt, & appellavit eum inimicitias.* Tertium appellavit latitudo. Ita in aulis, maximè cum alicui confertur Dignitas, sed si superat. *Dilatavit me Dominus & fecit crescere super terram.* Jam illum adorant. Ibid. *Vidimus tecum esse Dominum.* Sed Isaac potiùs debuisset appellare profunditatem, quia profunde fodit, non obtinebitis Aulici dignitates,

nisi

nisi profundè vos demiseritis vestra. Vestra *Profunditas* est ut Jonæ, orat in ventre ceti. *Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcunque vovi reddam pro salute mea Domino.* Dum beneficium quærunt, profundè sunt devoti, vota. Quare Jonas orabat? *Quando veniet immutatio mea? post ten bras spero lucem* spes lucis facit orare. Ita & qui uniones quærunt se demergunt. Ita quidam caput inclinabat donec claves Petri inveniret. Longitudo devotionis passim ab Aulis abest. *Aula breves tunicas, & breve carmen amat*, Brevem Missam &c. Oratio esset brevis nisi colloquiis intertexerent. Si tamen habent longitudinem, erit illa 1. Paralip. 20. *Aliud bellum accidit in Geth. in quo fuit homo longissimus.* Qualiter? *Senos habens digitos, id est, simul viginti quatuor.* Quid hoc? in aulis augentur digiti ut rapiant.

Aliæ mensuræ Sanctorum, quas secutus N. *Altitudo* est fides, per quam usque supra cœlos pertingunt. Abacuc 3. *Altitudo manus suas levavit*, adjunxit opera fidei, devotionem. *Latitudo* SS. est Charitas Ps. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilatasti cor meum.* Legem DEI N. servabat, in nullo partem fecit dæmoni ut alii. Ephes. 6. *Nolite locum dare diabolo.* Ille est indivisibilis, anima nostra indivisibilis, si vel punctum habet in ea, totum habet. Confitebatur crebrò N. habuit erga proximum charitatem, quæ ut Aug. Catech. Rud. *Alios curat ædificare, alios contremiscit offendere: ad alios se inclinat, ad alios elevat: alius blanda, aliis severa: nulli inimica, omnibus Mater.* Ita N. erga domesticos, pauperes. Greg. in Pastor. *Cùm charitas misericorditer descendit ad infima, valenter insurgit ad summa.* Jam verò *Profunditas* SS. est humilitas. Isai. 35. *Mittit radicem deorsum, & mittit fructum sursum.* Fuit humilis N. maximè internè, de quo Hieron. Epist. 90. *Plus est animum deposuisse quàm corporis cultum, difficiliùs arrogantiâ quàm*

auro caremus. Externè etiam humilis fuit N. Chryſoſt. in Pa. lycr. 3. *Quisquis gradus propriæ celſitudinis amat, humilitatis cultum in obſequio teneat, nam qui ab humilitatis operibus recedit, à dignitatis faſtigio tumoris pondere cedit.* Sanctorum *Longitudo* eſt perſeverantia. Hos ſolos annos computemus quos DEO dedimus. Barlaam habuit annos 70. interrogatus à Joſaphat de annis, dixit 45. quia tot annis DEO ſervivit. Similius relictâ aulâ Adriani, quia ſolùm annis ſeptem DEO ſervivit, adſcribi tumulo ſuo curavit. *Hic jacet Similius ſeptennis vetulus,* De Saule 1. Reg. 10. *Puer fuit unius anni Saul cùm regnare cæpiſſet, & regnavit duobus annis in Iſrael.* Utique annis 20. ſed ſolùm duobus juxta DEUM. N. omnes annos DEO impendit, quare *maturæ ſunt uvæ ejus.* Sed virtutes dictæ ſervari non poſſunt ſine mortificatione. Gal. 5. *Carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Mundum, carnem. Joan. 17. *Pater non rogo pro mundo.* Hos latrones N. Crucifixit. Mortificavit ſe. Alex ab Alex lib. 6. c. 18. ſcribit ad Danubium naſci vitem quæ aſperſa cinere fit aurea: Mortificatio fecit nos aureos, ut patet ex 2. Cor. 4. *Immenſum gloriæ pondus operatur in nobis.* Mundum ut patibulatum ſpernebat, pompas, &c. Lud. Barthema. hiſt. Novi orbis ait in littore maris Indici prope Taprobenam, fuiſſe idolum marmoreum, Maris Præſes, dictum Cechorab, quem qui tranſibat plagiis afficiebat & in faciem ſpuebat, adjecto. *Perdidiſti, pereas,* quia eo loci multa fiebant naufragia. Ita in mundo, perit caſtitas, ſobrietas, devotio. Agamus ut cum Cechorab. Sed N. non periit.

Aliud ſignum Zodiaci eſt aliud ſtemma. Timorem DEI notat, ſuperflua debent recidi à vite. Stobæus, Eſt in juvenibus, *mentis præcocitas, renum ardor, voluntatis impetus, intentus ad voluptatem animus.* Excindebat N. fuit ut Tobias *nihil puerile geſſit,* Examinabat N. conſcientiam, meminerat quod

quod est Eccl. 11. *Lætare Juvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum, in diebus juventutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito quòd pro omnibus his adducet te DEUS in judicium*, pro *adducet te*, &c. Chaldeus legit, *appendit super te aciem.* Cùm lætamini Juvenes pendet supra vos acies, scilicet gladii, estis ut Damocles in convivio apud Dyonisium Tyrannum supra quem fuit appensus ensis in filo subtili. Considerate DEUM Judicem spectantem. Ita fecit N. 1. Cor. 11. *Si nos judicaremus utique non judicaremur.* Sequeretur ex hoc timore illud. 1. Cor. 7. *Et qui gaudent tanquam non gaudentes &c. & qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur, præterit enim figura mundi hujus.* Oleaster pro verbis *Adducet te*, &c. Legit. *Pro his scribit contra te DEUS judicium.* Sicut apud Baltasarem Babilone Dan. 5. *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manùs scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ Regiæ.* Subito hæc hora venit, Balthasar tunc potabat Job. 21. *Tenent tympanum & cytharam &c. & in momento ad inferna descendunt.* Pejus aliquando apud vos fit quàm apud Baltasarem. ibi. Dan. 5. *Unusquisque eorum secundùm suam ætatem bibebat.* Hic ultra ætatem. Bibebant de vasis sacris sed in quibus erant imagines sacræ, apud vos fædæ. ibi. *Laudabant DEOS aureos, argenteos*, juxta fidem suum. Apud vos maledictiones, imprecationes, spurca ut sulfur inferni. *Contra candelabrum*, hæc scriptura non obscurabitur. Manus hæc scribit non Babilonicè etsi Babilone, sed lingvâ ignotâ. *Mana Tecel Fares.* Numeravit, appendit, divisit, hoc est numeravit dies, appendit merita, divisit à regno. Quis scit quid contra vos scribatur? ignotâ lingvâ. Simus ipsi nobis Danieles, legamus in nostra conscientia. Ita fuit N. eradicemus mala. Ambr. lib. de offi. *Adolescentum est timorem DEI habere, Parentibus deferre, honorem habere senioribus, castitatem tueri, humili-*

tatem non aspernari, diligere clementiam, quæ ornamenta sunt juvenilis ætatis. Ita fecit N. Quare *maturæ sunt uvæ ejus.*

Aliud signum in Zodiaco, id est, stemma per quod notatur *Castitas.* Vidit Apoc. 14. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, hi sequuntur Agnum quocunque ierit.* Ibi crescit *vinum* quod Zach. 9. *germinat virgines.* Talis fuit N. Hugo de claustro animæ. *In illa ætate quando crines flavescunt, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corpori vires subministrat: quando viget ratio, vigent corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, intellectus rectior, & vultus jucundior, offerunt hostiam viventem, DEO placentem & immaculatam, agnum non aure, non oculo, non pede, non lingvâ carentem. Audiat hoc senum fera conversio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, ipsi in se per se deficiunt: hi non offerunt agnum immaculatum, sed porcum cruentatum sicut enim porcus in siliquis, sic senex jacuit in vitiis.* Non induxit N. conviviis, aures continuit, &c. *Maturæ sunt uvæ ejus.* Quæsivit ex oraculo Philippus Macedo, quid illi cavendum esset ut diu viveret, dictum illi. *Cave quadrigas*, prohibuit illas in regno, montem hoc nomine dictum disjecit, periit à Pausanio qui gladio insculpserat quadrigas. Habet suas quadrigas Venus, quatuor cygnos. Bern. in Cant. *Luxuriæ currus quadrigâ vitiorum voluitur, ingluvia ventris, inhonestate sodalium mollitie vestium, otii soporisque resolutione.* Cygni hi habent plumas albas, politicâ vestiuntur, quomdo cum sociis non bibam, ludam? &c. Cutis nigra, hæ quadrigæ sunt in poculis, vestibus &c. Eccl. 7. *Nè impiè agas multùm, ne mori aris in tempore non tuo.* Utamici sexigis, Cassiod. super Matth. *Sex sunt quæ incorruptam servant castitatem, evitatio opportunitatis.* Adhibite his sexigis aurigam verecundiem. Bern. super Cant. serm. 86. *Verecundia est integritatis custos, virga disciplinæ, expugnatrix malorum, propugna-*

pugnatrix puritatis, famæ tutrix, vitæ decus, & insigne totius honesti, Quare N. citò senex sap. 4. *Ætas senectutis vita immaculata.* Propter hanc de S. Agnete dicit S. Ambr. lib. de Virg. *Computabatur in annis infantia, sed erat senectus mentis immensa.* Vestis te N. illo habitu quem Garzias Navarræ Rex, uti Causin. in symb. dederat suis militibus. In pallio erat cor, è quo lilia prodibant, supra quæ B. Virgo, in collo erat monile factum è liliis.

Jam unus Angelus absolvit laborem monstrando hunc botrum N. maturum, succedit alter cum falce. Vindemiatur tuus Filius ô Pater, deest Domui Botrus, sed ut Chrysol. *Non est hæc sors calamitatis sed felicitatis non probrum supplicii sed honor triumphi.* Colligit botrum, ut in cœlum deferat sap. 4. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate,* &c. *Cum se eduxerit, in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum cor hominum præmium vincens.* Sunt certamina Aug. serm. 57. in Evang. *Inter omnia Christianorum certamina, duriora sunt castitatis prælia, ubi continua, rarior victoria, nempe rarò est concordia formæ atque pudicitiæ.* N. toties vicit, meritò ut in cœlum triumphans. Habitus Angeli vindemiantis triumphalis. Nam ut Ansbert. & Haymo docent, hic est iste Angelus de quo superiùs. Apoc. 14. *Vidi sedentem super nubem candidam, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.* Quare cum corona non sceptrum, sed falx, & econtra, cœlesti modo vestitus, ad hæc negotium utiliter, ita Cherub, alas habuit & cruci erat affixus cùm S. Francisco sacra stigmata communicaret, quia ad hoc serviebat talis habitus. Hic Angelus in corona, quia botrum erat coronaturus, & fortè ad deferendum illum in cœlum sociavit sibi Angelum qui monstravit illius maturitatem. Ita Num. 13. botrum Caleb. & Josve ferebant è terra promissionis, ita in terram familiæ

N. missi duo isti Angeli ut eam explorarent, in signum fertilitatis hunc botrum extulerunt. Locus è quo in Palæstina decerptus est botrus, dicebatur Nechel Eschol, hoc est, rivus botri, sic dici debet & hic locus è quo decerptus hic botrus, rivus, fluxerunt Patri lachrymæ, & meritò. Cyrus ut scribit Greg. Richter, habuit vitem auream, botri smaragdini. Talis hæc familia, deest botrus. Fuerunt botri quales vidit in somnis Pincerna Pharaonis, & de illis dabat Regi vinum. Ne solliciteris Pater, verbis te compello quibus Martiam Romanam Philosophus lugentem de obitu Filii, *Filium tibi Dii immortales non diu daturi, statim talem dederunt, qualis diu effici potest: quidquid ad summum pervenit ad exitum properat. Eripit se ex oculis aufertque perfecta virtus, nec ultimum tempus expectant, quæ in primo maturuerunt.* S. Macario obtulit quidam botrum, hic discipulo, ille alteri, & sic deinceps, tandem ad Macarium redit, qui illum DEO obtulit. Dederat tibi ô Pater, DEUS botrum, tu illum Academiis &c. rediit ad te, offers illum DEO. Mortuus N. intrepidè. Henrico Duci Bavariæ apparens S. Wolfgangus scripsit in pariete *Post sex*, ille putabat se moriturum post horas sex, deinde dies, &c. interea post sex annos factus Cæsar. Et illi datum Elogium. *Seipsum singulis senariis superabat, & post mortem identidem vivebat.* Et N. expectando mortem, acquisivit cœlum. Dispositio Defuncti qualis? Jam valedicit tibi ô Rex, ô Patria &c. Clausit vitam, claudo sermonem.

In Funere alicujus in dignitate Sæculari.

MOS antiquus est Polonorum, ut in funere Regum frangantur Regis sigilla, in funere alicujus ex sua familia ultimi stemmata rumpantur. Quid hoc? an quia ut ad sepul-

pulchrum perveniamus non est opus armis, an quia in morte jam nova stemmata incipiunt, scilicet calvariæ pictæ &c. Certiùs est, ut fragilitas nostra indicetur, mortuus cadit ut arbor Dan. 4. Succidite arborem, & præcidite frondes ejus. Solus Christus in virga ferrea regit, cæteri sunt ut vasa figuli. Aug, lib. 12. de Civit. *Regis cœlestis virga ferrea est, Regum terrestrium virgæ fragiles sunt, propter quod addit, confringes eos.* 4. Reg. 18. Rex quidam appellatur baculus arundineus & confractus Quare Hebræi cum memoriam celebrarent viri fortissimi Banajæ, appellabant diem illum ut scribit Rabbi Membre. *Planctum super fracturam virgæ seu fulcri.* Facimus hodie planctum super fracturam N. fulcri Patriæ. Planctus ab ipso DEO in tali casu imperatus est Ezech. 30. *Hæc dicit D. DEUS, ululate, cùm ceciderint vulnerati in Ægypto, & destructa fundamenta ejus, & corruent fulcientes Ægyptum.* Plangamus, Plangit familia, uxor, Filii &c. Ezech. 19. *Marcuerunt & arefactæ sunt virgæ roboris ejus: non fuit in ea virga fortis.* Arbor fuit N. &c. *Planctus est, & erit in planctum.* Sed an in solo sistent luctu posteri Defuncti N? Jer. 48. *Consolamini eum omnes qui estis in circuitu ejus, & universi qui scitis nomen ejus, dicite, quomodo confracta est virga fortis?* Fracta sub onere Patriæ. Bene mundum descripsit Pelusiota lib. 2. Epist. *Mundus est perpetua ruinarum ruina*, quod explicabitur ex verbis Chrysost. hom. 30. ad 1. Cor. *Caduca est hominum natura, pulchritudo properat ad deformitatem, robur ad imbecillitatem, honor ad contemptum, sanitas ruit ad morbum, gloria ad vilitatem, divitiæ ad paupertatem.* Sed & Euseb. lib. 11. de præpar. Evang. c. 7. *Natura nostra inter ortum & mortem consistens instabilis est, corrumpitur enim infans in puerum, puer in juvenem, juvenis in virum, vir in senem. Et qui heri fuit, in eum qui est hodie, quique est, in crastinum; manet autem nullus idem.* Hoc idem est in

toto

toto mundo. Assyriorum Monarchiæ, succesſerunt Medi; iſtis Perſæ, Græci Perſis, Græcis Romani. Idem fit in Regnis, Carthaginem occupârunt Aſiatici, Babilonem Europei Macedones, Saraceni Italiam, Affri Hiſpaniam, in Græciam intrarunt Gallogræcia, in Galliam Franconia. Rurſus in Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Vandali, Gothi, Sarmatæ, in Sarmatiam Slavones. Idem in civitatibus, Bizantium convertitur in Conſtantinopolim, Memphis in Cairum, Carthago in Tunetum, Carrodunum in Cracoviam, aliæ in deſertos campos, quid bella, naufragia? Fulciunt ruinas mundi magni viri, dignitatibus utuntur ut fulcris, Fulcivit N. Alii ſolùm fulciunt genere, alii ore, alii re. Parum eſt ſolo genere. Nazianz. *Clarâ ſum ſtirpe, ait, quid ergo? verminoſo nimirum & putridò Patru & Avi ſceptro niteris, & ruinâ potiùs quam fulcro fulcris, ſolis aliis ſepulchris vincis, & reſcriptis novis, queis ſcriptus non educatus es.* Sed hoc fulcrum debile. Job 9. *Innitetur ſuper Domum ſuam & non ſtabit, fulciet eam & non conſurget.* Jactat genus, de illo dici poteſt. Prov. 14. *In ore ſtulti virga ſuperbiæ.* In manu nihil; ſunt ut Rebecca, ut mulier. Gen. 24. *Cujus filia es? ſum filia Bathuelis filii Nachor, quem peperit ei Melcha.* Ac virgo debet eſſe ut David. 1. Reg. 17. *De qua progenie es ô Adoleſcens? dixitque David, filius Iſai Bethleemitæ ego ſum.* Et tamen ex nobiliore fuit domo quam Rebecca, ſed notus erat cæde Goliathi. De Rebecca dici poteſt, quod Hieron. in epitaphio Fabiolæ, genus memoravit, *ut quod in flore non poterat, in virgis & radicibus demonſtraret.* Ac Peluſiota lib. 1. Epiſt. de David. *Vide mihi paſtorem puerum, bacillo unico & familiam ſuam, & Judæam ſuſtentantem.* Ita N. defunctus, non deerat illi genus, erat velut arbor plena hoſtium ſpoliis. Poſſum illi quod Ezech 19. dicere. *Mater tua quaſi vinea in ſanguine tuo plantata, frondes ejus creverunt, & factæ ſunt ei virgæ ſolidæ in ſceptris dominan-*

minantium, & exaltata eſt ſtatura ejus inter frondes & vidit altitudinem ſuam in medio palmitum ſuorum. Sunt ibi Majores &c. Sed facta ſua N. adjecit. *Mater tua quaſi vitis, & quaſi flos factus es virga ſolida. Num flos fulcit?* de columnis templi Salomonici, 3. Reg. 7. *Capitella columnarum quaſi opere lilii fabricata erant.* Et Eccleſia Cant. 5. petit. *Fulcite me floribus, Greg. per flores, tyrones & incipientes deſignantur,* flos eſt Juvenis cùm bene inſtituitur. *Ego flos campi,* jam campo & publico aſſueſcunt, gronadillus excreſcit in columellam, ſed inter ſpinas non delicias. Ita N. crevit primò in Scholis, in devotione, ſtudio, deinde in aulis, crevit ut Aaron cujus virga floruit Num. 17. in tabernaculo.

Fulcivit ora, Iſai 18. eloquentiam vocat *Virgam oris,* & Apoſtolis Pſ. 18. *In omnem terram exivit ſonus,* &c. Symmachus legit, *& fines orbis terræ ſtant ſupra verba eorum.* Fulcivit verba. In comitiolis N. &, in judiciis, Iſai. 11. *Judicabit in juſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ, & percutiet terram virga oris ſui.* Pauperes. Quia Divites potiùs per amicas comparitiones quàm per ſtrepitum juris conveniunt inter ſe, præterea magis à Judice fulciendi pauperes, quia facilius cadunt cauſâ quàm Divites. *Percutiet terram virgâ oris ſui.* Quid hoc? Apoc. 1. *De ore ejus procedebat gladius,* quia verbum DEI tam eſt efficax atque gladius. Pſ. 148. *Dixit & facta ſunt.* Talis debet eſſe qui Patriæ ſervit, ſed quare terram percutit? omnes reſpectus terreſtres contemnit. Exod. 17. dictum Moyſi. *Percuties petram, & ex ea exibit aqua, ut bibat populus,* ſcilicet ille qui tamdiu ſitiit juſtitiam, Pſ. 84. *Veritas de terra orta eſt.* In quæ verba Theodoret. *Ut ſæpè fons in terra, ita veritas in cauſis latet, percute ſemel & ſtillabit, percute iterum & fluet, percute tertiò & exundabit,* gratis omnes bibent, Talis eloquentiæ fuit N. componebat diſcordes, pauperi ſuc-

currebat, cum vicinis concors, offensas remittebat, redimebat captivos, causas difficiles ut saxa, Ps. 104. *Diruptt petram & fluxerunt aquæ, abjerunt in sicco flumina*, nempe veritatis; in sicco, apud pauperes Ps. 81. Covocatis terræ Dominis dixit. *Ego dixi Dii estis*, Ibid. DEUS, *stetit in Synagoga Deorum* &c. Judices Deos vocat, locum judiciorum Synagogam, sive Ecclesiam. *Dii*, ut ita agant, ac ipse DEUS ageret, & aspicit an ita agant, *in medio autem DEOS dijudicat*. Sed ad hæc quid aliqui Judices? Ps. 81. *Nescierunt neque intellexerunt*, sed quid inde sequitur. *Movebantur omnia fundamenta terræ*. Omnia, territoria, Sigebert. in Chronico. Cùm inique fuisset judicatus Gregorius Antiochensis, terra contremuit; Cùm Chrysost. à Theophilo damnatus, Thracia, Propontis, Constantinopolis, contremuit. Quia cecidit fulcrum, Prov. 10. *Justitia firmatur solium*, Confracta est sella sub Valente Imp. cùm vellet scribere decretum contra S. Basilium. Rustici terras fundant & earum opes, cùm illi ruunt, etiam istæ. 1. Reg. 2. *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem*, in hæc Rupert. *Afflictos terræ Hebræi intelligunt, super quos Dominum, orbem posuisse dicunt, quia eorum meritis terram stare autumant*. Isti pauperes sunt nihilum, sed Job. 26. *Appendit terram supra nihilum*. Consilia etiam sunt fulcra Prov. 11. *Ubi non est gubernator populus corruet*. Vatablus & Pagnimus legunt, *Ubi non sunt consilia, populus corruet*.

Proderat & reipsâ N. Fulcrum est panis seu bona terrestria. Ezech. 14. *Fili hominis, terra cùm peccaverit mihi, extendam manum meam super eam, & conteram virgam panis ejus, & immittam in eam famem*. & cap. 4. *Fili hominis ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem, ut comedant panem in pondere & sollicitudine*. Isai 3. *Robur panis*. Psal. 104. *Firmamentum panis*, non parcebat pani N. in bello, Fulcivit Ecclesiam. 3. Reg. 10. *Fecit*

Rex

Rex de lignis thyinis fulcra domûs Domini, & domûs Regiæ, & cytharas lyrasque cantoribus? Quare de iisdem? respondet Pelusiota lib. 1. epist. quia non est melior consonantia, quàm quando simul fulciuntur aulæ Regiæ & templum. Panethion Græcus in Bibliis Photii, dum illa explicat Ps. 67. *Regna terræ cantate DEO*, dicit. *Regna terræ sapienter DEO contant, in quibus privata communibus, terrena cælestibus consonant*, dum Ecclesia fovetur. Synesius de Regno. *Pietas primùm substernitur, fulcrum, & crepido, cui firmiter insistat simulachrum Regni.* Ethnicus dixit Plut. contra Collat. *Mihi videtur citiùs sine solo Resp. quàm sine Religione, aut constitui, aut constituta servari.* Ethnicus Val. Max. l. 1. c. 58. *Non dubitaverunt sacris imperia servire, ita se rerum humanarum futura regimen existimantia, si Divinæ potentiæ, bene atque constanter essent famulata.* Defuncto N. sonuit hic conventus, servivit Regi, servivit Ecclesiæ, meruit de se dici, quod de Oniæ filio Eccl. 50. dictum. *Simon Oniæ filius in diebus suis suffulsit domum, & in vita sua corroboravit templum.* Erexit N. pro antiquis templis nova, construxit Nosocomia, fuit filius Oniæ zelosi, pauperes studiosos juvit. Providentiam vidit Jerem. 1. *Video virgam vigilantem* fulcrum vigilans, non lupulus huic virgæ adhærebat, gaudebat si dignæ personæ ejus pane vescerentur.

Sed omnia in mundo fragilia, decebat super omnes virgam Moysis durare, sed consumpta, vix particulæ supersunt Romæ in Laterano, & Suessione in Gallia, sed manent coram DEO. *DEUS vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt*, neo mirum, Isai. 55. *Sicut exaltantur cœli à terra, sic cogitationes meæ à cogitationibus vestris, & viæ meæ à viis vestris*, dixit Dominus, cùm homo destruit, rem quasi vult in nihilum reducere, DEUS destruit ut aliquid novi faciat, Isai 19. *Percutiet Dominus Ægyptum & sanabit eam*, Thren. 2. *Cogitavit Dominus*

nus dissipare murum filiæ Jerusalem, tetendit funiculum ut novam scilicet ædificet. Ps. 146. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Mittit Zachariam c. 11. cum minis, & ille, *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, & alteram vocavi funiculum*, decoris virga dissipabitur, sed manebit funiculus. Deflemus fractam virgam, fracta omnia, fortitudo &c. intentiones bonæ, N. sed hæc omnia apud DEUM integra. Oseæ 14. *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè, ero quasi ros, Israël germinabit sicut lilium, & erumpet radix ejus ut Libani, & erit quasi oliva gloria ejus.* Hoc ungventum sanabit has fracturas. Est in cælo Apoc. 28. *In medio plateæ ejus lignum vitæ, & folia ligni ad sanitatem Gentium.* Metiebatur civitatem illam Angelus arundine aurea, ut scilicet cuique daret locum juxta ejus merita, est arundo quoad nostra merita, quoad merita Christi aurea. Debemus fulcire non solùm Patriam, Ecclesiam, sed & nos ipsos. Cant. 8. *Quæ est ista quæ ascendit innixa super dilectum suum?* Super ejus merita cooperando per pœnitentiam &c. In Christo spes nostra. Cant. 5. *Crura ejus columnæ marmoreæ.* Non fregerunt hæc crura milites, cùm Joan 19. latronum frangerent. Ratio est 1. Petr. 5. Quia, *DEUS gratiæ in Christo JESU nos perficit, confirmat, solidatque.* Sed debet esse Christus à nobis dilectus ut ei innitamur, opus amore & operibus. Rom. 13. *Plenitudo enim legis dilectio est.* Joan. 14. *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est, qui diligit me.* Nostræ actiones sunt arundo, sed meritis Christi immersæ fiunt arundo aurea. In hoc fulcro fundavit se spes defuncti N. Innixus non super opes, dignitates, sed *super dilectum suum.* Confessus, &c.

In Fu-

In Funere cujuſdam Nobilis.

CUM Abſalon non fideret tantùm ſuis filiis, ut ei poſt mortem erigerent monumentum, ipſe illud erexit, dicendo. *Non habeo filium, ſed hoc erit monumentum nominis mei, & vocavit illud nomine ſuo. Manus Abſalon.* Melior multò Abſalone N. defunctus meliores nactus filios, ab illis accepit monumentum in hoc templo, qui illud variè exornarunt, ut neque ego deſim, aliquid apponam.

Addo huic monumento inprimis ſtatuam virtutis Religionis, hæc virtus eſt Chriſtiani, huic defunctus à pueritia ſtuduit &c. Eccleſiæ benefecit &c. Addo ſecundò ſtatuam fortitudinis, fortis fuit pro Eccleſia. Hugo Capetus Rex Gallorum, dum interrogaret Veremundum Leodienſem Epiſcopum, in quo poſſit DEI Eccleſiæ ſervire, reſpondit, *ſic præſis ut proſis*, quærit Rex ulteriùs Epiſcopum quomodo id faciendum? reſpondit Epiſcopus. *Et palmo & pugno.* Hoc eſt, liberalitate & defenſione Eccleſiæ. DEUS benedixit Capeto, quia per annos ſexcentos ejus nepotes in Gallia regnârunt. Hermus Bilius Princeps Corſicæ dicebat, *Eccleſiæ ſum Hermus largiendo*, ut fluvius Hermus aurifer. *Et Bilius* à bile, *propugnando.* Pro antiqua Eccleſia ordinavit DEUS, primitias à quolibet homine, aurum, & argentum, & cuprum, hiacynthum & ſcarlacam, &c. Marmor, onychen ad exornandum Rationale, & ita profecit largitas populi, ut artifices tabernaculi. Oliab & Bezeel dixerint, non debere plura afferri & hoc ipſum proclamatum eſt per Præconem. Tempore Salomonis voluit DEUS templum ſibi erigi in montè Sion, David illi paravit dotem in auro & argento, & Principes contribuerunt, &c. Quia non domus parabatur homini, ſed DEO.

Quæ dos Ecclesiam novam decet quam sibi Christus desponsavit? In omnibus bonis mundi contra dotem illi inscripsit. Eam reddebant Constantinus, Alexius, Commenus, & alij Imperatores, similia fecit N. defunctus, videbis ejus beneficia ad ortum & occasum, &c. Si quis contradiceret, è parietibus responderent lapides de hac re mihi dicenti. *Bene dixisti venerabilis Beda.* Sed hoc tempore opus est ut inveniatur Booz qui jubeat Ruth colligere spicas post metentium terga, cùm non habeant unde servi DEI vivant. *Jungere meis, ubi messuerint sequere.* Talis Booz fuit defunctus N. *Ut Ruth absque rubore colligat, & colligentem nemo impediat.* Erigo defuncto statuam Defensoris Ecclesiæ, invadunt bona illius Catholici & Hæretici. Discurrunt ut Siciliæ Tyrannus Æsculapius, Da pallium aureum Apollo, hyeme non calefacit, æstate onerat. Da arcum aureum Diana nunquam ex illo es jaculata, &c. Da pomum aureum Mercuri, si illud momorderis dentes lædes, date sacerdotes bona nec uxorem nec prolem habetis. Nabuchodonosorem converterunt in bestiam bona Ecclesiæ. Antiochum in pastum vermibus eadem dedêre. Eadem carbunculis impleverunt in capite Leonem quartum Constantinop Imp. dum raperet quæ Heraclius Ecclesiæ S. Sophiæ dedit. *Memoria Josiæ in compositione odoris facta opus pigmentarii, in omni ore quasi mel indulcorabitur memoria ejus, & ut musica in convivio vini.* Redolet memoria Defuncti, dulcis memoria, sonant illius opera ut musica. *Ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, solatium vitæ nostræ, omnia simul in uno habentes, non debuimus dimittere à nobis.* Discessisti à nobis, sed ita DEO placitum, hoc nobis sit solatio, quia *in cælo ædificavit ascensionem suam.* Valedixit & valedicit omnibus in terra. Amiserunt devoti exemplar, fortes Heroëm. Ubi est illa facies, illud robur? &c. Dalila, mors, omnibus Samsonem

nem spoliavit. Sol eclipsavit, Ambr. in funere Gratiani. *Quomodo ceciderunt Potentes, quomodo rapidiora fuerunt vitæ curricula quàm ipsius Rhodani fluenta? O quam angusto fine vitam clausisti &c.*

In Funere alicujus Notarii.

CUM alii in Dignitate moriuntur, supra feretrum ponuntur eorum insignia, ut Marsalci, Ducis, Concellarii. Æneas Miseno tubicini tubam imposuit Æneid. 6. Jonathæ 1. Mach. 3. *Super columnas arma in memoriam æternitatis.* In Notario neque penna neque liber ponitur. Sed est exemplum Tim. 4. Paulus proximus morti. *Ego enim jam delibor & tempus resolutionis meæ instat, &c. Affer tecum libros maximè autem membranas* Cum libris ad cœlum vadit, ita pennam & librum secum defert Notarius, & ita Ambr. Serm. 114. in Ps. 110, *Si dormias, exurgent tamen pennæ tuæ*, sequentur te. Descripsit se jam in cœlo. Isai 44. *Et hic scribet manu suâ Domino* Septuaginta pro Domino legunt, *DEI sum* hoc Defunctus scripsit, sed quæramus priùs quid hæc penna in terris fecit?

Homo est avi similis, quæ jam in hoc, jam in illo loco considet, tandem ad nidum redit, ita homo ad terram. Ita, Eccles. 1. *Ego Salomon fui Rex in Jerusalem*, cur, *fui?* utique adhuc vivebat? Hugo Victor. *Fui jam non sum, quia ei sum, idipsum jam nihil esse agnosco quòd sum.* Greg. in 3. Reg. c. 2. *Multùm quidem sæculi bona durant, si cum amatore usque ad extremum vitæ pervenient, quæ finem transire non possunt* Quia tandem. *Exibit Spiritus ejus & revertetur in terram suam* Hoc accidit Adamo Gen. 3. *Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est* Hoc ipsum est. *Avolabunt quasi aves ex Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum.*

rum, & collocabo eos in domibus suis. Volavit ad locum Ur, inde ad Haran ex Haran in Mambre, ex Mambre in Geraram, ex Gerara ad Bersabeam, ex Bersabea in Palæstinam, ex Palæstina in Hebron Chanaan, ex Hebron in Palæstinam, ex Palæstina in Bersabee, ex Bersabee in Mesopotoniam, ex Mesopotania in Sichem, ex Sichem in Bethel, ex Bethel ad Chanaan, ex Chanaa in Ægyptum, ex Ægypto in desertum, tandem ad terram promissionis. Sed nec ibi perpetuò fuit. Peruenit in Babilonem, in Persiam, in Græciam, Romam. Hoc symbolum vitæ nostræ, cui adscribamus. Eccles. 1. *Generatio præterit, generatio advenit*, de quo Hieron. *Alius morientibus nascuntur alii & quos videras non vides, & quos non videras incipis videre.* Pennæ in hac ave sunt variæ ut status hominum. Sed quid? Job. 37. *Ventus transiens fugabit ea.* Dissipabit, ut tempus abit, ita & homo. Greg. 33. Moral. 3. *Nullâ intùs firmitate solidantur, meri quippe calami intus sunt per fatuitatem vacui, sed foris per speciem & ostentationem pulchri*, homo ut penna, abripit pennam tempus ut aqua. Homo tamen conatur volare ut Icarus. Ezech. 18. *Et facta est aquila altera grandis, magnis alis multisque plumis*, succedunt proles. Describitur hic Pharao qui in succursum venit Sedeciæ. Ita Hieron. Cecidit ut avis Judea; hoc idem accidit aliis. Nam & regna sunt ut aves. Describitur regnum. Dan. 7. *Prima bestia quasi leæna, & habebat alas aquilæ.* De hac Jer. 50. *Gloriosa in regnis & inclyta*, quid deinde? Dan. 7. *Aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus.* Reges Aves. Pyrrhus cùm illum sui dicerent Aquilam, ut est apud Plut. *Aquila sum, vos meæ alæ estis.* Hæ pennæ attollunt. Penna est & Defunctus N & gloriosa citiùs regna sine gladio quàm sine penna stare possunt, 1. Reg. 12. *Non est inventus ensis & lancea in manibus totius populi, qui erant cum Saule & Jonatha*, tamen in hostibus. *Versus erat gladius uniuscujusque*

ad

ad proximum ſuum, & cædes magnæ nimis. Gladio valebant Philiſtæi, gladio perierunt Sauli. Gladius damno fuit. *Arripuit itaque Saul gladium, & irruit ſuper eum,* ſed cùm utebatur pennâ vincebat. *Recenſuit Saul populum qui inventi erant cum eo quaſi ſexcentos viros.* Gladio periit Julius. Gladii uſus ſæpe, interdicebatur. Scribit Rodulphus Farerius lib. 3. rerum quotid. c. 29. de Pompejo. *Quos præmiſiſſet ipſe gladiis eorum annuli ſignum impreſſit ne quem in via læderent.* Quia ut Cyrill. de Adorat. *Inſitum eſt militari hominum generi, ut libentiſſimè ſibi plus quàm æquitas patitur, vendicet.* Suada de ſago & toga lib. 4. Simul Alexander magnus gladium & pennam portabat Sidon. *Ducum antiquorum dextera ſolebat non minùs ſtylum tractare, quàm gladium.* Quare ex Juſtinian. Novella 85. *Per præſentem ſancimus legem in nulla provincia aut civitate noſtræ Reip. habere licentiam privatos, aut alium quempiam, arma faceret aut vendere, aut quolibet mercari modo: ſed ſolos eos qui inter fabricenſes referuntur hæc inſtruere, & deferre ad ſacrum noſtrum armamentarium.* At verò Patriæ Malach. 4. *Sanitas in pennis ejus.* Poſſunt Defuncti N. Poſteri dicere de penna ejus, quod ſuo alato Leoni tenenti librum adſcribunt Veneti. *Evangeliſta meus.* DEI Majeſtas in pennis demonſtratur. Ezech. *Similitudo ſuper capita animalium firmamenti quaſi aſpectus cryſtalli horribilis, & extenti ſuper capita eorum deſuper, ſub firmamento autem pennæ eorum erectæ, alterius ad alterum.* Firmamentum eſt cœlum, & ſuſtentatur à pennis quæ ſunt ſub illo. De Arca ita præcipitur. *Cherubim unus ſit in latere uno, & alter in altero, utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas.* Synagogam penna tegit, Eccleſiam penna, Apoc. 6. *Et quatuor animalia ſingula eorum habebant pennas ſenas.* Aug. per hæc animalia intelligit Evangeliſtas. Defunctus calamo ſuo ſuſtentabat jura, &c. Quare Græci libros vocarunt, vitam mortuorum.

tuorum. Qua propter Synagoga ſoli Notario templi theſauros concredebat & ſummo Pontifici 4. Reg. 18. *Aſcendit ſcriba Regis & Pontifex, effundebantque & numerabant pecuniam quæ inveniebatur in domo Domini.* Fuit præclarus Scriba Defunctus. Xenocrates diſcipulus Platonis ita ſalutavit Areopagitas, *Avete homines, jam non homines, ſed lapides.* Et projecit inter illos Lapidem ſardachaten dicendo, *Areopagitæ hic juri præfecti eſtis, hominem exuiſtis, lapidem induiſtis.* Hic lapis dare dicitur audaciam, nebulas & ventos disjicere, ſomnum & pigritiam pellere; talis fuit Defunctus. In ſepulchro Firmilini Judicis, ut ſcribit Marulus, crevit ejus ſtatua ſaxea, inſcript. *Stetit ut rupes.* Hoc Defuncto competit. 1. Paralip. 3. Cùm Levitæ ferrent arcam, non ſentiebant pondus, quia DEUS attemperabat. *Cumque adjuviſſet DEUS Levitas qui portabant arcam Domini,* juvabat N. ad pacem. Gen. 49. *Vidit requiem quòd eſſet bona, & ſupponit humerum ad portandum,* dictum de Iſachar. Sed difficultates oriebantur. 4. Eſdræ 11. *Vidi & de pennis ejus naſcebantur contrariæ pennæ.* Componebat N. omnia. 1. Cor. 15. *Abundantiùs omnibus laboravi, non ego, ſed gratia DEI mecum.* Hoc fuit de penna Defuncti quod de Aquila. Eſdræ. l. c. *Surrexit aquila ſuper ungues ſuos & miſit vocem, pennis ſuis dicens, nolite ſimul omnes vigilare, dormite unuſquiſque in loco ſuo.* Clamabat, abbreviate proceſſum juris at. N. ſibi putabat dictum 2. Tim. 4. *Tu vero vigila, in omnibus labora.* Alii dormiunt, ſed non N. Plutarchus ſcribit de Deor Timotheo, quòd pingeretur cum retibus, in quæ provinciæ & civitates incidebant. Sic ad Defunctum omnes currebant. Caroli Magni filius dicitur Arnulphus, id eſt, auxilium aquilæ. Ita N. Joan. 8. digito in terra ſcribebat. Sic & legem ſcripſit Exod. 4. Quia non reperiebat hominem per quem ſcriberet, Repertus N. ſcribebat pro Eccleſia, quia *ædificavit domum*

mum ſuam ſuper petram, Matth. 7. Dormivit ut Jacob ſupra lapidem, Hieron. in Pſ. 35. *Sub capite ipſius lapis erat Chriſtus.* Fecit ut Daniel pro Suſanna, pro fide, ſcripſit contra Hæreticos ſicut contra Baltaſarem. Quare DEUS Eccl. 10. *Super faciem Scribæ impones honorem ſuum.*

Sed venit tempus ut etiam pennæ Defuncti indicerentur ſomnus. *Quieſce à laboribus tuis.* Paruit, ſed alii feria in craſtinum. 4. Reg. 4. *Habebat pacem ex omni parte in circuitu.* De quo Hugo Victor, lib. 3. de Clauſtro c. 9. *In circuitu pacem habet qui non turbatur memoria præteritorum debitorum, nec inquietatur deſiderio futurorum, non frangitur adverſis, non elevator proſperis.* Talis N. confeſſus, teſtamentum fecit, filiis benedixit. Ezech. 1. apud Cherubim. *Manus hominis ſub pennis eorum.* Volant, ſed manus ſub pennis, evellit. Ita N. gaudebat de illo Patria &c. volabat. Outinam ad cœlum aſpiremus? Bern. ſerm. 1. de Sept. *Commoveatur intra me ſpiritus meus, ſuſpirans nimirum ad patriam illam, in quo nec numerus eſt, nec menſura, nec pondus.* Præcepit DEUS ut Levita avium oblatarum, pennas ſervaret. *Et plumas projiciat prope altare ad orientalem plagam.* Ibi poſita penna Defuncti, ad orientem gratiæ. Cùm altare conſecratur quatuor in eo cruces ponuntur, quæ notant quatruplicem amorem, DEI, ſui, proximi, inimicorum. Fuit in Defuncto hic amor, quare poſſumus de illo. Sap. 3. *Juſtorum animæ in manu DEI ſunt, non tanget illos tormentum mortis.* Ambr. lib. 10. in Lucem de arundine quam poſuerant mi ites in manu Chriſti, *Arundo quoque ſecundùm Matthæum comprehenditur manu ejus, ut humana fragilitas jam non ſicut arundo moveatur à vento, ſed operibus Chriſti corroborata ſundetur.* Arundine olim utebantur, & modo aliquæ Gentes utuntur loco pennæ. Debilis eſt, ſed in manu DEI fortis. Habuit N. fidem, & DEUS dixit Oſeæ, 2. *Sponſabo te mihi in fide.* Fuit caſtus,

Judic. 9. *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum veni & impera super nos.* S. Method. lib 1. de Castit. per rhamnum intelligit castitatem, illi dicunt Angeli, impera super nos. Habuit amorem pauperum. Chrysol. *In regno cælorum coram omnibus Angelis, in conventu resurgentium quòd Abel passus sit, quòd servatus mundum Noë, quòd Abraham fidem susceperit, quòd Moyses legem tulit, quòd Petrus super omnes Ecclesia ascendit, DEUS tacebit; & clamabit quòd comedit pauper.* Honoravit N. Parentes, domum bene rexit. Si DEUS illi palmæ de qua in die palmarum ramos pro Christo cædebant, hoc dedit, ut cùm omnes aliæ arbores fuissent à Romanis vastatæ, illa manserit integra, ut scribit Cyrill. Catech. 10. Quid non dedit huic Defuncto? Aperit illi cœli portas, pacatè venit cum calamo. Recipe hanc avicolam sub alas tuas Christe, qui ut gallina congregas pullos tuos.

In Funere Mulieris Nobilis.

Minatus cuidam DEUS Isai. 22. *Mittet te Dominus quasi pilam in terram latam & spatiosam, ibi morieris.* Perit in gramine. Matth 7. *Lata porta & spatiosa via est qua ducit ad perditionem* Perit. 1 Cor. 15. *Omnes resurgemus sed non omnes immutabimur.* Imò Prov. 10. *Nomen impiorum putrescet.* Sed bonorum mors. Jactant pilam in camera. Eccl. 12. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & Spiritus redeat ad DEUM qui dedit illum.* Alliditur pila terræ. *In pulverem reverteris.* Sed Ps. 76. *Nunquid in æternum projiciet DEUS?* Non peribit 1. Cor. 15. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget Spirituale.* Corpus cadet, sed Prov. 10. *Memoria justi in laudibus.* Anima ibit ad cœlum. Apoc. 14. *Ut requiescat à laboribus suis.* Talis ludus fuit

cum

cum Defuncto, ivit pila ad maturam ætatem, &c. *Rediet Spiritus ad DEUM.* Deest vobis Pater Filii, amisistis pauperes &c. Sed aliquando mortui è tumulo loquentur. Achatius sepultus, petitus an viveret? respondit. *Verus obediens non moritur.* Irene Filia S. Spiridionis mortua rogata, ubi depositum reliquisset, ostendit locum Patri: & hic Defunctus reipsâ loquitur. Job. 29. *Gloria mea semper innovabitur.* Pila hæc volitabit, ego gloriam ejus in hac ponam. *Vocabitur Virago.*

In multa mala impulit invidia dæmonis hominem, ac præcipuè in mortem, & cum abit ex oculis, abit ex memoria. id ut præcaveant, quærunt famam, hinc arces &c. ædificent, & meritò, quia Eccl. 24. *Curam habe de bono nomine, hoc enim tibi magis permanebit quàm mille thesauri pretiosi & magni* quia gloria à vitiis frænat, divitiæ impellunt, recedunt divitiæ, fama manet, sed ut thesauros compares, labore opus, idem est de fama, augeri non potest nisi per virtutem, hæc verò in arduo est. Sed debet sciri via ad famam. Aberravit Nero, de quo Sueton c. 55. *Erat illi æternitatis, perpetuæque famæ cupido, sed inconsulta.* Erravit & Hieron. Olgiatus, qui occiso Duce Mediolanensi Galeacio cùm ad mortem duceretur, ita se solabatur. *Mors acerba, fama perpetua, stabit vetus memoria facti.* Erravit Erostratus qui propter famam exussit templum Dianæ Ephesi. Sed fama per virtutem quæri debet. Præterea, errant qui famam non in factis sed lingvis ponunt, nemo potest augere sibi staturam, hoc neque faciet lingva. Eccl. 12. *Homo Sanctus in sapientia permanet ut sol, nam stultus ut Luna mutatur.* Supra quæ Bern. in Nativ. B. Joan. Bapt. *Mutuatum Lumen nunquam in eodem statu permanet, sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitùs non comparet. Sic qui conscientias suas in alienis lingvis posuerunt, modò parvi, modò magni sunt, secundùm quod adulantium lingvis vel vituperare placuerit vel laudare.*

dare. Sed agunt lingvæ ut aquila cum testudine, elevat in altum, ut dejiciat in saxum. Quare monet Eccl. 11. *In fine hominis denudatio operum ejus*, quia ut S. Maximus hom. 59. *Illo potissimùm tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio, nec laudatum tenet elatio.* Quare securè possum loqui de Defuncta N.

Sed quomodo laudabo cùm dicat Eccl. 7. *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Sed etsi rari viri boni, tamen sunt, unde Eccl. 44. *Laudemus viros gloriosos*, unde? *Dominantes in potestatibus, imperantes in populo, in peritia requirentes modos musicos, narrantes carmina scripturarum.* Mulieres unde laudandæ? Virgo domi lateat. Conjugata de viro sumit laudem. *Nobilis in portis vir ejus*, ubi judicia celebrabantur, *quando sederit cum senatoribus terræ.* A viro dicitur Palatina &c. à se quid? *Stragulatam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum ejus.* Tota in ornatu, si pauperior, vacat rei familiari. *De nocte surrexit deditque cibaria ancillis suis.* Plebeja, *quæsivit lanam & linum, & digiti ejus apprehenderunt fusum* Sed hoc est de Judaicis mulieribus. Ambr. in Ps. 118. *Judaicæ mulieres si in gloriæ, & nostræ gloriosæ.* Laudat illos Ecclesia. Venerat Venetias Legatus Solimani, habitus honorificè, tamen urgebat ut rediret, quare? quia Venetiis dormire se dicebat non posse, quia sunt in debili fundamento. Mulier quid debile. Mulier ut Isid. quasi, mollis aer, vocatur sexus fragilis, 1. Petr. 3. *Quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem* Tamen in hoc debili, sunt pretiosa ædificia. Talis fuit Defuncta N. quare *Virago.* Cùm jussus fuisset quidam in parva gemma sculpere XI. millia Virginum, sculpsit Arcem, & ex illa unam exeuntem virginem, & per aliam portam intrantem aliam, reliquas dixit esse in Arce. Arx est mulier. Gen. 2. *Ædificavit D. DEUS costam in mulierem.* Ornatum hoc castrum, à genere,

in Defuncta, ab Affinitatibus. In prima porta, primus ex familia, in altera ultimus, vel filii, intra arcem alii, Applaudit natali magnorum cælum. Bzovius ad annum 1264. cùm nasceretur S. Thomas Aquinas, Ambros. Senen. Jacobus Meiranus, omnes Ord. Prædic. tres Lunæ apparuerunt in cœlo. Cùm S. Aldegundis, Sol alter lucidissimus supra domum paternam stetit. Cùm Romæ Lucius Servilius in lucem prodit instar apum volitabant stellæ supra domum quæ in varia palatia cum magna luce descenderunt, augures explicuerunt, quòd Servilius cum multis initurus esset affinitates. Quare proles notantur per Solem, Lunam, stellas. Sed & Gen. 22. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli.* Hoc impletum in Defuncta &c. Sed quare addidit Abrahæ. Ibid. *Et sicut arenam quæ est in litore maris?* Respondet Philo lib. 1. de Abraham, *Propter sustinentiam*, quia arena illa sustinet mare. Sustinuit proles Abrahæ Pharaonem, Sennacheribum, Moabitas, Antiochum. Passa similes impetus hostium Patria, & ecce Judic. 5. *Stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversus Siseram pugnaverunt.* descendunt in terram, fiunt arena, sistunt impetum maris. Tales Majores & Filii Defunctæ. Maxime in bello N. ibi de Patre ejus potest dici quod de Lud. Montonorentio Duce Gallorum qui ab Hispanis defendit partem Galliæ dictam Provincia. *In omnibus expeditionibus fuisti victoriosus, & in Viennensi glorioſus: in aliis vocatus es imperator, in hac Pater & Servator.* Ita & aliis maribus imperabant. Job 38. *Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Quare meritò potest dici de Defuncta, quod de Debora S. Ambr. lib. de viduis. *Domo propriâ filium produxit Ducem exercitûs, ut posſitis agnoscere quòd vidua valeat instruere Bellatorem.* Itaque *Virago.*

Nescio cur S Greg. Mulierem comparat scalæ, fortè tamen ideo, quia cum Jobo dæmon omnia abstulisset, uxorem reliquit,

reliquit, ut per illam tentaret, quo considerato Greg. 3. Moral. 5. *In alto* Job. *mentem fixerat, & idcirco hunc hostiles insidiæ irrumpere non valebant. Quæritur ab adversario in hanc munitissimam artem quibus gradibus ascendatur*, quare ait sibi, *Vicina est viro mulier atque subjecta.* Effeci per Evam, per Madianitides, & modò contra Jobum succedet. *Cor igitur mulieris tenuit, & quasi scalam quâ ad cor viri ascendere potuisset invenit.* Ita Greg. mulierem appellavit scalam dæmonis. Sed Rupert in Genes. vocat scalam cœli. Jacob peregrinus Gen. 28. dormiens vidit scalam. *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlos, Angelosque DEI ascendentes & descendentes per eam.* Quare Repert. sic ad Jacobum. *Quid somnus Jacob? video scalam, & scala quid significat? Jam tibi Rachel præparatur.* Ergo scala cæli mulier sed quare? quia per eam Angeli descendebant & ascendebant. Et Defunctam voco scalam. Guicciardinus in hist. Jud. Blancam uxorem Eustachii comitis Bononiensis, ita laudat. *Homines genuit, Angelos fecit.* Defuncta hoc egit educando sic bonus David 1. Reg. 29. dicitur Angelus. *Bonus es tu in oculis meis sicut Angelus DEI.* Parentes qui in hoc errant vocat S. Bern. *Non Parentes sed peremptores* Pinxerat quidam Picam in nido plumas componentem, inscrip. *Ut mollius cubent.* Pinxit & Aquilam virgulta ponentem. Inscrip. *Altiùs ita labunt.* Alii parentes sunt ut Picæ, ornant filios &c. Quid erit filius? pica. Aquila durè educat, sed pullus erit aquila. Ita Defuncta educavit ut Patriæ &c. evolarent. Deut 32. *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos.* Scribit Ferre. de gest. Gall. Quædam Mater præ amore nolebat Filium domo dimittere, urgebat ille jam maturior, emitte, dicendo. *De Filio Mater non facias idolum.* Faciunt idola Matres blandientes, unde Filiis accidit quod idolis Ps. 113. *Simulachra Gentium, argentum & aurum &c.* Vestit

illum

illum, Sic idolum vadit ad Comitiola. *Os habent & non loquentur.* Vadit ad judicia. *Aures habent & non audient.* Vadit ad castra. *Pedes habent & non ambulabunt.* Defuncta ad labores applicabat Filios. S. Felicitatem ita laudat S. Greg. hom. 3. in Evang. *Nunquid ergo hanc fœminam Martyrem dixerim? quæ septem pignoribus ad regnum præmissis, toties ante se mortua, ad pœnam prima venit, sed pervenit octava.* At Defuncta N. nostra Felicitas dolorem in corde habuit, cùm sciendo incerta belli 2. Reg. 11. *Varius est eventus belli.* Ad castra mitteret Filios. Cùm abit ad bellum Filius, Mater *ad pœnam prima*, abit alter &c. Quare, *vocabitur Virago.*

Greg. Nyssen. in Cant. *A prosperitate non flecti grande miraculum.* Extollit, ideo cum alis pingit Fortunam Alciatus, opus insistere solido. *Ponant in DEO spem suam*, non in affinitate, &c. Depinxit in imagine navis Ezechiel 27. Tyrum, postea familias magnas. *Finitimi tui qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum. Abjectibus de sanis extruxerunt te cum omnibus tabulatis maris, cedrum de libano tulerunt, ut facerent tibi malum, quercus de Basan dolaverunt in ramos tuos: & transtra tua fecerunt tibi ex ebore indico, & prætoriola de insulis Italiæ. Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum, ut poneretur in malis.* Qui verò spectabant ad Nauticam, vel regimen, mercaturam, numerat ex plurimis nationibus, vide ibi. Ita & familiam extruunt affinitates, Promotiones, Dignitates, vestes, successiones &c. Vadit navis, omnes laudant. An diu? Tyria navis citò periit. Quare? num peritas nautas non habuit? victum? &c. Invenietis omnia. Sola doceat anchora, in se speravit, non in DEO. Quare ibid. *O Tyre tu dixisti, perfecti decoris ego sum, nunc contrita es à mari, in profundis aquarum opus tuum, & omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui.* Ita his accidit qui non sequuntur Davidem Ps. 61. *Sperate in eo omnis congregatio*

Populi, Audivit Defuncta, & secuta est, sæpè repetebat Ps. 55. *Ab altitudine diei timebo, ego verò in te sperabo.* Progressa sum in altum ut Sol meridianus, sed scio dicebat etiam alias domos, Job. 4. *Plante DEO periisse.* Quare DEUS meus anchora. *Ego verò in te sperabo.* Habuit si quæ Mater successus, non se extulit, totum DEO tribuit, imo offendebatur his qui se extollunt. *Alienati sunt* Ps. 57. *Peccatores à vulua, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.* De genere se jactant, fortitudine. *Locuti sunt falsa.* Quare falsa? Quia *erraverunt ab utero*, non meminerunt quales nati. Isai. 15. *Attendite ad petram unde excisi estis, & ad cavernam laci de qua præcisi estis.* De petra, nolunt esse adamantes, 1. Cor. 14. *Omnia honestè & secundùm ordinem fiant in vobis.* Egit semper modestè defuncta, ideò *Virago.* Ps. 121. cui DEUS multa dederat. *Propter Domum D. DEI nostri quæsivi bona tibi.* Aliter dantur Ecclesiasticis, fit hoc in Ecclesia quod in mari. Eccl. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & revertuntur ut iterum fluant:* Ita & reditus Ecclesiastici redeant in Ecclesiam. Sed, & sæculares non ideò habent bona ut emant sibi infernum. Ezech. 1. *Sume gladium radentem pilos.* Rasit caput & barbam, & pilos in tres partes divisit, unam combussit in medio civitatis, alteram concidit, tertiam in ventos disjecit. Aug. tr. 50. in Joan. *Capillis terge, si habes superflua, da pauperibus, & Domini pedes tersisti, capilli enim superflua corporis videntur; habes quid agas de superfluis tuis, tibi superflua sunt, sed pedibus Domini necessaria.* Sed homines ita de divitiis disponunt, Hug. Card. *Divitiarum prima pars in ignem, secunda in ventum, tertia mittitur ad gladium.* Quomodo? *Divitias suas alii expendunt in igne libidinis, alii in vento superbiæ & laudis humanæ favore, alii gladio cædunt pilos, qui divitiis suis lites nutriunt,* Hi omnes infertum sibi emunt. At Christus jussit Luc. 12. *Facite vobis sacculos qui non veterascunt.* Chrysol. serm. 22. *Hoc monito Christus voluit te di-*

te ditare non perire, perpetuari non vacuari sæculos imperavit, jussit te transferre non perdere. Duæ sunt in homine partes: & sibi similes, & contrariæ. Lien ad se trahit nutrimentum cum suo damno, nam oppletur, obstruitur, ventriculus attrahit, sed aliis membris distribuit Prov. 11. *Alii dividunt propria & ditiores fiunt, alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Ad priores spectat defuncta, dabat templis &c. Verè *Virago.*

Ostendit defuncta animum virilem in virtutibus. 3. Reg. 4. dicitur de Salomone. *Dedit illi DEUS sapientiam, prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis.* Latum cor, in quo multa possunt reponi, nulli est augustum. Hanc latitudinem ostendit DEUS in corde S. Claræ, cùm enim mortuæ abluerent corpus, adverterunt supra cor ultra modum pectus elevatum; cor aperitur, utpote magnæ magnitudinis, inveniuntur in eo instrumenta passionis Dominicæ formata ex carne, & in fundo cordis tres globuli quorum unus tantum ponderabat quantùm duo, & utcunque mutarentur. Figura hæc SS. Trinitatis, O cor amplum! Et defuncta cor amplum habuit, intravit in illud v. g. S. Dominicus, S. Franciscus &c. omnes in eo, S. Ambros. 4. Hexam. 6. quærit cur Sol & Luna vocata sunt luminaria magna? respondet. *Exemplum magnitudinis eorum evidens, quòd omnibus hominibus orbis Lunæ idem videtur; nam etsi interdum augeatur lumen ejus atque minuatur, tamen eâdem nocte qualis mihi apparet, talis & omnibus. Sol similis, & Indis & Britannis, eodem momento videtur cùm oritur, nec cùm vergit in occasum minor apparet Orientalibus quàm Occidentalibus: Sol à nullo distat, nulli præsentior, nulli absentior est.* Signum magnitudinis, quia æqualis omnibus. Magnum cor in defuncta, quia æquale omnibus &c. Itaque *Virago* in omnes liberalis.

Mulieres aspera fugiunt, mortificationem. Facit sculptor statuam, non eget illa reparatione: facit Hortulanus ex

herbis, eget quia herbæ exarescunt. Sancti in cœlo sunt ut statuæ de marmore, non mutantur, nos ut ex herbis Eccl. 7. *Hoc inveni quòd fecerit Dominus hominem rectum, & ipse infinitis miscuerit quæstionibus.* Multæ herbæ excreverunt, opus forfice. *Mortificate membra vestra, Mortificationem JESU in corpore vestro circumferentes.* Faciebat hoc defuncta *Virago.*

Philippus III. Rex Hispan. Margaritæ Austriacæ Sponsæ suæ, miserat ex adamante Sol cum inscript. *Hæc quoque ornabit.* Eccl. 26. *Sicut Sol oriens mundo in altissimis DEI, sic speciosa mulieris bonæ in ornamento domûs ejus.* Mulier similis Soli; talis defuncta. Illustravit Ecclesiam &c. Luxit ut Sol. Eccl. 1. *Oritur Sol & occidit, & ad locum suum revertitur, ibique renascens, gyrat per meridiem, flectitur ad Aquilonem.* Cucurrit defuncta ad occasum. Josue 10. *Sol contra Gabaon ne movearis.* Vixit defuncta quamdiu opus erat. Surius 19. Maij. S. Dunstanus habuit cum Angelis familiaritatem, venerunt ad illum die Ascensionis Domini. *Dunstane veni in cœlum.* Sanctus respondit. Cras ibo, hodie volo concionari, fecit propter charitatem. Ita defuncta diu vivere desiderabat propter prolem; hâc edocatâ dixit. *Cursum consummavi.* Deut. 33. Precatus Moyses tribui Aser. *Sicut dies juventutis tuæ: ita & senectus tua.* Vixit in Juventute defuncta sanctè, mortua sanctè. Virago in vita, virago in morte. *Viam universæ carnis ingressa.* Ut pila in altum evolavit. Eccl. 49. *In omni ore ejus memoria quasi mel indulcorabitur.* Et merito, quia quod Cassiod. lib. 2. varia. 5. scripsit de Amalasunta, hoc defunctæ competit. *Si prudentiam quæris? hæc fuit, si fortem? nulli cessit, consilio optima, Religione nitens, prole beata, ubique clara.* Liviæ Lucretiæ Romæ scripsit hoc quidam Epitaphium. *Casta vixit, lanam fecit, Domum servavit.* Hoc servit defunctæ, lanam fecit per bona opera. Appone illi: *Requiescat in pace.*

In fu-

In Funere ejusdem.

VIdetis hoc corpus defunctæ, non eripuit à morte nobilitas, non stemmata hæc &c, Solum dicere possumus *Mortua est Rachel.* Dilecta marito suo, Gen. 29. &c. Quid Jacob mortuæ Racheli Gen. 35. *Erexit Jacob titulum super sepulchrum Rachel, titulum monumenti usque in præsentem diem.* Machinæ sepulchrales sunt tituli, sed non durant, talem erigamus qui perennet.

Tres titulos præcipuè defuncta N. habuit, sed duo transierunt, tertius manet & manebit. Jacobi titulus quam erexit fuit lapis grandis, & illi inscripsit verbum Hebraicum, ut testatur Reuchl. in lib. 3. de symbolis Judæorum, *Bethmalon*, hoc est, *Domus hospitii.* Hanc domum in tres partes divisit, prima erat Chatser, hoc est, *atrium.* Altera, Lischchau, hoc est, *triclinium.* Tertia, Beth schenah, id est, *dormitorium.* Prima pars Atrium, est in vitam ingressus, hoc apud plebejos vacuum imaginibus, sed utcunque aliquis nascatur, tamen in atrio, & quisque si desint stemmata, potest illud exornare virtutibus, tamen si desit nobilitas, erit qui dicat. 1. Reg. 25. *Quis est David & quis est filius Isai? hodie increverunt servi qui fugerunt dominos suos.* Jacob ergo inscripsit atrium, ut judicaret genus Rachelis, & hoc erat. Rachelem genuit Laban, Labanum Bathuel, Bathuelem Ochosad, Ochosadum Aledat, &c. Mater Rachelis erat Zelepha, Zelephæ Helda nurus Rebeccæ, Heldam Aludita &c. Simili modo pono genus defunctæ, his atrium orno. Sed his non contenta N. addidit Majorum virtutibus suas, de illa potest dici, quod scripsit Ambr. de S Agnete. *Vidi corpore juvenculam sed senectute mentis immensam.* Egit juxta præscriptum S. Aug. *Sit sermo virginis*

prudens, modestus, & rarus: non tam eloquentiâ pretiosus, quàm pudore speciosus; mirentur omnes eâ tacente verecundiam, eâ loquente prudentiam. Nec mirum quòd talis fuerit, quia bonam Matrem habuit, edocta ab illa se domi continere, Ambr. de Virgin. *Virgo non debet esse vulgaris, non in foro, non in platea, non esse voce querula, gressu lubrica, auditu facilis, aspectu vilis.* Didicit prudentiam. Ambr. in Luc. *Trepidare Virginum est, ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri.* Didicit devotionem. 1 Cor. 7. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta mente & corpore.* Didicit contentiones fugere. Ambr. de Virgin. *Claude virginitatem modestiâ loquendi, & abstinentiâ litigandi.*

Altera pars, *triclinium.* Hoc ingreditur Virgo cùm nubit, sed turpe si mulier ipsa irrumpat in hoc triclinium, Isai. 14. *Apprehendent septem mulieres virum unum in illa die dicentes: panem nostrum comedemus, vestimentis nostris operiemur, tantummodò invocatur nomen tuum super nos.* Expectet in atrio sicut Esther apud Assuerum. *Stetit in atrio domûs Regiæ, cùmque vidisset Rex eam stantem, placuit oculis ejus, & extendit ad eam virgam auream quam tenebat manu, tunc accedens osculata est summitatem virgæ.* Dedit illi ut uxori virgam auream non quernam, ut attineret summitatem: non imum, ne despectui haberetur. Priùs sponsus loquatur cum Parentibus sponsæ. Cant. 8. *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est si murus est, ædificemus super eum propugnacula; si ostium, compingamus illud tabulis cedrinis.* Adhibet ad acquirendam velut arcem artes militares, non ipsa se offert. Judic. 5 *Nova bella elegit Dominus.* In quod Theophilact. *Antiqua bella sunt furoris; nova bella sunt amoris: ubi amor depugnat, unum cor de altero triumphat.* In hoc bello capitur uxor, tum primò Rachel ad triclinium ducitur. Introducta fuit N. defuncta in domum, & secum suum genus

ac

ac virtutes intulit, Gen. 24. *introduxit in tabernaculum Saræ Matris suæ.* In illo triclinio tituli, Jacob sua gesta delineavit, Quomodo cum Angelo luctatus? quomodo illi dictum, Gen. 32. *Non vocaberis ultrà Jacob sed Israël.* Sed quare Jacobe non depingis tuæ uxoris gesta? Quia uxor non sua, sed mariti considerat gesta. Videte Mariti quæ uxoribus proponatis; fama Mariti in uxorem defluit. Si ille Nobilis. & illa, &c. In triclinio res agitur, ad suum locum vir invitat, *Accede & tange sceptrum.* Ruth. 2. *Extende pallium tuum super me, quia propinquus es mihi.* Extende titulos &c. Non depingam tua Marite N. gesta, nota sunt, tam in pace quàm in bello, ecce omnia collecta sunt in tumulum. De illa ipsa quære quod S. Franciscus Borgias Dux Gandiæ de Imperatrice Isabella. *Hæccine illa Isabella?* Viderat illam post magnam formam, maximè in tumba deformem. Dicam: Tunè es talis? Illa in Dignitatibus &c. O mors hæc mutasti! Eccl. 10. *Cùm morietur homo, hæreditabit tantùm vermes, bestias, & serpentes.* Titulus hic fuit mundanus, non duravit. Sed cur Jacobe uxorem tuam appellas toties ovem, id est Rachelem? Fuit ovis aurea N. Ovis uxoris symbolum, ita Nathan describit uxorem Uriæ Bethsabeam 2. Reg. 12. Parvula erat, licèt genere magna & virtutibus, memor moniti S. Chrysost. in Polycrat. lib. 3. *Quisquis gradus propriæ celsitudinis amat, humilitatis cultum in moribus diligentissimè teneat; nam qui ab humilitatis operibus recedit, à dignitatis fastigio tumore cadit.* Hæc Ovicula erat à DEO Prov. 14. *Domus & divitiæ à Parentibus dantur, à Domino autem uxor prudens.* Illi serviunt verba ulteriora Nathan. *Creverat in domo ejus.* Non in domo quidem Mariti, sed ut Hieron. ad Paulin. *Creverat non annis sed palmis, non numerositate dierum sed operum, non ætate sed integritate, statura ejus est assimilata palmæ.* Non succubuit oneribus familiæ, floruit in matrimonio, & fructus

ctus dedit ut quondam Sara filia Raguelis Tob. 10. *Osculati sunt eam, & dimiserunt eam: monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere.* Hæc omnia illa implevit. Testatur Maritus, Affines. Ovicula de quo Nathan. *De pane ejus comedens* &c. Hæc est concordia Conjugum. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram DEO & hominibus: Concordia Fratrum, Amor proximorum, vir & mulier benè consentientes.* Dicit Nathan, quòd illius ovis de eodem pane comederit, quia uxor debet iisdem esse contenta quibus vir, ita debent vivere, ut Cassiod. in epist. *Jacob & Rachel quasi jugales. Rachel quod è domo habebat, augebat. Jacob in baculo uno exierat, in duabus turmis redibat.* Quare? quia iisdem contenti erant, erat amor, *Rachel erat sicut filia.* Rapta est à te ista ovis ô Marite.

Tertia pars, Monumentum, est *dormitorium.* Transiit titulus atrii Ps. 48. *Homo cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Jam stemmata vestra lucere desinunt, quia sub terram abeunt, & simul vos sub eandem deducunt, Alium titulum Defuncta N. assumet, qui manebit. Ex sepulchro S. Bulgariæ Ducissæ Cremonensis, ut scribit Historia tripartita, prodiit arbor cedrina cum furculis triplicibus. Alius erat balsami, & hic notabat ejus pietatem: alius olivarum, & hic misericordiam in pauperes: alius cupressi, & hic felicem mortem. Hæ tres virtutes in Defuncta reperiuntur. Fuit devota, confitebatur &c. Legebat, aderat concionibus &c. Confraternitates, jejunia. Hæc fuit virga balsami, inciditur balsamus ut gratior fluat liquor, illa se flagellis incidebat, hic furculus erat cedro insitus, quia 1. Cor. 15. *Charitas nunquam excidit.* Eleemosynæ notæ, hæ sunt ramus olivarum, & cedro insitus, quia Eccl. 17. *Eleemosyna gratiam hominis quasi pupilla conservabit, & postea resurget, & retribuet retributionem unicui-*

unicuique in caput ipsius. Quare Defunctæ scribitur in cœlo titulus. Jer. 11. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen ejus.* Erat ramus cupressi, sanctè N. mortua, usa SS. Sacramentis. Maritum deprecata, valedixit. Hæc planta est cupressi, sed cedro insita. Illi cœlum adscribit. Eccl. 24. *Sicut cupressus in monte Sion,* & hic repeto illud Jacobi. *Hic est titulus monumenti Rachel usque in præsentem diem.* Talem titulum quæratis, qui non in verbis sed rebus consistit, & vobiscum manebit. Aliis titulis nites ô Defuncta, sed hic illustrior quem dedit vita bona, ex hoc noscêris in regione æterna. Grave nobis est rerum dividi, lugent Fratres &c. Solatur bona vita, quia tamen 1. Cor. 3. *Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Fiunt pro Defuncta preces &c. Gratias vobis hæc facientibus, & per nos illa Christum precatur, Da requiem &c.

In Funere Mulieris Nobilis.

CUM educturus esset populum Moyses ex Ægypto, præscripsit illi DEUS Exod. 3. *Cùm egrediemini non exibitis vacui, sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua vasa argentea & aurea, ac vestes, ponetisque eas super filios ac filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.* Moyses insuper, Exod 13. *Tulit Moyses ossa Joseph secum* reliquias. Et in via, ut scribit Josephus, Antiq. lib. 5. Jam arca præcedebat populum, jam ossa Joseph, aliquando aut illa, aut hæc sequabantur, habemus ossa Defunctæ, &c. Ego solabor his verbis Gen. 35. *Mortua est Rachel* &c.

Mortua est Rachel, Mortis memoria & ingrata, & frequens, & ubique scripta in homine: *Memento homo quia pulvis,* &c. In aqua, 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & sicut aquæ dilabimur.* In vento. Job. 7. *Ventus est vita mea.* In avibus, Eccles. 1.

Omnes prætereunt tanquam aves; In sole, *oritur sol & occidit*. In mensa, mortes avium, ferarum quibus vescimur, & ea velut in sepulchro deponimus. In camera, sonat horologium omnia mortem commemorant. E contrà dæmon securitatem ingerit Job. 40. *Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus; protegunt umbræ umbram ejus.* Sed quomodo umbræ umbram? Rom. 5. *Per unum hominem peccatum introivit in mundum, & per peccatum mors.* Umbra peccatum, anima sine peccato. Thren. 4. *Candidiores Nazaræi ejus nive, rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores.* Sed in peccatum lapsa. Ibid. *Denigrata est super carbones facies eorum.* Amisit illud lumen. Ps. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Mors etiam umbra, in morte tenebrescit ratio, oculi, memoria, nigra vestis. Seneca. *Mors cuncta denigrat,* has umbras fecit dæmon. *Umbram ejus protegunt umbræ,* spes vitæ. Moritur Juvenis, dicunt Senes, mortuus propter ebrietatem, &c. Moritur senex, dicunt Juvenes, jam pridem erat cadaver. Moritur æger, &c. Sanus, dicunt, diutiùs debiles vivunt, Pauper &c. dives. Hoc risit Seneca. Epist. 102. *Navigationes longas, & peregrinationes litoribus alienis feros in patriam reditus proponimus, cùm interim ad latus mors est, quæ quoniam non cogitatur nisi aliena, nobis subindè ingeruntur mortalitatis exempla non diutiùs, quàm dum miramur, hæsura.* Tamen DEUS. Luc. 12. *Quâ horâ non putatis Filius hominis veniet.* Terret, ut corrigat. Cùm puniret Ægyptum misit & locustas. Cùm orat Moyses pro illis. Exod. 10. *Fecit flare ventum ab occidente vehementissimum, & arreptam locustam projecit in mare rubrum ut ne una remaneret.* Peccatum simile locustæ, omnia absumit locusta, nascitur ex calore, Jacob. 1. *Concupiscentia parit peccatum*; veniat ventus ab occidente, à morte. Mors valet etiam in regna. Philo lib. Quòd DEUS sic immutabilis. *Ante Macedonum imperium inclyta fuit Persa-*

Persarum felicitas. Sed una dies tam ingenti regno finem attulit. Fuit Ægyptiorum peramplæ & magnifica potentia, sed nubis in modum felicitas ejus præteriit. Quid Æthyopes? Quid Cartago? quid Africa? quid Pontici Reges? quid Europa, Asiaque? & ut compendio dicam totus orbis habitabilis, nonne more navis fus deque jactatæ fluctibus marinis, nunc adversis ventis, nunc secundis utitur. Nihil igitur est rebus in humanis præter umbram, auramque plenissimam sine mora prætervolantem. Mors etiam imperiis & Regnis formidabilis est. Hanc mortis potentiam descripsit Joël 1. *Residuum Erucæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo* Quatuor Monarchias per has quatuor vermes intelligit S. Hieron. Cùm DEUS punit miscet misericordiam. Abel mortuus Gen. 3. *Posuit mihi Dominus semen aliud pro Abel quem occidit Cain.* Submersus mundus, manserunt octo vivi. Sodoma periit, manst Loth. Cum subditi contribuunt, liberi sunt Domini, cum illi esuriunt, isti non sument, cum fulminat non timet justus. Sed mors, plaga Joëlis, nulli parcit, Joël hominem velut arborem cogitavit, Eruca vorat folia, locusta corticem, bruchus fructus, rubigo reliquum; ita mors, hoc modo *Mortua Rachel,* Defuncta N.

Mundus est instar malæ Apothecæ, omnes pixides inscriptæ; multæ vacuæ, multæ quid pro quo habent. Habemus titulos sine rebus. Cain significat possessionem: Abel vanitatem, contrarium in re, oportet nomini respondere. Alexandro Imp. dabant titulum Antonini pii. At ille, ut Lamprid. refert, *Ne Patres conscripti ad hanc necessitatem nominis me vocetis, ut ego cogar nomini huic satisfacere. Hæc nomina insignia onerosa sunt.* Rachel significat ovem, Rachelem voco Defunctam N. Plin. lib. 12. c. 14. scribit quod oves hyeme & in autummo incubent sinistro lateri, alias dextro. Hoc ipsum præcepit DEUS Ezechieli 4. *Tu dormies super latus tuum sinistrum,*

& cùm hæc compleveris, dormies super latus tuum dextrum. Sed homines modo volunt jacere in dextro, sed talibus. *Ite maledicti.* Epulo in dextro jacuit Luc. 16. Lazarus in sinistro, venit mors mutavit. *Recepisti bona in vita tua*, volumus in exilio patriam, in luto gemmam. Hinc Job. 17. *Noctem verterunt in diem.* Non sic anima bona. Cant. 3. *Tenui eum nec dimittam.* Commemorat super hoc Bern. serm. 26. in Cant. duellum Jacobi cum Angelo. *Ista non vult eum dimittere, & fortè magis quàm Patriarcha non vult, quia nec pro benedictione quidem. Siquidem ille benedictione acceptâ dimisit eum, hæc autem non sic. Nolo inquit benedictionem tuam sed te:* Bene Theodoret. in Genes. *In Israële terrena in pretio, cœlum in mysterio.* Terrena in pretio apud Jacobum, Cœlestia apud animam sanctam. Contenti multi benedictione terrenâ. Ps. 143. *Promptuaria eorum plena, oves eorum fætosæ, non est ruina maceriæ. Filiæ eorum compositæ*, De his dicunt. *Beatum populum dixerunt cujus hæc sunt*, sed errant. *Beatus populus cujus D. DEUS ejus.* Anima sancta, non benedictionem, sed Christum vult. Sap. 14. *Creaturæ DEI in tentationem animæ factæ sunt, & in muscipulam pedibus insipientium*, ut pro mure. Desiderant Filium, nascitur pessimus, uxorem, divitias. Agrippina de Herode *Occidat dum imperet.* Quid illa Gen. 30. *Da mihi liberos alioquin moriar.* Habuit, & tum, *Si sic mihi futurum erat quid necesse erat concipere?* Adonias petit in uxorem Sunamitidem 3. Reg. 2. ecce de illo Frater. *Hodie occidetur Adonias.* Compatitur his in dextro cubantibus. Luc. 16. *Væ vobis qui nunc habetis consolationem vestram.* Quare non potiùs ægris &c. Compatitur ut Job. 30. *Flebam super eo qui afflictus fuerat.* Quia ut Damiani lib. 3. Epist. 4. *Consolatio nutrix peccati.* Quia ut Chrysost. hom. 14. ad pop. *Consolationes mundanæ quamvis sint variæ, gravatos usu suo trahunt in tartarum.* Nec recipiunt cœlestia Lau. Justinianus de agone Christ.

Christ. *Nihil tam contrarium cœlo quàm consolari in hoc mundo.* Ideò Christus felicibus compassus. Sur. 20. Martii S. Wolfranus Episc. Frisiæ, adduxerat ad fidemfilium, Pater Radborus jam eandem erat susceperus, nocte præcedente Baptismum, comparet dæmon, ostendit palatium aureum, monet ne mutet fidem, promittit hæc ipsa se illi in sylva ostensorum. Nuntiat hæc Sancto Radborus, admonet fraudis Sanctus nihilominus ad videndum palatium in sylvis mittit Sanctus, Diaconum, & Dux suum, vident omnia, aurea, & thronum de quo vox. *Hæc domus est & ista sedes, quam Radbero DEUS suus, post hanc mortalitatem daturum se spopondit.* At Diaconus si hoc est opus Dei stet in æternum, si dæmonis, pereat statim, & periit, cùm redeunt ut id Radboro dicant, inveniunt mortuum. Multi sunt Radbori, palatia dæmon aurea promittit, non curant cœlum. *Noctem verterunt in diem, in labore hominum non sunt.* Dextro incubant, vellent simul cœlum, sed Hieron. *Delicatus es ô Frater, si & hic vis gaudere cum sæculo, & postea regnare cum Christo.* At nostra Defuncta quamvis in domo magna, & Matrimonio, servavit quod virginibus dictum 1. Cor. 7. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & Spiritu.* Ita laudavit Agnetem Imp. Damiani. *Non impedivit vinculum Matrimonii animi ejus volatum, non emollivit lectus mollis cor cruci affixum, in matrimonio tanquam virgo, in palatio tanquam in calvario, vixit in sæculo absque sæculo, Patriam æternam mente voluens, cogitatione tangent.* Sinistro in cubuit memor illius. *Qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur.* Dedit DEUS genus, maritum &c. Sed illa. *Nolo benedictionem tuam, sed te.* Non cecidit in muscipulam ut Radborus. Quidam petiit à S. Augustino, ut est in Alphab. Christ. ut ostenderet illi statum in quo salvandus esset, apparuit Sanctus & dixit. *Transite vana, transite vana.* Quòd deberet mundum

contemnere. Ita illi. Defuncta, in conviviis, *transite vana vestitu*, honoribus, &c. Servavit bene ovium conditionem anhelans ad cœlum. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

Eccl. 18. *Intuere omnia opera Altissimi, duo & duo, unum contra unum.* Leo cum leone, *duo & duo* ovis cum lupo, *unum contra unum.* Aug. lupo assimilat peccatum. *Dicitur vulgò perdi vocem à visu lupi, idem facit peccatum, aspexit te lupus, jam non dices confidenter, Pater noster*, &c. Et lupus infascinat. Opus timore, timidâ conscientiâ ut ovis. Homo debitor est DEI divitis, *qui dives est in misericordia* accepit ab hoc homo multa. Jacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.* Expectat debitum usque, *cùm accepero tempus justitiæ judicabo*, suo tempore. Creditor pauper, conscientia urget statim, hinc pavor. Deut. 28. *Dabit tibi Dominus cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ. Manè dices, quis mihi det vesperum? & vespere, quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem quatuberis, & propter ea quæ tuis videbis oculis.* Hæc tortura malæ conscientiæ maximè, *vita tua pendens ante te.* Ut si non ligatis oculis stet coram carnifice. Omnia tormenta Tyrannorum superat conscientia. Seneca. *Prima & maxima pœna peccantium est peccâsse.* Ante judicia torquentur, omnia superat; simul est instigator, Judex, executor. Aug. *Fusisti Domine, & ita est, ut omnis inordinatus animus sit sibi pœna.* Sequitur. Aug. in Ps. 45. *Inter omnes tribulationes animæ humanæ nulla major est quàm conscientia delictorum si enim ibi vulnus non fuerit, ubicunque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi DEUM inveniet. Quòd si non fuerit ibi requies propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi DEUS non est, quid facturus est homo? quò confugiet? Fugiet ab agro in civitatem, à publico in domum,*

domum, à domo in cubiculum, à cubiculo jam quò fugiet? non habet nisi interiùs cor suum. Quodsi ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si sceleris fama, illò confugere non potest, à seipso pellitur. Si autem à seipso? quò fugiturus est? quocunque enim fugerit, se trahit post se & quocunque traxerit se, cruciat se, hujusmodi autem cruciatus tantò sunt acerbiores, quantò interiores. Sed neque Lipsius malè. *Conscientia ante peccatum frænum, post peccatum flagrum.* Conditiones bonæ conscientiæ sunt 1. Quia non timet, nec linguas, nec casus, nec persecutiones, fulmina, maleficia. Sueton. de Caligula Imp. *Ad minima tonitrua & fulmina connivere caput obvolvere; ad majora verò proripere se ex strato, sub lectumque condere solebat*, pessimus erat. Ita Pharao rogat Moysen. Ille Exod. 9. *Cùm egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua.* Pharao se abscondit, Moyses pergit. Ferdinandus 1. Dux Florentiæ, pingebat canes allatrantes Lunam. Inscript. *Virtus ubique tuta.* Aug. illa repetebat. *Senti tu quidquid velis de Augustino, sola me in oculis DEI conscientia non accuset.* De hoc 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* S. Tiburtio allata martyrii instrumenta, at ille. *Omnes pœnæ vobis sunt viles ubi secura comes est conscientia.* 2. Conditio bonæ conscientiæ non pulsat. Bern. lib. de interiori domo cap. 23. *Ager benedictionis, hortus deliciarum, templum Salomonis*, loquitur de bona conscientia. An, quia templum ornatum? etiam conscientia. An, quia ibi sacrificia, etiam hic. *Grande sacrificium bona conscientia.* An, ob præsentiam DEI? etiam hic. *Conscientiæ castæ inhabitator DEUS.* Sed præcipuè, quia de templo illo 3. Reg. 6. *Cùm ædificaretur de lapidibus dolatis atque perfectis, malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in Domo Domini.* Non est malleus, ibi habitat DEUS. *In pace factus est locus ejus, & habitatio ejus in Sion.* 3. Habet bona conscientia semper ad cœlum

lum acceſſum. Chryſoſt. hom. 12. ad Rom. *Nihil ſic animas ſuſtentare, erigere, ac veluti volatiles reddere conſuevit, ut conſcientia bona.* S. Macarius hominem comparat avi, ſed malus habet alas acciſas, bonus integras. Habet ſuum feſtum bona conſcientia, veniunt ad feſta & divites ornati, & pauperes. Chryſoſt. l. c. *Etiamſi univerſum orbem choreas agitare videat, hac ipſa de cauſa magis angitur ac dolet,* pauper. *Dives verò delicatus mutatoriis veſtibus abundans, in ſumma proſperitate vivens, etiam extra feſtiva tempora feſtum agere ſibi videtur. Ita & ſpiritualibus uſu venit. Qui enim vivit in juſtitia & operibus bonis, vel abſque feſto, feſtum agit. Qui verò in peccato & malitia vitam degit, multorum malorum ſibimet conſcius, etiam cùm maximè feſtum eſt, feſto caret quàm maximè.* Defuncta habuit puram, ſed timidam conſcientiam, aliqui timent ſed mali. Eccl. 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum* quare, non ut colubrum? In peccato, eſt culpa & pœna, culpa caput, pœnæ cauda, magis caput timendum. Illi ſolam timent caudam. Sed, inquies. Ambr. *Trepidare infirmitatis eſt & timoris, atque formidinis.* Ideò de conſcientia timida non poteſt laudari Defuncta. Sed cum eodem in Pſ. 118. ſerm. 21. Reſp. *Eſt etiam timor Sanctorum. Timete Dominum omnes Sancti ejus, & Beatus vir qui timet Dominum; qua ratione beatus? quia in mandatis ejus cupit nimis.* Talis timor fuit Defunctæ. Abraham cùm ſæpè mutaret locum, tamen hoſpitalitatis non oblitus, ſemel ſub arbore, Gen. 18. *In oſtio tabernaculi ſui in ipſo fervore diei.* Cur ſedit in oſtio? Chryſoſt. *Tantopere curabat hoſpitalitatem, ut nollet horum curationem cuiquam familiarium committere, ſed* 318. *vernaculos habens, homo ſenex & decrepitæ ætatis apud januam ſedebat,* quomodo? *In ipſo fervore diei.* 2. Reg. 4. ſimili tempore Iſboſeth filius Regis dormit. *Dormiebat ſuper ſtratum ſuum in meridie.* Ad portam *Oſtiaria domûs purgans triticum dormivit.* Cur non excu-

excubiæ? cur non domus clausa? occisus à latronibus. Abraham ipse excubavit. Ex hoc Nilus in Asceticis. *Quomodo enim Rex fœminam haberet ostiariam, qui satellitum multitudine cum omni apparatu munitus esse deberet? Idcircò magnus ille Abraham non permittit uxori ut ostium servet, neque enim ignorat quàm facilè sensus decipiatur.* Non reliquit Defuncta in porta conscientiæ ancillam, id est, sensus, Abraham, ratio custodivit; inde *Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu invere. cundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior. Ipsa species corporis simulachrum fuit mentis, figura probitatis.*

Ovis fœcunda. Natura facit quod potest, & cum aliquo casu non potest aliud, facit monstrum. Helian. lib. 1. Hist. In insula Cai, ovis peperit leonem apud divitem Nicoppum, augures explicuerunt, de magna felicitate, hæc eadem natura dedit homini appetitum vitæ, quare saltem curat ut in prole vivat. Chrysost. hom. 18. in Genes. *Postquam subintravit mortalitas, summa consolatio erat filiorum successio. Idcircò misericors DEUS puniendi severitatem diminuens, & morte personam auferens, successionem filiorum largitus est, & quasi imaginem resurrectionis, per hoc subindicans & dispensans, ut pro cadentibus alii resurgant.* Quanquam alii dubitant, an sit bonum habere prolem? Boëtius. *Est infortunio felix qui caret liberis.* Maximè si nasci debeat, Caim, Cham, Ruben, Absalon, Nero, Caligula. Salomon collectis opibus & consideratis successoribus Eccl. 2. nauseam de illis concepit, nescio an hæredem sum habiturus sapientem? sed etiam educatio laboriosa. Tertull. *Amara est liberorum voluptas.* Ideò Cosmus Medices Dux Hetruriæ cùm illi natus esset Filius, curavit parvam oleam dapingi. Inscript. *Curabo.* Olea filium notat. Ps. 143. *Filii sicut novellæ plantationes in juventute sua.* Inscriptio Patrem monet. Volo

ut sit pacificus ut olea, *Curabo.* Incorruptus, sine scandalo, sit virtuosus, *curabo.* Sed pauci boni Parentes. Chrysost lib. 3. contra vitup. vitæ Monasticæ. *Perquam iniquum & indignum est, si filium tuum ad Regiam & Regem introducas ut ipsum familiarissimum Regi carissimumque constituat, omnia & facu ex pateris, cuncta moliris nihil penitùs dum id quæris omittens, aut subterfugitas; non sumptus, non pericula non incommoda. Cœlestis verò militiæ, cœlestiumque munerum optione postpositâ, non dolem si extremum sortiatur locum, sitque omnium novissimus.* Sagittarius dum collimat, assumit altius; Parentes juvant ad cœlum præ aliis, quare malus Parens felicior sine liberis, quia non est particeps eorum damnationis. Sed in scriptura fœcunda erat felicitas. Maledicit Jer. 22. *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultrà in Juda.* Romæ in Amphiatro petiit senex à Juvene ut ipsi loco cederet, respondit, non cedam, quia non genuisti juniorem qui mihi etiam possit cedere. Aug. filios vocat memorialia & imagines Patrum. Quia Eccl. 30. *Mortuus est Pater ejus, & quasi non est mortuus, similem enim sibi reliquit post se.* Sint proles lapides ex quibus consurgit Familia. Exod. 3. *DEUS ædificavit Domos* Id est, familias. Ruth. 4. *Quæ ædificaverunt Domos Israël.* Deut. 25. *Qui non ædificat Domos Fratris sui.* Quare gaudendum de Filiis. Sed si Mater stultè urgeat Gen. 30. *Da mihi liberos alioquin moriar?* Respondeat. *Nunquid pro DEO ego sum qui privavit te fructu ventris tui.* Rabini narrant, quod cùm alios claves DEUS Adamo dederit, sibi quinque rationis. Fabulentur illi, ego claves quinque reperio. 1. Pluviæ Deut 28. *Aperuit Dominus thesaurum suum optimum ut tribuat pluviam in tempore suo.* 2. Ps. 34. *Producit ventos de thesauris suis.* 3. Ps. 44. *Aperis tu manum tuam & imples omne animal*

mal benedictione. 4. Ezech. 32. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris.* 5. Prolium 1. Reg. 1. *Pro puero isto rogavi, & dedit mihi Dominus petitionem meam.* Fœcunda fuit Defuncta. Chrysol. serm. 22. *Grave est & satis triste, & virginitatis carere præmio, & filiorum solatia non habere: sustinere onera matrimonii, & ad fructum Matrimonii non venire.* Domus hæc est Domus Nicippi. Multis servire potest quod unus Lacon cùm ipsi in imaginibus ostenderet bella suorum Atheniensis, ecce quomodo fortes sumus; at ille. *Fortes sed in tabula.* Ostendunt imagines Majorum, at ipsi fortes in tabula, ostendunt armamentaria, Chronica, in tabula, sed hujus filii non sic. Arist. hist. c. 12. *Aquas narrant esse multis in locis, quas cum oves biberint nigros generant agnos, ut in terra Assyritide, Chalciditi, Thraciæ facit amnis, quem præ nimia frigiditate Psychion vocant, Et in Alexandria duo sunt fluvii, quorum alter candorem, alter nigritiem pecoribus facit. Scamander etiam amnis flavos reddere oves creditur.* Defuncta, erat avis, transiit ad Mariti domum N. velut fluvium, nascentur agni candidi Innocentiâ modestiâ, devotione, flavæ affectus ad bellica.

Mortua est Rachel & sepulta in via quæ ducit Ephratam. Ephrata idem est, quod *ubertas*, sepulta in Ephrata, in via salutis, quia de cœlo Ps. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Ephrata idem quod *frugifera.* Surgent fruges. Judas cùm vendidit Christum, retulit argenteos, verterunt illos *in sepulturam peregrinorum.* Quare? S. Maximus *ut quibus nulla est in mundo possessio, in Christo sit sepultura.* Spero quòd Defuncta sepulta in via salutis quæ ducit ad ubertatem, sepulta in Christo, quia spernabat mundum, egit ut 1. Cor. 2. *Qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur.* Fuit peregrina, Mortua Sara Abrahæ, quærit locum pro sepulchro, invenit duplicem speluncam. *Duplex sepulchrum debetur, naturæ, & meritis.* Ubi

ista reponas. *Non habemus hic civitatem manentem.* Oportet in Christo sepeliri. Philosophus quidam hoc tumulo insculpsit. *Nudus in hunc mundum veni, miserè vixi, dubius moriar, quò venturus sum nescio.* Ista Ethnicus, sed nostra Rachel *quæ sepulta est in via quæ ducit Ephratam.*

Erexit Racheli *Jacob titulum.* Ab antiquo ponebantur Epitaphia: Machabæis erexerunt filii pyramides & in illis appenderunt arma, & insculpserunt naves. In Alexandri Magni tumulo erat ex cupro statua Asiæ ligatæ itemque Africæ, inscript. *Victoria Alexandri.* In sepulchro Josephi in Ægypto, lapidei frumenti manipuli. Hieron. ad Pammachium ep. 26. *Cæteri mariti super tumulos uxorum spargunt rosas, violas, flores. que purpureos, & dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster ossa veneranda eleemosynæ balsamo rigat.* Erexit Maritus Epitaphium. Marite iterum tibi uxor valedicit, gratias agit &c. Et nos unanimiter. *Requiescat in pace.*

In Funere Mulieris Nobilis.

O Diem luctuosam quâ mortua est N. Mater pauperum &c. Job. 3. *Dies ille vertatur in tenebras, & non requirat eum DEUS desuper, & non illustretur lumine.* Per dies septem Amici cùm visitarent Jobum præ dolore non loquebantur. Alias dolor loqui solet, sed quid loquar? dolores de hac morte numerabo.

Luget inprimis familia. Sunt aviculæ dictæ soroactes in terra Saracenorum, quæ Dominica Passionis lugubres sine cantu pendent ab arboribus, alis in crucem expansis, & dum Eclipsim Luna patitur, corda in illis obrigescunt, oculi caligant. Imago hæ aves sunt familiæ. Jer. 1. *Nunquid avis discolor hæreditas mea mihi, nunquid avis tincta per totum?* Discolor

ſcolor hæc familia ob varietatem dignitatum, ſtatuum, &c. Eſt Eclipſis, quia inter familiam ut ſolem, & defunctam ut lunam, terra ſepulchralis interponitur. Quod in corde eſt hoc produnt oculi. Eccl. 13. *Cor hominis immutat faciem illius.* Agar in deſerto ne ſpectaret mortem filii Gen. 22. Sedit contra eum, debuiſſet retrò, ſed quia illum habebat in corde, oculis ad illum ferebatur; ita video mæſtam familiam quæ intuetur feretrum Thren. 4. *Mæſtum eſt in dolore cor noſtrum, & oculi noſtri contenebrati ſunt.* Hæc N. omnes exhilarabat, humanitate, morum ſuavitate, at modo canere poteſt Familia. Thren. 5. *Defecit gaudium cordis noſtri verſus eſt in luctum chorus noſter.* Ecce cor tabeſcens Aviculæ. Videamus eclipſum. Magna fuit ex conjunctione illius familiæ cum familia mariti, magnus ſplendor utrinque dignitatum. Eccl. 26. *Mulier prudens lucerna ſplendens in candelabro ſancto.* Et ecce modo, *Oculi noſtri obtenebrati ſunt.* Quare meritò plorat familia, quia Eccl. 22. *Super mortuum plora quia defecit lux ejus.*

Luget Maritus, cor amiſit. Eccl. 26. *Gratia ſuper gratiam mulier caſta & pudorata*, hoc ipſum Oleaſter ita legit. *Reſpiratio viri mulier caſta & pudorata.* A corde principium reſpirii hominis, à viro mulieris, cuſtodit illam ut cor, quod nullum vulnus ſuſtinet. Cor amoris ſedes, uxor Marito amori eſt, animum ſociat & unit. Et ecce modò cum Agag dicit, *Siccine ſeparas amara mors?* Convenit te marite alloqui verbis Sopatris. *Perdidiſti animæ ſolatium, vitæ ſubſidium, annorum lactamentum, laboris adjumentum, utriuſque participium.* Uellem tuum luctum moderari, ſed illa lex moderatur. *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Quiſque aliquem defunctum luget, 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & ſicut aquæ in terram dilabimur.* Sed animus etiam tuus magnus te ſoletur, ſoletur DEUS qui corda hominum in ſua manu habet.

Lugent proles. Thren. 3. *Contenebrati sunt oculi nostri.* Oculi sunt filii, ita Mater Tobiæ missō peregrè filio. *Ut quid te misimus peregrinari fili mi lumen oculorum nostrorum.* Nihil oculo carius, nihil filio. Si familia est cœlum, filii sunt stellæ, seu oculi cœlestes, qui aspectu omnes lætificant, motu morum exhilarant. *Contenebrati sunt oculi nostri. Mater nostra abiit, & quando revertetur? Pupilli facti sumus absque Matre.* Gen. 35. Cùm Rachel peperisset filium, appellavit illum Benoni, id est, *filium dexteræ.* Vos Filii pupilli quomodo vocabo? cùm intueor sublimes natales, ætatem floridam, voco Beniaminos. Sed cùm pupillos, voco Benoni. Cum Patrem vestram specto, dico Beniaminos, cùm Matrem mortuam, Benoni. Video affinitates, &c. Sed utut vocari vultis, doloris est ingentis res ipsa. Si liceret scrutari DEI judicia, dicerem, Deut. 22. *Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum avis inveneris, & Matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non tenebis eam, sed abire patieris, ut bene sit tibi, & longo tempore vivas.* Ita præcepisti circa pullos DEUS, & modò Matrem à filiis pepulisti. *Contenebrati sunt oculi nostri.* Tibi præcipuè condoleo Filia. *Unica matris suæ, & electa Genitricis suæ.* Thren. 2, *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te filia Jerusalem? cui exæquabo te, & consolabor te virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua, quis medebitur tibi?* Non possum te comparare filiæ Raguelis, quam Mater Domo legitimè expedivit. Tob. 10. *Apprehenderunt Parentes filiam suam, & osculati sunt eam, & dimiserunt eam,* &c. *Monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere.* Tibi Marite illa filiam commendat DEUS. 4. Esdræ 8. *Amplectere natos istos usque dum veniō, & præstem illis misericordiam quoniam exuberant fontes mei, & gratia mea non deficiet.* Hoc sit tibi Filia solatio, habes Patrem qui Matris vices gerere potest.

Lugent

Lugent Amici, & istos appello oculos. Zach. 3. *Qui sunt oculi isti?* respondetur. *Hi sunt oculi qui discurrunt per universam terram.* Nobiles discurrunt per officia, castra, Dignitates Ecclesiæ, &c. Omnium capaces, & hic dico. *Contenebrati sunt oculi nostri.* Defuncta fuit vobis instar lucis, jam sunt tenebræ. Vidit Ezehhiel cap. 1. currum. *Totum corpus rotarum erat oculis plenum in circuitu ipsorum,* &c. Per currum Euthymius intelligit regna mundi, illa ut currum DEUS regit. Dan. 4. *Dominatur Excelsus in regno hominum.* Nobiles partim sunt homines trahentes illum currum. *Et Joseph natus est homo Princeps fratrum, firmamentum gentis, stabilimentum populi.* Sunt alii Aquilæ. Job. 19. *Oculi Aquilæ de longè prospiciunt.* Sunt & Leones. Prov. 31. *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum.* Sunt & boves, propter laborem pro Patria. Nobilitas est rota, unde dicitur, Rota equestris hi sunt oculi, notat rota concordiam. *Aspectus rotarum & opus earum, quasi sit rota in medio rotæ.* Optima est concordia quando rota est in medio rotæ, in corde alterius, idem sentiunt. Philip. 2. *Idem sapiatis eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem,* &c. *Non quæ sua sunt singuli considerantes sed quæ aliorum.* Rotæ illæ non solùm cum animalibus sed etiam secum concordabant. *Cùm ambularent animalia, pariter & rotæ juxta illa ambulabant, & cùm elevarentur animalia de terra, elevabantur simul & rotæ.* Consonant cum Senatu Nobiles. Cyrillus apud Lyranum. *Non lyra suaviter sonat, nisi chorda inferior superiori concinat.* In rotis erat vita. *Quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu & rotæ pariter elevabantur sequentes eum.* Obediant Nobiles Regi. Bern. serm. de Natura amoris. *Rotæ in quibus est Spiritus vitæ, semper inclinant in voluntatem DEI perficiendam, nec revertuntur ad faciendam suam si jubentur præesse, præsunt in sollicitudine: si subesse, subsunt in humilitate*

militate: si coëssę, in charitate: si Prælati sunt, sicut Patres ad Filios: si subjecti, sicut Filii ad Patres: si convenientes, servos se faciunt omnium. Hi oculi sunt obtenebrati, sciunt qualem amiserunt. Castores si in genere suo principalem amiserunt, præcipui aliquot horis vigilias agunt, alii in luto se volutant. Apes post mortem suæ Matris, mel non conficiunt, favos corrumpunt, de qua re Chrysost. hom. 11. in Matth. Imitentur bestias Amici, imitentur subditi, & fecerunt.

Causa hujus communis doloris quæ? satis causæ, quia mortua N. dum rem lugubrem Moyses narrat Gen. 36. Et Jacob, 48. solùm dicunt. *Mortua est Rachel.* In quæ verba Titus Bostrensis *Hoc ad dolorem satis, quippe omnem tam populi quàm Filii jacturam unicâ mortis voce, omnem dolendi materiam unicâ Rachelis mentione consignârunt.* Satis & nobis, quia mortua N. Hic commemora marito qualem amiserit, &c. Qualis fuit, genere, pietate. Hæc conservat familias. Quamdiu Saul DEO carus tamdiu Rex, at verò 1. Reg. 15. *Projecisti sermonem DEI, & projecit te Dominus, ne sis Rex super Israël.* Educabat sanctè puellas Nobiles, egit in hoc ut scripsit Theodoricus de utilitate Monach. *Ulmus, etsi vinum non profert, vitem producentem vinum sustentat: ita par est, ut quæ virginitatem non profitetur, in alii provehat, veneretur, inviolatam tueatur.* Istæ modò lugent. Pauperes. De eleemosyna scripsit Chrysost. serm 9. in Evang *Ut quid respicis cœlum si nihil ibi habes repositum? quod pro anima dedisti hoc tuum est: quod reliquisti, perdidisti.* Cùm esset in civitate Jope mortua Tabitha liberalis in pauperes, Act. 9. rogârunt S. Petrum ut illam suscitaret, si modò esset Petrus, oraremus. Hæc omnia ô mors rapuisti. Audi DEUS gemitus, & solare.

In Fu-

In Funere Viduæ.

DAvid Pſ. 81. tria hominibus attribuit, dignitatem. *Ego dixi*: *Dii eſtis*. deſideria, *Filii excelſi omnes*. Hieron. legit. *Filii affectantes omnes*, tandem. *Sicut homines moriemini*, &c. hæc tria in funere præſenti explicabo.

Dii eſtis. Homo nobile eſt opus etſi ex terra. Nazianz. vocat illum, *Inter nuntium cœleſtem*. Aug. *Civem cœli*. Baſil. *compendium Divinitatis*. Chryſol. *Fibulam cœli & terræ*. Fabrica mirabilis, omnia in proportione, (vide meam Arithmeticam, & ſeptimam partem Phyſicæ) In homine continetur Animus ſeu Spiritus ut cœlum, qui idem eſt cum anima, ſed Spiritus dicitur quantùm ſe ad cœleſtia levat. Anima, ut aër, media inter cœlum & terram, & hæc vivificat, corpus ut terra. 1. Theſſal. 5. *Ipſe autem DEUS pacis ſanctificet vos per omnia, ut integer Spiritus veſter & Anima, ſine querela in adventum D. N. J. C. ſervetur*. Quare homo vocatur parvus mundus. Eſt ſicut horologium ex diverſis rotis. Greg. hom. 29. in Evang. *Omnis creaturæ aliquid habet homo; habet namque commune eſſe cum lapidibus: vivere cum arboribus: ſentire cum animalibus: intelligere cum Angelis*. Agnoſcunt præterea Creaturæ dignitatem in homine, & illum veluti ſubditi de medio ſui præcipuum mittunt ad Principem ſalutandum. Pſ. 148. *Laudate Dominum*, &c. *Sol & Luna*, &c. *dracones* &c. in fine. *Juvenes & virgines, ſenes cum junioribus laudent nomen Domini*. Quaſi reliqua non ſatis eſſent ad hoc idonea, faciat homo. Sed ſi ita nobilis, cur ultimò factus homo? Reſpondet Chryſoſt. hom. de opificio Hominis. Cùm Princeps eſt venturus, Præcedit culina, &c. Ut omnia parata inveniat, ita de homine, eſt Princeps. Gen. *Dominamini piſcibus maris*.

Ulteriùs Trismegist. *Magnum miraculum est homo, animal honorandum & adorandum. Hoc enim in naturam transit DEI, quasi ipse sit DEUS.* Lipsius epist. 26. ad Pelgan. *Tanta istius animantis, pulchritudo, dignitas, vis, vigor, ut si DEUS non esset, ipse DEUS esset.* Quare, *Dii estis.* Joan. 1. quomodo id fiat. *Dedit eis potestatem filios DEI fieri.* De quo Aug. tr. 2. in Joan. *Magna benevolentia, magna misericordia, unicus natus est & noluit manere unus. Multi homines cùm filios non habuerint, peractâ ætate adoptant sibi, & voluntate faciunt, quod naturâ non potuerunt. Si autem aliquis habeat filium unicum gaudet de illo, quia solus omnia possessurus est, & non habebit qui cum eo dividat hereditatem, ne pauperior remaneat, non sic DEUS.* Quia DEUS *dedit illis potestatem filios DEI fieri.* Ne verò ex sua sublimi dignitate inflectur, clamat Berm. serm. 3. in vigil. Nat. D. *Adverte homo quia timus es, & non sis superbus quia DEO conjunctus es, & non sis ingratus.*

Videamus quomodo homines sint *affectantes.* Homo sic in alto constitutus voluit altiùs ascendere. *Filii excelsi omnes* Affectantes omnes, hæc affectatio in cœlis inter Angelos incepit, Adamum decepit, infecit omnes. Nabuchodonosor erexit statuam altam cubitos 60. Quæritur 1. Cur Rex cùm esset vivus statuam sui exexit? 2. Cur fusam & solidam? 3. Cur non minorem? Ambitio. Oseæ 5. *Facti sunt Principes Juda velut assumentes terminum.* Id est transferentes, sicut vicinus avarus transfert, Plebejus vult esse Nobilis, &c. Et sacrificiis veteribus expulsa aquila. Quare? S. Th. 1. 2. q. 102. *Figuralis ratio horum est, quia per omnia ejusmodi animalia prohibita, designantur aliqua peccata, in quorum figura illa animalia prohibebantur* & ulterius art. 6. *In aquila quæ altè volat superbia prohibetur.* Hinc Oseæ 9. *Ephraim quasi avis evolavit.* Quæ pennæ? *Gloria eorum ab utero, à partu, à conceptu.* Ita filii hominum sunt affectantes.

Sicut

Sicut homines moriemini. Carolus v. poſtquam arcem ædificavit ſupra Neapolim, vocavit Proceres quod eſſet illorum ſtemma, quærendo. Dixerunt equum; ille oſtendit arcem, ecce hic eſt frænum. Pſ. 31. *Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus.* Sed non obedierunt, Job. 31 *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum putat,* ecce frænum. *Moriemini.* Iumentum moritur, nihil ſupereſt. Homo moritur, Job. 19. *In carne mea videbo DEUM meum.* Moriuntur animalia. Homini dicitur. *In qua hora non putatis filius hominis veniet.* Et hoc fiet citò. Job. 9. *Velociùs dies mei tranſierunt, quàm à texente tela ſuccciditur.* Similis vita telæ *velociùs* quàm textor. Mors in ſe terribilis. Scribit Dion. Carthuſ. de Lazaro quòd reſuſcitatus nunquam riſerit, quia ut ſcribit Joan. de Voragines intellexit ſe iterum moriturum, hoc frænum eſt. 2. Cor. 4. ubi egit de moribus Gentilium. *Ergo mors operatur in vobis, vita in nobis.* Nos timore mortis nos mortificamus, vos ſpe vitæ omnia mala agitis. Qui opes appetit, &c. Vita operatur. Tertull. de Anima; ita de morte. *Speculum ejus ſomnus.* Somnus cibos ſequitur, craſſus craſſos, &c. Ita qualis vita, talis mors. Sicut ſpeculum corrigit vultum ita mors mores. Quare Eccl. 10. *Si Spiritus poteſtatem habentis ſuper te aſcenderit, locum tuum ne dimiſeris, quia curatio maxima ceſſare faciet peccata.* Frænum eſt memoria mortis.

Sicut unus de Principibus cadetis. Princeps fuit de quo. *Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Abrahamo Ethei Gen. 22. *Princeps DEI apud nos es.* Alius Princeps mundi, alius DEI. De Defuncto factum. *Sicut unus de Principibus cadetis.* Cui ſervit Iſid. de ſummo bono. *Vita piorum norma aliorum, qui dum laudantur alii informantur.* Natus N. in familia, &c. Sed hoc minus. Bern. epiſt. 72. *Mirum opus naturæ, unde groſſeſcit materia inde ſarcina levigatur & quantùm creſcit in maſſa tantùm decreſcit*

scit in pondere. Ab ave susceptum quæ quò majores habet alas eò levius volat, ita & homo virtutibus ornatus. Maxima tamen gloria si quis statui suo satisfaciat. Defunctus fuit in statu triplici. Adolescentiæ cælibis, conjugii, &c. Plut. Procem. in Agi. scribit fabulam, voluit ducere cauda serpentem, pessimè, ergo caput ducat Ephes. 5. *Caput mulieris vir.* Ira & in homine anima est vir, corpus uxor. Aug. tr. 2. in Joan. *Ubi caro imperat & Spiritus servit, perversa domus est. Quid pejus domo ubi fœmina habet imperium supra virum? recta autem domus ubi vir imperat, fœmina obtemperat.* Quare etiam Gen. 3. dictum Evæ. *Sub potestate viri eris & ipse dominabitur tui.* Jam ad statum vidualem.

Possunt vidui & viduæ dicere. Ps. 115. *Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis* jam liberiùs DEO servire possunt. Damiani 1. epist. 12. *Plurimæ mulierum affectant dissolutionem vinculi Matrimonii, pleræque suscipiunt ejusdem dissolutionem cum submissione mentis, non sine mœrore cordis, & à fructibus earum cognoscetis eas, quædam enim illarum sacrificant mundo, quædam cælo. aliæ immolant DEO, aliæ diabolo.* Videndum in quid faciunt impensas. Divites sunt ut apes, ex subditis mel ex sugunt, sed veniet mors cum fumo, apes fugient, mel tolletur. Ps. 101. *Defecerunt sicut fumus dies mei.* Es. 48. *relinquent alienis divitias suas.* DEO dabat mel Defunctus per eleemosynas, &c. Baron. an 567. Hermoaldus homo dives cùm esset graviter infirmus misit eleemosynam ad cœnobium S. Laudomari Abbatis, erant 40. coronati Gallici: quemlibet olfacit Abbas, & 39. remittit, quia alii cum injuriâ subditorum acquisiti, si modò ita examinarentur nummi. Faciliùs mergitur quis in aqua fluvii dulci quàm in mari amaro, pereunt in dulci Judæ. *Abeuntes post carnem alteram.* Et viduæ 1. Tim. 5. *Cùm luxuriatæ fuerint in Christo, volunt nubere. Quæ in deli-*

cia

cies est vivens, mortua est. Non sic defunctus, voluit esse in aqua dulci, sed apud Abdiam non poteris esse sine cruce. *Si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te.* Basil. hom. in Mar. Jul. *Quò fugies ô homo à tribulatione? cœlum te dejiciet, terra rejiciet, mare evomet, infernus non proteget, fugitivus DEI cum sis quis te abscondet? quis recipiet?* Crux sequetur, etiam bonos, sed aliter quàm malos. Aug. 21. Civit. 4. *De ipso igne mira quis explicet? quo quæque adusta nigrescunt cum ipse sit lucidus, & pænè omnia quæ ambit & lambit, colore pulcherrimo decolorat, neque id quasi regulariter definitum est, nam è contrario lapides igne candente percocti, & ipsi fiunt candidi.* Uritur lignum fit carbo niger maledictionum, &c. Thren. 4. *Denigrata est facies eorum supra carbones*: At boni fiunt candidi, ita Defunctus fuit patiens. Matres solent imprimere in utero fœtui signa, vel ob motum, vel ob gaudium, vel ob grande desiderium. Impressit Eva maximè mulieribus. Rupert in Genes. lib. 3. c. 2. *Mulier corpore & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, fortè prospectans qualis extra paradisum mundus haberetur, occasio porrecta diabola unde tentaret.* Quia fuit vaga, hoc in filias transmisit, ita in ludo Scachiorum ubique discurrit Regina, non talis fuit N.

Misit ad N. DEUS Legatum morbum, venerant Legati Siciliæ ad Carolum Magnum, invenerunt in horto laborantem, mirati, respondit illis. *Satis est, non inveniatis otiosum.* Ita defunctum reperit morbus. Furatus quidam horologium Ferdinando 1. Imp. detinuit illum donec sonaret, sic prodidit & ita. Ps. 9. *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Ita Adam sub arbore, Caim repertus in homicidio, Sodomitæ in scelere, Absalom in rebellione, Aman in fraude, omnes puniti. Hieron. ad Demetr. *Malorum operum pessima merces.* Mortem Th. Morus excubiis nocturnis in civitate,

comparavit, qualem inveniunt talem Judici sistunt, sed mors placari non potest. In bonis operibus invenit Defunctum, vobis relinquit. *Vive memor lethi.* Epictetus in Enchiridio. *Mors & exilium, & omnia quæ in malis habentur, ob oculos tibi versentur quotidie, omnium verò maximè mors, sic nihil unquam humile cogitabis, nec impensè cupies quidquam.* Hoc memora, illa omnes coæquabit, & ex levi sæpè causa. Plin. lib. 7. c. 7. *Tu qui viribus corporis fidis, tu qui fortunæ munera amplexaris, tuus semper in victoria mens est, tu qui te DEUM credis aliquo successu tumens, tanto perire potuisti, atque etiam hodie perire potes, quantulo serpentis ictus dente, aut etiam ut Anacreon Poëta, acino uvæ passæ: ut Fabius senator poto in lactis hausta uno pilo strangulatus.* Greg. Nazianz. orat. 16. Ad imaginem DEI facti sumus, sed, *Hæc nostra temperatio est, ut cùm imaginis dignitas nobis animum extulerit, pulvis eosdem deprimat contrahatque.* Juvenis es, potes cito mori, cor citiùs formatur quàm oculi, tamen oculi citiùs moriuntur. Hanc hæreditatem relinquit nobis defunctus, claudo verbis Ps. 24. *Anima ejus in bonis demorabitur, & semen ejus hæreditabit terram.*

In Funere cujuslibet.

ET sicut Abraham egreditur N. de domo sua, de cognatione vadit trans mare, valedicit vobis. Non redibis defuncte ad domum tuam, jam Filii in veste lugubri, non tali olim apparatu solebas progredi, pro curru feretrum. Eccl. 50. de Simone Sacerdote dicitur. *Circa illum corona Fratrum quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt quasi rami palmarum, oblatio autem Domini in manibus eorum.* Ita circa vivum ibatur, at modò cupressi, faces, sola oblatio superest, omnes vovent Eccl. 17. *Vade in partes sæculi sanctis cum viventibus*

tibus & dantibus confessionem DEO, ne demoreris in errore impiorum. Precabor & ego bene abeunti & equos quibus abit considerabo.

Jovinianus Cæsar jussit currum pingi cum tribus equis. Uni adscripsit. *Est non est.* Alteri *Domi non est.* Tertio *nihil est.* Primus notat vitam nostram, est sanitas quasi non esset, opes, &c. Mors ubique insidiatur. Venit ad Baltasarem Dan. 5. conjuvantem. Est, ad imaginem DEI, cras esca vermium. Bern. *Post hominem vermis, post vermem fator & horor, sic in non hominem vertitur omnis homo.* Putabat Darius se reperturum thesauros in sepulchro, quia illi semiramis inscripserat. *Quicunque Rex pecuniâ indiguerit, aperto sepulchro quantum opus est capiat.* Aperuit, ossa reperit, & scripturam. *Nisi vir malus esses & pecuniarum inexplebilis appetitor non sanè loculos mortuorum commovisses.* Poterat dicere, est thesaurus, sed vidit, quia non est. Quid de homine post mortem, *non est. Homo putredo, & filius hominis vermis.* Tamen vivimus acsi semper futuri essemus, nutrimus nos, ac si non esca vermium, &c. Similes sumus aviculæ dictæ Ephemeron, unâ die vivit, & volitat huc illuc procurando victum ac si diu victura esset: Job. 10. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore.* Hodie Rex. Veteres pingebant hominem nudum, velatis oculis, ligatâ dextra, tempus paulatim discerpit velum, ita Richard. Brixian. in symb. Nudus, quia *nudus sum egressus de utero Matris meæ.* Job. 1. Nudus intellectûs usu; clausi oculi, non videmus finem vitæ, est tamen *est.* Quia est tempus nunc miserendi, pœnitentiæ sed brevi videbis. *Non est.* Tempus erit vindictæ, tempus ultionis, manus ligata ad bona opera, sed tempus destruet velum, videbis, *non est.* Est modò Illustrissimus, &c. Scribit mors *non est*, quia es *Imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, invidiæ & calamitatis trutina,*

nam ut. Quidam hominem definivit. Considerate eos qui paulò ante erant potentes, &c. Quid sunt? pulvis &c. Videte ossa, an dignoscetis quis Rex, servus &c. Salomon &c. Ubi modernus N? ibi ubi Majores ejus, isti & illi, in cinere, hæc respiciens Bern. *Quid prosunt divitiæ, quid delitiæ, quid honores? Divitiæ non liberant hominem à morte, delitiæ non liberant à verme, honores non liberant à fœtore, nam qui modò sedebat dives & gloriosus modò jacet pauper in tumulo.* Videmus id in hoc Defuncto, fuit, &c. Ac modò. 1. Esd. 14. *Projectus quasi stirps inutilis, pollutus & obvolutus.* à Matre divisus, à Patre, &c. *Est non est.*

Alteri equo inscripserat, *Domi non est.* Prima domus est mundus, ejus parietes elementa, tectum est cœlum. Magna domus, tamen ex nihilo facta. Alia est domus quam incolimus, talibus olim non utebantur. In Fasciculo temporum scribitur, quòd Matusalem cùm jam exegisset annos 500. & egit sub arbore, audivit vocem. *Adhuc tibi alii ferè 500. anni supersunt anni, bene poteris construere domum ubi degas.* Respondit. *Si non amplius sim victurus Domine, non mihi opus est domo, sub arborum ramis vel in speluncis terræ degam.* Tertia domus est corpus nostrum. 2. Cor. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationes dissolvatur, domum non manu factam habemus in cœlis.* Domus hæc variis constat, de anima quidam dubitabant in qua parte habitaret, alii in capite, alii in corde, alii in sangvine. Sed veritas est, totam esse in toto, & totam in qualibet parte corporis. Si quæremus animam defuncti in domo mundi, erit, est immortalis, sed in domibus, in corpore, *Domi non est.* In partes sæculi sancti abiit, corpus in terra. Ægyptii sepulchris adscribebant. *Si fueritis sicut hi, eritis sicut illi.* Aug. de cura pro mortuis cap. 4. Considerando quòd sepulchra dicantur monumenta, quasi monentia

mentem,

mentem, ita ait. *Ibi monet mentem nostram, ut pro defunctis oremus, sicut enim ipsa pauperis visio etsi pauper taceat, eleemosynam à vobis & suffragia poscit.* Videmus *Domi non est*, effertur cum fletu, deinde bona diripiuntur, nemo defunctis succurrit, Bene quidam pinxit manum extentam, Inscr: *da & accipe.* Accipis successionem da pauperibus, Pocillatori Pharaonis post explicationem somni dixit Joseph. *Memento mei cum tibi bene erit, fac mecum misericordiam ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere.* Hoc ad vos dicit defunctus, & clamat ut Job. 16. *Miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Jam defunctus *Domi non est.* Valedixit, bona vobis reliquit, ut Patriæ serviatis, &c. Sed etiam animæ prositis, sicis, sicut Aaron Num. 16. & ex ejus domo sacerdotes. *Stans inter mortuos & viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.*

Tertius equus, cui inscriptum *nihil est*, potest significare peccatum. Aug. *Peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cùm peccant.* Quia in omni peccato includitur privatio, quia homo privatus cœlo, gratiâ, & sicut dives divitiis exuitur, de tali dicimus in nihilum abiit, amittit peccator. *Ad nihilum redactus sum & nescivi.* Hoc ipsum servit defunctis. Alphonsus Aragonum Rex ut hoc nihilum exprimeret, tres cifras pingebat, Inscript. *Nihil fuimus, nihil sumus, nihil erimus*, concordat cum Sap. 4. *Nos ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus quasi non fuerimus.* Carolus Magnus in suo Epitaphio scripsit. *Fui, non sum, terra sum.* Quærite ex defuncto quid sit? nihil, fui antea, &c.

Sit quartus Equus ex Apoc. Rufus, hic designat bellatores in Domo mortui 1. Mach. 3. *De quorum prælijs narrabant omnes gentes.* Affinitati juncti cum N N. valebat & ipse tam armis quam consilio & vos posteri. *Ambulabitis per omnes vias Patris vestri.*

Sit quintus Zach. equus varius maculosus, notat inconstantiam fortunæ. Hodie quis honoratur, cras ridetur. Belisarius Persas vicit, Reges duos cepit, Romam muris cinxit, deinde à Justiniano Cæsare bonis & oculis exutus mendicabat. Fortuna dicitur á ferendo, quod offerat malum post bonum, vel est Fortuna quasi vertuna quia omnia vertit; quare defunctus omnia contemnebat mundi, & muniebat se per humilitatem. Ambr. de Pœnit. c. 14. *Transi sæcularia, & cecidisse aspicies altitudines impiorum.* Jactant se, & cadunt.

Sextùs equus ex Apoc. pallidus. Mors Sancta. Frat. devotus N. totâ vitâ sed & in morte, jejunabat, quia ut Ambr. lib. de Elia. *Jejunium est mors culpæ, excidium pœnæ, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis. Hoc gradu citiùs ad DEUM pervenis.* At alii luxui, potationi vacant. Ambr. de Elia c. 1. *Bibamus pro salute exercituum, pro Comitum virtute, & hæc vota ad DEUM pervenire judicant à stultitia hominum, qui ebrietatem sacrificium putant.* Et tamdiu clamant *Vivat* donec ut mortui procumbant, & supra aliquos loco *vivat* dum feruntur ad sepulchrum, canitur *Salve Regina.* Devotionem defuncti N. sequebatur misericordia in pauperes, ideo cor nobis est in parte sinistra ut ad affectus sinistrâ fortunâ inclinemus. Ita N. potest dicere cum Aug. *Da quia dedi, fac quia feci dimitte quia dimisi.* Fac misericordiam DEUS, dimitte peccata. Sequebatur concordia quæ res unit. Turris Babel propter discordiam non est absoluta. Hortabatur Cornelia filios Gracchos. *Etiam vos atque etiam obtestor ut fraterno inter vos animo vivatis, memores, semper filios meos esse, & quo die vestram audierem discordiam, illum diem extremum vitæ meæ futurum.* Hoc ad filios defunctus loquitur. Silurus Scytha habuit 80. filios, totidem ligavit sagittas in fascem, nemo potuit frangere omnes, sed singulas facilè, ita si uniti sint fratres. Secuta in defuncto contritio.

Hos

Hos equos considero in curru funebri defuncti. *Ferculum sibi fecit Salomon de lignis Libani.* Columnas argenteas, culcitram auream, gradus purpureos, simili defunctus devehitur. Jam illi precemur. *Uade in partes sæculi sancti.* Ultimum reddunt obsequium Filii, famuli, subditi, abi eò, ubi neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà.

In Funere cujuslibet Fragmentum.

NEmo in tam brevi tempore gesta defuncti potest explicare. Deduceret quis à Patre, insignis, à Matre, sed ut Puteanus. *Quorsum orationis splendor in tugubri horrore? quorsum verborum officiosa circa sepeliendos mortuos sollicitudo? Otiosa cura ea mortuis ingerere, quæ nec illi sentiunt & nec eorum exemplo docemur illa contemnere.* Sed tamen Eccl. 22. *Plora super mortuum quia defecit lux ejus,* Plora non perora, hoc faciam, quia Seneca de Consol. *Impietas in funeribus verba fundere, ubi etiam renitentibus lachrymæ excidunt, taceat ergo lingva ubi loquitur pupilla, & animum perfusa levat.*

De morte justi Ps. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Si mors, quæ est privatio, potiùs pretiosum corpus. De anima. 2. Cor. 4. *Habemus thesaurum in vasis fictilibus* itaque pretiosior, sed tamen, Ps. 33. *Custodit Dominus ossa Sanctorum suorum.* Quare Joseph adjuravit Fratres. *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto,* hunc thesaurum hodie spectamus. Alterum quod hic deponitur est Spes 2. Thess 2. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum DEI.* Spes terrena Sap. 3 *Vacua est spes illorum,* Cælestis Rom. 5. *Non confundit,* ut humana. Theodosius Imp. sepulchro suo curavit inscribi. *Sanitas.* Spem suam ostendens, Job. 19. Illis se solatus. *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, reposita hæ*

est spes in sinu meo. Ita decessit N. in spe, erat in spe, in vita, in suis laboribus. Eccl. 31. *Beatus vir qui post aurum non abiit.* Mortuus sub onere publico vitam finivit, Cassiod. *Hoc ipsum grande doloris solatium, venantium sub onere Reip. fractum cecidisse.* Non magnus sonitus cùm rami cadunt, sed magnus cum integræ arbores. Quomodocunque cecidit N. tamen cecidit ut arbor. Thren. 1. *Abstulit magnificos meos de medio mei.* Quæsitus Agesilaus cur muris urbes non cingeret? dixit. *Non saxis & lignis, non manibus & vallis muniri civitatem, sed civium fortitudine.* Cecidit talis murus. Quærit Ps. 14. *Quis habitabit in tabernaculo tuo?* respondet. *Qui operatur justitiam & non egit dolum in lingua sua, & opprobrium non accepit adversus proximum suum.* Hoc in defuncto fuit. Justus fuit cum subditis, vicinis. Mortuus bene dispositus. Verbis ad vos Audit. utor S. Hieron. epist. 5. *Audistis laudes ejus, cujus semper virtute lætati estis, non doleatis quòd talem amiseritis, sed gaudete quòd talem habueritis.* Deponite corpus ejus, Job. 29. *In nidulo meo moriar.* Ps. 131. *Hæc requies mea, hic habitabo quoniam elegi eam;* faciamus, *Revertatur pulvis in terram suam.* Ferd. de S. Jacobo in Funere Philippi 2. Hisp. scribit statuam æneam repertam cum Inscr. *Quando ad Calendas Aprilis sol feriet meum caput, aureum caput habebo.* Variæ interpretationes, illa optima, ubi umbrâ die illo ex capite in terra desiet, ibi thesaurus. Doctrina nobis, hoc caput monstrat thesauros, umbra est vita nostra. Sap. 5. *Quid profuit nobis superbia, & divitiarum jactantia? transierunt ista omnia velut umbra.* Vobis ostendit divitias in sepulchro si vos ad illas aptetis. Luc. 12. *Facite vobis thesaurum non deficientem in cœlis,* fecit hoc defunctis, in morbo. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini, Beati qui habitant in domo tua.* Clavim ad cœlum ostendit Rupert. *Principes*

cipes mundi plerumque ad regnum deducit eleemosyna, eosque manu suâ Regi cœlesti repræsentat. Hâc viâ ad cœlum, aliàs facilius camelum intrare per foramen acûs quam divitem in regnum cœlorum, alia media ægrè divitibus succedunt. Oratio qualis? &c. Chrysost. *Sola eleemosyna est cui portæ cœlorum aperiuntur, & illâ intrante nullus janitorum audet dicere, quæ es tu? aut unde venis?* Hâc usus defunctus facile per portas cœli transiit, jam illum Christus salutat. *Euge serve bone*, &c. Interea quia est severa DEI justitia, oremus pro defuncto.

In Funere cujuslibet Fragmentum.

MUlta de familia, multa de ipsius defuncti gestis possem dicere. Solùm dicam, de pueritia, Adolescentia, & virili ætate defuncti, quòd in omni fuerit perfectus.

Natus, &c. Educatus ut Filii Constantini de quibus Baronius. *Constantinus magnus in tribus Filiis Constantino, Constantio, Constante, semina pietatis sparsit, tùm suis divinis præceptionibus, tum Magistrorum diligentia, quos omnibus virtutibus eis insignes præfecerat, quemadmodum & in aliis disciplinis eos adsciverat qui essent in suo genere consummati.* Quare dici de illo potest, quod de S. Eleazaro. *A puero optimæ conversationis erat, & secundum sanctæ conditæ à DEO legis constituta educatus*, tum in scholis, tum extra Patriam. Jam quid egit Adolescens. Quid vir, ornavit domum dignitate Matrimonii, Amore in proximos, observantiâ in Principem, pietate in Patriam, Religione in DEUM, & S. Ecclesiam, in his agebat, ut de illo possit illud Nazianz Orat. 10. dici. *Majores suos generoso impetu assequebatur, nec à summis illorum virtutis agitationibus longo intervallo distabat.*

De Eodem Funere Fragmentum.

CUm esset mortuus Lazarus Martha accepit solatium; *Qui credit in me non morietur in æternum.* Hæc verba vobis mœsti superstites explicabo.

Omnes affirmant necesse esse mori. Theologus Hebr. 9. *Statutum est hominibus semel mori.* Ps. 88. *Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem?* & Ps. 38. *Veruntamen in imagine pertransit homo.* Job. 14. *Homo fugit velut umbra, sicut mercenarii dies ejus.* Expectat solutionem. Ex Philosophis Trismegistus. *Homo est DEUS sed mortalis.* Plato, *Homo est lusus locusque Deorum.* Logici, Homo est *Enthymema brevis.* Physici, Homo est ens variabile, mobile. Mathesis, Homo est sphæra mobilis. Poëtæ finguntres Parcas. Habet in se homo mortis secretariam, Materiam primam, Natura nos clamat mortales. Matth. 6. *Considerate lilia agri.* Isai 6. *Omnis caro fœnum.* Ambr. *Rotam spectat sæpiùs ut humanæ fragilitatis speculùm.* Rosis ut Basil. hexam 5. spinæ post peccatum Adæ accesserunt.

Sed mors est triplex. 1. Secundùm carnem. Ps. 102. *Homo sicut fœnum dies ejus tanquam flos agri.* 2. Peccati, Genesios 2. *In quacunque horâ comedetis, morte moriemini.* 3. Æterna, Luc. 16. *Mortuus est dives & sepultus est in inferno.* In Morte triplex terror 1. Ipsius mortis 1. Reg. 15. Siccine separas *amara mortis?* 2. Judicii Job. 9. *Verebar omnia opera mea Domine, sciens quia non parceres delinquenti.* 3. Damnationis Ps. 6. *In inferno quis confitebitur tibi?* Noverat se mortalem N. in eo fuerunt sicut in flore, Color generis, Odor meritorum, Proportio vitæ bonæ. Merita sunt odor. 1. Cor. *Christi bonus odor sumus in omni loco,* demeritus Regem defunctus, Patriam. Proportio Juvenis cùm studet. In Conjugio Proportio, Amoris, Honoris, Veritatis,

tatis. Considerabat proportionem, cum DEO, multa bona fecit, proportionem cum sacerdotibus, eos honorando. Reddamus jam illum Christo.

In Funere cujuslibet Fragmentum.

SAnctus Th. Villan. Conc. de S. Ildef. *Insidiosus latro mors est qui nec prævideri potest nec fugari: qui si dormientem invenerit jugulat, si vigilantem dissimulat, salve inquit ô amice, salve, sum legatus summi Regis, te ad nuptias vocat.* Quare Christus vult nos similes esse hominibus expectantibus Dominum suum. Quid non auferet homini iste latro nisi vigilaverit? Ipse etiam Dominus, ut Bern. Dom. 1. post Epiph. serm. 1. *Veniet expectantibus tanquam revertens à nuptiis inebriatus vino charitatis & immemor iniquitatum nostrarum. Veniet non expectantibus revertens à nuptiis tanquam potens crapulatus à vino verè ebrius & immemor miserationum suarum, tunc enim quantum ad illos, obliviscetur misereri DEUS, veniet in ira & indignatione tanquam furibundus.* Infelix verò est qui dum sanus est, dormit in peccatis: & primò in morte constituit evigilare. De talibus S. Th. de Villan. conc. de S. Ildef. Pl. 15. illa verba intelligit. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum & postea acceleraverunt, non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Ita hæc verba S. Th. explicat l. 2. *Hoc est, neque eos à suis sanguinibus peccatorum mundabo, nec ero amplius memor eorum.* Quod licet omnes metuere debent, præcipuè tamen illi qui sunt in dignitatibus, quorum cura aliis incumbit qui alios vel bono exemplo in bonum trahunt, vel malo præcipitant in infernum. De Sacerdotibus dixit S. Vincent. Conc. de S. Jo. Bapt. *Unus Presbiter damnat unum populum propter scandalum & detractiones.* S. Franc.

Franc. Xav. epist. 14. ad Joannem XIII. Regem Lusit. *Vehementer etiam atque etiam obsecro te Domine, ne pigreris jam nunc præparare, in illud ultimum periculum decreturi momenti, quid-quid expediri modò ac præverti potest. Morbus enim supremus ac mortis ingruentis vicinia, ita mentem languentes, in angorum dolorumque qui plurimi acerbissimique tunc sævient, præsens sensa miseram defigit, ut illi nequaquam vaces aliis curis aut cogitationibus attendere.* & epist. 12. ad eundem. *Videbis te per mortem spoliatum regnis & possessionibus ejectum cunctis, in alia longè diversa concludi terribilia & tenebrosa regna, in quæ durissimum & acerbissimum erit relegari ex illis aliis avulsum, præsertim si, quod DEUS avertat, extra paradisum & spem ejus esses remandandus.* Quid verò scriptura de personis illustribus dicit. *Judicium durissimum his qui præsunt, & potentes potenter tormenta patientur.* Huc reduci potest quòd dixit S. Basil. in Ps. 7. *Dominus aliter Judæum aliter Scytham judicat* Sed hoc ipsum clarissimè Luc. 12. *Cui multum datum est multum requiretur ab eo.* Sed terribiliùs est quod Bern. de Conversione ad Clericos cap. 3. *Qui bona receperit in hac vita, cruciabitur in futura.*

In Funere cujuslibet Fragmentum.

SAnctus Cypr. de Mortalitate. *Non est exitus iste sed adventa transgressus, hospites & peregrini hic vivimus, completurus diem quæ assignabit singulis domicilia sua.* Chrysost. Orat. de fide Resurrectionis. *Pulchrum filium tuum cadavere deformem lachrymaris, nec cogitas nihil fore jucundius esse, qui quotidie occidit.* Redibit sol iste pulchrior, vincet tenebras quibus tepelitur. Tertull. de resurrect. c. 11. *Surget rescindens sepulturam suam, tenebras, hæres sibi ipsi existens.* Lyranus in illa Eccl. 7. *Memorare novissima tua*, sic ait. *Mors sicut nauta sedet in ultima*

tima parte navis ut dirigat eam. Sicut qui ad clavum ſedet, emi non vult mori homines, vult ut nunquam ex arbore poma colligantur, meſſes ex agro, & lumina non defluant in mare, hyems in anno locum non habeat, veſtis non veteraſcat, &c. Hâc lege naſcimur ut moriamur, maturus fructus legi debet, & alii matureſcunt citiùs aliis. Bern. in Pl. Qui habitat. *Quid verò agimus ex quo primo incipimus vivere, niſi morti appropinquare, & incipere mori?* Sed ut Ambr. de inſtit. Virg. 3. *Laudatio hominu, non in exordio ſed in fine eſt. Nemo enim niſi legitimè certaverit coronabitur. Ideoque ſapiens dicit Eccl.* 11. *Ante mortem non laudaveris hominem quemquam, quia in fine hominis nudantur opera ejus.* Tum pomum ex bonitate laudatur, &c. Qui ſibi bene conſcius, mortem non timet. Cypr. de mortalit. *Ejus eſt mortem timere qui ad Chriſtum nolit ire; ejus eſt ad Chriſtum nolle ire qui ſe non credit cum Chriſto incipere regnare,* &c. *Quid ergo petimus & rogamus, Adveniat regnum tuum ſi captivitas terrena delectat?* In ſcena ſumus, demus locum aliis, in ponte ſumus, cedamus ut alii tranſire poſſint. Clemens Alexandr. lib. 3. Stromatum, ait Chriſtum interrogatum à Maria Salome, quamdiu vigebit mors? reſpondiſſe. *Quouſque vos mulieres parietis.* Mutuò datam accepimus vitam, nemo dolere debet, ſi debitor mutuum reddat. Quid dixit Ethnicus Anaxagoras auditâ morte filii? *Noveram me genuiſſe mortalem.* Quid Pericles auditâ duorum filiorum morte? ad ſuggeſtum Oratorium proceſſit, & ſuam Orationem incitando ad bellum Athenienſes dixit. Quid Rex Antigonus in caſu ſimili? *Serius ô fili tam glorioſam mortem obiiſti.* Et nos Chriſtiani qui ſpem vitæ alterius habemus!

In Funere cujuslibet.

Heron. epiſt. *Quidquid dixero quia ille non audit,* qui

mortuus est, *mutum videtur. Quotiescunque nitor in verba prorumpere, & super tumulum ejus, epitaphii hujus flores spargere, toties implentur oculi lachrymis & renovato dolore totus sum infunere. Gratias ago tibi Christe Salvator, quòd tam potentem adversarium mortem dum occideris occidisti. Ubi nunc decora illa facies, ubi totius corporis dignitas, quâ veluti pulchro indumento pulchritudo animæ vestiebatur?* Sed fletum nostrum solari possumus ex eo, quia de mortuo bene speramus, quem etiam scimus cœlo frui, lachrymis omninò abstinendum esset. Ambrosius, Oratione de obitu Valentiniani Imperatoris, ex 2. Reg. 12. *David moriturum filium flebat, mortuum non dolebat: flebat ne sibi eriperetur, sed flere desivit ereptum, quem scivit esse cum Christo; sed ut sciat verum esse quod assero, incestum Ammon filium flevit occisum, parricidam Absalon doluit interemptum.* Sed etiam bonis moderato dolore parentandum est. Idem Orat. de obitu Fratris. *Homini non referre gratiam simile homicidio judicatum est: quantum crimen est non referre DEO.* Placuit ipsi defunctum ad securiosa transferre, &c. Et ipsâ consideratâ morte non habemus cur lugeamus. Idem orat. de fide resurrect. *Lugendum nobis non esse Fratrum nostrorum obitum doceamus. Quid enim absurdius, quàm ut id quod sciat omnibus esse præscriptum quasi spectale deplores? hoc est animum suprà conditionem extollere, communis naturæ consortium recusare, mente carnis inflari & carnis ipsius mensuram nescire. Quid absurdius quàm nescire quid sis, affectare quod non sis?* &c. *An Dominus jus est transferre mancipia quò decreverint, DEO non est? Cur eripis sententiam judicaturo? nec Sanctis istud permissum est, nec à Sanctis impunè unquam usurpatum.* Videri potest Bern. in obitu Humberti. Ambr. tomo 2. Hieron. in Epitaph. Blæsillæ Nazianz. de Basilio, &c.

In Fu-

In Funere cujuslibet Fragmentum.

SI mortuos nostros nunquam nos speraremus visuros, meritò affligeremur in eorum morte. Sed dicendum cum Tertull. cap. 9. de Patientia. *Cur doleas si perisse non credis?* Præmittimus illos in quandam civitatem, in quam paulò post sumus secuturi; hic est hospitium, ibi viæ terminus, ad viam hanc semel faciendam ita obligamur ut ad cibum sumendum. Adam refugit sub ficum, hæc arbor symbolum veteribus mortis fuit. Quod verò citiùs hoc iter aliquis ingrediatur, fit sæpe ut calamitatibus hujus vitæ eripiatur 4. Reg. 22. Josiam DEUS mori fecit ne servitutem Israëlis videret. Augustinum ne Hipponam captam à Vandalis, &c. Etiam gratulari possemus quòd ante mala sit ablatus maximè si dum viveret, id perfecit ad quod est natus, tum enim ad præmia recipienda sui laboris abiit, ideò quibusdam morientibus cœlum ipsum gratulatum est. Scribit Baron. an 752. Quòd dum Alphonsus Galæciæ Rex cognomento Catholicus, mortuus esset, aër sonuit his vocibus. *Ecce quomodo tolletur justus à facie iniquitatis, & erit in pace memoria ejus.* De aliis dici potest Cant. 2. *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit.* Jam fecit in terra pro venerat, flores apparuerunt, odore bonæ famæ omnia complevit, amputetur ut succulus ut in cœlo plantetur. Agnovit hoc ille Hispanus Alphonsus Carthejæ Dux obsessus à Mauris, qui capto ejus filiolo minabantur se illum occisuros nisi Carthejam dederat; at ille de muris gladium projecit, ut haberent quo illum occiderent, & occiderunt, tum ille mensam instrui mandavit, & assedit. *Patriæ genueram Filium, Patriæ reddidi,* ad hoc genui *ut pro Patria moreretur fecit; non doleo de illius morte.* Hinc fortè originem sumpserunt ornamenta sepul-

chrorum, in quibus describitur quid quisque fecerit, ut non frustra vixisse videatur, quanquam vanitas & excessus in hac re, meritò à S. Chrysost. in Ps 48. reprehenditur. *Quò fuerit splendidius indutus, tantò lautiorem mensam vermi præparabis, & sepulchrorum effossoribus ampliorem cupiditatem, & in miserum corpus majores insidias. Gloria tua utique ad mortem, imò ne ad mortem quidem; qui enim heri in curru, hodie in catena: qui heri observabatur ab adulatoribus, nunc stipatur à lictoribus: qui unguenta olebat, nunc est respersus sanguine: qui in molli lecto accumbebat, in duro sole jacet. Hoc David inquit, non timeas cùm homo dives factus fuerit, velut, cùm multiplicata fuerit gloria domûs ejus. Rectè gloria Domus, ambulacra, fontes, aurum, argentum, equi vestes, non hominis. Hominis enim est gloria virtus.* Quare non reprehendit, cum virtutis insignia apponuntur sepulchris, hæc enim superstites ad similia invitant; isti appositus est liber, isti arma, mihi quid? Vide Basil. Orat. de gratiis Deo agendis. Dignum est ut etiam in mundo detur virtuti testimonium post vitam. Ambr. epist. 38. *Quid est mundus nisi quidam agon plenus certaminum? Hujus agonis instaurator utique Omnipotens est DEUS; qui igitur agonem suscipit in hoc sæculo, nonne omnia præparat quæ agoni sunt necessaria, & tunc athletas vocat, paratis præmiorum insulis certaturos ad coronam, ne moram patiatur qui vicerit, sed præmio donatus recedat.* Hinc Psalm. 114. Bene sibi ominatur *Placebo Domino in regione vivorum.* Regio mortuorum est mundus. Ps. 38. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Ambr. cum LXX. legit. in hunc Ps. *Veteres dies* sicut vestis vetus continuò consumuntur, sint dies aliquorum pingves, sint macri, ut boves quos vidit per somnium Pharao, & per quos Josephus intellexit annos, utrique tamen egrediuntur de flumine, utrique pascuntur in ipsa ripa; de his Ambr. 2. Off. 16. *Aquarum nempe impetu amnis fluunt,* &c.

FINIS.

FRAGMENTA
DE SANCTIS.

In Conceptione B. M. Virg.

Judas genuit Pharez. Mirum est quòd Ps. dicat 44. *Audi Filia & vide, &c. Obliviscere populum tuum, & domum Patris tui.* Imò recordare nostri S. Virgo. Leo Imper. vult hoc intelligi de Adam ut ejus obliviscatur S. Virgo, quia in eo non contraxit maculam. Domum ad hoc Pharez ingredi non est parvum. Cùm Ruth matrimonium cum Booz contraheret ita illi Bethleemitæ sunt apprecati Ruth. 4. *Faciat DEUS hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel & Liam quæ ædificaverunt Israel, fiatque domus tua sicut domus Pharez, quem Thamar peperit Judæ.* Judas tres filios habuit Selam, Zaram, & Pharez, quare non apprecati, fiat domus tua ut Sela & Zaram, cùm isti fuerint majores natu? Quia non de illis sed de Pharez processit David ideò in hoc Evangelio nonus à Pharez ponitur David de quo processit Christus. Sed hoc ipsum quare? 1. Paralip. 4. ubi familiæ duodecem filiorum Jacob describuntur, familia Judæ sic. *Filii Judæ, Pharez, Esron, &c. Et Sobal.* Tacentur verò Zaram & Sobal. vel quia, ut dicit Hieron. in peccato mortui, vel quia non processit ex iis David, ac proinde, neque Christus. Mater Pharez fuit Thamar, dum concepit gemellos Gen. 34. unus in hora nascendi protulit manum,

& eam obstetrix ligavit coccino, sperans quòd iste esset prior nasciturus, sed alter natus prior, & illa dixit. *Quare divisa es propter te maceria?* Quare vocavit eum Pharez, *divisionem*; postea natus est Zara. Ex Pharez processit Virgo S. non ligata coccino peccati. Zara bis natus quia primò protulit manum, postea post fratrem prodiit natus, ita nos, in Adam nobis manus ligata est, & postea cum eadem ligata prodimus. In Adam ostendimus manum quam ille ad pomum extendit, & acclamant omnes. Hæc est manus quæ contra DEUM se extendit, hæc est ligata, quia qui facit peccatum servus est diaboli, ligata filo coccineo, belli signo, ligata manus, *quia non quod volo facio bonum.* Ex hoc filo nectantur funes peccatorum & ita misei Samson ligatur. At S. Virgo nascitur ut Pharez sine hoc vinculo. Nascitur S. Virgo sicut lilium inter spinas, segregata ab omnibus. Apoc. stellas 12. habet in capite, cum tamen ibidem Filius ejus eas habeat in manu, caput hujus mulieris conceptio, pedes Lunam calcantes mors ejusdem, corpus amictum sole, ne dubites de ejus pura conceptione, duodecem stellæ illam coronant, totus Zodiacus, totus annus, nunquam fuit sine stella. Hinc Dyonys. Alexandrinus Epist. contra Paulum Samosatenum. *DEUS Matrem incorruptam, à pedibus usque ad caput benedictam servavit.* Epiph. de B. V. *dicam illam Crucem & cœlum*, quomodo hæc duo cohærent? quia partus & integritas in S. Virgine sunt simul. Cœlum totum est lucidum crux tota Sancta, ita B. Virgo tota lucida & sancta. In illa novus legislator Christus ut Moyses advectus nobis velut in fiscella nullam admittente guttam aquæ. Noluit DEUS legem suam dare in tabulis fractis Exod. 34. dicit Moysi. *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eos verba, quæ habuerunt tabulæ priores quas fregisti.* Quomodo legislatorem Christum scripsisset in tabula confracta? In præsentu

Evan-

Evangelio repetitur quadrageſies, *genuit* hoc non eſt caſu factum. Bern. *Si enim nec unus de paſſeribus ſine Patre cœleſti cadit, putem ego de ore S. Evangeliſtæ ſuperfluum diffluere verbum, præſertim in ſacra hiſtoria verbi? non pueo, plena quippe ſunt omnia ſupernis myſteriis.* Quod hic myſterium? Commemoremus illud Pſ. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic.* Quadrageſies ponitur *genuit* ab Abraham ad Chriſtum. Occurrat & illud Pſ. 109. *In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.* Chriſtus ergo genitus in ſplendoribus Sanctorum quando genitus ex utero Matris, itaque mater habuit hos ſplendores. Angeli, Adam, Eva habuerunt hunc ſplendorem quod ſine macula à DEO facti, itaque & B. Virgo habuit, dedit hunc ſplendorem Matri, quem nulli dedit alteri ut pareret Virgo, itaque multò magis dedit illum, quem etiam conceſſit. *In ſplendoribus Sanctorum.* Lorinus docet hunc locum à Patribus intelligi etiam de humana Chriſti generatione, quia ubi nos legimus. *In die virtutis tuæ.* Chald. legit. *In die quo prælium comiſeris.* Quod ſoli humanæ generationi ſervit. Hinc cùm in Litaniis in Bavaria caneretur, *Mater admirabilis* P. Rhem. advertebat ex imagine B. Virginis ſemper admirabilem prodire ſplendorem, ut ſcripſit P. Gans. Quia Virgo & genita & genuit in ſplendoribus.

In Nativitate D. N. JESU Chriſti.

Quatuor res difficiles hominibus fuerunt circa DEUM 1. DEUM invenire Pſ. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte dum dicitur mihi ubi eſt DEUS tuus?* Et quaſi jam deſperaviſſet de illo reperiendo in terra, dixit Pſ. 35. *Domine in cœlo miſericordia tua.* Ecce modò *Vagit Infans inter arcta conditus præſepia,* &c. 2. Metuebat homo DEI manum, Job. lamen-

tatur in suis malis. *Manus Domini tetigit me.* Et tandem orat. cap. 13. *Manum tuam longè fac à me.* Ecce modò. *Invenietis Infantem pannis involutum.* Jam se ab homine permittit ligari ut Samson à Dalila Jud. 16. sed quare permittit? *Placuit oculis meis.* 3. Vocem DEI metuebat homo. Gen. 3. vocat DEUS Adamum, *Adam ubi es?* At ille *Audivi vocem tuam & abscondi me.* Et vocem hanc pro morte reputavit populus. Exod. 20. *Non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur.* Jam non metue homo non loquitur verbum asperum, dicet potiùs sicut Joseph. Gen. 46. *Nolite timere, ego sum Joseph Frater vester.* Dabit veniam. 4. Terribilis erat homini Majestas DEI. *Ignis in circuitu ejus, Gladius de ore ejus procedebat.* At verò modò Isai. 11. *Delectatur Infans ab ubere* Isai. 7. *Butyrum & mel comedet.* Quæ Majestas? positus in præsepio inter animalia. Quid jam nobis dicit? *Pax in terra hominibus.* Quid à nobis, quod tributum accipit? *Verè languores nostros ipse tulit.* Obsignat hanc benevolentiam erga nos tot miraculis. Hodie in specu Bethleem fons novus erumpit. Sol apparet spicis coronatus, hinc paratus hominibus cibus & potus. In regione Transtyberina Romæ fons olei totâ die fluit. Deceptoris hominum Apollinis Pythii oraculum obmutuit his ultimò dictis. *Me Puer Hebræus Divos DEUS ipse gubernans Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.* Iris signum pacis cœlo sereno comparet, & intra eam Puella cum Infante; hanc Iridem Sybilla Tyberina ostendit Augusto Imp. & ne illi deinceps Divini honores darentur prohibuit, ut scripsit Orosius lib. 6. c. 18. Vineæ Engaddi balsamum stillarunt.

De Eadem Nativitate.

DUM mecum meditor quid sim hodie dicturus, obtulit se oculis mentis meæ quidam puerulus formosissimus, sed pasto-

pastorali habitu, cum bacillo, stans in medio campi sollicitus: quæro quid sit rei? ait se missum à Patre ad quærendam oviculam quæ domo illius profugit, neque se rediturum nisi eâ repertâ, sed, repono, mi Puelle non est tanti ovis ut tuum periculum, in vadent te feræ, &c. Præsertim si Pater tuus habet alias oves. Ait ille, & Pater adhuc habet 99. Oves, & hanc unam perditam nisi reperero, non redibo, invadant me sanè omnes feræ, non curo, ita illam ovem amat meus Pater, ut propter illam me quodvisjusserit periculum subire. Sed si, inquam ovis tibi rursus fugerit; rursus ait ille quæram, &c. Castigabis ne illam quæro, ubi repereris? imò ait, illam osculabor & in humeros meos imponam. Quid verò de illa statuet Pater, ubi eam retuleris? Pater meus, ait tantùm illam conspexerit, occurret, curabit convivium instrui, &c. Ecce habetis Puerum in cunis qui de cœlo venit ad quærendam ovem, &c.

De Eadem Nativitate.

REgnabit in domo Jacob. Bern. serm. 3. super Missus. *Quis ex nobis est qui juxta interpretationem nominis Jacob, supplantet diabolum de corde suo, lucretur cum vitiis, &c. Sed regnet in eo* JESUS. Hoc prævidebat regnum ipse Jacob cùm diceret Gen. 49. *Salutare tuum expectabo Domine* Greg. in Ezech. hom. 4. *Quod salutare dicimus Latinè, hoc verbo Hebraico* J E S U S *dicitur.* Ps. 84. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam & salutare tuum da nobis.* Sed licet etiam à domo Jacob defecerimus, adhuc nobis Salvator nascitur. Bern. in Cantic. serm. 35. *Agnosce ô bos possessorem tuum, & tu ô asine præsepe Domini tui, cognosce pecus quem non cognovisti homo adora in stabulo quem non cognovisti in paradiso, &c. Comede fœnum quem panem, & panem Angelorum non cognovisti.* Et tibi qui per tuos mores factus es ju-

mentum nascitur Christus. Zach. 13. *In die illa erit fons patens domûs David habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* De quo Greg. lib. 2. in Ezech. hom. 20. *Fons quippe occultus Unigenitus Patris invisibilis DEUS fons verò patens est idem DEUS incarnatus qui fons rectè dicitur domûs David, quia ex David genere noster ad nos Dominus processit, &c. Cur igitur pigri sumus? Cur torpentes & frigidi remanemus, qui in hoc fonte pietatis tantos jam se lavisse cognoscimus?* Factus fænum pro jumentis dum factus est caro. Isai. 40. *Omnis caro fænum.* Ipse erit Jacob pro nobis, luctabitur cum nostris Adversariis Isai. 15. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis salvatorem & propugnatorem qui liberet eos.* Et non tantum luctatus cum nostro Adversario sed illum cepit. Greg. Moral. 33. c. 9. *Behemoth in hemo Incarnationis captus, quia dum in illo appetit escam corporis transfixus est jaculo Divinitatis. Nam cum dicitur Matth. 1. Abraham genuit Isaac, &c. Quædam quasi linea, torquetur, in cujus extremo Incarnatus Dominus, id est, hamus iste ligaretur, quem in aquis humani generis dependentem aperto ore iste cetus appeteret.*

In Festo SS. Innocentium.

OMni modo laborabat dæmon ut redemptionem mundi impediret. Et primò per Pharaonem agressus perdere gentem de qua nasciturus erat Salvator, & effecit ut Pharao juberet submergi omnes Judæorum Masculos Exod. 1. sed non perfecit, quia Moyses eduxit populum. Deinde incitavit Aman Esther 7. ut eandem gentem perderet, sed obstitit Esther. Deinde conatur saltem illam domum perdere in qua erat nasciturus, & usus ad hoc 4. Reg. 11. Attaliâ impiâ, servatus est tamen Joas qui domum illam suscitavit. Versus iterum contra totam gentem 1. Machab. 2. sed Sap. 32. *Non est sapientia, non*

est

est prudentia, non est consilium contra Dominum. Demum ad Herodem se vertit, ubi advertit ex tempore jam expleto venturi Messiæ & miraculis, & illo usus. Apoc. 12. *Vidi draconem stantem ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret.* Erupit ergo Herodes ut bestia ex cavea, quæ obvios quosque discerpit, clamor undique tollitur Jer. 31. *Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus.* Alii cæsos deplorant, alii cavent vivis, sed Christo omnia vertuntur in testimonium quod ipse sit Messias. Cum David arcam deduxit 2. Reg. *Immolavit hostias & pacifica coram Domino.* Arca novi testamenti in mundum venit, procumbit *grex immolatorum tener.* Cùm populus in Ægypto salvaretur ab occisore Angelo, ungebantur postes sangvine. Num. 19. hic ingressus sangvine perfunditur, quia venit salus. Qui voluit occidere, dat Christo *fructus præcoces,* quos *desideravit* Michææ 7. Quem voluit perire fecit decantari Ps. 8. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Risit olim Herodem Isai. 16. *Ini consilium, pone quasi noctem umbram tuam in meridie.* Occultando intentionem tuam coram Magis. Tu Ægypte, *absconde fugientes, & vagos ne perdas, habitabunt apud te profugi mei. Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris conculcatus est miser, defecit qui conculcabat terram.* Defecit, quia ad illustrandum Christum servierunt Herodis concilia. Leo serm. 1. de Epiph. *Ut Dum Herodes atroci intentus facinori ignotum sibi indiscretâ infantium cæde persequitur, annunciatum cælitus dominatoris orbem, insignior ubique fama loqueretur.*

In Circumcisione Domini.

NOmina quæ à DEO imponuntur, omninò cum rebus conveniunt, sic Abraham Pater gentium, Joannes gratia, quia lex gratiæ ab illo cæpit. Noë, consolatio, mundum consolatus

solatus dum ex illo renovatur, Samuel impetrans, &c. Nomen JESU Christo à DEO impositum, quomodo ejus significatum in illo reluceat videamus. Cùm DEUS vellet Abrahamo benedicere, ex suo nomine illi addidit literam He ut qui antè vocabatur Abra vocaretur Abraham, Gen. 17. de quo Hieron. *Per quod ostendit non solùm se bona impertiturum ei, sed etiam seipsum.* Multo magis cum totum det Christo nomen, *Quod est supra omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur.* Hoc est nomen Divinum, proinde dedit illi totum quod ipse habet. Hoc verò nomen ad nos refertur, JESUS enim idem est quod *Salvator*, salvare vero nos respicit, igitur omnia quæ à Patre accepit in nostram salutem impendit, sapientiam in doctrina, omnipotentiam in miraculis. Ps. 22. *Deduxit me in semitas justitiæ, propter nomen suum.* Eutym. ita legit. *Propter hoc quòd nomine DEI vocor tu in me DEUS beneficia congessit.* Quòd Christiani vocemur quod ad JESUM spectemur. Sed ut nos salvet, opus agere quæ nomen hoc innuit. Hoc nomen à nobis exigit obedientiam erga DEI mandata, propter obedientiam enim Christo datum. Philip. 2. *Factus obediens, &c. Propter quod dedit illi nomen.* Isaias hoc nomen explicat, *accelera festina.* In primò instanti suæ conceptionis statim se Patri obtulit ad faciendam obedientiam. Heb. 10. *Corpus aptasti mihi*, &c. Cyril. Alex. legit, *perforasti*, Bern. cap. 3. de vite. *Foderunt Judæi quod jam diu fuit perforatum.* Voluntate, scilicet, patiendi. Jam audi eundem serm. de discipulis Euntibus in Emaus. *Fortè aliquibus in morte apparet Christus cum vexillo obedientiæ, & ineffabiliter exhilarat animam obedientis in illa tribulatione. Ne timeas fili obedientiæ, ne timeas intueri manus propter obedientiam cruci affixas, considera pedes expositos fixuris clavorum, & latus lanceâ perforatum, attende quod propter obedientiam mortuus sum. Etsi propter fragilitatem conditionis humanæ obedientia tua sit minus aliquid perfectum habens*

habens, volo ut plenitudo meæ obedientiæ, sit tuo minus sufficientis supplementum. E contra inobedientes excipiet ut quosdam idololatras. Hieron. in quæst. Hebr. in 2. Reg. *Jonathas in excelsis occisus est in Hebr. non habetur, est enim sensus. O Saul Jonathan in Excelsis tuis,* in idololatria, *id est in peccato inobedientiæ occisus, subauditur, est,* &c. *Inobedientia namque tua pro idolis, id est excelsis, reputata est.* Requirit à nobis hoc nomen castitatem; datum enim est in circumcisione. Et ideò fortè nomen suum DEUS aperuit Moysi ex rubo mortificatiocis. Ideò nomen hoc cruci affixum, nt nostram carnem crucifigamus cum vitiis. S. Nilus in Ascetcis Orat. 2. *Qui ventrem cibis explet, & se castè victurum profitetur, similis est illi qui dicit, in stipula se flammæ impetum fræno cohibiturum.* Quid de turpibus cantilenis, de choreis? S. Ephrem lib. de vera pœnitentia. *Ubi diaboli cantica, illic dæmonum requies, porrò ubi choreæ chorique perstrepunt, ibi virorum ac mulierem offuscatio, ac diaboli celebritas est.* Requirit à nobis hoc nomen contemptum mundi, nudo enim & pauperi Christo impositum Greg. hom. 4. *Si quando repentinus ignis habitaculum absumit, quisquis ejus possessor extiterit rapit quod valuerit, & fugit, lucrum deputat si quid secum ex ignibus tollat. Ecce tribulationum flama mundum concremat, & cuncta quæ in eo speciosa videntur finis jam proximus velut ignis devastat.* Requirit hoc nomen mansuetudinem Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum* Greg. in 1. Reg. 16. *Talis Rex ungitur, qui peccata per misericordiam dimittat non per austeritatem puniat.* Opus est corrigere errantem, sed ut Fratrem. *Si in te peccaverit Frater,* &c. Bernardin. *Frater est nomen amoris & charitatis.* Ne tu fias pejor illum coërcendo, quam fuit ille peccando. Conchæ si supra illas sonet, abortiuntur nec pariunt unionem, ostende te bene sentire de Fratre ut & ille possit bene de te sentire, juva illum dum in te laborat ille cogitare Christum ut id cogitare facilè possit, & ita faciliùs tibi ut Christo

obtemperabit. Etiam peſſimis mendicis in quibus ægre cogitamus Chriſtum, difficiliùs largimur eleemoſynam. Levit 13. *Quicunque fuerit maculatus leprâ habebit os veſte contectum.* Quia loqui eum ad correctionem non decet, quia ipſe illâ eget. Gen. 4. Maledixit terræ, ſed non aquæ, quia ſi aqua habuiſſet maculam, non fuiſſet apta ad eluendas in Baptiſmo maculas, ut ait Alcuin. Non mittit cum hamo, qui lacerat, Apoſtolos ad piſcandum Chriſtus, ſed cum reti vivos conſervat piſces. Non vis ut beſtia tractari ſi erraveris, nec fratrem tuum ſic tracta. Fugiunt Medicum qui neſcit curare niſi per viſiones & ferrum, execrabilis verò eſt, ſi propter læſum digitum, totum amputet brachium. Vide quomodo Chriſtus receperit peccatores, Magdalenam, latronem, Samaritanam, Prodigum, &c. 4. Reg. 4. Cùm vadit Giezi cum baculo non excitat à mortuis puerum, ſedcum Eliſæus ſe ad ejus parvitatem contrahit, tum exurgit puer.

Caveamus verò omnes qui Chriſtiani dicimur, ne illud cadat in nos Baſil. Seleuci orat. 19. *Quid geſtas cognomen, quid perſonæ probro ſit? factis appellationem impugnas, & calumniâ nomen tuum afficis?* Ne id eveniat ſequere doctrinam Ambroſ. ſerm. 47. *Recte conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur operis.* Oremus cum Procopio, qui in illud Iſai. 64. *Ab initio nomen tuum ſuper nos.* Ita ſcribit. *Noſtri igitur miſerere, quos nomen tuum exornat, hæreditas enim tua nuncupamur, id ergo nomini tuo largire, ut apud Gentes non blaſphemetur.*

In Eadem Circumciſione.

COngruè hoc feſtum die 1. Jan. celebratur. Januarius dicitur à janua, quia eſt janua anni, ungitur hæc Janua ſanguine ne Angelus interfectos noceat, ut Exod. 12. Alii volunt dici Januarium à DEO Jano, hic erat Noë, pingebatur cum facie

facie ante & retrò, quia videt mundum ante & post diluvium, Janus inde dictus, quia plantavit vineam primus post diluvium, quòd Chaldaicè dicitur Jain, hinc quasi Jainus, & corruptâ voce Janus. Et hoc Christo congruit, habet quasi duas frontes, quia est α & ω duas naturas habet, vidit mundum ante & post peccatum. Ramum olivæ attulit ad Noë columba, ipse vineam plantavit. Processerat homo ut ille qui de Jerusalem in Jericho, oportebat illi infundere vinum & oleum. Paravit ex his DEUS Pater medicinam pro nobis in Christo tanquam pixide Apothecaria, & illi datur in scriptis *JESUS* & ne putemus pixidem vacuam, hodie ex illa per circumcisionem guttæ aliquot effunduntur. Christus Eccl. 43. *Vas admirabile, opus Excelsi* Continet vinum, *Ego sum vitis.* Continet *Oleum effusum nomen tuum.* Propterea cùm Christus natus vineæ Engaddi floruerunt, & fons olei Romæ erupit.

In Eadem Circumcisione.

COpiosam nobis redemptionem promittebat Ps. *Apud Dominum copiosa redemptio.* Eam fonti patenti comparabat Zachar. 13. *Erit fons patens Domui David & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris.* Eandem instar maris extendit Micheas 7. *Revertere & miserabitur nostris, deponet inquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Sed hodie videmus impleri quod Isai 43. *Iste asperget gentes multas.* Aperitur cultro thesaurus, & modicus sangvis fluit, circumciditur Infans. *Asperges gentes* itaque dabit guttas sed quomodo guttæ, fons aut mare? Sed hæc gutta sufficit orbi toto, sed neque hic redemptionem absolvit. Effundet totum in cruce ubi nostra redemptio consummabitur; per crucem enim nos redimere constituit. Interim modò rigat his guttis. Habuit plantas nobilis 99. multæ ex illis aruerunt, quia rigare no-

luit, hanc ultimam centissimam aspergit, nos, non Angelos lapsos. Joannes Eremita, emortuam arborem triginta annis rigavit, & tandem fructum tulit, nos fortè pluribus annis rigat Christus, quis fructus?

In Eadem Circumcisione.

VOcatum est nomen ejus JESUS Bern. in Circumcis. serm. 2. *Sed quid dicimus, quòd egregius ille Propheta, hunc ipsum Puerum multis nominibus appellandum fore prædicens, hoc unum* nomen JESU, *tacuisse videtur.* Isai. 9. *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis,* &c. *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, DEUS fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis,* &c. Ubi est nomen JESU? *Fortè illud in his omnibus invenies sed expressum quodammodo & effusum.* Est hoc nomen in istis, & ista in illo, sed quomodo? Est nomen JESU inprimis admirale, dum hoc nomen accipit, fundit sangvinem, & nobis fundit hæreditatem Bern. in Cant. Serm. 15. *Dicite Fratribus vestris date nobis de oleo vestro, si nolunt, rogate Dominum olei ut mittat vobis* &c. *Oleum effusum nomen tuum.* Nomen etiam hæreditatem significat, idem ibid. *Particeps nominis sum, sum & hæreditatis. Christianus sum Frater Christi sum, si sum quod dico heres sum, Frater autem Christi.* Christus idem est quod unctus, & nos in Baptismo ungimur oleo. Si Christianus, agendum mihi juxta legem Christi, quod si ita est, audi Tertull. de idololatria. *Quid dicis, egebo? sed felices egenos. Victum non habebo? sed nolite inquit cogitare de victu, & vestitu, exemplum habemus lilia. Substantiâ mihi opus erat? æqui omnia vendenda sunt & egentibus dividenda,* &c. Audi ulterius eundēm lib. ad scapulam. *Amicos diligere omnium est, inimicos solorum Christianorum,* &c. *Nos, quos* vos Ethnici, *sacrilegos existimatis nec in furto unquam deprehendistis, nedum in sacrilegio,* &c.

Nos

Nos non aliunde noscibiles nisi de emendatione viriorum pristinorum, &c. Depositum non negamus, Matrimonium nullius adulteramus, pupillos pie tractamus, indigentibus refrigeramus, nulli malum pro malo reddimus. Taliter vivere homo non potest sine fortitudine, hanc *DEUS fortis* in illo operatur. Opus hic fieri petram, ideò manet Isai. 15. *Attendite ad petram unde excisi estis, & cavernam laci unde præcisi estis.* LXX. legunt. *Inspicite in solidam petram quam excidistis & in foveam laci quam fodistis.* Hoc est Christum, de cujus nomine gloriamur, ne de nobis lamentetur Thren. 4. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.* Jam quomodo JESUS *Pater futuri sæculi?* Nunquid & in hoc sæculo non est Pater? est, sed ita ut nos pro futuro sæculo generet. Ibi erimus omnes sacerdotes, ut est in Apoc. hic ad istud Sacerdotium gignimur à Christo. Tertull. lib de Monogamia. Nos *is sumus sacerdos & magnus Patris de suo vestiens, quia qui in Christo unguntur Christum induunt, sacerdotes DEO Patri facit secundùm Joannem.* Proinde agendum nobis sanctè ac si continuò sacrificium offerremus, nam sacrificium est quoddam oratio nostra, jejunia, mortificatio est, alioqui dicit nobis Salvian. lib. 4. de Gubernat. *Prov. 11. Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua. Cor nobis Christianum vocabulum quasi aureum decus est, quo si indignè utimur, fit, ut sues cum ornamento esse videamur. Denique qui vult scire plenius, vocabula nihil esse sine rebus, respiciat quomodo innumerabiles populi cessantibus meritis nomina perdiderunt, &c. Judæi, Israël, & populus DEI Isai. 1. & Oseæ. 1. Vos non estis populus meus.* Christianus verus est similis illis animalibus quæ describit Ezech. 1. Habebant illa animalia alas ad volatum, id est fidem, & alæ fuerunt ignitæ charitate, sub alis erant manus promptæ ad opera. Sed unde charitas noscitur? Greg. in Ps. 6, Pœnitent. *Qui veraciter diligit, læsus non lædit, contumelijs vicem non reddit, detrahentibus sibi non detrahit, qui eum oderunt*

runt non odit. Ecce ignis in quo sacrificium nostrum in terra debemus offerre. Nomen JESU idem est quod *Consiliarius*, quia consulit & ostendit viam cœli Greg. 25. Moral. 11. *Via Incarnatæ Sapientiæ est omnis actio quam temporaliter gessit. Viæ ejus sunt vivendi ordines quos ad se venientibus monstravit.* Sed an omnes hæc consilia sequuntur? proinde mendaces Christiani isti sunt in suo nomine. Ambr. 22. q. 5. cap. Cavete. *Mendacium est Christianum se dicere & opera Christi non facere.* Aug. lib. 4. de doctr. Christian. *Ex Sacramento unctionis vocabulum omnium Christianorum descendit & nomen ille frustra sortitur, qui Christum minimè imitatur.* Sed fortasse accidit quod tempore suo deplorat Greg. l. 1. c. 10. *Quidam idcircò Christianitatis vocatione signantur, quia Christi nomine sublimiter exaltato, penè omnes jam fieri Fideles erubescunt, sed esse negligunt quod dici gloriantur. Rem virtutis intimæ sumunt ad decorem visionis externæ, & qui ante supernum Judicem nudi conscientiæ infidelitate consistunt apud humanos oculos professione sancta verbo tenus palliantur. Quia digna fidei opera servare contemnunt, etiam fidem perdunt quam tenere videbantur, &c*

In Festo S. Thomæ Apostoli.

Quantum salutem nostram amaverit S. Thomas, patet ex eo, quia volebat pro mundi salute mori cum Christo, & alios ad hoc ipsum hortatus Apostolos, *eamus & nos moriamur cum illo.* Plane geminus Christi, ut enim interpretatur Cornel. à lapide, Thomas significat geminum. Sed cùm Christus socium in hac re non admitteret, Vicario Petro Christi se junxit post Christi resurrectionem Joan. 21. & cum eo piscabatur præludendo piscationi hominum accepto verò Spiritu S. totum orbem pervolavit, nam ut Th. Stapleton. in tribus Thomis, in Europa Sueciam, Daniam Germaniam:

am: in America Indias: in Asia Parthos, Medos, Bactrianos: in Africa loquitur S. Chrysost. *Æthyopes Baptismo dealbavit.* Cùm verò ex hoc mundo cessit S. Franciscum Xaver. sibi substituit. Nam ut Rhò in varia Historia. Franciscus hic apud sepulchrum Thomæ cùm illud accessisset, *hausit Spiritum Apostoli & ejus factus gemellus.* Et ipse S. Thomas ante suam mortem id prædixit ut scribit Maffejus dum à mari in loco decem milliaribus germanicis dissito crucem lapideam erigeret, addito, cùm mare ad eum locum perveniset, similem sibi in eas terras venturum, quod factum est tempore Xaveri. Sed etiam articulum de resurrectione, in quo tota nostra nititur fides præ omnibus Apostolis roboravit. Greg. hom. 26. *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem quàm fides credentium discipulorum profuit, &c. Factus est testis veræ resurrectionis.* Cùm redivivi Christi palpavit latus. Ambr. serm. 32. *Sunt accedentes ad cor altum de majori spiritûs libertate & puritate conscientiæ, &c. Talis erat Thomas qui nisi suâ manu tangeret manus & latus, credere non volebat, pusillæ fides sed de magnitudine animi miro modo descendens. Talis Moyses, aut me dele de libro vitæ, aut his parce. Talis David, Tibi dixit cor meum, te exquisivit facies mea.* Dilexit omnes Thomas & cum omnibus cœlum ingredi voluit. Bern. serm. 12. in Cant. *Si Dives quispiam mulieri pauperculæ dicat, ingredere tu ad prandium meum sed quem gestas infantulum relinque foris, quoniam plorat & molestus est nobis, nunquid faciet? Nonne magis eliget jejunare quam exposito pignore charo sola prandere cum Divite? Ita nec Moysi sedet solum se introduci in gaudium Domini sui, foris scilicet remanente populo, cui licet ingrato & inquieto vice Matris dolenter inhæret.* Tantùm amamus animas, quantum pro illis facimus, & cum Thomas plurimùm fecerit, summè illas dilexit. Qui verò animas amat, Christum amat. Hic probet suum amorem erga Christum Pater familias domi, &c. Greg. Pastoral. p. 3. *Si indigentibus proximis*

ximis ipsi quas habent pecunias absconderent adjutores proculdubio calamitatis extitissent, quo ergo reatu constringuntur aspiciant qui dum peccantibus Fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus vitæ remedia abscondunt. S. Bern. tales reos facit furti serm. 8. in Cant. *Sanè cavendum in his, aut dare quod nobis accepimus, aut quod erogandum accepimus retinere rem profecto proximi retines tibi, si verbi causâ, plenus virtutibus cum sis, nihilominus donis scientiæ & eloquentiæ adornatus, metu fortè, aut minus discretâ humilitate, verbum bonum quod posset prodesse multis, inutili imò & damnabili ligas silentio, certè maledictus qui frumenta abscondit in populo.* Quodsi insuper domi tuæ peccata permittis, particeps es illorum. Quidsi adhuc pravo ipsi præeant exemplo? Jer. 10. *Quia stultè egerunt Pastores, & Dominum non quæsierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est.* Reddent tandem pro grege suo rationem. Audiant S. Greg. in lib. Reg. lib. 5. c. 4. *Velut prædicatores quidam exercitus, arma Christianæ doctrinæ induunt, profitentur se Christianos, & per exempla subito parvulos Christi feriunt, quos velle protegere loquendo putabamus.* Quia loquuntur aliqui bene sed præbent mala exempla, cùm fortiùs moveat exemplum quam sermo. Quodsi neque sermo sit bonus, & pravum exemplum? Greg. hom. 15. *Plerumque, quod est gravius, qui propria dare debuerant, aliena diripiunt, plerumque si quos humiliter, si quos continenter vivere conspiciunt irridentes. Considerate ergo quid de gregibus agatur quando Pastores lupi fiunt. Hi enim custodiam gregi suscipiunt qui insidiari gregi dominico non metuunt, &c.* Et Moral. lib. 26. c. 10. *Calumniatores rectè possumus dicere omnes iniquos, quanto morum vitæ distat à rerum substantia tanto gravior calumniator est, qui malè vivendo vim infert nostris moribus quàm qui violenter opprimendo, damna ingerit rebus.* DEUS loco sui tradidit nobis proximum ut in eum charitatem exerceamus, quomodo isti præceptum de charitate implent qui sunt animarum homicidæ? S.

dæ? S. Bern. insuper dicit esse perjuros in Ps. 28. Quis ascendet in montem Domini? *Non simus nobis inutiles ne in vano accipiamus animas nostras. Non simus inutiles proximo nostro, ne in vano ei juravisse probemur, &c. De juramento convenit spiritui ut agnoscamus debitum, & promissam fidem irritam facere vereamur. Omnes enim proximis jurati sumus, cum quibus in Ecclesiæ venimus unitatem. Et hæc professio fidei Christiranæ, ut qui vivit jam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est, &c. Debitor es Sacramenti, cautione & propriâ professione teneris. Hic ergo accipiet benedictionem, à Domino DEO suo, hic qui unus accipit bravium.*

In Epiphania Domini.

MAgna fit hodie rerum mutatio jam relinquere incipit Synagogam Christus & Gentes amplecti. Jacob junior, hoc est Gentes præripiunt benedictionem majori Esau, id est Judæis. Jam ipse Jacob benedictionem daturus per manuum impositionem nepotibus Gen. 48. transponit manus, & supra juniorem ponit dexteram. Ecce Moyses Æthyopissam ducit uxorem, & Samson alienigenam. Ecce Isai. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris videt lucem magnam.* Apparuit Magis in stella puerulus gestans crucem. Crux etiam apud Ethnicos magnum quid significabat, juxta Horum Apollinem notabat Ægyptiis spem futuræ vitæ. Antigono comparuit Crux in cœlo ex his literis formata ΥΓΕΙΑ sive *Ygeia* quod significat salutem. Plato literam χ quæ crucem exprimit, inter admirandas habuit. Secuti stellam magi, id est, viri doctissimi, ingrediuntur Jerosolymam, & impletur quod prædixerat Tobias c. 13. *Jerusalem civitas Domini luce splendidâ fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adora-*

bunt in te Dominum. Et cap. 14. *Relinquent Gentes idola sua, & venient in Jerusalem, & gaudebunt in ea omnes Reges terræ adorantes Regem Israel.* Vultis etiam videre in persona hos Reges? ostendet illos Beda in Collectaneis. *Primus Melchior senex & canus, barbâ prolixâ, aurum obtulit quasi Regi magno. Secundus Gaspar juvenis imberbis, rubicundus, thus quasi DEO obtulit. Tertius, adolescens, fuscus, integrè barbatus Balthasar Myrrhâ oblatâ DEI Filium mortalem professus est.* Quæ etiam verba locuti dum offerrent munera, audire possumus Doctore Cypr. Ambr. Tertull. Hilar. apud Isai. 45. *Viri sublimes tui erunt, & post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantùm in te est DEUS, & non est absque te DEUS. Verè tu es DEUS absconditus.*

In Festo S. Dorotheæ V. & Mart.

DUM S. Greg. hom. 12. Evang. de decem virginibus explicando, ad illud pervenit. *Date nobis de oleo vestro*, ait. *Quid est quod tunc à prudentibus oleum petunt? nisi quod in Adventu Judicis cum se intus vacuas invenerint, testimonium foris quærunt, acsi à sua fiducia deceptæ. Quia nos quasi sine opere repelli conspicitis dicite de nostris operibus quod vidistis.* Sed hoc est miserum. *Ire potius ad vendentes, olei venditores adulatores sunt.* Habuit Sancta testimonium intus.

Habuit inprimis testimonium veræ virginitatis, quantùm sit crimen virginem se extra ostentare, in corde non esse, ostendit Tertull. lib. de Pudicitia. *Siquidem post instituendam alienorum Deorum superstitionem ipsorumque idolorum fabricationem, post commendatam Sabbati venerationem, post imperatam Parentibus secundam à DEO religionem, nullum aliud in talibus titulis firmandis monendisque substruxit præceptum, quàm, non mœchaberis.* Virgo sunt

fuit sancta etiam inter Ethnicos, inter sollicitationes, &c. Etenim si absque Baptismi gratia, &c. Aliqui virginitatem servârunt, quomodo non turpe erit Christiano maculari? Salvian. de guber. lib. 7. *Quæ nobis rogo ante DEUM, aut vitæ esse aut veniæ spes potest, quando castitatem in Barbaris cernimus, & nec sic casti sumus?* Quare inprimis te domi continebat ut suasit Hieron. Eustochio Virgini. *Foris vagentur virgines stultæ, tu intrinsecus esto cum sponso quasi ostium clauseris, & juxta Evangelii præceptum in occulto oraveris Patrem tuum. Veniet, pulsabit, & dicet. Ego sto ad ostium & pulso, si quis mihi aperuerit introibo, & cænabo eum eo & ipse mecum. Et tu statim sollicita respondebis vox Fratris mei pulsantis & dicentis. Apori mihi soror mea, proxima mea, columba mea.* Attendebat sibi à minimis quæ possent esse noxiæ Virginitati, ut sunt somnus aut cibus multus, sociæ vanæ, vestitus mundanus, libri parum casti, oculorum liber iactatus, &c. Quæ enim à parvis superatur quomodo resistet majoribus? Bern. de S. Clemente Papa M. *Ut quid ergo non possumus & nos cum B. Clemente Christi calicem bibere? Sed fortè respondent aliqui possemus si opportunitas non deesset, sed persecutionis tempus cessavit. At ego fateor, non satis crediderim ita dicentibus, quid enim? quotidie ceditis puncturæ actûs unius, & mucroni vos arbitramini posse resistere? in minimis probate.* Studuit summæ humilitati, nam luxuria procedit ex superbia. Greg. 26. Moral. 13. in illud Oseæ 5. Spiritus fornicationis in medio eorum & Dominum non cognoverunt. *Qui ut ostenderet quod causa libidinis ex causa proruperit elationis mox subdidit dicens.* Ibid. *Et respondebit arrogantia Israël in faciem ejus ac si diceret culpa quæ per clarionem mentis in occulto latuit per carnis luxuriam in aperto ostenditur. Si Spiritus sub DEO premitur, caro illicitè super Spiritum non levetur, habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis si tamen recognoscat sub DEO jura legitimæ servitutis.* Nardus dedit odorem ait Cant. Bern. serm. 42. in Cant. *Nar-*

dus est humilis herba, ideò per hanc mihi videor non incongruè virtutem humilitatis accipere. Ex humilitate processit quod vanitatem in vestitu fugerit, quod ad virginitatem requirit Cypr. de habitu Virginum dum Virginem sic affatur. *Cæterum si tu te sumptuosius comes, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te Juventutis illicias, suspiria Adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nuerias, peccandi fomenta succendas, ut & ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas, excusari non potes quasi mente sis casta & pudica, redorguit te culeus improbus & impudicus ornatus, nec computari jam potes inter puellas & virgines Christi quæ sic vivis ut possit adamari.* Et Tertull. lib. de Virginib. velandis. *Ejusdem libidinis est videre & videri,* &c. *Et Virgines videntur quæ à viris aliquid petere possunt?* Occurrit idem hìc illi responso. *Scandalisamur inquiunt, quia aliæ alicer incedunt, & malunt scandalisari quam provocari. Scandalum nisi fallor non bonæ rei. Bonæ res neminem scandalisant nisi malam mentem. Si bonum est modestia, verecundia, fastidium gloriæ, soli DEO cupiens placere, agnoscant malum suum quæ de tali bono scandalisantur.*

Tale testimonium habuit Sancta de Martyrio, &c. Ut est in vita ejus. Nec desunt occasiones nobis Martyrii, nolit virgo consentire, persecutionem ideò patiatur, &c. Jam est quoddam Martyrium. Greg. Dial. lib. 3. cap. 27. *Duo sunt Martyrii genera, unum in occulto, alterum in publico, nam etsi persecutio desit exterius martyrii meritum in occulto est cùm virtus ad passionem promptа intûs flagrat in animo. Quia enim possit esse & sine aperta passione Martyrium, &c. Ex Joanne constat, &c. Per hoc quòd se omnipotenti DEO in corde mactaverunt etiam pacis tempore Martyres fuerunt.*

In Fe-

In Festo S. Josephi B. M. Virg. Sponsi CONCIO.

Desponsata Mater JESU Maria Joseph.

Matth. 1.

PAuca Evangelistæ de S. Josepho nec mirum, quia toti fuerunt in describendo Christo Matthæus probat esse verum hominem juxta promissiones factas variis. Joannes toto Evangelio verum DEUM: Lucas verum Sacerdotem, ideoque illi bos appingitur ut victima. Marcus Judicem severum. Satis tamen dixerunt cùm virum Mariæ appellarunt. Cant. 4. vocat Spiritus S. B. Virginem *fontem signatum.* Quia ut in fonte quieto, ait Ambr. Sponsus ex sponsa videri potest. *Desponsata Joseph.* Ita & Moyses describit mundi creationem ubi oportebat agere de mundi conservatione, de concursu DEI, solùm dixit. *Quievit DEUS ab omni opere* relinquendo reliqua nobis consideranda. Ita Evangelista, *Vir Mariæ.* Quid in hoc considerandum, aperiam.

Certum est quod Matrimonium B. Virginis ex speciali Divinâ dispositione constiterit, nam cum B. Virgo voverit virginitatem DEO, non alteri nupsit quàm illi de quo revelatum fuit quòd Virgo mansurus esset, unde etiam *c*ustodibus ejus Sacerdotibus dictum à DEO, ut non alteri daretur, quàm cujus in manu in templo consistentis virga effloruisset. Præterea cum illud Matrimonium assumptura erat protectionem, tum Filii ne videretur ex adultera natus si fuisset ex illa quæ non habebat virum, tum ne veluti adultera lapidaretur: tum ut haberet tutorem maximè in Ægypto, &c. Certum item quod

B. Virginem DEUS in filiam ſpeciali modo aſſumpſerat juxta illud. *Audi filia & vide*. inclina aurem tuam, cùm tibi Gabriel annunciabit, *obliuiſcere domum tuam*, ad hoc non reſpice, quod ſis vi conditionis humanæ ancilla & mancipium meum, ero Mater Filii mei. Itaque DEUS debebat B. Virgini talem dare ſponſum qualem decebat dare filiæ ſuæ, Matri Filii ſui, & quod Matrimonium decebat miraculis firmari, uti & firmatum eſt, talem decebat eſſe Tutorem & Patrem licet putatitium Filii ſui: jam verò ſi B. Virginem fecit plenam gratiâ & ſanctiſſimam, etiam Joſephum plenum: ſi illa ſuper omnes Angelos, ſaltem hic non infra omnes: ſi illa ſupra omnes ſanctos, ſaltem iſte inter maximos. S. Joanne Baptiſtâ *major non ſurrexit*, quia erat præcurſor Domini, & ob hoc vocatur Angelus, an non ſit par, ſi non majus officium, eſſe Patrem licet putatitium, verum tutorem Chriſti, verum maritum Matris DEI? Si Moyſes ad colloquium DEI admiſſus, quia duxit populum Domini ex Ægypto, non dubito & Joſephum qui duxit & reduxit populi Dominum: ſi Iſaiæ labia purgata de cœlo quia clarius cæteris de Chriſto erat prophetaturus, quidni totus Joſeph qui cum Domino circiter annis triginta habitaturus? Si Abraham benedictionibus impletus, quia figuram Chriſti in monte Iſaac cum exhibunt, quid iſte qui ipſum Chriſtum, &c. Unde auſim dicere hunc Joſephum decus Patriarcharum; decus Prophetarum; decus Sanctorum omnium. Cant. 4. B. Virgo vocatur *fons ſignatus* quo ſigillo? Ambr. imagine Sponſi qui in ea velut in ſpeculo videbatur, ſcilicet per ſimilitudinem maximam quam cum illa habebat, ob hanc enim vocamus filium Patris, filiam Matris imaginem. Addo quod eſt majus. *Vir eſt caput mulieris*. Et quidem Joſeph factus DEI ſpeciali ordinatione & miraculo caput B. Virginis, miracula verò non poſſunt ullo modo fieri in atteſtationem falſi, igitùr verè caput erat: & quia DEUS

illud

illud ordinaverat, tale erat caput quale verè decebat habere B. Virginem, id est, directorem, gubernatorem, Præsidem, quantus est Josephus? Sed multo majus est, quia per hoc erat director Christi, iterum cogitare quantus est Josephus? *Joseph vir Mariæ*, igitur res ejus Maria, inde *fons signatus* illius imagine tanquam res ejus propria, ò quàm dives hoc suo thesauro Josephus? ornamentum conjugum amor mutuus, quantùm hunc virum dilexit Maria, quæ cum in omni virtute fuerit excellentissima, certè etiam in amore sui conjugis. DEUS *Adamo inspiravit Spiritum vitæ.* Sed cur non etiam Evæ, utique & illa indiguit anima? Respondet Basil. Selevcus. *Quia in utroque conjuge est eadem anima.* Sic Josephus vixit ac si anima Virginis viveret: sic Virgo, acsi animâ Josephi, Hinc paritas magna. Eccl. 24. *Quasi palma exaltata sum in Cades* alii legunt. *Maritata in Cades.* Cui nubit palma? certè non quercui, sed palmæ sibi simili, sic B. Virgo simili Josepho. *Cades* significat Sanctitatem, simili in sanctitate. Illa palma victoriæ signum: de hoc Missa incipit. *Justus ut palma florebit.* Dixi ideò B. Virginem nupsisse B. Josepho ut ab illo in ceceſsariis vitæ juvaretur, sed jam hoc dictum corrigo & aliquid amplius dico. S. Germanus orat. de oblatione B. V. ait. *Nutrimentum per Angelos accepit.* Nutrita est dum esset in templo, per eosdem etiam extra templum nutriri potuit. Inprimis datus illi Joseph ut conjugio protegeret à suspicione adulterii, ut verus maritus. Quodsi maritus jam repræsentator Spiritûs S. sicut ille conceptum Christi & nativitatem obumbravit, ita Joseph reliquam vitam. Dixit Gabriel *Spiritus S. obumbrabit tibi.* Illa de se dicit Cant. 2. *Sub umbra illius quem desideraveram sedi.* Sub cujus? Palma sub umbra palmæ, in hoc enim est conjuginm palmarum. l. c. *Sicut malus dilectus meus.* Cur non alteri comparat arbori? Palmam explicat Hieron. *Reges olim inaugurabantur sub umbra arboris fructuosæ.* Ex quo hunc elicio

elicio ſenſum B. Virginis : Non putate me infructuoſam licet palmæ nupſerim, eſt mihi hæc palma ſub cujus ſum umbra, malus. Philo Carpathius, per malum vult intelligi arborem fructuoſam. Multos mihi fructus attulit Joſephus, non ſolum vectum, odore me virtutum recreat multiplici, foliis exornat verborum, colore pulcherrimo bonorum operum tingit. Judic. 4. Debora dum exercitus pugnat contra Siſaram ſedit ſub palma, ut ſciret exercitus quò recurrere pro auxilio & conſilio deberet. Sedet ſub umbra mali B. Virgo, ſciamus illò recurrendum : ſed ſpectando palmam. S. Teresia affirmat, à B. Virgine obtineri quidquid per S. Joſephum petitur, & quid mirum? pomum eſt ſymbolum amoris, unum cor, una anima per amorem in B. Virgine & Joſepho, Petamus ſubſidia contra hoſtem Chriſtianorum cùm pugnamus contra Siſaram Duce Debori nimirum B. Virgine, petamus per Joſephum, de hoc prophetatum eſt, ſub nomine alterius Joſephi. *In verbis ſuis monſtra placavit.* Per monſtra Dan 7. deſcribuntur Monarchæ qui orbem totum devorarunt, & noſter hoſtis eſt ejuſmodi monſtrum *Vir caput eſt mulieris*, itaque Joſepho annuente & B. Virgo nobis annuet. S. Joſephus eſt vir Mariæ, itaque bona Mariæ ſunt bona Joſephi, itaque de illis poteſt diſponere, ſic argumentatur S. Bonav. in ſpeculo. *Quæ ſunt uxoris ſunt viri, itaque Beatiſſima virgo totum theſaurum ſui cordis, quod Joſeph capere paverat, libentiſſimè ei effundebat.* Et pro ſe quidem ex hoc theſauro multa Joſeph accepit, accipiet & pro nobis. Hieron. contra Helvidium. *Dico ipſum Joſephum virginem fuiſſe per Mariam.* Cùm S. Antonius de Padva in concione dixiſſet. *S. Joſeph eſt magnus Sanctus.* Crux aurea viſa eſt ſuper caput ejus; largitur cultoribus ſuis crucem ſed auream Joſephus. Dabit nobis contra hoſtem, crucem qualis olim data Conſtantino. Dum conſideret Chryſol. ſerm. 46. verba. *Deſponſata eſt Mater JESU Maria Joſephi.*

Joseph: ait. *Quid sibi vult, Sponsa Mater? si Mater non Sponsa: si Sponsa non adhuc Mater, sufficerat dixisse, cum esset desponsata Maria.* Non mirare Diue Doctor. Quia est Josephi Sponsa tantò est magis Mater, & ex quo Sponsa tantò magis statim Mater nostra.

Desponsata Joseph, igitur ut dixi, æqualis, igitur quæ sunt Virginis sunt Josephi. Illa precibus suis concurrit ad tollenda peccata nostra, & Joseph concurrit: quod de vetere Joseph dictum. Deut. 37. *Cornu monocerotis cornua ejus* tollit venena. Illa plena gratiæ, & iste. S. Ambr. exhort. ad Virg. ubi considerat de Joanne, *Accepit eam in sua.* Id est B. Virginem, quæ, inquit, sua, utique omnia Joannes dimisit. Sed, respondet, variis repleti sunt donis à Christo Apostoli, in hæc recepit. *Neque enim Mater Domini intrare et nisi ad possessionem gratiæ.* Sed multo magis illam recepit Josephus in sua. B. Virgo, *Mulier amicta sole, luna sub pedibus ejus, Corona in capite duodecem stellarum.* Et huic Josepho competit quod de illo vetere scriptum. Gen. 37. Vidi Solem & Lunam & stellas me adorare. Quærebatur de Sponso B. Virginis Cant. 5. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto? Candidus & rubicundus.* Candidus propter lucem Lunæ, rubicundus propter lucem solis. *Electus ex millibus* ut David. Mores similes, hæc Virgo, iste Virgo. Illa timet esse Mater DEI: hic non intelligens neque suspicare malevolens, vult occultè illam dimittere sicut Petrus, *Exi à me Domine.* Illa obediens, hic obedit & in Ægyptum terram Paganorum abit.

Desponsata Joseph Mater JESU. Christus filius putatitius Josephi, *Nonne hic est fabri filius?* Sed modo speciali, quia Joseph vere Matris ejus fuit maritus: unde illi natus ut viro uxoris, nec refert quòd ab eo non sit genitus, nam si alicui in agro ejus nasceretur seges miraculosè, absque dubio ejus esset: itaque & Christus est Josephi. Natus est è DEO Patre Christus per intellectum, è Joseph per intellectum & voluntatem quia

consensit, ut Matris ejus esset maritus. Jam si Sap. 2. *Gloria Filii Pater est.* Talis debuit esse Joseph ut deceret eum esse Patrem DEI. Præterea Filius quodammodo Josepho obligatus, per Josephum enim hæres regni David, ut ostendit Cornel. à lapide; & ideò fortè Matth. 1. per Josephum ejus deducitur genus. Quia verò filius, est sub jure Patris, & ideò nomen illi Pater imponit, proinde si Adamus debuit esse in statu innocentiæ ut bestiis nomen imponeret, Gen. 2. Debuit multò magis esse Josephus ut imponeret Domino. Si Adamus debuit plenus esse sapientiâ, certè & Joseph. Si Adamus debuit intelligere naturas animalium cùm imponeret nomina juxta eorum naturam, debuit & Joseph Christi plenius quàm alii naturam, & quidsit Christus, quod est maximum. Nec refert, quia revelavit Angelus Jesepho, quale nomen erat impositurus: nam revelavit etiam Pater cœlestis Petro, quòd Christus esset Filius DEI, tamen *Beatus es Simon Bariona.* Obediebat Filius Matri, obediebat rursum Mater Josepho, & Agnus virginem Matrem & Josephum sequebatur contra ac scriptum Apoc. 14. *Virgines sequuntur Agnum.* Tobias cap. 12. Volebat dare Angelo dimidium substantiæ suæ, quia Filium sanum duxit & reduxit, quid illi debet Pater æternus? In honore fuit verus Joseph quia Gen. 41. aluit Ægyptios: in quo honore hic debet esse Joseph quia aluit Christum? Filius quamdiu est sub potestate Patris unam in jure cum eo constituit personam: itaque & Christus cum Josepho. Respiciebat Joseph Mariam sicut in sanctuario respiciebant se Cherubim, & in medio erat propitiatorium: ita hic in medio Christus. Communia Patris & filii sub potestate Patris manentis sunt bona, itaque Christi & Josephi. Si Moyses ex consortio DEI brevi factus admirandus, quidni & Joseph ex tam longo DEI consortio? De Matre gloriatur Christus: *Tota Pulchra es.* Quidni & Joseph ita pulcher ut de illo

illo possit gloriari? S.Th.t. p.q. 27. a.5. *Quò aliquid magis appropinquat suo principio, magis de illo participat.* Ut quò magis igni propinqui sumus, magis calescimus: quò magis glaciei propinqui magis frigemus, at verò post Mariam quis magis propinquus esse potuit Christo quam Joseph? inde Gerson. *O admiranda Joseph sublimitas tua, ô dignitas incomparabilis?* Christus erat subditus Josepho, igitur labores suos in bonum Josephi vertebat. Si felix fuit Simeon quia tantum semel in manus accepit Christum, quid Joseph? Si domui Obededom benedixit Dominus quia arca in illa subsistit, quid Joseph? Si Joannes ad cæli arcana admissus quia semel in pectore Domini recubuit, quid Joseph? Felix Joseph ab Arimathia qui corpus Christi ad sepulturam obtinuit, quid iste? O verè magnus Joseph, ô verè vir Maris, & Maris Matris JESU.

In Annunciatione B. M. Virginis.

QUando Christus sanavit cæcum Joan. 9. misit illum ad Naratoriam Siloën, quod interpretatur *Missus.* Aug. tr. 44. in Joan. *Expuit in terram, de saliva sua fecit lutum, quia verbum caro factum est, Inunctus erat, & nondum videbat, misit illum ad piscinam quæ vocatur Siloë,* &c. *Jam quis sit missus, agnoscite: nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum à crimine fuisset dimissus.* Ad hoc *Missus* remittitur peccator, videamus quomodo per hoc à peccato dimittatur. Proponit sibi S. Chrysol. serm. 1. quare sit ad S. Virginem Angelus missus, dat fundamentum ex quo respondeatur. *Ut homo cursibus eisdem quibus delapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam; agit Angelus cum Maria de salute, quia Angelus cum Eva egerat de ruina, ut nostræ perditionis initio conveniens nostræ reparationis principium responderet.* Quod ipsum ulteriùs explicari potest ex Dami. serm. de Annunc. *Per ipsam,*

& cum ipsa, & in ipsa, totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine ipsa nihil est factum, ita sine illa nihil sit refectum. Et Andr. Creten. Orat. de dormitione B. V. *Sola præter naturam electa fuit ad naturam renovandam sola deserviit Opifici naturæ.* Mirari poterat aliquis, quare Angelus dum S. Virg. salutat, nomen ejus non ponit, sed solùm ponit. *Ave gratia plena.* Maria significat stellam maris, nondum fuit talis stella, quia nondum consenserat. Redeamus ad verba Chrysol. & ex illis ita discurramus. Primâ die lux à DEO creata, hîc virtus Altissimi obumbrat, nunquam est umbra nisi ubi lux. Secundâ dividuntur aquæ ab aquis. Apoc 17. Aquæ multæ, populi multi, hîc divisio fit, novum Regnum Christo erigitur, *regnabit in domo David*, &c. Tertiâ separatur terra ab aquâ, Alb. M. 17. Missus. *In Nazareth annunciatur Christus nasciturus, quia in flore speratur fructus processurus, flos hic omnibus se exhibuit medicinam, confecit sensum, refecit corpus.* Nazareth enim significat floridum, Die quartâ Sol & astra sunt producta, hîc verò *venit lux in mundum.* Rom. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Die 5. Ex aquis aves & pisces prodierunt, hodierna dite tot sanctos producit. Sextâ, Adam creatus, hîc novus Adam producitur. Septimâ DEus ab opere quievit, hîc in utero quievit. Bonav. in Luc. 1. *Sicut homo primus fuit conditus ad totius mundi complementum sexto die, sic secundus homo, scilicet Christus, incarnatus sextâ ætate, & sexto millenario ad totius creaturæ perfectionem.* Ibi dixit, *Crescite & multiplicamini*, hîc dedit illis *potestatem filios DEI fieri.* Quies in cœlo est, Andr. Jerosol. *Universi cœlestium potestatum Ordines magno gaudio exultant ob D E I reconciliationem nobiscum.* Et hoc factum est per verba. *Fiat mihi*, &c. Tertull. lib. de Orat. c. 2. docuit nos DEUS orare, Pater noster, cur non Filius noster, siquidem hic homo factus? *In Patre Filius invocatur, nec Mater quidem præteritur, siquidem in Filio & Patre Mater recognoscitur.*

Invo-

Invocamus postDEUM S. Matrem. Quia ut Bern. super Missus *Quantum sine personali unione conditio creaturæ patitur, luci illi inaccessibili videtur immersa.* Aliis sanctis Apoc. 14. *Nomen ejus & nomen Patris in frontibus scriptum.* Aliæ virgines sequuntur Agnum, ista sole amicta. Bern. serm. signum magnum. *Illo igne labia Prophetæ purgantur : illo igne Seraphim accenduntur. Longè verò aliter meruit B. V. non veluti summatim tangi, sed operari magis undique & circumfundi, & tanquam in ipso igne concludi.* Bernardin. tom. 3. serm. de Joseph. *Fuit B. Virgo creatura, nobilior omnibus creaturis, quæ in humana natura fuerunt, aut possint, aut potuerint generari.* Inde Dami. serm. 46. *Meritò B. Virgo dicitur Oriens orientis, fons fontis vivi, origo, principium.* S. Th. in Catena ad Luc. 1. *Totam sibi hauserat Spiritûs S. gratiam.*

Ita facta mundi recreatio, sed etiam conservatio per B. Virginem, doctrina Evangelica conservat Ecclesiam Bern. in Salut. *Scientiarum Sanctarum scientia Maria.* Sed clariùs Rupert lib. 5. in Cant. ubi eam vocat. *Prophetissam Prophetarum & Magistram Magistrorum*, id est Apostolorum illa enim ut Hieron. serm. de Assumpt. *Forma disciplinæ Christi*, de illa Cant. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis* Pagninus legit. *Quæ ædificata ad docendum.* Alii, *quæ constructa ad disciplinas.* De illa Dam. serm. 23. *Totius est Religionis assertio.* De illa Germ. Orat. de Nativ. *Non scriptum sanctitatis folium, veteris novique testamenti sigillum.* Ubi legimus Prov. 8. *Ego sapientia habito in consilio*, &c. Salazar legit. *Habito in concilio, & eruditis præsum cogitationibus.* Apostoli Jerosolymis celebrarunt concilium, illi B. Virgo præfuit teste Rupert. lib. 1. in Cant.

In Eadem Annunciatione.

CUM verbum in carnaretur, nuptiæ fiebant, ad has B. Virgo ut

go ut esset Mater est invitata, & quia Mater, debebatur illi primus locus, sed ipsa jam tum fecit, quod postea docuit Filius Luc. 14. *Cùm invitatus fueris ad nuptias recumbe in novissimo loco.* Ancillæ accepit locum, sed DEUS jussit illam ascendere superiùs & videamus quàm altè. Ascendit ad hoc ut gloriam quasi eandem habeat cum Filio. Arnold. Carnoten. lib. de laud. Virg. *Filii gloriam non tam comunem judico cum Matre quàm eandem.* Si eadem gloria, ergo qui se recognoscit servum Christi etiam agnoscat se B. Virginis servum, qui illum Dominum, hanc Dominam: qui illum Patrem, hanc Matrem: qui illius honorem amat, etiam istius, si illi Angeli serviunt, etiam isti, &c. Sed istâ S. Virginis exaltatione non contentus Filius, adhuc illi adjicit, ut esset sui Domina, quia ille se facit ejus subditum. Paret sibi non imperant, sed subditis. Bern. serm. 2. supra Missus. *Quòd DEUS fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo, quod DEO fœmina principetur, sublimitas sine socio.* Sed etiam ampliùs exaltavit, ut fieret homo Filius in ejus potestate reliquit, quod est ferè idem ac vitam Patri relinquere in arbitrio Pauli, ut si dicas Petro, dabo tibi vitam, si voluerit Paulus; si illè noluérit non vives, hoc verò majus est quam dare gloriam, dominationem, quia vita his melior, nisi illa consensisset, non factum fuisset verbum caro: nisi dixisset. *Fiat mihi,* &c. Sed ampliùs processit Filius in exaltanda S. Matre. Gloriam enim suam, imperium, videtur S. Matri tribuere, quasi propter illam à Patre ista acceperit ita enim hoc orat à Patre. Ps. 85. *Respice in me, & miserere mei, da imperium puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ.* Quasi diceret, hæc da mihi, quia sum Filius ancillæ tuæ. Ita Aug. explicat. *Salvum fac Filium ejus, cujus Mater respondit, Ecce ancilla,* &c. Poterat certè multa alia Christus allegare: sed quia meminerat Patrem hic verbis *Ecce ancilla*, permotum ad vitam sibi dandam: Patri eadem repræsentat, ut & alia det sibi bona,

quæ

quæ licet illi debebantur titulo hæreditario tanquam vero non adoptivo Filio, etiam titulo Maternæ humilitatis petit, nam ut docent Bern. serm. 2. de Annuat. B. V. Ildefon. serm. 2. de Assumpt. Damascen. de eadem serm. 1. cùm B. Virgo dixit, *Ecce ancilla* per hoc obtinuit ut fieret Regina omnium, allegat ergo Filius hoc ipsum. *Ecce ancilla, filius ancillæ* ac si diceret, debetur mihi imperium à te Pater quia sum tuus Filius qui es Rex omnium, sed etiam ex ista ratione da mihi illud quia sum Filius ejus, quæ per verba *Ecce ancilla* mèruit supra omnia imperium. Hinc duo discamus. 1. Quòd inter virtutes maximè DEO placeat humilitas, unde Greg. hom. 7. *Qui sine humilitate virtutes congregat quasi in vento pulverem portat, & unde aliquid foris cernitur, deterius intus cæcatur.* Et idem notat in Ezech. hom. 10. *Electi hoc semper in aliis attenduut quod à DEO melius acceperunt quàm ipsi, ita reproborum metus nunquam considerat quid alter boni amplius quàm ipsi, sed quid boni ipsi amplius quam alter, habeant.* Ubi & medium ad humilitatem perveniendi, & signum prædestinationis innuit. De cætero Bern. de dono spiritûs cap. 2. *Multo melius est peccatorem esse humilem, quàm Justum arrogantem.* Sed & S. Ephrem serm. de recta vitæ ratione. *Qui ab humilitate recedit, incipit à DEO derelinqui, quem autem relinquit DEUS, à malo spiritu vexatur quemadmodum Saul.* Sed quid est ista humilitas? B. Isaias Abbas. *Humilitas nec linguam habet quâ de aliquo negligente aut superbo loquatur, neque oculos quibus aliorum errata perspiciat, neque aures quibus ea quæ animæ suæ non prosunt audiat, nihil denique habet negotii nisi cum peccatis suis.* Alterum est ut B. Virginem valde æstimemus, honoremus, quia illi magna fecit DEUS, & super alias Creaturas post Christum exaltavit. Eccl. 24. *Primogenita creaturarum.* Primogeniti solebant in conviviis benedicere Fratribus, ut scribit Abulen. & Ligoman. Benedicat nobis.

In Ea-

In Eadem Annunciatione

Misit DEUS Filium suum ut Legatum ad homines. Chrysost. hom. 11. in 2. Cor. *Misit Filium Pater exhortari & legatione fungi apud humanum genus.* Illo mortuo, substituti sunt Apostoli, 2. Cor. 5. *Legatione fungimur pro Christo.* Et tam diligenter huic officio incubuerant, ut etiam S. Paulus orationes aliorum expetierit ad impetrandum felicem successum. Ephes. 6. *Orantes pro me ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Evangelii pro quo legatione fungor.* Nos in legatione succedimus Angelo Gabrieli dicenti. *Ave gratiâ plena.* Videamus quomodo illiud negotium impleamus. Legatio nostra est ad nobiliorem Personam quam fuerat Apostolorum; illi ad peccatores, nos ad Matrem DEI. Gabriel ivit ad Virginem Sanctam, sed nos ad Sancti Sanctorum, quia tunc non fuit Mater DEI, modò est. Paulus in negotio salutis alienæ, nos in nostræ. Et tamen propter alienam quid non fecit? nos quid propter nostram? nec salutem nostram consequi feliciùs possumus quàm per B. Virginem. Bern. serm. de Aquæ ductu. *Plenâ est gratiâ, & gratiam adhuc invenit, digna prorsus invenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono, petit supereffluentem.* Quæ scilicet in nos per illam effluat. Hæc solata conjuges in Cana Galilææ cùm vinum deficeret, &c. Vidit Joan. in Apoc. Sole amictam mulierem Bern. serm. Signum magnum. *Ea est quæ velut alterum solem induit sibi,* B. Virgo *quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur, sic quoque ipsa, præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus sese clementissimam præbet.*

In Ea-

In Eadem Annunciatione.

GAbriel idem est quod fortitudo seu virtus DEI, hic ad S. Virginem mittitur. Bern. super, hom. 1. *Non discordat nomen à nuntio, DEI quippe virtutem, Christum, quem melius nuntiare decebat quàm hunc quem simile nomen honorat?* Solam S. Virginem invenit. Ambr. lib. 2. de Virginibus. *Quemadmodum sola cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique & Gabriel ubi revisere eam solebat, invenit, & Angelum Maria quasi viri specie mota, trepida; quasi non incognitum audito nomine recognovit.* Factum hoc est in Nazareth per quod finis Synagogæ proximus indicabatur. Nazareth idem est quod flos. Bern. l. c. *In Nazareth Christus nunciatur nasciturus, quia in flore speratur fructus processurus.* Adveniente fructu flos decidit. Christus est fructus, flos erat Synagogâ. *Sed prodeunte fructu flos decidit, quia veritate apparente in carne figura pertransiit.* Flores erant figuræ Christi venturi quæ dabantur Judæis. *Si flos non decidit, ubi ergo regnum, ubi Sacerdotium, ubi Prophetæ, ubi templum, ubi denique magnalia illa de quibus gloriari solebat Ps. 77. Quanta audivimus & cognovimus ea?* Idem ex serm. parvis 5. *Dies diei eructat verbum. Dies diei Angelus Virgini, dies Angelus propter beatitudinem, Virgo dies propter integritatis virtutem. Et nox nocti indicat scientiam, serpens nox propter malitiam, mulier nox propter ignorantiam.* Dies est, umbræ figurarum cessant, nox reparatur, per aurem dæmon ingressum habuit ad Evam, per aurem Christus ingressus ad S. Virginem, id est, præeuntibus verbis Gabrielis. Bern. in Pentec. serm. 2. *Missus est Gabriel à DEO, ut verbum Patris per aurem Virginis in mentem & ventrem illius eructaret.* Hic jam nostra fortuna superat Angelicam, nos possumus dicere DEUM Fratrem nostrum, quod illi non possunt; nos, quia

DEI Filius est Frater noster, possumus dicere DEUM Patrem nostrum, quod illi non possunt. Jobius Monachus 3. de Incarnat. c. 15. apud Photinum. *Absurdè faciunt qui mallent Angeli quàm homines esse; nam etsi sint illi doloris, morborum, & mortis expertes, cognatum DEUM Fratremque non habent.* Habemus nos dolores & mortem, sed DEUS noster in his socius. Et propter hanc Incarnationem ita nobis videndum, ne id de nobis dici possit, quod ne Angelo conveniret. Tanta est sublimitas nostra. Advertit hoc Chrysost. hom. 3. in 1. Ephes. *Revereamur caput nostrum, reputemusque quàm adorandi capitis corpus simus.* Quid fieret si caput sanctum cœlo dignissimum, manus inferno, &c. Hoc nos in tribulationibus animet. Chrysost. l. c. *Si es Christi Corpus, Crucem tolle, nam & ipse hanc tulit: fer sputa, fer colaphos, fer clavos, fecit id corpus ab omni labe doloque alienum.* Christus carne sumpta in tantum nos dilexit, ut quasi nos in Sponsam sibi rapuerit. Greg. 30. Moral. c. 16. *Labani filiam Jacob abstulit, quia ei per Prophetam Ps. 44. dicit. Obliviscere populum tuum & domum Patris tui.* In tantum dilexit, ut propter nos quodammodo sit factus serpens, ut illum serpentem qui nos per Evam perdidit destrueret. Ambr. 3. off. 14. *Projecit Moyses virgam & serpens factus est, qui devoravit serpentes Ægypti, significans quòd verbum caro fieret, quæ serpentis diu venena vacuaret per remissionem & indulgentiam peccatorum. Virga est enim verbum directum regale plenum potestatis, insigne imperii. Virga serpens facta est, quoniam qui erat Filius DEI ex DEO Patre natus, filius hominis factus est natus ex virgine, qui quasi serpens exaltatus in Cruce medicinam vulneribus, humanis infudit.* Hoc mysterium videns in spiritu Jacob, adoravit. Gen. 47. *Adoravit Israël Dominum conversus ad lectuli caput.* Hebr. 11. Legit S. Paulus cum LXX. *Adoravit fastigium virgæ ejus.* In quem locum Pauli Chrysost. *Jacob adoravit Christum in suo typo, & adorandum significavit à Fra-*

tribus

tribus & nationibus. Occasio adorationis fuit, cùm moreretur Jacob visitavit eum Joseph Filius ejus & juravit se ejus corpus non relicturum in Ægypto, sed in terram Chanaan translaturum, quo jûrante adoravit Jacob summitatem virgæ Josephi, quam ut Prorex in manu gerebat, id est sceptrum, in summitate virgæ flos erat, sciverat Jacob egressurum de radice Jesse virgam hunc florem adoravit. &c.

In Cœna Domini.

Iudic. 14. Samson cum Leone decertavit, & raptum ex illius ore favum attulit Matri, ita Christus cum morte pugnans, tanquam favum dedit Eucharistiam Ecclesiæ sed hæc nocet malis, sicut arca in templum Dagon introducta. Et sic decipiuntur aliqui, qui malè communicant, interea blandiuntur sibi, ut ille Dives Luc. 16. *Anima mea habes multa.* Opus est fide Moyses non permissus rubum ardentem accedere nisi solutis calceamentis, quæ erant ex pelle animalis, quod amplius non cognoscit, quam quod sensu percepit, sed neque intellectus mysteria capit. *DEUS habitat lucem inaccessibilem*, seu *In sole posuit tabernaculum suum.* Qui solem vult fixè intueri excæcatur. Ea quæ videmus, non percipimus; quid Divina? Dic quomodo magnes attrahit ferrum, acus magnete illita vertitur ad septemtrionem, fulmen solvit gladium illæsa vaginâ, Remora naves sistit, anima nostra spiritualis corpori unitur, & tota est in una parte, tota in toto? non intelligere sed credere DEUS nobis mandavit sua mysteria. Ps. 70. *Quia non cognovi literaturam introibo in potentias Domini* Genebrard. *Quia non satis intelligo mysteria DEI magnitudinem asserentia, veniam ad potentias DEI recolendas, sicque potentia DEI est superior nostro captu.* Accedendum cum charitate, nam peccata gustum tollunt, sicut abstule-

runt Judæis circa manna. Num. 21. *Anima nostra nauseat super cibo isto.* Et tamen fuit cibus Angelorum, cepas appetebant. Hoc ipsum etiam in tactu evenit Jer. 5. *Percussisti eos & non doluerunt.* Hic Christus ostendit quantùm nos diligat, sicut in testamento ostendimus hoc ipsum, quando maximam partem alicui inscribimus. Unde aliqui Principes templis quæ amant sua corda inscribunt ut in iis sepeliantur. *Hic calix novi testamenti.* Dedit se quidem Christus etiam Angelis, sednon ita ut sit res illorum, nobis se dedit testamento, & quidem singulis, sic de illo participare potest pauper ac dives & dicere potest, *Dominus pars hæreditatis meæ.* Testamento animam inscripsit, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Homines DEO inscribunt Animam, bona Amicis, corpus terræ. Nos terra, Nobis ille dedit corpus, bona non habuit. Aug. in Ps. 98. *In ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit.* Et sic impletum Eccles. 12. *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat: & spiritus redeat ad Dominum qui dedit illum.* Sed nos Christi corpus non convertimus in nos: sed ille nos convertit in se. Reliquit nobis corpus quod valdè dilexit, & ratione cujus appellabat se Filium hominis, & hoc toties. Cùm DEUS animaret Adamum inspiravit in illum: modò cum hominem roborat dat illi corpus suum. Lac Matris maximè nutrit Infantem, nos Christi sangvis. Cùm peccâsset homo, fugiebat DEUM, factus est DEUS homo, ne illum fugeret ampliùs homo, modò cum ex mundo pellitur Christus, *pridie quem pateretur*, fit illi cibus, invenit modum quo per mortem non divideretur ab homine. Et sic *in finem dilexit nos*, quia nobiscum in Sacramento manebit ad finem mundi, de quo Nazianz. *Magnum inventum, absens præsentia, & præsens absentia.* Absens quia non videtur, est tamen præsens. *In finem dilexit* propterea S. Cypr. hoc Sacramentum vocat, *ultimam mensuram* scilicet chari-

charitatis, Garzias. *Omnia in unam Eucharistiam Christus, & opera & gratias asservavit, in illa thesaurorum dona cumulavit, omnes amoris divitias in istam arcam effudit.* Sicut quando donatur monile, dantur & gemmæ quæ in eo continentur: ita cum dedit corpus & sangvinem, dedit investigabiles divitias Personæ suæ convenientes, benedictionem, dona supernaturalia, satisfactionem, donavit. Bern. in illa. *Conscidisti saccum meum.* Considerat corpus Christi fuisse thesaurum, in eo sunt adiumenta ad nostram vitam emendandam, ita ut plus una communio devota prosit ad hoc quam reprehensiones, exemplum est in discipulis euntibus in Emmaus, qui ex nulla re ita profecerunt, atque dum Christus illis fregisset panem. In hoc thesauro corporum nostrorum sanitas. *Ecce lignum vitæ.* In hoc vita æterna. *Qui manducat me, vivit propter me. Sicut vivo propter Patrem, sic vivit propter me.* Vivit eâdem vitâ quâ Pater, & nos eadem vivemus quâ Christus, ut dicere possimus. *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus.* Quò altiùs ascendere possumus, non solùm nos facit cohæredes, sed in se mutat. *Quid retribuam Domino?* Suggerit quid. *Calicem salutaris accipiam.* Contemnit hanc gratiam qui illâ non utitur, qui mavult bobus, prædiis vacare, &c. Quam ad cænam venire.

In Festo S. Georgii Mart.

SAnctum hunc Græci in suo Martyrologio vocant magnum Martyrem & antesignanum, similis Equiti missо celitus 2. Machab. 11. *Apparuit Eques in veste candida. armis aureis, hastam vibrans, tunc omnes benedixerunt misericordem Dominum, & convaluerunt animis, non solum homines, sed bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare.* Hujus Sancti ope Nicephorus Imp. victoriam in bello obtinuit. Cedren. in compendio. Hu-

jus ope Gunibertus Rex Francorum, apud Paul. Diacon. in gestis Longobardorum cap. 5. Hujus ope Edoardus tertius Rex Francorum, & alii complures. Niceph. lib. 7. c. 15. Baron. tomo 7. Serarius in Litaneaticis lib. 2. quæst. 20. Quare merito illum Missale Æthyopicum vocat, Sydus honoris & Stellam splendidam. Hujus sacras reliquias studiosè conquisivit S. Germanus qui Jerosolymam profectus à Justina Imperatrice brachium ejus inpetravit, & Parisios detulit. Amonisc. lib. 2. de gestis Francor, cap. 20. & lib. 3. c. 9. Hujus Zacharias Papa caput reperit cum inscriptione nominis & in templo ejusdem Martyris reposuit, ut est in libro vitæ Pontif. Extat etiam nunc templum ejus in Prospoli urbe seu Lidda in qua passus, Tyrius lib. 7. belli sacri. Hunc Venantius Fortunatus celebravit epigrammate lib. 1. epigr. 13. Non obfuit in hoc sancto militia virtuti. Bern. serm. ad Milites templi cap. 1. militem comparat Martyri. *Quàm glorioſi revertuntur victores de prælio, quàm beati moriuntur Martyres in prælio.* Rupert. Præfat ad librum de victoria verbi DEI, de Machabæis militibus ait. *Eorum bellicam defenſionem non minus quàm indefeſſam Martyrum patientiam in S. Eccleſia legendo & cantando celebramus.* Sed vestis sit candida, sit vita casta. Tertull. de Pudicitia. *Pudicitia flos morum, honor corporum, decor ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis.* Arma Equiti fuerunt aurea, per aurum in scriptura significatur charitas, ex amore DEI, Ecclesiæ, Patriæ debent sumi arma, non ad duellum, vindictam propriam, &c. Ambr. in Hexam. *Procul eſto à magnanimis cupiditas ulcionis.* In vitis PP. cùm quidam omnino vellet se vindicare, ita orabat quidam senior lib. 3. "*DEUS jam non opus habemus tuo judicio, neque nobis neceſſarium eſt ut curam habeas de nobis, quia nos ipſi, ſicut Frater iſte dicit, & volumus & poſſumus nos vindicare.* De invocantibus DEUM in vindicem

dicem, ita apud Loberium de Fortitudine & Constantia. Aug. *Judex dicit occide, & tortor occidit, tu quando dicis DEO, occide inimicum meum, te facis Judicem, & DEUM quæris esse tortorem.* Vibrabat Eques hastam, armis utebatur Patriis, &c.

In Inventione S. Crucis.

QUid in Majo, mente amæno, crux facit? Imò facit, quia exhilarat, sicut si quis reperiret arma quibus è servitute dura per aliquem liberatus fuit, & quibus solis si reciderit in servitutem se potest liberare. S. Leo serm. 8. de Passione. *O admirabilis potentia crucis in qua & tribunal Domini, & judicium, & potestas Crucifixi.* Abduxerat Tyrannus mundum in captivitatem, misertus illus Christus Cant. 7. *Ascendam in palmam & apprehendam fructus ejus.* Delrio ita legit, *Ascendam in crucem & vincam Tyrannum.* Est etiam judicium in cruce. *Nunc Princeps hujus mundi judicatus.* Est potestas Crucifixi. Quia velut rem suam signant sigillo, ita ille nos in Capite Adæ sangvine suo obsignavit. Jo. Molamus de Sanct. Imag. cap. 17. quærit cur ab antiquo soleat appingi caput Calvariæ humanæ Cruci ut in eam stillet sangvis, & ait, esse traditionem, quòd in monte Calvariæ sit Adam sepultus, & ita ejus caput appingi. De ipsa etiam cruce Didacus della vega Francisc. asserit ex gravissimis Authoribus & Historia S. Crucis, dum Adam fuisset moriturus, mandavit Filiis ut irent ad paradisum, & ab Angelo custode paradisi impetrarent aliquem ab eo ramusculum de Arbore vitæ; tulerunt illi, sed jam mortuum invenerunt Adamum, quocirco illum ramum in tumulo ejus plantarunt, qui tandem in arborem excrevit, dum Salomon templum ædificaret, excisa in usum fabricæ est illa arbor, sed nunquam aptari potuit, itaque abjecta super aquam ut ex ea fieret ponticulus. Regina

Saba

Saba, ut hoc lignum vidit, edocta Divinitùs futuram ex eo crucem, adoravit, & prædixit in ea quendam suspendendum propter cujus mortem periturum esset regnum Israël, quocirce Salomon illud lignum jussit defodi in piscina, sed lignum enatavit. Addunt alii hoc ligno fuisse agitatam in piscina Probatica aquam, post cujus motum sanabatur æger qui prior aquam ingressus. *Ecce potestas Crucifixi.* Ad hanc aspersionem capitis Adæ potest illud adduci Heb. 12. *Accessistis ad aspersionem sanguinis melius loquentem quàm Abel.* Vox sanguinis Abel Gen. 4. clamabat vindictam, hæc aspersio clamat *Emundationem conscientiarum nostrarum ad serviendum DEO viventi.* Hujus erat effectus & signum, quia pendente in Cruce Domino, vivi percutiebant pectora, mortui resurgebant, & teste Anonymo Græco apud Gretser. tom. 2. *Mors subitò refugit in orcum.* Ideò *Nos gloriari oportet in Cruce Domini nostri.*

De Eadem Inventione S. Crucis.

NOn est ita horribile, ut putant homines, crucem invenire, credit S. Bern. de S. Andr. serm. 1. *Si fuerit qui colligat semper lignum crucis, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat spiritualium charismatum, non est sylvestris arbor crucis, apprehendentibus eam.* Mira hæc & in speciem creditu difficilia, propterea profundiùs inspiciamus. Dicta Bernardi illa vox faciliora intellectui reddit, *apprehendentibus eam.* Vanè crucem varii apprehendunt. Alii pretio conducti ut Cyrenæus teste Vega, alii coacti ut latro malus, at qui fructus ejus supradictos percipere volunt, ferant ut Christus. Hebr. 12. qui, *proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Ad ferendam hoc modo hortatur 2. Petr. 3. *Nemo patiatur vestrùm ut homicida, aut fur, aut maledicus*

maledicus, aut alienorum appetitor. Isti enim illibenter ferunt crucem. De Christo dicitur Cant. 7. *Statura tua est assimilata palmæ, & ubera tua botris.* In Palæstina solent plantare vites penes palmas, & illæ se istis innectunt, & ita crescunt, palma significat crucem, an non libenter se vitis alligat palmæ, si enim humi jaceret cum fructibus suis putresceret, botri sustinent se premi, & sic vinum fundunt. Christus, proposito sibi gaudio sustinuit crucem, quia aspiciebat quantum gaudium habiturus ex sua redemptione videndo quod multi essent futuri sancti, per quos gloria Patri suo accresceret, hoc ipsum nobis faciendum. Dura crux sed qui eam fert laudem à DEO meretur, & de sua salute certior redditur, Bern. serm. de verb. Apost. Qui gloriatur in Domino glorietur, &c. *Quid sibi vult, quod, non qui seipsum commendat ille probatus est, &c. Quis est qui in hoc sæculo commendat? DEUS. Quomodo commendabit veritas eum qui adhuc reprehensibilis invenitur? Denique, ego inquit, quos amo, arguo, & castigo. Hæccine commendatio tota? prorsus, quantùm mihi videtur ipsa est, nec testimonium amoris ejus nullum certius, nullum credibilius in hac vita quam quod desiderat Propheta Ps. 140. Corripiet me Justus in misericordia & increpabit me.* Regnum cœlorum significatur per arcem Sionis; videbet capi 2. Reg. 3. Arcem Sionis oppugnabat David, eam insederant Jebusæi, qui confisi loco munito, ad illudendum Davidi, cæcos & claudos posuerant defensores, proclamando. *Non ingredieris huc nisi abstuleris cæcos & claudos & deviceris eos.* David proposuit præmium suis militibus si quis percussisset Jebusæum, & titigisset domorum fistulas, & abstulisset cæcos & claudos, quo audito Joab unus è militibus Davidis, ut narrat Abulen. ex traditione Hebr. admovit arborem palmarum monti Sion, per eam sursum evasit, & cum militibus qui illum secuti, evasit in montem ac perfecit negotium. Et pro hoc facto creatus est Dux militiæ, ita Christus per cru-

cem ascendit cœlum, & qui sequuntur, idem cœlum capiunt *Ascendam palmam & apprehendam fructus ejus.* Fructus in palma solùm sunt in vertice, fructus verò hic est arx Sion, cœlum, hunc nobis proponamus, durum quidem est attendere crucem, sed fructus est præclarus, quo gustato abstergetur omnis lachryma. Bern. serm. de discip. euntibus in Emaus. *Crux est statera corporis Christi, quam desiderabat, qui dicebat Job. 6. Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera. Crux facta est statera corporis Christi, cùm enim ipse crucifigeretur, appensa sunt cum ipso peccata quæ comisimus, & calamitas quam incurrimus, &c. Cùm adhuc in Cruce erectus staret, vacillare videbatur statera, nec planè cognoscebatur quâ cadere deberet, cum inclinato capite emisit spiritum ut calamitas præponderando caderet, & quasi arena maris gravior appareret, Gentes quasi momentum stateræ reputatæ sunt.* Nunc ad verticem palmæ elevati sumus in statera quæ ex palma crucis pendebat. Ambr. serm. 43. *Cùm Gentilis esses, solebas signa perquirere* superstitione Ethnicâ, *quæ signa quibus rebus essent prospera magnâ inquisitione colligere: jam nunc nolo erres in numero* signorum, *scito quia in uno signo Christi est tota rerum prosperitas.* Sed, quomodo inquies Crucem conscendemus? Crucem conscendere, est illam ferre. Greg. hom. 37. *Duobus modis Crucem bajulamus, cùm aut per abstinentiam carnem afficimus, aut per compassionim proximi, necessitatem illius nostram putamus qui enim dolorem exhibet in aliena necessitate, Crucem portat in mente. Sunt plerique qui compassionem proximo non spiritualiter sed carnaliter exhibent, ut ei non ad virtutes, sed quasi miserendo ad culpas faveant, hi itaque crucem videntur ferre, sed Dominum non sequuntur.* Sed Crucem Christi qui invenit, & ut debet apprehendit, clamat cum Andrea Apost. *O bona Crux* cum Paulo Gal. 6. *Mihi absit gloriari nisi in Cruce.* Beatum se putat Matth. 5. Cùm ei maledixerint homines.

In Fe-

In Festo S. Stanislai Episc. & Mart.

CONCIO.

Cognosco oves meas. Joann. 10.

VT sit aliquis Pastor invenio in S. Scriptura aliquot ad hoc conditiones S. Chrysol. serm. 40. *Ille vult mori antequam de ovibus suis quid mali videat.* 2. Curam illarum habet perpetuam. 3. Varias in bonum ovium adhibet industrias. *Argue, obsecra, increpa,* &c. 4. Exponit se pro illis periculo. Hieron. Epist. 12. *Legimus Aaron Pontificem vivisse obviam furentibus flammis & accenso thuribulo iram D.E.I cohibuisse.* 5. Ovibus Domini tanquam propriis attendit. 6. Joan. 8. Cùm oves emiserit ante eas vadit. 7. Mùltùm debet eminere in virtute. Chrysost. lib. 2. de Sacerd. *Quantâ inter se differentiâ homines rationis usum habentes, & bruta ratione carentiâ dissident: tantum sanè discrimen inter eum qui pascit atque eos qui pascuntur esse velim.* 8. Nosse oves. Sed non omnibus contingit esse Pastores plurium ovium: cuique autem unius, ideò omissis aliis conditionibus, ultimam solum accipio sine quâ nec unius ovis quisquam potest esse Pastor.

Ovicula est Anima quàm cuique DEUS pascendam dedit, hanc benè cognoscere opus. Prov. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Hanc oviculam possumus cognoscere oculo humano, Christiano, & Sanctorum. Humano oculo seu per naturalem discursum. Res vivens melior non vivente, ideò pro nulla re danda est anima. Arist. 7. Polit. *Anima nobilior est corpore & omni possessione.* Aratus Poëta à S. Paulo in Actis adductus propter animam nos vocat genus

DEI, proinde honore & cultu omni digna est. Plato in Timeo *Ad hoc anima conjuncta est corpori ut fruatur scientiis & virtutibus.* Cognoscebat ita animam suam Stanislaus, & eam primò Gnesnæ, deinde Parisiis ornavit omni scientiâ & virtute. *Indè redit domum tanquam ex mercatura mercator bonus: integris, pietate, modestiâ, castitate: excellenti doctrinâ, rerum gerendarum dexteritate Summâ.* Jam de eo si quis animam suam vilipendit quia non agnoscit, judicium Platonis lib. 9. de Repub. audiamus. *Si quis ut acciperet aurum, Filium aut Filiam, immanissimis ac pessimis Dominis in miseram servitutem venderet an non crudelissimus esset, & stultissimus? Quid? tu non stultior multò & crudelior, qui partem tui Divinissimam, hoc est animam, impientissimo & impurissimo dæmoni vendis, ut expleas libidines?* Unde qui animam peccatis subjicit, finit illi dominari avaritiam, ebrietatem, stultus est & impius, & nomine hominis indignus, sed hoc adhuc parum est.

Opus animam cognoscere Christiano oculo quem fides illustravit, & eâ cognitâ ornare virtutibus propriis Christianorum ac scientiis, quæ sunt altiores quàm priores. Natura docet, Redde cuique quod suum est: fides docet Matth. 5. *Qui vult tunicam tuam tollere, præbe ei & pallium.* Natura docet, nulli injuriam inferre: Fides, *orate pro persequentibus vos.* Natura, prospicere futuris: Fides, *thesaurisate ubi tinea non comedit, nec ærugo demolitur.* Natura fugere adversa. Fides, *Omne gaudium existimate cùm in varias tentationes incideritis,* &c. Sed & ipsius animæ cognitio est altior. *Vocavit nos in adoptionem Filiorum.* Sicut, si DEUS tuæ curæ permitteret suum Filium, ita etiam anima tua agere debet. Est & Filia, & Sponsa DEI, si hanc Sponsam per capillos raptam humi volutares, pedibus conculcares. Egit ita Sanctus. Hoc in illo advertit Lampertus Ep. Cracovien. qui eum per coactionem bonam fecit Sacerdotem, Canonicum, & Concionatorem. Sed Sanctus oculo Sanctorum

insuper

insuper animam suam cognoscebat, neque contentus suam exornare etiam alienas ornare studuit, & quia ut Ambr. serm. 76. *Prima doctrina est benefacere.* Et maximè virtutem docet, qui ipse facit. Scivit etiam quod Hieron. Epist. 2. ad Negotianum scripsit. *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne, cum in Ecclesia loqueris, taciturus quilibet respondeat, cur ergo hæc quæ dicis ipse non facis? delicatus Magister est qui ventre pleno de jejuniis disputat.* Pugnandum erat Sancto, contra luxuriam: virginitatem suam integram exhibuit. Contra invidiam, adjecit mansuetudinem, cum illius nobilis qui ejus familiam vulneravit, ipsum noctu ejecit domo, Ecclesiam postera die injuriæ immemor consecravit Contra gulam continua jejunia ostendit, contra superbiam, humilitatem: contra invidiam, summam erga miseros charitatem, unde viduarum & pauperum suæ diœcesis, ne quem præteriret, conscriptum habuit catalogum. Contra accediam, zelum, quo incensus veluti Mercator tempore nundinarum nullis se passus aliis implicari negotiis. Currebat per Diœcesim, & dicere cum Paulo poterat. *Omnia sustineo pro electis ut & ipsi salutem consequantur.* Incidit in Animam Boleslai turpissimè infectam, vidit periculosum esse, Regem ferocem & in libidinem effusum aggredi audacter accedit & ingeminat. *Non licet tibi Rex.* Calumnia Sancto ingeritur à Rege, ille verò. *Quoniam diminutæ sunt veritates à Filiis hominum, veritas de terra orietur, & justitia de cælo prospiciet. In nomine JESU Christi cui servio & cujus Ecclesiam tueor,* &c. Resuscitat mortuum, perstrictus Rex miraculo conquiescit; sed captâ Chiovia, iterum turpior & erudelior evadit; occidit Stanislaum, &c. Ira Stanislaus animas oculo sanctorum regnoscebat, ut libenter pro illis vitam exposuerit, & DEUS miraculis hanc ejus cognitionem approbavit. Nam & post mortem corpus ejus quod fuerat concisum, factum est integrum, in Canonizatione fuscitatus est mortuus.

Si modò quæreremus per domos, Scholas, templa. Noſtine animam tuam? fortaſſe alicubi contingeret, quod accidit Nehemiæ 2. Mach. 1. quærebat ignem, invenit aquam craſſam, quæritur cognitio hujus oviculæ, ſcilicet animæ, & ecce aqua craſſa, & ecce lutum, taliter ſe cognoſcit atque lutum. Vel certè cognoſcunt ſe, & ita curant, ac ſi eſſent bruta animalia. Ezech. 8. *Fili hominis fode parietem, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio.* Ille ſe putat propter avaritiam talpam, ille propter aſtutiam vulpem, &c. Et agit ut vulpes, excæcavit illos malitia eorum, hæc tenebras induxit ne videre poſſint, quid inde? Apoc. *Foris carnis.* Non eſt bonum dare canibus eſcam filiorum, aut Margaritam mittere ante porcos. S. Macarius hom. 27. *Sicut in rebus ob oculos poſitis, ſi meretrix quæpiam ſe turpiter proſtituat, ita anima quæ cuicunque ſe dæmoni tradit, corrumpitur ab ipſis Spiritibus.*

In Eodem Feſto S. Stanislai Epiſc. & Mart. Fragmentum.

SIve Sanctum hunc comparavero cum Joan Bapt. non errabo, & hic dicebat Regi, *non licet.* Et tum dici poterat cùm hic vixit quod Jerem. 5. *Stupor & mirabilia facta ſunt in terra, prophetæ prophetabant mendacium*, &c. Applaudebant Regi. De Sancto ut de Banania 2. Reg. 23. dicendum. *Vir magnorum operum, ipſe percuſſit duos leones Moab, & ipſe deſcendit & percuſſit leonem in media ciſterna in diebus nivis.* Quando nimirum in pietate refrixit Polonia ſicut in diebus nivis, egit ut Ambroſius de quo Theodoret, hiſt. lib. 5. cap. 18. cùm excommunicaviſſet Theodoſium Imp. ac Rufinus Magiſter militum promitteret Cæſari id ſe effecturum ut ſponte Ambroſius anathema ſolve-

ret,

ret, dixit Cæsar. *Novi ego constantiam Ambrosii, & quod nullo Regiæ Majestatis timore Divinam legem transgredietur.* Et certè fortior fuit Stanislaus Reginaldo Polo Cardinale licet viro sancto, de quo Surius, cùm eum Rex Angliæ Henricus consuleret, an divortium facere posset cum priore conjuge, loqui illi volebat aliquid Polus non ex veritate solida sed officiosè, ideoque statim aliquamdiu obmutuit, & redditâ loquendi facultate, liberè Regem monuit ne id faceret. Bern. serm. de Joan. Bapt. *Ferveat etiam in nobis zelus iste, ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis, nemo vitia palpet, peccata dissimulet, nemo dicat, nunquid custos sum Fratris mei?* Ps. 28. *Afferte Domino Filii DEI, afferte filios arietum.* Quod Chrysol. serm. 10. sic explicat. *Afferte, afferte filios arietum, quos sponte venire aut necessitas vetat, aut ætas impedit, aut tenent vitia, aut delicta morantur, adducite volentes, trahite nolentes, facite vobis de aliena necessitate mercedem, servum Dominus adducat, Pater Filium, &c. Nemo dicat, non vult, quia Abraham, ut filium offerret colligavit, & Lothum Angeli ut subtraherent flammis, subtractum manibus sustulerunt.* Duos Leones Moab occidit Stanislaus. Moab, idem est quod, *Pater meus?* respectum Affinium, quid fiet de meis si Regem offendero? non promovebuntur ad dignitates; Alter Leo, Amor sui, quid de me fiet? Sed Leo fuit in cisterna Rex, qui in profundum peccatorum venerat, de quo dici poterat Isai. 48. *Scivi enim quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea.* Descenderat in cisternam, vallaverat sua peccata veluti muro, ut si quis illum accessisset, aut illi aut Regi pereundum erat, exire Rex non poterat ut è profundo. Aug. in Ps. 68. *Est quædam iniquitas quam qui operatur, non potest fieri ut misereatur ei DEUS quæritis fortè quænam illa sit? ipsa est defensio peccatorum quando quis sua peccata defendit, magnam iniquitatem operatur, hoc enim defendit quod DEUS odit.* Talis ut Pistor Pharaonis supra caput

suum

ſuum ponit corbem Gen. 40. & ad hoc devenit, ut poſtea à corvis lacereturr, hoc luxuriæ proprium eſt, quia mentem excæcat, & rationem pervertit. Greg. 6. in 1. Reg. 2. *Nulla ſunt vitia quæ ſpiſſiores menti tenebras ingerunt, quàm libido.* Et tales abjiciuntur à DEO. Greg. ibid. c. 1. *Juſtitiâ DEI peccator projicitur, quando ad perpetranda luxuriæ inquinamenta curuatur.* Et ibid. c. 2. *De his qui puritatis merito jam Filii DEI vocabantur, in Geneſ. 6. dicit Dominus non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum eo quod caro ſit. Caro quippe homo efficitur, quando ſenſui carnis ratio ſubjugatur.* Beſtia ſenſibus regitur, quod videt, audit, ab eo pertrahitur, homo per rationem ſenſui dominatur, ſed in luxurioſo ratio ſubjugatur, ideò jam non eſt homo qui ratione utitur, ſed beſtia quæ ſenſu. In tali non permanebit Spiritus S. qui eſt lumen cordium, extincto verò lumine quid aliud de homine fiet, quàm fit de cæco. A luxuria tranſitur ad cædes, virgo lapſa curat necem prolis, adultera mariti & tandem homo evadit in Leonem. Quare ſtatim poſt prohibitionem idololatriæ, feſtorum injuriæ, ac Parentum, DEUS poſuit in Decalogo legem de luxuria? reſpondet Tertull. adu Pſychicos. *Quale delictum, intellige, cujus cohibitionem poſt idololatriam ordinavit, nihil ſecundum longinquae à primo, nihil tum proximum primo quam ſecundum, quod fit ex primo aliud quodammodo primum eſt, ideoque machiæ affinis eſt idololatriæ, nam & idololatria machiæ nomine & fornicationis populo ſæpè exprobrata, etiam ſorte conjungetur illi, & ſerie etiam damnationis cohærebit illi, ſicut & diſpoſitione.*

In Accenſione Domini,

DIcebat Martha ad Chriſtum, dic Magdalenæ ut me adjuvet, nos hæc verba circa B. Virginem repetamus, quæ ſic Bern. ſerm. de Nativit. *Sic eſt ejus voluntas qui nos totum vo-*

luit ha-

luit habere per Mariam. Et ſerm. 3. in vigil. Nativ. Chriſti. *Quia indignus eras cui daretur, datum eſt Mariæ ut per illam acciperes, quidquid haberes.* Sed neque opus ut moneatur, cùm ipſa ad ſuccurrendum ſit prompta. Richard. Victorin. in illud Cant. Duo ubera tua. *A DEO pietate replentur ubera tua, ut alicujus miſeriæ notitiâ tacta, lac fundant miſericordiæ, nec poſſit ſcire & non ſubvenire.* Scit verò multò melius noſtras neceſſitates cùm aſſumpta eſt in cœlum, quam ſcivit cùm eſſet in terra, quia ut S. Th. 3. p. q. 10. q. 2. *Nulli intellectui beato deeſt quin cognoſcat in verbo omnia quæ ad ipſum ſpectant.* Ad B. Virginem ſpectat cognoſcere noſtras neceſſitates. Quia eſt Mater noſtra. Aug. lib. de S. Virg. c. 6. *Corpore Mater Capitis, ſpiritu membrorum.* Et quidem propter nos facta eſt Mater capitis, quia ſi Adam non peccaviſſet Chriſtus non veniſſet, ex quo Anſelm. de Excell. v. c. 6. *Si igitur illa propter peccatores, ſcilicet propter me, meique ſimiles, facta eſt Mater DEI, cur illam erga me non Parentem ſperabo?* Et cap. 12. *Cur itaque non juvabis nos, utique eris Mater noſtra, quando propter nos in tantam celſitudinem es elevata, ut te Dominantem habeat atque veneretur omnis creatura.* Ex Maternitate ſecuta eſt tam ſublimis gloria quam hodie in cœlo obtinuit. Cùm ita ſit in nos prona debet orari, quia Bonav. in ſpec. *Non ſolum in te peccant ô Domina qui tibi injuriam irrogant, ſed qui etiam te non rogant.* Quia promptitudine illius nobis ad benefaciendum ſe offerente non utuntur, promptitudinem verò hunc non exercebit niſi ores, quia ut S. Th. 2. 2. q. 83. a. 2. Etſi DEUS omnia noſtra ſciat, & dare propoſuerit, tamen orari debet. *Ut impetremus quod diſpoſuit per orationes Sanctorum eſſe implendum.* Aliunde etiam DEO debetur oratio, ut ibid. a. 3. Quia, *per orationem DEO homo reverentiam exhibet, ſcilicet ei ſe ſubjiciendo, & profitendo ſe eo indigere ſicut authore ſuorum donorum.* Aſſumptio ejus deſcribitur in Cantic. *Aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus,*

certe odorata. Apoc. Seniores odoramenta offerebant Agno, & ista erant orationes Sanctorum. Nostris orationibus illa quasi constaret, ascendit velut virgula fumi, illas secum defert, ut quæ petimus obtineat, ad hoc Evangelium hodie meminit castelli, quia ut Damasc. orat. de dormit. Virg. B. Virgo est, *Civitas refugii, civitas vivens Regis exercituum.*

In Festo SS. Corporis Christi.

ITA nobiscum hodie agitur, atque si alicui data esset res pulcherrima & optima, quâ satis delectari non posset, eamque per plateas circumferret, ostentaret: ita hodie habendo corpus Christi facimus, & merito. Zach. 9. *Quod enim bonum ejus aut pulchrum est nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Rursum hanc in nobis humiliatio debet oriri, si enim Miphiboseth filius Saulis cum esset jussus assidere mensæ Davidis 2. Reg. 9. *Adorans ait, quis ego sum servus tuus quia respexisti super canem mortuum similem mei?* Quantò magis nos. Quia Ruth. 2. concessit ipsi Ruth Booz colligere spicas in agro suo, non se potuit capere præ lætitia, sed hoc gaudium communicavit socrui suæ. Si Rebecca Gen. 24. ostentabat dona oblata sibi à Procuratore Abrahæ, multò magis nos dicere possumus. *Venite, videte, quanta DEUS fecit animæ meæ.* Ponebantur, ut est 1. Reg. 21. semper calidi panes propositionis, nullus calet magis amore DEI quàm iste noster, in quo nobis omnem dat benedictionem, & ut Isaac Jacobum Gen. 21. *Frumento & vino stabilivit nos,* Et ultra hæc quid nobis faciet, cogita homo quid tibi velis plus fieri. Vis cum Angelis eodem cibo vesci. Ps. 77. *Panem Angelorum manducavit homo.* Vis certus esse de salute æterna. *Pignus futuræ gloriæ datur.* Vis esse affinis Christi? Cyrill. Alex lib. 10. in Joann. 13. *Sicut si quis liquefactæ cereæ aliam*

ceram

ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat neceſſe eſt, ſic qui carnem & ſangvinem Domini recipit cum ipſo ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo & ipſe in Chriſto inveniatur. Et ut Cyrill. Jeroſol. cathech. 4. *Concorporei & conſangvinei Chriſti efficimur, Chriſtiferi, hoc eſt Chriſtum in corporibus noſtris ferentes.* Volumus ſanitatem? Idem Cyrill. Ibid. *Non mortem ſolum, verùm etiam morbos omnes depellit* hic panis. *Sedat membrorum noſtrorum ſævientem legem, pietatem coroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, ab omni nos erigit caſu,* &c. Ut in aliis lectionibus Breviarii pro hoc feſto. Per carnem nos debellabat dæmon, ut patet in Davide, Samſon, &c. Carne noſtrâ illam Chriſtus debellavit ut Goliathum David proprio gladio, hunc gladium repoſuerunt in ſanctuario 1. Reg. 21. & hanc victorioſam carnem in ſanctuario habemus, ad hunc gladium recurrit David in periculo ut eſt ibid. nos ad hunc panem. Pſ. 22. *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant me,* hic panis eſt. *Gladius Gedeonis* Judic. 7.

In Feſto S. Baſilii Magni.

SAtis in laudem hujus ſancti dicam, ſi illum ut appellat totus orbis, Magnum vocabo hic enim titulus non datur niſi valde eminentibus in aliquo. Sic Alexander Magnus, Carolus ob ingentia facta in bellis. Albertus Magnus propter ſummam Philoſophiæ ſcientiam, ſed in explicanda Baſilii magnitudine ſequar Sanctum ejus Fratrem Greg. Nyſſenum, hic neque majora vero audebit dicere, quia dixit coram iis qui Baſilium noverant: neque Fratri aliquid de laudibus derogare. Dicit ergo in vita ejus quod fuerit. *Par Moyſi, Eliæ, Joanni Bapt. & Paulo,* & in his ſiſto.

Par Moyſi Baſilius quia Moyſes ex Ægypto duxit

populum præcedente columnâ igneâ: Basilium vidit S. Ephrem esse columnam igneam, nec pauciores duxit quam Moyses, quia tot millia Monachorum quot orientalis Ecclesia numerat. Ille primus regulam scripsit, statum illum ordinavit. Sæculum SS. PP. comparant Ægypto, unde S. Antonius Magnus sæculares vocabat Ægyptios. Opera eorum ostensa sunt S. Arsenio ut est in vitis PP. lib. 4. Vidit hic Sanctus tres Æthyopes, unus in fascem componebat ligna ut portaret. Et cum experiretur fascem esse gravem, plura apponebat: ita in sæculo difficile divitem intrare in regnum cœlorum, tamen plures apponunt divitias. Combussit hæc ligna columnâ igneâ Basilius per votum paupertatis. Alter infundebat aquam in dolium pertusum quod non impletur, exsiccavit istas aquas Sanctus per votum Castitatis. Tertius inferebat trabem transversam in templum, correxit per votum obedientiæ. Et hic tria signa prædestinationis seu terræ promissæ. *Beati pauperes*, &c. *Beati mundo corde. Qui sequitur me non ambulat in tenebris.* Bern. declam. *Cella terra sancta & locus sanctus est, in qua Dominus & servus ejus sæpe colloquitur.* In terra promissionis primum est templum DEO erectum, hoc est in monasteriis Bern. ibid. *Sicut templum est Sanctum DEI, sic cella est servi DEI, & in templo enim & in cella Divina tractantur, sed crebrius in cella, in templo visibiliter & figurativè aliquando Christianæ pietatis Sacramentum dispensatur, in cella verò sicut in cœlis, ipsâ veritate, ipso ordine assiduè celebratur.* Horum omnium caput Basilius ac proinde Magnus.

Par Eliæ Basilius, resistit Imperatori, Hæretico Eunomio ac si Elias, *si DEUS est Baal*, &c. Ario, &c. *Verba ejus tanquam facula ardens.* Quod de Elia dictum, Greg. lib. 7. epist. 5. *Et quid tot & labores proderunt si in unitate fidei invenea non fuerit quæ ante DEI Omnipotentis oculos in bonis actibus animam præcipuè custodit? Hinc enim dicitur, una est columba mea, perfecta mea.* Cant. 6. *Hinc*

6. Hinc ad Moysem Dominus dicit Exod. 38. Est locus penes me, & stabis super petram, &c. Est locus apud eum Ecclesiæ S. unitas, in qua super petram statur, dum Confessionis ejus soliditas tenetur. Quid ad hoc schisma? Segregavit Basil. ut Elias Balamitas, Magnus Dux Basil. nemo ante illum.

Par Joanni Bapt. Vitæ austeritatem consideremus. Greg. Nazianz. in Monachia. *Basilius unicâ tantùm tunicâ se amiciebat, humi cubitabat, noctibus totis vigilabat, quotidie jejunabat pane solo contentus, & loco deliciarum sal habebat, aquam continuò potabat.* Hic videmus quàm verum sit quod dixit Tertull. ad MM. *Nihil erus sentit in nervo id* est in equuleo, *cùm manus in cœlo est, totum hominem animus circumfert & quo vult transfert. Ubi cor tuum ibi thesaurus tuus; vocati sumus ad militiam DEI vivi, nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo in aciem procedit.* Ita egit Basilius qui à puero vixit sanctè, quid nos? Ambr. 1. de offic. 36. *Moriatur caro nostra ut in ea omnis culpa moriatur, & quasi ex mortuis viventes noctis resurgamus operibus ac moribus.* Bene monet Greg. lib. 6. in Reg. cap. 2. *Non solùm confitenda sunt peccata, sed etiam pœnitentiæ austeritate delenda. Qui circa salutem suam solliciti sunt, sic delere pœnitendo magna studeant ut minora plangere non omittant.*

Æqualis Paulo in laboribus. Conciones ejus videtur Apoc. 15. expressisse. *Vidi septem Angelos, &c. Cantantes canticum Moysi*, vetus testamentum, *& canticum Agni*, novum. *Acceperunt septem phialas aureas plenas iracundiâ DEI viventis, quas fuderunt super terram.* Hæc materia Concionum Basilii, ira DEI, quia concio non debet esse sicut musica, sed sicut tuba, irridet Jer. 48. dum ait. *Date flores Moab quia florens egredietur.* Quia vastabitur ab Assyriis. Oportebat hortari ad pœnitentiam non flores dare. Hostis muros quatit, & floribus carpendis occupamur. Quid alii labores Basilii? Isai 1. *Principes tui infideles.*

Hebr. legit. *Principes tui putridi & fœtidi* ut in piſce primò caput putreſcit, poſt reliquum corpus, &c. Paulus. *Caſtigo corpus meum*, &c. Ita Baſil. exemplo præibat, Cinis quamdiu jacuit, in Ægypto nihil nocuit, ſed quando illum Moyſes Exod. 9. in aërem jactando elevavit, veſicas in corporibus produxit Pſ. 11. *In circuitu impii ambulant ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum* Hebr. legit Hieron. *In circuitu impii ambulant, cum exaltati fuerint viliſſimi filiorum.* Id eſt cinis ſiccus ſine pœnitentiæ lachrymis, frigidus ſine charitate, tunc impii ambulant in circuitu. Greg. lib. 1. epiſt. 24. *Omni curâ vigilandum eſt, ut Rector cogitatione ſit mundus, operatione præcipuus, diſcretus in ſilentio, utilis in verbo, ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus, bene agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum juſtitiæ erectus, &c. Qui loci tui neceſſitate exigitur ſumma dicere, eâdem neceſſitate compellitur ſumma monſtrare: hinc Iſai 40. ſuper montem excelſum aſcende qui evangeliſas Sion.* Taliter egit Baſilius.

In Nativitate S. Joannis Baptiſtæ.

Quomodo S. Joannes triennis pervenerit in eremum refert S. Joan. Geometra Græcus in hunc modum, Poſtquam deluſus fuiſſet Herodes à Magis, furorem vertit in uxorem, filios, & SS. Innocentes, quos mactavit: Chriſtus verò evaſit in Ægyptum, Eliſabetha etiam cum Joanne abſcondit ſe in eremo, quæ verò ibi acciderunt, magna & ineffabilia ſunt atque incomprehenſibilia, quapropter Herodes in Zachariam vertit iram, & quia Filium abſcondit, & quia B. Virginem jam prægnantem collocaverat in templo inter virgines, aſſerens eſſe virginem, & tanquam ita manifeſtè violantem legem ſatelliter, occiderunt inter templum & altare, miniſtrantem DEO

&

& sacrificantem, sangvinem sangvini commiscentes, hæc Germ. Eadem asserit Euthym. Theophilact. & Basil. hom. de humana Christi generatione. Sed quòd ideò sit occisus quòd Adventum Salvatoris prædicaverit, pro apocrypho habet S. Hieron. Joannem vocat Angelum Malach. 31. hunc Angelum dicerem eum qui stetit uno pede in mari, altero in terra. Apoc. 10. Chrysost. hom. de Joan. Bapt. *Glorioſius fuit Joanni quod cum homo esset, Angelus vocaretur, quàm si illud esset & nomine & naturâ.* De illo Cant. 2. *Surge amica mea & veni, vox turturis audita est in terra nostra.* Greg. Nyssen. hom. 5. in Cant. *Joannes turtur est, & veris præcursor, quo de radice Jesse flos prodibit.*

In Eadem Nativitate S. Joannis.

OMnes sancti gratiam DEI acceperunt, sed Apostoli copioſiùs ut est Rom. 8. De Moyse Eccl. 24. *Non est inventus similis illi qui conservaret legem Excelsi.* Sed Joannes etiam in utero sanctificatur, Pater Christi, quia illum baptisavit, est Propheta, Confessor, virgo, Martyr. Sed unde mos processit apud Polonos præcipuè ut per ignem cum superstitionibus aliquando excitatum saltent, artemisiâ herbâ se præcingant, &c. Dicam ex Polono Medico Martino Urzedov; ubi de herba Artemisia. Dianna habuit aliud nomen, Artemis, illi dicata fuit herba prædicta, & propter eam vocata Artemisia, die 24. Junii, hæc Dea colebatur saltibus per ignem, canticis, coronabatur levina dictâ herbâ, homines se eadem præcingebant, hic ergo cultus cum obscœnis cantionibus, superstitionibus, est cultus Dianæ, non gaudium in Nativ. S. Joannis. Similia insinuant Constit. Synodales.

In Ea-

In Eadem Nativitate S. Joannis.

PLeraque contraria in Joannis Nativitate, evenerunt his quæ facta sunt in Nativitate Christi. In hac exultant Angeli, pastores pervigilant, Magi veniunt, stella præcedit, &c. In illa Zacharias obmutescit, Elisabeth absconditur, &c. Utique Joannes *erat lucerna*, quid tenebræ inducuntur? Erat lucerna, sed cum Sol oritur illa seponitur, verum Joannes nusquam magis lucet quam dum absconditur. Dum Joannes esset in propatulo, erat propheta Altissimi, dum absconditur *est plus quam propheta.* Nam in terra Messiam digito ostendit, mox sub terra Patribus eundem indicaturus jam morti proximus, mittit ad Christum. *Tu ne es qui venturus es?* &c. Sciebat bene hunc esse illum, quid ergo quærit? Greg. hom. 6. *Hoc, an etiam ad inferos descendere dignaberis? insinua.* Respondit illi Christus obscurè sed ita ut ille caperet. *Beatus qui non fuerit scandalisatus in me.* 1. Cor. 1. *Nos prædicamus Christum crucifixum Judæis scandalum,* Greg. l. c. *Quid ergo est dicere, Beatus qui non fuerit, &c. Nisi apertâ voce abjectionem mortis suæ humilitatemque signare?* Ex quo etiam collegit animam Christi ad inferos descensuram, quia sciebat quod esset descensura, si Christus esset mortuus, cum isto nuntio prævenit Joannes ad inferos, & Patres velut lucerna illuminavit, quantum ibi gaudium? Adam diutissime pœnam peccati primi sustinuit, scilicet limbum, & quò aliquis ab illo remotus, breviori tempore illam passus; venit tandem Christus & has tenebras penitus abstulit, ut possimus nullo tempore post mortem perferre privationem visionis DEI, si ipsi voluerimus. Ne tamen Joannem quis putaret esse Messiam ipse se abscondit. *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus.* Messias habebat sponsam Ecclesiam. Greg. hom. 7. *Mos*

apud

apud veteres fuit, ut patet ex Levit. *Si quis eam quæ sibi competeret uxorem nollet, ille ei calceamentum solveret, qui ad hanc sponsus jure propinquitatis veniret.* Joannes ergo, non est meum Sponsam habere Ecclesiam, atque ita non sum Messias. *Ego Redemptoris nostri vestigia denudare non valeo, quia sponsi mihi nomen immeritò non usurpo.* Greg. l. c. Ita latuit, sed interea & apud Judæos & apud Gentes reluxit, nam etiam modò à Turcis æstimatur, & hoc indicatur per illud, quia mel sylvestre & locustas comedit: ita enim hoc ipsum Christo applicando explicat Greg. in Job. Moralium 31. c. 12. *Dominus quia infructuosæ Gentilitatis dulcedinem sumpsit, mel sylvestre edit: quia verò Judæorum plebem in suo corpore ex parte convertit, locustas accepit, subitos saltus dantes, sed statim ad terram cadentes.* Abscondit se in carcere Herodis, sed ut Chrysost. apud Barelet. *Non opponas mihi Evangelistam inter cæteros magis dilectum, non Apostolorum Principem omnibus aliis antelatum, non vas electionis ad cœli tertii secreta translatum, nec Apostolicus splendor audeat occurrere Præcussori. Considera mansiones regni, & ordinem humanæ generationis obambula, solumque Joannem tum novis tum veteribus videbis præpositum.* Nascitur Puer, & Ecclesia dicit. *Elisabeth magnum virum genuit.* Chrysol. serm. 89. *Joannes natus est ut nato in terris DEO suus Angelus non deesset.*

In Ascensione Domini,

Cum Christus ascenderet, meritò admirabantur discipuli. Quia viderunt Corpus Christi naturâ grave vehi nube, quæ est solùm vapor aquæ aut terræ halitus. Videbant Angelos adstantes, cœlos aperiri. Prov. 30. dixit Salomon. *Tria mihi difficilia, & quartum penitùs ignoro. Viam aquilæ in cœlo.* Hoc est, dum velut Aquila suis viribus ascendit Christus. *Viam navis in medio maris,* dum passionis rubrum mare enavigaret. *Viam co-*

am colubri ſupra petram, dum velut ſerpens appenſus in cruce, deinde è petra ſepulchri reſurgeret. *Viam viri in adoleſcentia*, dum incarnaretur. Vadit Chriſtus veluti Samſon confractas ſecum deferens portas. Vadit velut David cum enſe quo occidit Goliathum. In nube ſolitus loqui Patribus, modò illum ſuſcepit nubes. Pro ſpinea corona, gloriâ & honore coronatur. Aſpiciebant cœlum diſcipuli, quia Sol recedens radios retrahit: omnia verò nobis Pater dederat cum ipſo. Sed non metuant diſcipuli. Hic qui aſcendit conſtituitur à Patre velut Joſeph Salvator Ægypti. *Data eſt illi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Ille cœlos reſerat & in illos captivam inducit captivitatem, tranſit ſicut Arca per ſiccum Jordanis fundum, revidet quanta ſit in cœlo vacuitas facta per Angelorum lapſum, & illam incipit implere. Hebr. 10. *En aſcendit iter pandens inter nos.* Parat nobis locum Joan. 14. *Vado parare vobis locum.* Aliquibus locum Angelorum, aliis Archangelorum, &c. Advocat nos Luc. 22. *Ut edatis & bibatis ſuper menſam meam.* Modò ſub menſa comedimus ut Adoniſebec. Poſtquam conſiſtet in cœlo funes demittet quibus nos ad ſe trahat Joan. 19. *Ego cum exaltatus fuero, omnia traham ad me.* Inflammabit deſideria noſtra, ſicut Sol quo altior, eò calidior. Et mittet ad nos in igne Paracletum, qui nos elevabit ut Sol nubem, hic Spiritus inſtar navis inſtituet Eccleſiam, erunt gubernatores Apoſtoli, arma Sacramenta, tela virtutes, Crux malus, & hanc ipſe vento impellet vehementi.

Si vidiſſemus aſcendentem, clamaſſemus ſicut Eliſæus ad Eliam, Spiritum tuum duplicem da nobis. O quam ibi triſte & lætum vale. Matri dicit, Tu interim mane pro ſolatio meorum. Apoſtolis volentibus ſimul aſcendere. *Euntes docete omnes gentes.* Magdalenæ, ſocia Matris meæ eſto. Eccleſiæ ſuæ, paulò poſt magis refulgebis. Quia Luna quò remotior à ſole

magis

magis lucet. Abacuc. 3. juxta LXX. *Exaltatus est Sol & Luna stetit in ordine suo.* Sol quo magis recedit à terra, magis calefacit, vivificat, ut patet æstate, initio pauci credebant, postea multi. Jam ascendit in cœlum, si pervenit una ad portum navis, spem bonam habent & aliæ. Si Dux evasit in arcem à se oppugnatam sperant & milites. Job. 36. *Ut annuntiet de ea amico suo, & quod sit possessio ejus, & quod possit ad eam ascendere.* Micheæ. 2. *Pandens iter ante eos.* Cyrill. lib. 5. de orat. *Primus ascendit ad Patrem instaurans nobis aditum ad cœlum.* Sicut arca ad Jericho & per Jordanem. Jam ergo, *Quæ sursum sunt sapite*, &c. Isai. 49. *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur Filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego non oblivisear tui.* Sed Ps. 23. *Quis ascendet in montem Domini*, &c. *Innocens manibus*, &c. Quid statis aspicientes, quid otiamini?

In Festo SS. Petri & Pauli.

ÆDificaturus Moyses tabernaculum, assumpsit artifices Beseleel & Oliab. Aug. in Ps. 41. *Tabernaculum Christi in terra, est Ecclesia adhuc peregrinans.* Faldensis, *Beseleel & Oliab, sunt Petrus & Paulus, qui duo ædificârunt Ecclesiam Christi.* Beseleel idem est ac umbra DEI, Oliab, protectio Patris. Umbra DEI Petrus, umbra Petri sanabat ægros, Umbra. *Beatus es Simon Bariona, hoc est Filius columbæ.* Christus DEI Patris Spiritus S. columbæ. Hieron. l. 3. in Matth. 16. *Ex confessione sortitur vocabulum, quod revelationem ex Spiritu S. habeat, cujus & Filius appellandus sit.* Et sic est umbra quædam Filii Paulus, à DEO in tot periculis protegitur, de utraque S. Maxim. hom. 5. *Cujus sint meriti Beatissimus Petrus & Paulus, hinc possumus intelligere; quòd cùm Dominus Orientis regionem propriâ illustraverit passione; Occidentis plagam, ne quid minus esset, horum Apostolorum sanguine*

illuminare dignatus est. Hinc quanta spes nostra. Miserat Josue in terram promissionis exploratores, retulerunt ibi esse gygantes, respectu quorum ipsi essent veluti formicæ: si dixissent, quòd isti Gygantes adjuturi illos erant in occupanda terra illa, quanta fuisset spes? Petrus & Paulus in meritis gygantes, sunt pro nobis in expugnando cœlo, quia ipsi ædificant Ecclesiam. Dum Petrus Romæ moraretur, ut est in actis ejus passionis, adstiterunt illi Angeli cum rosis & liliis, & Christus cum libro aperto, quasi diceret, quòd inscribam libro vitæ tam Martyres quàm Confessores, per te id factum. De Pauli abscisso collo fluxit lac in signum ejus, quòd Ecclesiam lactaverit ut adolesceret. Quantus verò gygas Paulus, audi Chrysost. in proæm. epist. cap. 4. *Paulus omnium virtutum fuit arca, adeò ut etiamsi quis contra eum totum justorum chorum sigillatim appendat, inveniet trutinam virtutum ponderibus à Pauli parte depressam.* Paulus Doctor Gentium, Petrus caput Ecclesiæ, Pauli circa Ecclesiam labores describit Chrysost. hom. 4. de ejus laud. *In tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio, Romanos & Persas, Parthos & Medos, & Indos: Scythas & Æthyopes: & Sauromatas, & Saracenos, & omne prorsus humanum genus sub jugum mitteret veritatis.* Ambo Ecclesiæ protectores: ambo stiterunt persecutionem Ethnicorum dum M. Constantino apperuerunt: ambo S. Leoni contra Attilam strictis gladiis adstirerunt ut Baron. tom. 6. Scribit Fabianus Justinianus Episc. Adiacen. in cap. 4. Tobiæ. In Corsica in meaDiœcesi sunt morbi qui jumenta invadunt, & si unum iis corripiatur, omnia pereunt, est verò templum S. Petri ad Melam oppidum, cujus si clavis uni jumento appendatur, omnia sanantur. Ita verificatur, *Homines & jumenta salvabis.* Uno verbo sunt isti duo, columnæ duæ quæ ducunt populum per desertum: Paulus ignea, quia Gentium noctem illuminat: Petrus columna nubis, quæ Judæos duxit.

De

De S. Paulo.

Micheæ 5. *Et tu domus Effrata non es minima inter Principes Juda.* Ambr. Epist. 18. *Effrata domus furorem videntis, hoc enim habet interpretatio istius nominis, &c. Quia in Effrata & peperit Rachel Beniamin specie superiorem, mysterio posteriorem, Paulum scilicet qui antequam generaretur non minimos Matri præstitit dolores, &c. Et in paucioribus est, quia pauci sunt qui intrant in domum panis* (Bethleem) *per angustam viam. De Judæ quoque tribu est Bethleem, ut docet lib. Judic. 19.* Cum dolore Matris natus est Paulus quia persecutus Ecclesiam, & de se potest dicere quod ille: 1. Reg. 4. *Ego sum qui veni de prælio, qui de acie fugi hodie.* Greg. in 1. Reg. lib. 3. c. 1. *Quasi in prælio se fuisse memorabat, qui dicebat Gal. 1. Audivistis conversationem meam in Judaismo.* Heli Sacerdos, *vetus corruit, arca cecidit, &c. Militavit contra Ecclesiam, Ananias non credidit illi quod fugisset, in die fugit, quia lux illum de cælo circumfulsit, uterque Filius mortuus.* Sicut Heli Sacerdoti accidit, id est uterque ordo Sacerdotis. Plaga magna in Israël facta quia tot damnantur, arca capta, quia vetera Sacramenta exinanita, Cecidit Heli de sella quia extolli desinit de doctrina, cadit juxta ostium, quia Joan 10 Christus dicit. *Ego sum ostium*, cecidit *Saulus* quando Christus dixit, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Persequebatur Ecclesiam & inprimis Stephanum. Greg. l. c. *Lapidantium Protomartyrem vestimenta servabat, & velut omnium manibus lapidabat qui expeditos ad lapidandum omnes reddebat. Conversio autem B. Apost. Pauli facta est ad proverbium peccatoris. Audiat unusquisque peccator B. Pauli conversionem & non desperet de criminum multitudine.* Sed jam videamus qualis surrexerit. Greg. hom. 21. in Ezech. *Vultis fidem videre. Philip. 1. Mihi vivere Christus est & mori lucrum. Vultis vitam cognoscere*

gnoscere? Gal. 6. Mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Vultu patientiam audire? 1. Cor. 4. Usque in hanc horam instabiles sumus, &c. Vultis benignitatem cognoscere? 2. Cor. 12. Ego autem libentissimè impendar & superimpendar pro animabus vestris. Inde proveniebat quod de illo Greg. Moral. 30. c. 8. *Prædicando Paulus vult omnia simul docere, amando vult omnes simul videre, quia & in carne permanendo vult omnibus simul vivere, & de carne transeundo per sacrificium fidei vult omnibus prodesse.*

In Visitatione B. M. Virg.

ABiit S. Virgo cum festinatione, & quidem ut S. Bonav. Vespere ab Angelo salutata, statim mane sequenti processit, varii affectus in prægnantibus excitantur propter fœtum quem gestant, idem in B. Virgine videtur accedisse, Filius in opere festinus Isai 26. *Ascendit Dominus super Cherubim, & volavit super pennas ventorum.* Ps. *Exultavit sicut gygas ad currendam viam suam.* Sicut Medicus dum ad ægrum periculosum properat, sicut 4. Reg. 4. missus Giezi ab Elisæo ad resuscitandum mortuum. Ita modò ut quamprimum succurrat Joanni & liberet ab originali peccato, excitat in Matre festinationem. Origen. *Festinabat Christus qui in utero illius erat, sanctificare Joannem.* Non cessavit in S. Virgine hoc desiderium succurrendi peccatoribus. Est *Aurora consurgens* quæ solem præit, & simul *pulchra ut Luna.* Quæ noctu lucet etiam bestiis. Hinc discamus quàm fœdum sit peccatum, cùm ita properet, ut ab eo Joannem eripiat, certè cum Rex festinat ad aliquam domum privatam & quidem pedes, debet esse causa gravissima.

In Fe-

In Festo S. Mariæ Magdalenæ.

Dum Sancta ad pedes Christi procubuit, impletum est quod Abac. 3. *Egredietur diabolus ante pedes ejus.* Erant in Sancta septem dæmonia, ista sunt egressa cum audivit: *Dimittuntur ei peccata.* Bern. serm. 6. in Cant. *Ubi peccatum remittitur, ibi procul dubio diabolus ex cor peccatoris ejicitur*, sed idem serm. 1. ibid. *Si dixerit mihi JESUS dimittuntur tibi peccata tua nisi ego peccare desiero, quid proderit?* Hoc utrumque sit nobis in exemplum, & DEI bonitas ostensa peccatrici, & peccatricis pœnitentia.

Dicitur Christus ex Magdalena septem dæmonia ejecisse Greg. hom. 33. *Quid per septem dæmonia nisi universa vitia designantur? quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, rectè septenario numero universitas designatur.* Sed nunquid latrocinata, nunquid furata, &c. Solùm invenimus quod luxuriæ vacaverit, quomodo hic universa vitia? explicabit hoc nobis S. Cypr. de Singularit. Clericorum. *Omnis inconueniens sodalitas mulierum gluten est delictorum, & viscus toxicatus quo diabolus aucupatur.* Cùm dæmon ad libidinem perduxit in viscо hominem, habet veluti avem, quâ pro suo placito utitur, & in universa vitia inpellit. Inprimis ad hoc jnducitur ut vitium in sui formatione adscribat DEO, hinc fucos hinc colores adhibet, Cypr. de habitu Virg. *Dominus dicit Matth. 5. Non potes facere capillum nigrum aut album, & tu ad vincendam Domini tui vocem vis te esse potiorem? &c. Malo præsagio futurorum capillos jam tibi flammeos auspicaris.* Eo tempore mulieres affectabant flavos capillos. Avis pingunt facies, &c. *Non metuis ora quæ talis es, ne cum resurrectionis dies venerit, Artifex tuus te non recognoscat? ad sua præmia & promissa venientem removeat, & excludat, increpans*

vigore

vigore Censoris & Judicis dicat. Opus hoc meum non est, non est imago nostra, &c. DEUM videre non poteris, cùm oculi tibi non sunt quos DEUS fecit, sed quos diabolus infecit? illum tu sectata rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es, do inimico tuo compta, cum illo pariter arsura. Jam ulteriùs inducit luxuria ad quandam idololatriam. Greg. lib. 6. in Reg. 15. cap. 2. *Reprobis mentibus magnum non est immunda cogitare, sed coram DEO peccatum parvum non est in templo DEI, hoc est in regenerato spiritu, immunda reponere.* In templo sordes aliquas, lupanar collocare quis non putat esse maximum crimen? clamat Paulus. An nescitis quia templum DEI estis. Luxuria facit DEUM non cognosci. Oseæ 5. ut legit S. Greg. *Spiritus fornicationis in medio eorum, & Dominum non cognoverunt.* Perjuria, cædes, neglectum rerum sacratarum, contemptum Parentum, ut totum Decalogum non excutiam, patet quomodo, luxuria impugnat, sed etiam ipsius corpus quem mulcet invadit & jam ad hoc Ethnici testimonio utar, Seneca ep ist. 95. *Miraris tot ubique debiles esse: morbi luxuriæ supplicia sunt.*

Jam ad Sanctæ pœnitentiam, sed quid de ista loquar? Greg. hom. 33. *Cogitanti mihi de Mariæ pœnitentia, flere magis libet quam dicere.* Sed tamen dicendum est, quia idem addit. *Cujus enim vel saxeum pectus illæ hujus peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? consideravit quid fecit, & noluit moderari quid faceret.* Hic videte quid facit in domo Simonis, quid deinde in eremo. Hic simul consideremus, quod licet DEUS nulli desit, ut in eadem domo non defuit Pharisæo, imò fortè plus fecit Pharisæo, dum illum ex ore suo convicit, ut dixerit, *plus existimo diligit, cui plus dimittitur*, ut Greg. l. c. factus est, *quasi phreneticus funem portans ex quo ligetur.* Non est conversus, licet ligatus neque est conversus, propterea. *Unusquisque penset quo debito constringitur, quando illum DEUS expectat, ne contemptus exasperetur.* Subjicit pedibus capillos, sicut victori subjicit

victus

victus vexilla, fuerunt capilli arma contra Christum &c. Ungit modò pedes, unget postea totum corpus. O quæ felicitas Magdalenæ! Bern. serm. de diverſ. affect. Animæ. *Sunt quidam nolentes peccare, cum jam reſipiſcere vellent niſi peccati conſuetudine miſerabiliter obligati juſto DEI judicio quo in ſordibus ſunt ſordeſcant adhuc.* Recipit Christus cum omni amore pœnitentem, nam & Lazarum reſuſcitatum admiſit ad menſam, & ipſe facit quod Iſai. 21. præcepit Judæis, ut ſcilicet redeuntibus è captivitate Babylonica obviam irent cum pane & aqua. Petro qui ſe negaverat, jubet ſpecialiter ſuam reſurrectionem annuntiari de quo Greg. *Vocatur ex nomine ne deſperet ex negatione.* Agit ſicut cum avicula auceps, quæ è cavea evolavit, Oſeæ 9. *Ephraim quaſi avis evolavit.* Laborat ut rurſum capiat, ſi revertatur non eam caſtigat. Ezech. 18. *Agite pœnitentiam & non erit vobis iniquitas ad ruinam.* Non erit peccator ſicut merces perditæ in mari, ſed erit ſicut domus ex lapidibus facta, quæ ſi corruerit, ex iiſdem lapidibus rurſus reædificabitur. Job. 22. *Si reverſus fueris ad Omnipotentem ædificaberis, & longè faciet iniquitatem à tabernaculo tuo, dabitque pro terra ſilicem*, pro hoc ædificio ut ſit ſtabilius quam antea. *Et pro ſilice torrentes aureos.* Sunt aliqui qui in deſperationem labuntur, dum illud Iſai. 6. conſiderant. *Vade & dices populo huic. Audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem & nolite cognoſcere, excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum. Et dixi, uſquequò Domine? & dixit. Donec deſolentur civitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquetur deſerta.* Sed audite quid eſt iſta obduratio, quid excæcatio? *Eſt prava animi noſtri affectio*, quâ quis in malo ſuo propoſito obfirmatus, DEO præcipienti ut aliquid fiat, aut eidem corripienti parere non vult. Ex nobis excæcatio, obduratio, & cauſæ hujus com-

muniter quatuor ponuntur. Homo non obstans principiis, in peccato permanens, dæmon ad malum instigans, demum ista fieri permittens DEUS, ex his illa excæcatio nascitur. Prov. 18. *Impius cùm in profundum peccatorum venerit contemnet.* Ex homine ipsius obcæcatio. Aliqui apud Salazar hunc locum ita legunt *Impius cum in centrum peccatorum venerit contemnet.* Quia res in centro conservatur, quiescit, unitur, sicut lapis si ad centrum terræ deveniret, à centro in nullum latus moveri nisi violentè non posset, ita in peccatore conscientia tumultuatur, jam quiescit, contemnit pœnitentiam, pœnas inferni, inde sequitur conservatio, quædam vana fiducia, & ut Aug. 8. Confess. 5. *Ex voluntate perversa facta est libido, & dum libidini servitur facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur facta est necessitas.*

In Festo SS. Petri & Pauli.

MUltum nobis boni attulit Petrus, multùm Paulus, Petrum dicunt ad se Pontifices spectare, Episcopi, Parochi, Religiosi: Paulus est Doctor omnium. Petrus à Domino obtinuit declarationem præmii, quod manet Religiosos. *Ecce nos reliquimus omnia, centuplum accipietis.* Obtinuit claves Regni cœlorum per confessionem Christi Deitatis. *Tu es Filius DEI vivi: Tibi dabo claves regni cœlorum.* Dedit societati nostræ Patriarcham, primum miraculum fecit sanando claudum, ut est in Act. & hoc modo plures ad Christum traxit; sanavit S. P. N. Ignatium pedibus Pampelone læsum, & multos in toto orbe convertit. De Paulo Chrysost. hom. 1. de ejus laud. *Non tres aut quinque urbes, sed orbem universum de diaboli extorsit manu,* &c. *Et tot propriis mortibus maximam securitatem aliis comparabat,* &c. *Job domus omni advenienti aperiebatur, Pauli verò anima universo patebat orbi.* Idem hom. 2. de eod. *Paulus Tyrannos ac*

populos

populos spirantes furorem velut quosdam culices existimabat: mortem verò & cruciatus, & mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum &c. Tanquam pennatus totum pervolavit docendo orbem, & velut corporis expers labores omnes periculaque contempsit. Petrus reliquit nobis pulcherrimum exemplar pœnitentiæ, negaverat Christum, in domo Caiphæ, respexit eum Christus, & nihil ipsi dixit, at ille ut Bern. in Cant. serm. 57. *Respexit Petrum & non fecit ei verbum, & fortasis ideò flevit ille, quia respiciens se, tacuerat.* Sed etiam totâ vitâ flevit quoties galli cantum audivit Joan. 21. quando Christus in mari comparuit Bern. 2. de Consideratione. *Petrus sciens quia Dominus, in mare se misit, & sic venit ad ipsum aliis navigio pervenientibus, quid istud? nempe signum singularis Pontificii Petri, per quod non navem unam ut cæteri quique suam, sed sæculum ipsum suscipit gubernandum, mare enim est sæculum, naves Ecclesiæ,* particulares. Toti mundo suam proponit pœnitentiam. Ambr. serm. 46. Dum advertit quòd Petrus dum eum in domo Caiphæ Christus respexit, nullum verbum fecerit, sed tantum fleverit, ita commentatur. *Ideò Petrus non utitur sermone quo fefellerat, quo peccaverat, quo fidem amiserat, ne ei non credatur ad confitendum pœnitenti, ac per hoc mavult suam causam flere quàm dicere & quod voce negaverat, lachrymis confiteri.* Tantus pudor dolori adjunctus. Petrus voluit sursum pedibus crucifigi in tali tamen loco ex quo ferè totam potuit spectare Romam: de Pauli collo resecto lac fluxit, de quo Ambr. serm. 68. *Quæ quidem res in S. Paulo stupenda non est, quid enim mirum si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse 1. Cor. 3. lac vobis potum dedi?* Decollatus fuit in eo loco ex quo Romam videre non potuit, lac ergo reliquo: Petrus ad exitum animæ suæ gregem suum spectavit. Quot ornamenta in cœlo habet Petrus, quot Paulus? Paulus adhuc in hac vita ut de eo Chrysost. hom. 2. *Decorabatur vinctus catenâ magis quàm diademate coro-*

natus &c. in terra graditur. Sic se agebat in cunctis quasi Angelorum societate frueretur. Et hom. 7. *Paulus catenâ pro torque ornatus vinculisque suis, vulneribus, & verberibus longè splendidior est diademate purpurarum fulgentibus.* Et hom. 8. *Delectabat quicunque eum propter Evangelum vulnerabat, &c. Non minus plagis suis gaudens quàm alius triumphis, nec aliter delectatus naufragiis, quàm alter acquisitis solet gaudere thesauris.* Si hoc in terris, quid in cœlis? fluunt etiam hodie fontes quos caput Pauli amputatum Romæ excussit, & lactis saporem retinent, atque magis gloria Pauli quàm suâ sunt aquâ pleni. Sunt columnæ ibid. quarum uni Petrus alteri Paulus fuerunt alligati, osculis honorantur, catenæ Petri & Pauli tam ex amore mutuo quem inter suo habuerunt, & quem testati inter se osculo dum simul ad mortem educti, sed illam diverso loco subituri, sunt divulsi. Greg. hom. 18. in Ezech. *Gal. 2. Cùm venisset Petrus Antiochiam in faciem ei restitit, erat reprehensibilis, & simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi.* Videtur hîc dissensio, sed hæc dissensio, maximè Petri erga Paulum ostendet amorem. *Idem verò Apostolorum primus cum multa discipulos admoneret atque à quibusdam detrahi Pauli scriptis agnosceret, dicit 2. Pet. 2. Sicut charissimus noster Frater Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vob. Laudat ea scripta, & in illis agnoscit sapientiam cœlestem. Ecce Paulus in epistolis suis scripsit Petrum reprehensibilem, & ecce Petrus in epistolis suis asserit Paulum, in his quæ scripserat admirandum, &c. Non revocat in memoriam quod prior ad Apostolatum vocatus, non quòd claves regni cœlestis acceperit, &c. Quis rogo nostrum, si vel extremum aliquod signum fecisset* (id est miraculum) *à minori fratre increpatus increpationis verba patienter audiret? &c. Pensemus, Paulus Apostolus qui tantùm patiens fuit inter persecutores, quantùm mansuetus inter discipulos?* &c. Dedit Christus in hac vita nomen suum. Ambr. serm. 84. *Sicut à Christo Christianus dicitur, ita & à Petra Christo Petrus Apostolus*

stolus vocatur, Petra autem erat Christus. Dedit Paulo, quia ex Saulo vocavit Paulus. Quæ in cœlo dedit nomina ubi dat cuique nomen novum, ut est in Apoc.

In Festo S. Jacobi Apostoli.

MOs erat apud Judæos in conviviis, ut non se cogerent ad æquales, sed cuique calix apponeretur tantus, quantum illi sufficeturum putabat Architriclinus, hinc proverbium enatum de calice. Calix hic à DEO diversus datus diversis. Greg. lib. 12. epist. 61. ad Mauritium Imp. qui prohibuerat ne milites fierent Monachi, sic ait. *Plerique sunt qui nisi omnia reliquerint, salvari apud DEUM nullatenus possunt.* Aliis calix alterius status, alia vocatio offertur: hic finis noster ad quem actus nostros dirigere debemus; salus nostra, quam consequemur: per calicem nostrum non alienum. Basil. Selev. hom. 24. de legendis librisGentil. *Finem respice & ejus gratiâ cuncta facere, proprium nisi brutis æquiparari velis, oportet.* Si hunc calicem biberis, dabit DEUS necessaria, ut illi satisfacias. *Elegerunt Stephanum*, &c. Accepit hunc calicem, *faciebat prodigia*, &c. Oecumenius. *Qui ante electionem non faciebat prodigia, ut qui antè nec satis cognitus erat, ubi per electionem effectus est, tum enim donum quod electionem consecutum est, demonstrabatur.* Econtra alii dum novum calicem sumunt, ad quem DEUS vocat, in multa incidunt mala. Accidit enim sæpè quod illis duobus, quorum unus erat sapiens alter stultus dum ibant peregrè, inciderunt in bivium, una via fuit aspera, altera suavissima, volebat sapiens per asperam ire, dissuasit illi stultus, secutus sapiens stultum, inciderunt ambo in latrones, qui jam à Judice quærebantur: capti latrones, & illi: Judex omnes supplicio jubet affici, excusat se sapiens dicendo, iste me stultus decepit, tantò magis meritus es mor-

tem quia cùm sis sapiens stultum es secutus, ita fit, carnem stultam sequimur, & perimus, atque etiam ipsa temporalia amittimus. Laur. Justinian. de Agone cap. 7. *Facilè quisque quod acquisivit amittit, si non vocatus se inconsultè exponat.* Ad quàm sublimem statum Dominus vocavit Jacobum cum illi eundem calicem quem ipse bibiturus erat, dedit, & quomodo illum Jacobus ebidit, &c.

In Festo S. Annæ.

EOdem modo DEUS mundum reparavit, ac creavit. Initio mundi creavit DEUS cœlum & terram, initio reparationis Joachim & Annam. Ille cœlum, Philip. 3. *Nostra conversatio est in cœlis.* Anna licet non minus sancta, terra est, de qua egressa est Virga de radice Jesse. Terra erat vacua & inanis, Anna sterilis. Tenebræ fuerant super faciem abyssi, utriusque tristitia. Spiritus Domini ferebatur super aquas: ad lacrymas utriusque missus Gabriel qui illos consolatus. Dixit DEus, fiat lux. Nascatur Filia in qua non erunt tenebræ peccati. Vidit DEUS lucem quòd esset bona, B. Virgo bona est omnibus.

In Festo S. Ignatii S. JESU

SIcut Beniamin inter Fratres minimus fuit, ita Religio fundata à S. Ignatio minimam se appellat. Beniamin natus inter maximos dolores Matris, Societas inter maximam Ecclesiæ afflictionem quam passa propter hæreses. In Beniamin sacco absconditus calix ex quo solebat augurari Joseph. Figura Christi fuit Joseph, hic in Societate abscondit suum calicem, ut nonpateat aliis licet sit. Sed tamen ille est calix ex quo Joseph augurari

gurari solébat. Videmus quid Ignatio, quid ejus societati sit auguratus hic Joseph, scilicet Christus.

Auguratus inprimis Sancto profundissimam humilitatem. Unde Sanctus audacter dicebat. A nullo sibi minus vitio timere quàm à vanitate, interea tamen tam attentus fuit ne quid in ejus laudem redundaret, ut dum ejus Confessarius coram aliis aliqua de illo glorioſa dixisset, non amplius illius operâ usus. Confessarius ille optabat ut saltem unâ horâ superviveret S. Ignatio; qui de illo posset admiranda quædam dicere, favet DEUS Ignatio quia citius ille Confessarius mortuus. Plane agebat Sanctus ut S. Paulus, certus hic fuit de sua prædestinatione, tamen *Castigo corpus meum*, &c. Certus Sanctus de humilitate, tamen omnia abscondebat. Antequam fundaret societatem ostendebat suas virtutes in mortificationibus, cùm eam fundavit, abscondit, si certus de suâ humilitate, ergo felicior quàm David qui numerando populum lapsus in superbiam. Excusat Davidem Ambr. *Quid miramur semel lapsum & eo peccato quo Angeli lapsi?* Igitur Angelis firmior Ignatius, superbiunt multi ut Nabuchodonosor. Nonne hæc est Babilon. quam feci? nonne hoc meum opus, &c. Omnis lapsûs origo superbia, quòd aliquis deveniat ut sit veluti bestia in morsbus, ex superbia est, ut patet in Nabuchod. Unde ira? ex superbia, cur me iste contempsit?

Societati id auguratus. *Nomen meum erit in te*, cùm quis admittitur in familiam nobilem ut eo nomine possit gaudere, etiam gaudet viribus. Hinc revelavit S. Teresiæ & S. Francisco Borgiæ non damnandos eos qui in Societate morerentur. 2. Revelavit S. Magdalenæ de Pazzis quòd eo tempore nulla religio fuerit sanctior. 3. Revelavit Cordubæ cuidam Moniali quæ vidit cujusdam & Societate Fratris animam in cœlum duci ab Angelis, & Christum illi euntem obviam, quòd taliter

singuli

ſinguli qui in Societate moriuntur in cœlum inducantur. 4. P. Henricus Garnettus in Anglia pro fide occiſus, vidit quòd B. Virgo totam Societatem ſuo pallio protegeret. 5. Landulfus Carthuſ. & Hugo Victoria qui vixerunt ante Societatem, aſſerunt omnes, ut in terra à Chriſti Chriſtianos, ita in cœlo à JESU dicendos Jeſuitas, & quod in cœlo nomen novum cæteri expectant, jam Societas habet in terra. 6. Quod quem calicem bibet Societas, eundem ſibi porrigi ab hominibus Chriſtus cenſebit. Dum è carcere Romano abiret Petrus, occurrit illi Chriſtus, ſuam reputavit. Dum S. Ignatius iret Romam, apparuit illi Chriſtus ſpinis coronatus, crucem portans, & dixit. Romæ vobis propitius ero. Ait Ambr. Orat. ad Auxentium, ubi ſupra citatum de S. Petro hiſtoriam adduxit. *Chriſtus non poterat iterum crucifigi, intellexit ergo Petrus quòd iterum Chriſtus eſſet Crucifigendus in ſervulo. Nam ſi illius cibus erat ut faceret voluntatem Patris, idem cibus illius eſt ut noſtris paſſionibus epuletur.* S. Ignatius hoc ipſum intellexit de afflictionibus quas erat paſſurus, ſed in eo Chriſtus patitur. 7. Quando DEUS S. Paulum vocavit in Societatem Filii ſui, ut ipſe loquitur, dixit de eo. *Hic portabit nomen meum coram Gentibus & Regibus*, &c. Bellum ſuſceperat David contra Amalecitas, dum eos proſequitur invenit quendam Ægyptium infirmum, & illo ductore vicit hoſtes. Chriſtus Ægyptium Ignatium, Ægyptios vocat S. Antonius & alii mundanos, reperit infirmum ex vulnere in arce Pampelonenſi, eo ductore debellat mundum. Et iſtæ ſunt ſtellæ. 7. in manu Chriſti, ut eſt in Apoc. & iſtæ dum poſt mortem corpus S. Ignatii transferretur viſæ ſunt tumbam proſequi. Occurrunt nobis monſtra ut Goliath, difficultates, meminerimus nomen Domini eſſe nobiſcum. Puer David in nomine Domini dejecit Goliath. Chriſtiani ſumus, in nomine JESU ſuperavit Ignatius difficultates. Videntur quædam noſtras

vires

vires superare, sed solem stitit Josue sive JESUS. Basil. hom. de transfigar. *Sol stetit ob reverentiam tanti nominis*, sola Musicâ Josue dejecit Muros Jerichontis, & hoc est in nomine JESU agere. Alterum est pro JESU pati. Josue non vocabatur JESUS, sed filius Osee, donec Deut. 18. Jussu Moysis fuisset cum Amalecitis pugnâ congressus, in quod Origen. *Hic primò audio nomen JESU ubi magna oportet facere.* Sed & agendum & pauca dum in JESU, hoc est, in ejus gratia propter JESUM, non nostram gloriam quærendo. Cùm aliquid facturi sumus, cogitemus an nos hoc JESUS facere juberet? inebriari, &c. juberetne? Sancti eligebant sibi aliquod symbolum, quod veluti nautæ in mari Cynosurram respiciebant. S. Franciscus Seraphicus, *Noverim me, noverim te.* S. Franc. Xav. *DEUS meus & omnia*, &c. Ego suaserim eligatis. *Itane JESUS egit?* hoc S. Ignatius habuit, nam in ejus vita scribitur. *Si duo æque gloriam DEI respiciunt, &c. Eligerem illud in qua plus est contemptûs, ut similis JESU fierem.* Hic jam moderemini, hic me sprevit, hic contumeliâ affecit, &c. Itane JESUS egit cùm illi similia contigerunt.

De Eodem.

EX tribus solent æstimare sanctitatem alicujus, ex mortificatione sui tam quoad interna quàm quoad externa: ex donis DEI & miraculis: ex magnis laboribus pro DEI gloria. Hæc omnia in S. Ignatio abundè fuisse ostendo. In primis quoad mortificationem corporis, præstitit id quod præstare potest homo, jejunavit 4. 6. aut etiam octo diebus continuis nullum sumendo cibum aut potum, jejunavit toto anno in solo pane, aquâ, præter dies Dominicos, quibus aliquid herbæ cinere conditæ addebat, pro cingulo usus spinis, pro lecto

lapide, præter ſpinas cingebat ſe catenâ ferreâ aculeatâ, & alteram ſimilem ad flagellandum corpus ſuum quotidie adhibebat, quinquies peregrinationes longas obivit ad ſepulchrum Chriſti, Romam, Compoſiellam, ad montem Serratum, &c. Oratio de genu quotidie horis ſeptem. Dimiſit aliquid ex voluntate DEI de iſto rigore qui magis Eremitæ convenit, quàm illi ſtatui, ad quem DEUS Ignatium vocabat. Quia ut Greg. lib. 4. in 1. Reg. 3. *Qui magna carnaliter exhibet, affectum charitatis non curat.* Retinuit tamen ex his mortificationibus tantum quantum ſtatus hic novus admittebat. Et nunquam aliquid de internis quæ ſunt multò difficilliores dimiſit, imò illas vehementer auxit. Magna hæc fuerunt quæ circum corpus egit, magnum erat nato in Domo illuſtri, educato in aula Regia, animi magnitudine pleno, indui ſacco, & ita mundo comparere: ſed majus id erat feciſſe tunc quando maximè cavillis patebat, id eſt, poſt amiſſam Pampelonam, virum militiæ clarum inter pueros in Schola & templo conſidere, Magiſtri arbitrio ſubjici, oſtiatim mendicare victum, &c. Sed hæc condiebant ſolatia interna, ergo & iſtis ſe abdicat. Pro magno Eccleſia reputat quod ſine hls ſolatiis S. Tereſſia & S. Roſa Limana per annos plures DEO ſervierint ferventes: & Ignatius illa veluti tentationes ultrò à ſe removebat dum ſtuderet, & amplius progreſſus, malebat incertus beatitudinis vivere ſerviendo gloriæ DEI & proximorum ſaluti, quàm certus ejuſdem ſtatim mori.

Veniamus ad bona illi à DEO collata ſtatim initiò Principem Apoſtolorum DEUS ad Ignatium mittit ut illum ſanet. Venit B. Virgo & tollit omnem libidinis ſenſum, quod nec Hieronymus inter eremum, nec Sanctiſſimi multi viri poſt multos labores habuerunt, unde ſe aliqui igne, urticis, &c. conficiebant, ut eum obtunderent. Dictat eadem B. Virgo homini

homini tunc illiterato libellum Exercitiorum, & docet ejus usum, dictat deinde Regulas. DEUS Pater Filio Ignatium recommendat, Spiritus S. tanquam in Apostolum in igne descendit. In raptu ut Paulum, sed octiduano, mysteria altissima edocet adeò clarè, ut si deinceps sacræ literæ non extarent, si orbis à fide vera deficeret, adhuc ex iis quæ illi Dominus patefecerat, solidus in fide permaneret. Christus illum quadragesies minimùm visitat. Globus igneus supra caput Missam celebrantis sæpius conspicitur, vultum ejus cœlesti luce radiantem S. Philippus Nerius aliique conspexere. Simul comparet Romæ & Coloniæ, in dæmones exercet mirum imperium, quod ipsum imagines hactenus faciunt, quod ipsum etiam aqua quæ vocatur Ignatiana. Mortuos excitat, aridos sanat, obstinatum Judæum illo verbo convertit, *mane nobiscum Isaac.* Dum ad funus deducitur, stellæ in aëre proximò comitantur. O quanta habuissemus de Ignatio, si Confessarius ejus cui sua revelavit, aliquamdiu illi supervixisset, qui de illo se admiranda dicturum promittebat? certum est ex ipsius sancti ore quòd plura & majora DEUS illi fuerit largitus, quàm in omnium sanctorum vitis ad nos pervenerint. Infans ejus festum postridie primò futurum miraculosè Calari prædicit. Quærite quæ in Sicilia dum ex imaginis ejus chartaceæ digito sangvis fluxit, quæ in Germania circa puerperas, quæ alibi circa ignes, morbos &c. operatus.

Venio ad labores ejus pro DEO & Ecclesia. Totum mundum statim agressus, Hæresi Ethnicæque superstitioni bellum indixit, & successit continuatum, &c. Mores Catholicorum restauravit, adeò ut Baronius Societatem ab eo institutam vocaverit Anartarim, id est, resurrectionem. *Ab ipso Sacramentorum frequentia*, &c. Omnem statum ad virtutem provexit, ex ejus exercitiis S. Carolus Borromæus profecit, ejus doctri-

næ S. Philippus Nerius ſuam adſcripſit ſublimem contemplationem. Illius filiis ſe aſſeruit multùm debere S. Tereſſia & S. Magdalena de Pazzis. Illi totum tribuit S. Franciſcus Xaver. & S. Franc. Borgia. B. Stanisl. Koſtka, B. Aloyſius, &c. Illi curæ damnati ad mortem, ægroti in noſocomiis, &c. Complexus ſuo labore omnem locum, carceres, triremes templa, pagos, &c. Europam &c. Germaniam &c. Omnem modum, confeſſiones ſacras, libros, Conciones, cathecheſes, Scholas, in quibus cùm docentur literæ, pietas inſtillatur, Miſſiones, &c. Omne tempus, dum nos dormimus, in alio orbe fiunt Miſſæ, &c. Per omnes ſuos, nam laborant Cherici in Scholis & catechiſmis; Coadjutores temporales orant pro ſucceſſu aliorum laborantium. Statim è primis ſociis, S. Franc. Xaver. regna integra convertit. Simon Rodriquez ita ſtrenuè in Luſitania rem egit, ut ab eo tempore ibidem Apoſtoli vocemur, & illi, ſi humanæ fides hiſtoriæ, gratia miraculorum adſcribitur, Jacob Laynez in Concilio Tridentino tantam oſtendit ſapientiam, ut illo ægrotante Concilium vacaverit, & alias columba ſupra caput ejus intra Miſſam dicitur viſa. Petrum Fabrum poſtmortem quidam inter Seraphinos conſpexerunt. Nicol. Bobadilla tam gravis fuit hæreticis ut eum publico decreto vitandum conſtituerint, Broëtus ſuſtinuit Nuncii Apoſtolici in Hibernia perſonam. Codurii animam ipſe S. Ignatius vidit in cœlum ab Angelis deferri; pares iſtis & reliqui duo, Claudius ſpretis Inſulis, &c. Succeſſerunt his tot in India & Anglia & alibi qui uſq; ad profuſionem ſangvinis laborarunt, & alii etiam inter pericula apud Barbaros & Hæreticos laborant. Quare S. Ignatium vocabat Marcellus 2. Pontif. inſtrumentum DEI velociter operantis. Urb. 8. Atlantem Eccleſiæ, ſed & ipſe Chriſtus ut ſcribit Andr. Lucen. cuidam Eremitæ qui dum videret à Sancto acceptari pro Collegiis reditus, &c. Propter eaque illum contemneret, dixit. *Quem tu contemnis eſt mihi Vas electionis ad ſalutem*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

multorum plenum Apostolico spiritu. Et hîc servire potest illud scripturæ. *Non contemnendum putes, est nomen meum in illo,* & illud. *Ecce servus meus nomine meo vocavi eum.* Quia ipsemet Christus nomen suum imposuit ejus Religionis nomen quod continet in se magna, neque ullum nomen quod à DEO imponitur, dissidet à rebus. Quærit S. Bern. serm. 1. de Circumc. cur aliquod nomen ex iis quæ prædixit Isai. non sit Christo impositum. *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Princeps pacis, Pater futuri sæculi,* &c. Ubi est nomen JESU? respondet. *Forte in his omnibus unum illud invenies sed expressum quodammodo.* Admirabilis Societas, &c. Sed illud quomodo intelligemus? Datum nomen JESU in circumcisione, at Paulus dicit. *Humiliavit semetipsum factus, &c propter quod illi dedit nomen, &c.* Utique dedit ante crucem, sed per crucem illud meruit. Dum affligitur Societas tum in illa maximè ostenditur nomen istud, tum illi maximè propitius JESUS. Jam si nomen suum dedit, etiam sui nominis privilegia dedit sicut & homines qui in suum nomen adoptant. Revelatum S. Teresiæ & S. Fr. Borgiæ nullum damnandum qui in Societate moritur, & hoc ipsum confirmat quod Christus dixit S. Joannæ. Mea est Societas ipse ego illam in corde meo gero, & nullum in ea patiar cum gravibus defectibus, sed subitò eum ab illa dimitti faciam. Sub pallio B. Virginis parvus JESUS sæpè fuit, sub pallio ejusdem Virginis vidit Societatem Henricus Garnettus. Sanctitas mira in nomine JESU. S. Teresiæ & Magdalenæ de Pazz ostendit sanctitatem Societatis magnam DEUS. JESU ministrarunt Angeli, vidit Monialis Cordubensis animam quandam ab Angelis deferri ad cœlum cum Christi occursu, petit quale id festum ageretur in cœlo? responsum cujusdam è Societate Fratris animam deferri & honorem fieri similem omnibus qui in Societate moriuntur. Nomen JESU qui maledicit est male-dictus. P. Iosaphat M. Archiep. Polocen. Græci ritus, dicebat,

esse signum certum reprobationis æternæ hanc Societatem persequi, & in illam eos consurgere, qui vel sunt Hæretici saltem occulti, vel in carne mersi. Abrumpo & claudo verbis Leonis de Passione Dom. serm. 10. *Non potest deficere quod dicam, quia non potest satis esse quod dicitur.*

De Eodem.

Quasi triumphum de toto orbe facturus Christus lumina per totum accendit, cùm ait ad Apostolos, *vos estis lux mundi.* Agnovit Card. Paleottus S. Ignatium tale lumen, dum vocat *Lumen Ecclesiæ.* Quam tantopere illustravit, ut dixerit. Laur. de Zamora S. Ord. Cisterc. esse illi plus obligatam, quàm omnibus (saltem eo tempore) in toto mundo, & addit, meritò dixisse quendam in Hispania Præsidentem, debere cum simili vexillo statui hunc Sanctum, atque statuitur S. Dominicus & Franciscus. Contemplemur hoc aliud lumen post Sanctos Apostolos.

Lumen Ignatii diffusum est inprimis per totum orbem. Congreg. Cardin. in literis ejus beatificationis ita & de Religione S. Ignatii loquitur. *Quæ non sine maxima Reipub. Christianæ utilitate per universum orbem diffusa ac dilatata est.* Utilitatem videbimus, si audierimus rationem cur potius cum S. Dominico & S. Francisco ponam Ignatium, quàm cum aliis SS. Patriarchis. Legitur in Chron. Francisc. quod DEUS tres lanceas paraverat in ruinam mundi, & quòd per S. Dominicum & Franciscum sit placatus, & duas quasi lanceas quasi extorserunt, tertia supererat, hanc S. Ignatius sistit, ita discurrit Zamora Sanctuarii tom. 2. lib. 6. discur. 51. Quare simile ac illis Sanctis dandum est vexillum Ignatio, & si illorum lux in totum se extendit orbem, etiam istius. Sed jam lumen ipsum videa-

videamus. Lumen est purissimum, quia est Divinum, DEUS nullam in se mixturam patitur, nihil habet caro in Ignatio, cujus stimulus omnis miraculosè sublatus. *Scimus quia cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Visio clara DEI, quâ nunc fruitur Ignatius facit DEO similem, sed ad visionem quæ dispositio? *Omnis qui habet hanc spem sanctificat se.* Aug. legit, *castificat se.* Castitati succedit similitudo cum DEO, DEUS altior est rebus temporalibus; omnia sprevit Ignatius, etiam vestes mendico tradidit, gladium templo. DEUS in sui contemplatione est totus; Ignatius in DEI. In ore ejus semper major DEI gloria, optabat semper DEI gloriam crescere, suam semper decrescere, cognitionem Divinam sequitur amor, qui cognoscit Ignatium accenditur DEI amore. Anno 1553. Joannes III. Rex Portugalliæ mittendo Aloysium Gonzalez inter cætera præcepit illi, ut omnes Ignatii actiones exactè observaret. Redux Aloysius dixit Regi, se id feciſſe, & nullâ oratione, aut lectione spirituali se ita fuisse ad amorem DEI inflammatum, ut observatione Ignatii. *Sicut adamantem & silicem dedi faciem tuam.* Lucet adamas non percussus, silex non nisi percussus emittit scintillas. Aloysius vidit ut adamantem, sed alii ut silicem. Apud Hispanos Aliolæ projectus in compedes, Salmanticæ in compedes, ab Hispaniæ militibus pessimè habitus veluti explorator, Barcellonæ mille fustes sustinuit, sed omnes amore DEI incendit, secuta in omnibus morum emendatio apud eosdem ipse glorioſus factus. DEUS suam semper facit voluntatem, Ignatius DEI, paratus ad omnia quæ vult DEUS, sive in mortem sive in vitam, vult DEUS ut temperet pœnitentiam, vestes assumat meliores, facit; vult ut contemnat dignitates, &c. Facit DEUS omnia ad suam gloriam, fecit Ignatius omnia ad DEI.

Jam videamus quantopere Ignatius illuminaverit mundum.

dum. Aug. lib. de catech. rudium. *Opus eſt ut non ſolùm ſanctus perſonaliter exiſtat, ſed etiam alios illuminando, cauſa ſanctitatis ſit.* Et hæc præſtatur magis operibus quàm verbis. *Ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Hoc feciſſe Ignatium teſtatur bulla ejus beatificationis. *Ignatius multis & eximiis virtutum & gratiarum, & miraculorum donis illuſtratus fuit.* Plenus Stephanus gratiâ, plenus Ignatius virtute. Et in omni eminens, in paupertate, obedientia, &c. Plenus gratiâ ut illi S. Franc. Xaverius nonniſi flexis genibus ſcriberet. Miracula plurima. His illuſtravit inprimis ſuam Religionem, ad quam fundandam ut dicit Greg. XIII. fuit à Spiritu S. inſpiratus: quare Surius illum vocat Sanctisſimum. Genebrardus illum dicit à DEO miſſum contra Luciferum, Sanderus, *Virum DEI, & à DEO motum ad opus quod fecit.* Elias vocabatur vir DEI, Contra Luciferum miſſus Archangelus. A DEO motus ad opus, ut Moyſes ad fabricationem tabernaculi. Bozius vocat, *Virum clariſſimum ſanctitate vitæ.* Doctor Pavia Portugallus vocat *Illuſtre exemplar ſanctitatis, virum admirabilem, particulari cœli beneficio datum mundo.* Ita lucebat operibus ſuis, &c.

In Feſto Portiunculæ.

CHriſtus verus Pontifex noſter, ſæpe etiam poſt ſuam mortem circa nos munia ſui Pontificatûs exercuit, non ſemel de cœlo deſcendit ad templorum conſecrationem. Non ſemel Sacrum Pontificaliter celebravit, &c. Hodie diſtribuit indulgentias, in templo ſuæ Matris, quæ hic loca ideò dicta Angelica, quod ibidem cantus Angelorum audirentûr, dicta de Portiuncula quia ibi Dominum in portionem ſuam aſſumpſit S. Franciſcus. Non dubium quin Chriſtus in hoc loco

dando

dando indulgentias convenientissimè in hoc egerit, has convenientias inspiciamus.

S. Franciscus ad reparandam missus Ecclesiam, reparabat prædicando pœnitentiam. Sed licet pœniteat peccatorem & culpa illi dimittatur ob quam pœnam meretur æternam, adhuc manent sustinendæ pœnæ temporales. Dimissa est Moysi incredulitas, tamen in pœnam non intravit terram promissionis, &c. Duo enim sunt in peccato, Aversio à summo bono, & hæc si non sit dimissa punitur in æternum: & ad conversio ad bonum creatum. De hac Aug. in epist. ad Rom. prop. 42. *Unusquisque peccando, animam suam diabolo vendit, acceptâ tanquam pretio dulcedine voluptatis temporalis.* Ita fit nobiscum ut si quis furetur magnam pecuniam Principi propter quod meretur mortem flet, orat veniam, dimittit illi Princeps mortem, sed minorem tamen statuit pœnam. Franciscus in toto orbem voluit reparare, fuit verò mansuetissimus, ejus sunt verba in Manuali Francisc. *Postquam corrigere & emendare non possum prædicatione, admonitione, & exemplo: nolo carnifex fieri ad puniendum & flagellandum sicut potestas hujus sæculi.* Voluit etiam hæc debita temporalia exolvi, favit illi in hoc Christus, & in domo illa instituit indulgentiam plenariam, quam Pontifices ad omnia templa sui Ordinis extenderunt. Factum id in templo B. Virginis, quia per illam nobis dona sua largitur Christus, &c.

In Festo S. Dominici.

DE hoc sancto dicit Reginaldus. *Hic est qui in Adam non peccavit.* Aug. serm. de quinque panibus. *Si quis habuerit charitatem tantam, ut paratus sit mori pro Fratribus, in eo charitas perfecta est.* S. Dominicus voluit vendi pro filio viduæ, libros Palentiæ vendidit ut fame laborantibus succurreret. Coram

Innocentio Papa cum diceret in Concione admiranda, quæsitus unde ea haberet? respondit, ex libello charitatis. Ad illius Religionem B. Virgo misit Reginaldum de statu vitæ deliberantem, & ipsa illi dedit vestes religiosas. Alex Papa IV. *Hi sunt viri probati in lege Domini, Fratres Ordinis Divi Dominici, efficaces quidem in opere, atque potentes in sermone, quia ubique ipsorum ora intonant per totum mundum velut tubæ, & in omnem terram exivit sonus prædicationis eorum, & usque in fines orbis terræ salutifera verba sonant.* Cùm S. Dominicus ascenderet in cœlum, Christus & B. Virgo tenebant scalas, quod vidit Gualla Episc. Brixien. Abbas Joachim in templo S. Marci longè antea curavit depingi S. Dominicum. Constantinopoli in S. Sophiæ templo penes S. Paulum; multò etiam antè depictus in habitu hujus Ordinis vir cum inscriptione Græca, *vocor Dominicus.* Hæc ex Bareleta Ord. Prædic.

In Assumptione B. M. Virg.

ABscondebat totâ vitâ suâ B. Virgo dona DEI in se collata, & suas virtutes. Prima votum fecit Virginitatis. Aug. lib. de S. Virginit. c. 4. *Annuntianti Angelo Maria respondit, quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret, nisi se priùs virginem DEO vovisset.* Abdias in vita S. Bartholomæi. *Hæc Virgo cùm execraretur omnem virum, servandæ virginitatis votum cùm à nullo homine nec verbo didicisset, neque exemplo ad imitationem fuisset invitata, prima DEO obtulit, nulla enim hoc votum DEO obtulerat.* Sed clariùs Beda hom. de Annunt. *Virgini Divino munere collatum est, ut prima inter fœminas DEO virginitatis munus offerret.* Parentes habuit divites ut S. German. in encom. S. Virginis, qui, ut Hieron. de ortu Virginis, in tres partes sua bona diviserunt, templo, pauperibus, sibi ipsis

ipsis, hæc omnia B. Virgo distribuit. Apud S. Birgit. Revel. lib. 1. cap. 10. dicit ipsa. *Omnia quæ habere potui indigentibus distribui, & à principio vovi in corde meo, nihil unquam possidere in mundo.* Et lib. 7. cap. 52. *De divitiis ego & Joseph nihil reservavimus nobis, nisi necessaria vitæ ad honorem DEI, reliqua dimisimus ad honorem DEI.* Magi obtulerant pretiosa munera, quid de illis fecit S. Virgo? Bonav. de vita Christi cap. 9. *Zelans virgo pro paupertate, & intelligens Filii voluntatem, tam intus docentis quàm foris ostendentis, totum intra paucos dies pauperibus erogavit.* Habuit tamen omnia quæ ad viam honestam necessaria. In purificatione stetit inter conjugatas, & inde existimabatur non esse Virgo, obtulit par turturum tanquam egentissima. Rupert. in Cant. 2. *Cunctæ virtutes, omnes gratiæ, cuncta dona, quæ Virginem Mariam exornabant, humilitati ejus tributum pendebant.* Hoc ipsum fecit in Assumptione, cum est mortua, unde aliqui eam argumentantur in peccato conceptam, quia ex peccato originali mors profluxit, sed neque Christus originale habuit, tamen mortuus est. Duplex est causa mortis nostræ. 1. Natura nostra, quia constamus contrariis, calore & frigore, humiditate & siccitate, hæc continuò in se agunt, & tandem aliqua prævalent, & turbatur hominis temperamentum, & sic anima abit, contra hoc malum, ante originale peccatum, ut docet S. Th. 1. p. q. 97. a. 1. & 3. *Inerat animæ vis quædam supernaturaliter Divinitùs data, per quam corpus ab omni qualitate poterat præservare, quamdiu ipsa DEO subjecta mansisset.* Altera causa mortis, peccatum, *Mors per peccatum intravit.* Peccante Adamo, & arbor vitæ ablata quæ valebat ad instauranda corpora, & vis illa animæ. B. Virgo hanc vim debuisset habere, sed noluit sicut & ejus Filius, cæteris tamen effectibus peccati originalis caruit, quales sunt, corpus reverti in terram, dolores in partu sentire, morbos pati, &c. Aug. serm. 4. de Assumpt. *Putredo & vermis*

humanæ opprobrium est conditionis, à quo opprobrio cùm JESUS sit alienus, naturam Mariæ excipitur, quam JESUS de illa sumpsisse probatur, caro enim JESU caro est Matris. Petr. Blesen. serm. 2. de Assumpt. *Maria à communi viri & mulieris maledictione facta est immunis, quâ dicitur, in cinerem ibis.* Idem docet S. Cypr. serm. de Nativ. Christi. *Non sustinebat justitia ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis, quod plurimum à cæteris non naturâ differens communicabat, sed culpâ.* Sed & mors ipsa in B. Virgine multùm differebat à nostra. Damasc. de dormit. B. V. c. 22. *Postquam dolorem sensisset, peperit, absque dolore fuit ejus quoque ex hac vita excessus.* Apud nos dolor est causa mortis apud illam amor Alb. in Mariali. *B. Virgo sine dolore præ amore mortua est.* Idem adstruit de laud. Virg. Dionys. Carthus. à. 3. idem S. Birgitta 6. Revel. 62. *Vide plura in mea Prophetissa.* Et quod mortua est factum est quasi per miraculum unde Richard. Victorin. lib. 2. de Emmanuele cap. 28. *Quæ causa est quæve justitia, ut remaneret in Maria pœna, ubi nulla est culpa?* Nam ut Damasc. l. c. orat. 2. *Ex qua omnibus vera vita manavit, quomodo illa mortem gustaret?* & rursus. *Hanc, quæ sine dolore aliquo peperit, ac DEO se totum consecravit, quonam modo mors devoraret?* His consideratis Salazar infert, mortem B. Virgini ad meritum datam, ut moriendo mereretur. Nam ut Aug. ex illo. *Spectaculum facti sumus DEO & Angelis,* deducit. *Angeli invident quòd pro Christo mori non possunt uti Martyres.* Mors enim est meritorum ferax si illâ uti noverimus & dicere velimus. Accepto mortem, quia DEUS mori jubet, & est summæ obedientiæ actus ad imitationem Christi, *Factus obediens usque ad mortem.* Accepto mortem in pœnam peccatorum meorum, ut Reus, & est actus justitiæ. Accepto mortem ne peccem amplius, & est actus Contritionis. Accepto ut DEO meo fruar, & est actus Amoris. Accepto ut tester hunc articulum fidei esse verum, hanc virtutem DEO gratam,

&

& est Martyrium, Hinc sancti appetebant mortem, Paulus, *Cupio dissolvi.* S. Soter quæ semper vultum habuit velatum, cùm esset palmis cædenda, illum detexit, de quo S. Ambr. exhortat. ad Virgines. *Vultum aperuit soli invelata martyrio, & volens injuriæ occurrit, vultum offerens, ut ibi fuerat sacrificium martyris ubi esset testamentum pudoris.* Chrysost. hom. 67. ad pop. *Si Religionis tuba vocet, statim progredere, & animam parvipende, &c. Tantâ ergo promptitudine proprium effundamus cruorem quantâ quis aquam effunderet, nam & aqua sanguis est corpus irrigans, & tantâ facilitate carnem exuamus quantâ vestimentum.* Cùm denuntiaretur mors Cardin. Bellarmino ter in hæc verba prorupit. *O lætum nuntium!* Cùm Joanni Fischero Episc. Rosen. qui jussu Henrici Regis Angliæ securi erat pro fide decollandus, solennes accepit vestes & dixit. *Nonne hæc est dies nuptiarum mearum, ut eam honorem majori cultu opus est?* Si tanti est mors quàm alias debet homo subire quanti B. Virginis quam subire non debuit? & quia plus meretur qui in Majore DEI est gratia, B. Virgo cùm fuerit in majore quàm ullus post Christum, quantùm per illum meruit? Quid non DEUS Abrahamo dedit, quia suum obtulit Isaacum, quid non Virgini quia suam vitam?

NB. *De Eadem assumptione reperitur, ubi erratum est, in Ascensione Domini.* fol. 48.

In Festo S. Hyacinthi.

QUod S. Bern. serm. 1. dixit in die S. Andreæ optimè convenit S. Hiacyntho. *Fluvius est Prædicatorum ordo, non in eodem permanens loco, sed extendens se & currens, ut diversas irriget terras.* In hoc brevi elogio comprehensa sunt omnia Sancti.

Fluvius non definit currere donec in mare influat, ita hujus Sancti nota devotio in B. Virginem. Fluvius nulli terræ adhæret, ille omnia contempsit, S. Nilus in Ascet. *Si quid enim retinetur, id cogitationem ad se assiduè trahit, & à præstantioribus studiis animum avertit, ad extremumque etiam penitus abrumpit à fraternitate.* Fluvius semper à suo fonte abit, fumus ex muliere, ab hoc fonte qui vult caste vivere, debet se elongare, &c. Diversas terras irrigat, &c.

De Eodem.

Quòd S. Hiacynthus expectaverit juxta præscriptum hujus Evangelii Dominum, nulli potest esse dubium, præcinxit lumbos quia virgo, Greg. hom. 13. in Evang. *Lumbos præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Habuit lucernam ardentem in manu, ardebat versus DEUM amore, versus proximum exemplo. Erat expectans, continuò prospiciens per orationes, mortificationes, tandem illùm Dominus super omnia bona sua constituit, pauca ex illis accipio ad considerandum.

Omnia quæ in mundo sunt, hujus Domini bona sunt. *Domini est terra & plenitudo ejus.* Itaque Sancto dedit terram, hinc ab ea pellit pestes, morbos, dedit aquam, incessit pedibus per fluvium Vandalum prope Vissogradum, socios etiam in pallio vexit, &c. Sed non sola hæc visibilia habet hic Dominus, habet quasdam dignitates spirituales, & supra has sanctum etiam constituit. Prima dignitas est esse propheta, Matth. 11. dicitur de S. Joanne Bapt. *Inter natos non surrexit major Joanne Baptista,* & alibi. *Hic est plusquam Propheta.* S. Th. quærit unde ista eminentia colligi possit, & respondet, ex specialibus favoribus quos DEUS S. Joanni præstitit. Quia fecit illum suum

præ-

præcursorem, quia ab illo voluit monstrari digito quia à B. Virgine in utero visitatus, inde *plus quam Propheta.* Et S. Hiacynthus visitatus, quando illi dixit B. Virgo, *Exaudita est oratio tua.* Baptisavit Joannes Christum, & Sanctus nomen illius propalavit prædicando, juxta illud. *Narrabo nomen tuum Fratribus meis.* Et prædicationem suam adeò miraculis confirmavit, ut eum Bzovius vocaverit thaumaturgum, quomodo & Christus suas prædicationes confirmabat Isai 35. *DEUS noster veniet, tunc aperientur oculi cæcorum, aures surdis patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus.* Quæ tam clarè probabant quòd verè se asseruerit DEUM, ut Nicodemus Joan. 3. dixerit. *Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis.* Hoc ipsum considerando Richard. lib. 1. de Trinit. cap. 2. ita Christum alloquitur. *Domine, si error est, à te decepti sumus*, quod est impossibile, *nam tantis signis confirmata sunt.* Quod ipsum prævidens in spiritu David. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* quasi diceret, nimium ostensa clarè veritas nostræ fidei. Pœnitentiam asperam egit S. Joannes, egit & Hiacynthus. S. Joannes ostendit Christum, & hic per fluvium in SS. Sacramento deportavit, magnus est Joannes & plusquam Propheta, sed etiam Hiacynthus inter Prophetas numerari potest. Quoad vitæ merita utor verbis S. Th. *Ego Prophetam Prophetæ non audeo comparare.* Sed etiam de hoc Sancto dici potest, *Ego vox clamantis in deserto.* Cùm fuerit ex suâ vocatione Prædicator.

Aliud bonum Christi ex Apostolatus, Apostolorum fuit hoc singulare quia Spiritus S. descendit in illos die Pentecostes, specie ignis, & quia supra S. Martinum Episc. dum celebraret Missam visus est globus igneus, ideò illum Ecclesia appellat *Apostolis consertum* ut scribit Joan. Bethel. in Rationali, sed etiam lux supra Hiacynthum apparuit, ut in ejus vita, &c.

Alia bona sunt hujus Domini, quibus etiam corollas seu aureo-

aureolas imponit, Martyrium, Virginitas, Doctoratus, & hæc dedit Hyacintho, &c. Omissis aliis innumeris, ultimum bonum est Domini, quia ultimus noster finis, *gaudium Domini*, in hoc intravit iste Sanctus.

In Festo S. Augustini.

Quod Job. 28. dixit. *Profunda quoque fluviorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit.* Hoc S. Th. S. Augustino attribuit, & numerat quæ abscondita, *nimirum scripturæ, creaturæ, culpæ & gratiæ.* Scripturam S. explicuit, naturam Angelorum & animæ, culpas suis in libris confessionum, gratiam DEI, neque plura sunt in hoc mundo, quare lux est totius mundi.

Lucem Augustini ita describit Claudianus Mammertus lib. 5. de statu animæ cap. 5. *Aurelius Augustinus & acumine ingenii, rerum multitudine, & operis modo, velut quidam Chrysippus argumentandi virtute, aut Zenon sensus subtilitate, aut Varro noster voluminum multitudine enituit.* Præfert illum sibi M. Greg. scribendo ad quosdam amicos. *Si delicioso cupitis pabulo saginari, patriotæ vestri opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quæratis.* De illo Hieron. *Quidquid dici potuit, & sublimi ingenio de Scripturarum SS. hauriri fontibus, à te postum atque disertum est.* De illo Sigisbert. ad ann. 406. *Librorum, tractatuum, & epistolarum, plusquam ad millo trecentum extenditur, multis numero hoc non comprehensis.* Vertit hoc suum ingenium ad illustrandum orbem, & ita illustravit, ut dixerit Hieron. *Catholici te Conditorem antiquæ rursus fidei venerantur atque suscipiunt, & quod signum majoris gloriæ est, Hæretici detestantur.* Ex quo ita diligebatur à S. Hieron, ut dixerit hic. *Ut Absque tui mentione neque unam quidem horam præterire patiamur, qui contra flantes*

ventos

ventos in ardore fidei perstitisti. Perstitit contra Pelagium, Arianos, Manichæos, & illos confutavit.

Fuit & aliud lumen in Sancto non minus, quo etiam orbem irradiavit, scilicet Sanctitas, &c. Incipiamus ab humilitate. Per triennium latuit ne Sacerdos ordinaretur. Coram toto orbe sua peccata confessus, in libris suis fassus aliquos errores ita ut illos retractaverit, &c. Et quia ut ipse Aug. argumentatur, quò altius debet esse ædificium tantò profundius effoditur fundamentum, cùm ita profundè effoderit, quantùm assurrexit? Fuit in eo paupertas, nam statum Monasticum professus, propterea DEUS se illi in opes donavit. S. Prosper. lib. 2. de vita contempl. c. 10. *Quid potest eo esse felicius, cui efficitur sui conditor census, & hæreditas ejus dignatur ipsa esse Divinitas.* Ecce impensæ hujus fabricæ Divinitas, quàm celeriter verò assurrexit, patet ex hoc, quia in altum volavit Greg. hom. 18. in Ezech. *Volant qui terram quasi non tangunt, quia in ipsa nihil appetunt.*

In Nativitate B. M. Virg.

NAscitur S. Virgo velut piscina probatica ab Angelo movenda, ut omnes nostras sanet infirmitates, hæc piscina fuit vicina domui Joachim quam habebat Jerosolymis. Petr. Blesen. serm. 1. *Probatica piscina S. Virginem significavit, descendit in eam magni consilii Angelus.* Adrichom in descript. Jerosol. n. 62. *Putarunt nonnulli in loco piscinæ fuisse ignem sacrum occultatum, quem cùm requireret Nehemias, ejus loco reperit aquam crassam 2. Machab. 1.* Olim DEUS fuit ignis consumens, sed quando in S. Virgine absconditus, factus est aqua, Homo. *Omnes sicut aquæ dilabimur.* S. Th. 1. 2. q. 103. a. 3. docet festo Neomeniæ Judaicæ substitutum festum B. Virginis, de Neomenia Levit 13. *Mense septimo, primâ die mensis erit vobis Sabbatum memorabile clan-*

gentibus tubis, & vocabitur sanctum. Mense septimo, id est, in Septembri nata est B. Virgo, Festum Neomeniæ fuit vel ob legem datam per Moysen, vel in memoriam Isaac immolandi, & per Arietem liberati utrumquæ B. Virgini convenit, in illa nascitur Legislator Christus, ille liberavit occidendum Isaac, genus humanum. Est piscina in qua ignis absconsus, postquam è Dalmatia translata S. Domus Lauretana in Italiam, ut scribit Turscllin. l. 1. c. 7. Petrus à Sylva Eremita, per decem annos continuos sexto Idus sept. quartâ vigiliâ noctis semper videbat flammam in illa domo, quæ in cœlum postea abibat & petiit à DEO id sibi explicari, atque didicit hoc fieri in honorem festi hodierni; iidem ignes etiam ad nostra tempora quibusdam comparent, & in nostram devotionem descendunt.

De Sanctis Angelis.

Nullus ita salutem nostram desiderat ut Angeli, sicut nullus ita desiderat civitatem suam reparari ut cives illius, Bern. in vigilia Nativ. serm. 2. *Putatis quantum desiderant cives cœli civitatis, suæ restaurari ruinas, quomodo solliciti sunt ut veniant lapides vivi, ut coædificentur eis quomodo medii discurrant inter nos & DEUM?* Quia quod ex illis cum Lucifero decidit, per nos est complendum. Propterea Hebr. 1. *Omnes sunt administratorii spiritus*, ut nobis serviant, & nos ad salutem deducant, nos ubique consequuntur. Unde Bern. serm. 12. in Ps. Qui habitat, nos monet. *In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe, tu ne audeas illo præsente, quod me spectante non auderes.* Illi circa nos decreta DEI exequuntur. Greg. hom. 38. *In hominibus omne judicium per Angelos exercet.* Illi actus nostros inspiciunt, & si non viderint inter nos concordiam, ut ait Bern. serm. 1. pro S. Michaële. *Dicunt Sancti illi & beati spiritus, ubi*

scandala

scandala invenerint & dissensiones, quid nobis & generationi huic spiritum non habenti? Hic jam ex eodem Bern. ibid. discemus cur in festo SS. Angelorum legatur Evangelium de scandalo. *Videtis quàm congruat huic solennitati Evangelica lectio, quæ sic deterret nos à scandalo parvulorum, quandoquidem tam vehementer displicent Angelis scandala.* Quia vero ex omni Angelorum choro corruit aliquis, & novem sunt chori juxta illud Greg. hom. 34. *Angelus non ad similitudinem DEI factus, sed signaculum similitudinis ejus dicitur Ezech. 28. ut quò in eo subtilior est natura eò in illo imago DEI similius insinuetur expressa, quo in loco mox subditur, omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius & jaspis, &c. Ecce novem dixit nomina lapidum, quia profectò novem sunt ordines Angelorum.* Sic etiam singulæ suam civitatis partem restaurari quærunt, & restauramus illam pro diversitate nostrorum meritorum dum alii capimus locum inter Angelos, alii inter Archangelos, &c. Hinc quia pœnitentes locum Angelorum occupant, *gaudium est Angelis in cœlo super uno pœnitente.* Sed omnibus quidem assistunt Angeli, ab aliquibus tamen absterrentur, Basil. in Ps. 33. *Omni in Christum credenti Angelus assistit, nisi nos illum ob nostra peccata absterreamus; velut enim fumus apes fugat, & fætor columbas absterret: sic Angelum vitæ nostræ custodem, tenebrosum fœculentumque peccatum.* Ambr. lib. de Virginibus, Cant. 7. *Mille Salomoni & ducenti, qui servant fructum ejus*, &c. Sexaginta potentes. *Crevit numerus ubi crevit fructus, quia quo sanctior quisque eo munitior, sic Elisæus propheta exercitus Angelorum sibi præsidio adesse monstravit, sic JESUS nave Ducem militiæ cœlestis agnovit*, &c. Ubi ostendit S. Doctor quòd sanctioribus viri plures aut nobiliores Angeli assistant, & de Virginibus ait, *Vobis Virgines Sanctæ speciale præsidium est, quæ intemerato pudore sacrum Domini servatis cubile.* Alludit ad lectulum Salomonis, &c. *Neque mirum si pro vobis Angeli militant, quæ Angelorum moribus militatis.*

Sed id firmemus ampliùs, quòd bonis plures Angeli assistant. Jacob Patriarcha tot Angelos sibi obvios habuit, ut dixerit. *Castra DEI hæc sunt*, quod ipsum est Ps. 33. *Castra metabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Et de Angelis serm. 29. in Cant. explicat Bern. castrorum Choros in Sunamitide. Cùm Abbas Moyses graviter affligeretur tentationibus, ostendit illi ad solatium ex loco edito Abbas Isidorus exercitus Angelorum, suppetias tetentium servis DEI, quia per quos magis sperant civitatem restaurandam iis majorem curam impendunt & ad hoc Angeli superiores mittant inferiores, & ipsi orant pro nobis & preces nostras offerunt, S. Anton. Magnus epist. 2. *Verè nati mei, hæc nostra humiliatio*, in peccata dejectio, *Angelis tristitia est, sicut iterum salus & gloriatio nostra lætificationem eis ac requiem omnibus præbet*, sed etiam pro quovis orant. Origen. l. 8. contra Celsum. *Hominibus bonæ voluntatis precantibus ultrò se adjungunt Angelorum exercitûs millia, & intercedunt pro mortali nostro genere.* Et hoc specialiter faciunt cùm missæ interfumus, in qua apud Græcos mos erat ut totus populus laudes DEO acclamaret, ut patet ex Chrysost. hom. 3. de incomprehensibili DEI natura. *Tempore illo* sacrificii *non solùm homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam Angeli DEO genuflectunt, sic Angeli tunc pro ramis oleagnis corpus Domini, prætendentes, rogant pro genere humano.*

Oremus omnes SS. Angelos ut docet Ambr. lib. de viduis. *Obsecrandi sunt Angeli qui nobis in præsidium dati sunt.* Sed specialiter S. Michaël quia ut Viegas in Apoc. 12. cujus etiam est sententiæ Serarius in Josue 5. q. 45. pag. 551. *Creditur Michaël animas corpore discedentes particulari judicio exercere, indeque est quòd cum statera & gladio depingitur, ut summa ejus potestas, justitiaque æqualitas declaretur in nostris sive meritis sive demeritis expendendis*, & hoc ipsum insinuare Ecclesia. *Archangele Michael constitu-*

tus

tui te super omnes animas. S. Michaël *repræsentet eas in lucem sanctam.* Quare precemur cum S. Ildefonso, lib. de Virginit. B. M. c. 12. *Oro te S. Angele per indissecabilem hæreditatem fidei nostræ, per tuæ hæreditatis statum, per meæ redemptionis mysterium, &c.* Siquidem ut Bern. serm. 1. de S. Michaële. *Nos, ô B. Angeli, catelli sumus Domini illius quem tanto affectu diligitis, catelli inquam cupientes saturari de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum nostrorum, qui estis vos. Et hæc dixerim Fratres, ut ampliorem de cætero erga Beatos Angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiariùs in omni necessitate vestra eorum invocetis auxilia.* Et serm. 21. in Ps. qui habitat. *Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, Doctorem tuum, adjutorem tuum, in opportunitatibus, in tribulatione, inclama eum & dic. Domine salva nos, perimus.*

In Festo S. Angeli Custodis.

QUia dæmon ad infernum detrusus à DEO, odit DEUM, & quia illi nocere non potest, imaginem illius invadit, scilicet hominem, homo se non posset tueri, addit DEUS homini Angelum. Greg. *Bellum inter DEUM & dæmonem est, sed materia belli homo.* Arma quibus nos oppugnat, sunt membra nostra, ideò Rom. 6. *Non exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato,* & 1. Petr. 2. *Abstineatis à carnalibus desideriis quæ militant adversùs animam.* Angelus etiam nostris armis pugnat pro nobis, cui potiùs illa commodemus. Veniet profectò tempus quando Angeli canent tubis, & tum ad se eos colligent qui contra dæmonem militarunt.

In Festo S. Francisci Seraphici.

ETsi in verbis simplex fuerit S. Franciscus dum concionaretur

retur, mirabilis fuit efficaciæ, quare ipsum audiamus, & inprimis dicat nobis unde accepit suam regulam. Sed DEUS pro ipso respondet cùm illi dicit. *Franciſce nihil eſt in tua regula de tuo, ſed totum eſt meum quidquid eſt ibi. Et volo quòd ſervetur hæc regula ad literam, ad literam, ad literam, ſine gloſſa, ſine gloſſa, ſine gloſſa. Ego ſcio quantùm poteſt humana fragilitas, & quantùm volo eos juvare.* Hoc DEUS, sed quid etiam ille ipse? Solebat dicere, professionem suorum esse librum vitæ, spem salutis, arrham gloriæ, medullam Evangelii, viam Crucis, statum perfectionis, clavem paradisi, & pactum æterni fœderis. Revelavit illi Angelus quòd Religio sua non sit defectura ad finem mundi, & quòd nullus in ea volens male vivere, diu sit in illa mansurus. Quod quicunque ex corde dilexerit hunc Ordinem, quantumcunque sit peccator, tandem misericordiam consequetur: & quòd nullus illum ex industria persequens diu sit victurus. Ipsemet Sanctus Gregorio Papæ asseruit. Quod quantò plures Fratres essent in Ordine suo, tantò illis DEUS abundantiùs sit provisurus, & quod nullus suum deferens habitum male esset moriturus, sed quid amplius ipse Christus dixit Sancto. *Quando mundus perdet fidem Ordinis tui, non remanebit ultrà lux, quia posui eum in lucem mundi.*

Jam audiamus quid de humilitate? *Moneo & exhortor in D. JESU Chriſto ut caveant Fratres ab omni ſuperbia, &c.* Minores ideò vocati sunt Fratres mei, ut majores fieri non præsumant, ex humilitate nascitur patientia, sic de illa sanctus. *Curent diligere eos qui nos perſequuntur, reprehendunt & arguunt, quia dicit Dominus, Diligite inimicos veſtros, &c. Amici noſtri ſunt omnes illi, qui injuſte inferunt nobis anguſtias,, tribulationes, injurias, dolores, & tormenta, martyrium & mortem: quos multùm diligere debemus, quia ex hoc quod nobis inferunt, habebimus vitam æternam.* In obedientia quantus ipse fuerat dixit ipse de se. *Firmiter obedire volo*

Miniſtro

Ministro Generali Fraternitatis hujus, & illi Guardiano quem sibi placuerit mihi dare: & ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire vel facere ultra obedientiam, & voluntatem suam, quia Dominus meus est. De hac ipsa virtute ita concionatur. *Fratres qui sunt subditi recordentur quòd propter DEUM abnegaverint proprias voluntates, unde firmiter præcipio eis ut obediant in omnibus suis ministris.* Sed quid esse verum obedientem? *Tolle corpus exanime & ubi tibi placuerit, loca ipsum: videbis illud non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum; quodsi in cathedra exaltetur, non alta sed ima respicit sic verus obediens, &c. Charissimi ad primum verbum, præceptum implete, nec expectetis iterari quod dicitur vobis, nihil etiam impossibilitatis causemini si judicatis esse in præcepto, quia etiamsi supra vires ego vobis mandarem, obedientia viribus non careret, & scitote quòd ille qui præcepto obedientiæ festinanter non obedit, nec DEUM timet, nec homines reveretur.*

Paupertas fuit Sancto carissima hinc. *Caveant Fratres & eorum Ministri ne soliciti sint de eorum rebus temporalibus,* & rursus. *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini & advenæ in hoc sæculo in paupertate & humilitate Domino famulantes vadant pro eleemosyna confidenter, nec oportet eos verecundare, quia Dominus pro nobis pauperem se fecit in hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis,* &c. A Paupertate ad Castitatem transeamus. *Omnes Fratres ubicunque sunt & vadunt, caveant se à malo visu & frequentia mulierum,* &c. Adjunxit servandæ huic virtuti jejunium, hinc omne otium proscribebat. *Cuidam Fratri otioso dixit, vade Frater juxta viam tuam, quoniam vis comedere laborem Fratrum tuorum, & esse otiosus in opere DEI, sicut apis otiosa & sterilis, quæ non lucratur & non laborat, & comedit laborem & lucrum bonarum apum.* Et seipsum in exemplum allegat. *Ego manibus meis laboravi, & omnes Fratres mei volo ut laborent, &c. & qui nesciunt discant,* &c. Vide in Manuali Franciscanorum.

In Fe-

In Festo SS. Omnium.

Qllia in hoc mundo præmium cœleſte cognoſcere non poſſumus niſi per quoſdam circuitus, & ſimilitudines, cogitationes perfectionum demendo ab illis inperfectiones. Dyon. Areop. *Impoſſibile eſt nobis aliter lucere Divinum lumen niſi velamine figurarum fuerit circumvelatum.* Creavit DEUS ad hoc creaturas, ut nos ex illis velut pueri literulas, id eſt perfectiones colligendo, verba aliqua formare poſſimus. S. Th. de Villan. conc. de S. Aug. *Mundus iſte ſenſibilis non ſolùm in miniſterium, ſed & in magiſterium hominibus datus eſt, ut in viſibilibus iſtis viſibilia diſcant.* Hinc Aug. 10. confeſſio. Dum quærit quid ſit DEUS, & ſingulos ad hoc ſenſus adhibet, & reſpondet, non eſſe DEUM coloratum, ſonorum, &c. Et 10. Confeſſ. 6. Interrogat ſingula elementa & reſpondent illi quod ipſa non ſint DEUS; tum ille. *Dixiſtis mihi de DEO meo quòd vos non eſtis, dicite mihi de illo aliquid. Et exclamaverunt voce magnâ, ipſe fecit nos,* & pergit. *Quid autem amo cùm te DEUS amo? non ſpeciem corporis, non decus temporis, &c. Non hæc amo, & tamen amo quandam lucem, quandam vocem, quendam odorem, &c. dum amo DEUM meum.* Et ſic aliquam voculam de DEO componit. S. Th. villan. l. c. *O quàm decora litera Sol! quàm pulchræ literæ Luna, ſtellæ, orbes, mare, beſtiæ, piſces, quas in hoc mundo ut in puerorum pagina, cœleſtis ille ſcriba depinxit, nobiſque propoſuit legendas!* &c. *Quid noſter diſcurſus eſt niſi laborioſa literarum compoſitio?* Componam creaturarum perfectiones, ut aliquid dicam de Sanctorum illa felicitate.

Beati mundo corde. S. Th. Villan. conc. de S. Ildefonſo. *Effugit omnem iniquitatem Spiritus DEI, ſed ab hoc fædo turpique contagio* luxuriæ, *amplius elongatur, propterea quòd præter ipſam*

cæteras

criminis deformitatem annexam habeat turpitudinem quandam ſpiritûs decori maximè contrariam. Itaque mundum cor magis accedit ad ſpiritum, &c. &c.

Pro Fidelibus Defunctis.

TAnta eſt pœna purgatorii, ut S. Th. ut 4. diſt. 21. a. 1. affirmet, minimam pœnam purgatorii excedere maximam hujus vitæ. Quia quò creatura eſt nobilioris naturæ, tantò pœna illi inflicta eſt gravior, anima verò eſt nobilior omni corpore, in hac vita corpori non animæ infertur ſensûs pœna. Præterea pœna quanto univerſalior tanto major, at verò in anima nihil eſt quod in purgatorio non affligatur. Præterea quæ fiunt miraculosè, fiunt meliora, potentiora, ſic vinum in Cana Galilææ fuit quovis alio vino melius, panis allatus Eliæ per Angelum, ita confortavit ut illo ſemel comeſto ambulaverit quadraginta diebus & totidem noctibus, uſtio verò animæ ab igne materiali eſt miraculoſa, ignis ille ex ſe eſt vehementiſſimus, quia ut S. Th. l. c. eſt idem cum igne inferni, de illo Aug. lib. de vera & falſa pœnit. *Excedit omnem pœnam quam unquam aliquis paſſus in hac vita, etiam Martyrum tormenta* S. Th. l. c. *Duplex eſt locus purgatorii, unus ſecundùm legem, alter juxta diſpenſationem Divinam.* Hinc aliqui in terra purgantur. Sciunt verò ibidem quis pro illis aliquid faciat boni. Aug. l. c. vel quia DEUS revelat hoc illis, vel quia nunciant Angeli, aut animæ ex hac vita venientes.

Pro iiſdem.

VEnit ad nos mendicatum æger, ſed ita febri ardens ut manus inſtar ferri candentis ardeant, oculi inſtar carbo-

num, ex ore, auribus flamma ut è carbone prorumpat, caput veluti ſtatuæ ligneæ pice illitæ eructat flammam, &c. Vultisne illius miſereri, & dare id illi quo dato nihil vobis decedet, imò accedet? Anima ex purgatorio iſta eſt. Miſerant olim animæ legatum ad Concionatorem ex Ord. Prædic. ut ardentem faceret concionem de juvandis animabus, quia DEUS conſtituerat quindecem millia ex purgatorio dimittere, ſi concione ejus homines moti deprecarentur. Mittunt & modò cùm auditis repeti, *Miſeremini mei*, &c. Cùm pulſantur campanæ, &c. date illis ſaltem poculum aquæ frigidæ, quodſi dederitis, non carebitis mercede, ut promiſſum. Matth. 10. Alphonſus Rex Caſtellæ morbum, quo mortuus, per dies traxit decem, tertia ex illis ante mortem erupit fons ex altari, ad quem venientes, duo Epiſcopi biberunt, & conjecerunt quòd poſt mortem Rex petiturus eſſet aquam frigidam, quæ ſcilicet effluxit ex latere mortui Chriſti, hanc in animas derivemus. Memineritis præceptis, ſi pauci fuerint in domo ad ſumendum Agnum paſchalem, *aſſumes vicinum*. Agnus immolatur in altari qui à toto mundo conſumi non poteſt, aſſumite Vicinos, Parentes, Fratres, mortuos, ſed dicetis. Eant ad ipſum fontem, qui dicit. *Qui ſitit veniat ad me*. Reſpondebunt non ibimus, tempus apud nos patiendi, non merendi, non ſatisfaciendi, ſi ire poſſemus, à vobis non mendicaremus. Bethardus Provincialis interrogatus à Benedicto, ambo erant. Ord. Prædic. cur ſæpiſſimè pro vivis oraret, non item pro defunctis? reſpondit, defuncti ſunt in tuto, vivi in periculo. Ad hoc Benedictus, ſi tibi duo Pauperes occurrant, unus juvenis & laborare potens: alter ſenex mutilis manibus, cui potiùs eleemoſynam dares? certè poſteriori, quia ſe juvare non poteſt, tales ſunt defuncti, nihilominus Bethardus pro vivis orabat, licet ipſæ Ammæ aliquando preces ejus expoſcerent, tandem ſemel animæ illum

in

in lecto jacentem gravibus lignis obruunt à quibus se cùm liberare non posset, conatus opem aliorum inclamare; ex quo didicit, illis qui se juvare non possunt, succurrendum esse. Torquentur illæ animæ gravissimè, S. Bern. de obitu Humberti, putat pœnas purgatorii graviores centuplò quàm sint ullæ in mundo, S. Greg. majores tormentis Martyrum. S. Th, Christi suppliciis, S. Anselm. omnibus in hoc vita possibilibus, S. Cæsarius, omnibus cogitabilibus. Multi Theologi affirmant non differre illas pœnas à pœnis inferni, hoc de pœnis sensûs, quid de pœna damni, quæ adhuc est gravior? Monet autem Jo. Eusеb. Nieremberg. de gratia l. 3. c. 10. Satisfactionem non acceptari à DEO si quis illam faciat existens in peccato mortali, sed cum aliquis est in gratia, pondus ejus meritorum attollit, ut si obolus attolleretur ad valorem millium, & ita modico labore possumus exolvere illorum ingens debitum, quod animæ in purgatorio solvendum habent, si sumus in gratia.

In Festo S. Stanislai Kostka.

HIc Beatus videtur similis nubeculæ quæ instar vestigii hominis apparuit Elisæo, magnam tamen adduxit pluviam. Videtur similis lapillo Danielis de monte abscisso qui statuam contrivit, & ipse in montem excrevit. Similis puero illi quem Christus in medio discipulorum statuit Matth. 18. De hoc sui patriotæ possunt dicere quod Joseph de Beniamin.

De Eodem.

COnstat quòd Beatum Virgo jusserit Societatem JESU ingredi, in obediendo huic præcepto non minus fecit quam Abraham circa Isaacum, quia seipsum immolavit, in

præmium dedit DEUS Abrahæ literam de ſuo nomine, ille qua S. Hieron. *Literam de ſuo nomine communicari voluit DEUS cum nomine Abraham, ut oſtenderet ſe non ſolùm bona ſua impertiturum ei, ſed etiam ſeipſum.* Beato totum nomen ſuum impoſuit, & ſupra pectus Matris gravidæ illud depinxit, & in aëre ſupra infantem intra faſcias jacentem exhibuit, & jam tunc dicere cum Paulo poterat. *Benedictus DEUS qui nos vocavit in Societatem Domini noſtri JESU Chriſti.* Nomen JESU eſt tantum ut DEUS Pater illud in præmium laborum Chriſto dederit. *Humiliavit ſemetipſum, &c. Propter quod DEUS dedit illi nomen quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur.* Sine dubio & Beato cum hoc dedit hujus nominis eſſe ſocium, multa contulit. Pſ. 22. *Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ propter nomen ſuum.* Euthymius & Nicephor. legunt. *Propter hoc quod nomine DEI vocor, tot videlicet in me DEUS beneficia congeſſit.* Certè in præmium dabitur in cœlo *nomen novum*, quod illud? Hugo Cardin. in Apoc. 2. ex ſententia Ludolphi Carthuſ. *In gloria cœleſti ab ipſo JESU dicemur Jeſuitæ.* In hoc nomine etiam oportebit non unum flecti genu eo modo quem Dion. Areopag. de S. Hierorch. c. 7. explicat juxta translationem Ambroſii Camaldulen. *Eadem quoque ratione, JESU feliciſſimâ Societate dignatus, intelligendum non quòd ex fictis imaginibus aut formis, illæ Deificam ſimilitudinem nitantur exprimere, ſed quod illis Divina imitatio excellentiarum modo donata ſit, communicantque quantum par eſt Deificis ipſius, benigniſſimisque virtutibus.* In nomine JESU omne genu flectitur, ad ſimilitudinem iſtius & Stanislao flectitur. Fugantur dæmones, terra mortuos reddit, &c. Chriſti imperium, unde oritur dicta adoratio. Deſcribit Pſ. *Reges eos in virga ferrea & tanquam vas figuli confringes eos.* Quod Arnobius ita explicat. *Reget Gentes in virga quaſi ferrea, non enim cedet fortibus mundi, nec miſerorum deſpiciet facies : iram venturam contemptoribus*

ptoribus pollicetur, fictilibus vasculis comminatur interitum. An non similia Beatus? Non cedit vivus furori Patris, mortuus exaudit, & in suos contemptores est severus, fragiles ad pœnitentiam conterit. Fratrem monita aspernantem in suâ vita sustinet. S. Pacianus Paræneſi ad Pœnitentiam, de spernentibus monita, dicit. *Ut cœnum maximè solet fœtere si moveas, ita illi.* Quæ non passus à Fratre? sed ut Nazianz. orat. de moderat. in disput. dixit. *Tu qui spirituali illo unguento (nomine JESU) delibutus es, fraterni fœtoris nonnihil perfer, sive verus sit ille fœtor, sive ita tibi videatur, ut illi vicissim boni tui odoris aliquid impertias.* Impertiit, in virum sanctum mutavit Fratrem. Ita feceret antea Christus quem timebat Martha invitare ad Lazarum, quia jam fœtebat, sed Chrysol. serm. 65. *Quod proditori fœtet, non fœtet Creatori.* Habuit adversarios Christus, habet ejus Societas, habet Beatus qui illum jam mortuum ab ea extrahere volunt, sed illis dicere potest quod Optatus Milevitanus lib. 7. adit. Parmenianum. *Aliqui vestrûm volentes nos populis suis contemnendos ostendere, illud miscent tractatibus suis, quod à Salomone dictum est Eccles. 10. Muscæ morituræ exterminant olei suavitatem, & quasi muscas morituras nos appellant, sed dum vos invidiæ tempestatibus impulsi quasi in oleum caditis vos ipsos exterminatis, non suavitatem illius olei quod in nomine Christi confectum est, unde condirentur mores, unde incenderetur lumen mentis ad salutarem & veram intelligentiam, vos exterminatis rem ubi oleum fuit & suavitas.* Orat Beatus in cœlo pro Patria quæ sæpè vim precum ejus experta, orat etiam pro sua Societate, Isai. 64. juxta lectionem Procopii. *Nostri miserere quos nomen tuum exornat. Hæreditas tua nuncupamur, id ergo nomine tuo largire* (orat pro toto Ecclesia) *ut apud Gentes non blasphemetur.* Ezech. 47. *Stabunt piscatores ab Engaddi usque ad Engallim.* Patria hic nostra descripta. Engaddi idem est, atque fons hædi, Engallim idem ac fons vitulorum. Alexander Magn. Græcos repræ-

ſentat, & pro ſtemmate hædum habuit. Judæi ad vituli adorationem ſæpè redibant, in has duas Gentes totum orbem diſtinxit Paulus Rom. 10 *Non eſt diſtinctio Græci & Judæi.* Inter nationes Barbaras & Chriſtianas non Catholicas ſita eſt Polonia. Ora Beate, ut ita vivat, ne nomen DEI occaſione illius blaſphemetur, ora ita bellet, ut agnoſcant, quia nomen DEI, Chriſti, ſunt Catholici, eſt in ea.

FINIS.

IN-

INDEX

Fragmentorum de Sanctis Totius anni.

	Fol.
IN Conceptione B. M. V.	*1*
In Nativitate D. N. JESU Christi.	*3*
De Eadem Nativitate.	*4*
De Eadem Nativitate.	*5*
In Festo S. Thomæ Apostoli.	*14*
In Festo SS. Innocentium.	*6*
In Circumcisione Domini.	*7*
In Eadem Circumcisione.	*10*
In Eadem Circumcisione.	*11*
In Epiphania Domini.	*17*
In Festo S. Dorotheæ V. & Mart.	*18*
In Festo S. Josephi Sponsi B. M. V. Concio.	*21*
In Annunciatione B. M. V.	*27*
In Eadem Annunciatione.	*29*
In Eadem Annunciatione.	*32*
In Eadem Annunciatione.	*33*
In Cœna Domini.	*35*
In Festo S. Georgii Mart.	*37*
In Inventione S. Crucis.	*39*
In Eadem Inventione S. Crucis.	*40*
In Festo S. Stanislai Episc. & Mart.	*43*
In Eodem Festo.	*46*
In Ascensione Domini.	*57*
NB. *Loco* In Ascensione Domini *Erratum est. Debebat poni titulus*, In Assumptione B. M. V.	
In Festo SS. Corporis Christi.	*50*

In

In festo S. Basilii Magni. 51
In Nativitate S. Joannis Baptistæ. 54
In Eadem Nativitate S. Joannis Bapt. 55
In Eadem Nativitate S. Joannis Bapt. 56
In festo SS. Petri & Pauli. 59
In Eodem festo. 60
De S. Paulo. 61
In Visitatione B. M. V. 62
In festo S. Mariæ Magdalenæ. 63
In festo S. Jacobi Apostoli. 69
In festo S. Annæ Matris B. M. V. 70
In festo S. Ignatii Societ. JESU. 70
In Eodem festo Concio. 73
In Eodem festo fragm. 78
In festo Portiunculæ. 80
In festo S. Dominici. 81
In Assumptione B. M. V. 82
In Eadem Assumptione B. M. V. Ubi erratum est. 48
In festo S. Hyacinthi. 85
In Eodem festo. 86
In festo S. Augustini. 88
In Nativitate B. M. V. 89
In festo S. Michaelis Archangeli. 90
De S. Angelis. 93
In festo S. Francisci Seraphici. 93
In festo SS. Omnium. 96
Pro Fidelibus Defunctis. 97
Pro iisdem. 97
In festo B. Stanislai Kostka. 99
In eodem festo. 99

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
3028

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN